ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN IV
PERIODUS QUARTA

PARS III
CONGREGATIONES GENERALES CXXXVIII - CXLV



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXVII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CXXXVIII

29 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXXVIII

29 septembris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregatio generalis 138 celebrabitur sub moderamine em.mi ac rev.mi D. card. Leonis Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et in ea fiet disceptatio II partis schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* et suffragatio prioris capitis schematis *de pastorali episcoporum munere,* nempe de modis circa hoc schema.

Imprimis, Patres venerabiles, vobis lego epistolam qua Sanctus Pater reposuit ad nostram epistolam qua gratias agebamus pro edito Motu Proprio – Epistola Encyclica *Mysterium fidei.* Epistola est subsignata ab em.mo D. card. a Publicis Ecclesiae Negotiis et directa ad em.mum card. Decanum, sed ad omnes Patres, uti patet. Lego igitur hanc epistulam:

« Eminentissime ac Reverendissime Domine,

« singulari cum commotae mentis oblectatione Beatissimus Pater epistulam amoris, obsequii officiique plenam excepit, quam, tua manu subscriptam, nomine quoque universorum Patrum e Concilio Oecumenico Vaticano II, Ipsi nuper misisti, ut eorum omnium grates ageres, ob Litteras motu proprio datas, quibus initium "Apostolica sollicitudo ", atque ob editas recens Encyclicas Litteras Eucharisticum " Mysterium fidei " collustrantes.

« Animo sane vehementer Augustus Pontifex gaudet, quod omnes isti in Episcopatu Fratres — quibus, in sacro Concilio congregatis, et Sancti Spiritus impulsioni obsequentibus, gravissima quaeque pastoralia huius temporis negotia sunt pertractanda — unanimam hanc sententiam per te protulerunt, iidemque tam egregia tamque laude digna proposita fecerunt palam, ominantes ut conditum Episcoporum Consilium in maius Ecclesiae decus atque ornamentum cedat, et publicum animorum bonum sedulo diligenterque promoveat.

« Nec minore laetitia Christi Vicarius affectus est, cum e tuis verbis percepit, Ecclesiae Sanctae Pastores vires precesque esse ingeminaturos,

ut praecelsum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum magis magisque omnibus sit inconcussum fidei fundamentum, verae pietatis alimentum et veluti centrum, totiusque christianae immo socialis etiam vitae ratio atque fulcimen, quo Redemptionis fructus uberius usque ad hominum genus dimanent.

« Gratum pariter animum Sanctitas Sua tibi simulque Concilii Patribus libenter profitetur, siquidem flagrantissima vota Sibi prolata sunt, ut iter, quod Ipse ad Unitarum Nationum consociationem modo est suscepturus, mansurae pacis interpres et nuntius, prospere feliciterque vertat. Haec acceptissima omina suscipiat Deus, deprecatrice Deipara Virgine Pacis Regina, eademque universi isti sacrorum Antistites precibus confirment atque comitentur, ut illud inceptum — in quo exsequendo Petri Successor quosdam ex isto maximo Conventu Apostolorum Successores Sibi adiungere exoptavit — Nationum principibus ad gravissimum onus pacis procurandae iterum iterumque suadeat, cunctisque terrarum populis exspectatam animorum temporumque tranquillitatem deproperet atque tueatur.

« Dum autem supernae largitatis copiam communibus Oecumenicae Synodi laboribus supplici invocat prece, Beatissimus Pater, Suae benevolentiae praesentissimum pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertit.

« Ego vero maxima cum observantia et veneratione permanere gaudeo

Eminentiae tuae
addictissimus et deditissimus

HAMLETUS IOANNES card. CICOGNANI ».

[*Plausus*]

Nunc dicitur oratio.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *Adsumus, Domine Sancte Spiritus ...*

Secretarius generalis: In hac congregatione, Patres venerabiles, vobis distribuetur relatio super schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae;* et disceptatio circa hoc schema incipiet postquam exacta fuerit disceptatio super schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Interea fit distributio, ni fallor, relationis circa secundam partem schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Suffragationes, quae fient mane super schemate *de pastorali episcoporum munere,* post relationem peractam, uti patet, habebunt duplex

tantum responsum, uti pluries dictum est: agitur enim de modis, quos ego legam suo tempore, et modi, iuxta *Ordinem Concilii celebrandi,* habebunt tantum responsum *placet* vel *non placet.* Tertium responsum dari non potest. Nam, uti dixi, non potest admitti processus in infinitum. Ergo, *placet* et *non placet* tantum. Postea iterum dicam, quando legam singula quaesita.

Et nunc audiatis, Patres. Legam nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa partem II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Sunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd.: Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Paulus Léger, arch. Marianopolitanus (Montréal) in Canada; Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis (Malines-Bruxelles); Ioannes Colombo, arch. Mediolanensis in Italia; exc.mi ac rev.mi Domini: Ludovicus Alonso, arch. tit. Sionensis in Hispania; Paulus Taguchi, ep. Osakensis (Osaka) in Iaponia; Casimirus Majdanski, ep. aux. Vladislaviensis (Breslavia) in Polonia; Elias Zoghby, vic. patr. Melchitarum in Ægypto; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Hermannus Volk, ep. Moguntinus (Mainz) in Germania; Adrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus (Djakarta) in Indonesia; Franciscus Tomášek, ep. adm. ap. Pragensis in Cecoslovachia; Franciscus M. Da Silva, arch. Bracharensis in Lusitania (Braga); Remigius De Roo, ep. Victoriensis (Victoria) in Canada; Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia; Ioseph Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania; Herbertus Bednorz, ep. coad. Katovicensis in Polonia; Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis (Bâle) in Helvetia.

Moderator: Audiamus nunc relationem de prooemio et de cap. I de schemate ...; et audiemus exc.mum D. Petrum Veuillot, arch. coad. Parisiensem.

Exc.mus P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. Parisiensis

Relatio generalis

de prooemio et de cap. I (Modi propositi et examinati)
schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*
[*cf. vol. IV, pars II, pag. 517-519*].

... Aliae quaedam mutationes introductae in textu minoris sunt momenti atque generalius latinitatis ratione inductae sunt, quin ulla sensus mutatio habeatur.

Videte nunc, venerabiles Patres, in folio adnexo, heri distributo, pagina ultima [*cf. ibid. pag. 618-619*].

In n. 5 schematis proponebatur constitutio Coetus seu Consilii Centralis Episcoporum, quod Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestaret adiutricem operam.

Nunc autem quod Sacrosancti Concilii Patrum et in primis Commissionis nostrae magnopere erat in votis, Ipsi Beatissimo Papae Nostro Paulo valde placuit, Qui perficiendum votum benigne voluit et auspicatissimo Motu Proprio, « Apostolica Sollicitudo », diei 15 septembris huius anni, stabile Episcoporum consilium pro Ecclesia universa sapientissime erexit ac constituit, quod nomine proprio « Synodum Episcoporum » appellavit.

Quapropter Supremo Ecclesiae Pastori et Patri amantissimo iterum iterumque gratias agimus et magnopere gaudemus quod in quaestione tanti momenti clare manifestatur perfecta inter membra Collegii Episcoporum eiusque Caput animorum coniunctio.

Cum autem haec omnia feliciter evenerint, Commissio Conciliaris de Episcopis et dioecesium regimine aliquatenus mutandum esse censuit textum numeri 5 ipsius schematis Decreti, et novam formulam proponit suffragationi Patrum Conciliarium, quae in eodem folio adnexo habetur.

Videte pagina praecedenti. Textus novus n. 5: « Episcopi e diversis orbis regionibus selecti, modis et rationibus a Romano Pontifice statutis vel statuendis, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestant adiutricem operam in Consilio, quod proprio nomine *Synodus Episcoporum* appellatur, quae quidem, utpote totius catholici Episcopatus partes agens, simul significat omnes Episcopos in hierarchica communione sollicitudinis universae Ecclesiae participes esse ».

Venerabiles Patres, vobis gratias agimus, quia vestris animadversionibus textus in meliorem formam redigi potuit.

Mutationes introductae certo certius textum clariorem non tantum reddunt, sed et plene conformem doctrinae quae in Constitutione dogmatica *de Ecclesia* habetur. Omnium modorum, quantum fieri potuit, ratio habita est in schemate emendando. Quare, confidimus ut huic textui approbationem vestram plene concedere velitis, immo et instanter nunc Vos rogamus ut hanc approbationem plane significetis.

Moderator: Gratias agimus relatori et omnibus membris commissionis *de episcopis* pro ingenti et patienti et felici labore. Loquatur nunc exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Procedamus, Patres, ad I suffragationem circa modos cap. I schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Videatis pag. 31. Haec est suffragatio 328. Quaesitum hoc est: « An placeat ut textus n. 4 (in hoc fasciculo, pag. 13, linn. 2-9) ita immutetur ut loco — non lego haec omnia, Patres venerabiles, quae sunt in sinistro latere; lego tantum mutationem inductam, quae est in latere dextero — ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 527*].

Ergo, Patres, *placet*ne vobis an *non placet* haec immutatio quae lecta est? Responsum duplex tantum: *placet* vel *non placet;* tertium non datur.

Moderator: Antequam transitus fiat ad II partem, audiatur nunc exc.mus D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania, qui faciet nobis relationem *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quoad II partem.

Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH

Episcopus Essendiensis

RELATIO
SUPER SCHEMA CONSTITUTIONIS PASTORALIS « DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS »

Partem II (specialem)

Venerabiles Patres,

I

Cum totum nostrum Schema imprimis intendat, uti ex numeris introductivis apparet, responsa quaedam dare ad illas quaestiones, quae maxime homines nostri temporis premunt,[1] peculiare momentum secundae parti convenit. In hac enim agitur de quaestionibus quibusdam urgentioribus nostri temporis. Sicuti pars prima, quae potius principia generalia exponit, ita haec secunda, quae ad orientationes magis particulares descendit, funditus emendata est.

Essentialis divisio capitum mansit, cum tribus exceptionibus:

1) Numerus primus huius partis in antecedente forma schematis, qui agebat de dignitate personae humanae eiusque fundamentalibus iuri-

[1] Electio Capitum in hac parte Schematis tractandorum imposita fuit Commissioni Mixtae a Commissione de Concilii laboribus coordinandis, die 30 ianuarii 1963.

bus et officiis, insertus est nunc parti primae, praesertim capiti secundo (De hominum communitate).

2) Additum est proprium caput De vita communitatis politicae, quod multi Patres desideraverant. Elementa partim contenta erant in capitibus prioribus veteris textus, partim in Adnexis ad numerum De iuribus hominum.

3) Duo numeri antea distincti, nempe De communitate gentium et De pace, nunc in uno capite quinto coniuncti sunt.

II

Maxima differentia inter textum emendatum et textum priorem consistit in eo, quod multa elementa ex Adnexis assumpta sunt in ipsum textum conciliarem. Hoc plurimi Patres postulaverunt. Duplex inde oritur difficultas:

1) Textus ita multo longior evasit. Si vero inter se comparantur novus textus sine Adnexis cum vetere textu cum Adnexis, clare apparet, totum textum esse notabiliter abbreviatum.

2) Una ex rationibus, propter quas ante tertiam sessionem Commissio nostra mixta separavit textum conciliarem et Adnexa, haec erat: Noluit introducere in discussionem conciliarem problemata tot particularia, quot in Adnexis tractantur. Semper in hac parte necessarium est, distinguere inter ipsa principia generalia et particulares applicationes. Si solummodo principia ponuntur, enuntiatio Concilii nimis abstracta, generalis et proinde vaga manet. Si nimis descenditur ad particularia, difficulter tantum ratio haberi potest maximae varietatis condicionum in mundo et limitum competentiae Concilii.

In singulis decisio facta est secundum animadversiones Patrum, quaenam ex Adnexis assumenda essent, quaenam non. Utrum recte selegerimus, vos iudicate!

III

Nunc de singulis capitibus:

1) Primum caput « De dignitate matrimonii et familiae fovenda » fere immutatum remansit quoad ordinem materiae. Textus, desideriis Patrum respondens, in luce clariore ponit munus procreationis et educationis prolis in societate familiari, necnon veram indolem amoris coniugalis. Praeterea textus noster, cum agit de paternitate responsabili, magis insistit in hoc, quod coniugum conscientia hac in re normis obiectivis obstringitur. Onerum his diebus pergravium memor, quae parentibus

incumbunt, Sancta Synodus eos invitat, ut gaudia et sacrificia vitae familiaris spiritu christiano accipiant uti testes mysterii mortis et resurrectionis Domini.

2) Caput secundum agit de cultus humani — seu culturae — progressu rite promovendo. Materia distributa est in tres partes: prima descriptiva, altera doctrinalis, tertia pastoralis. A pluribus desiderabatur definitio culturae. Sed complexitas argumenti talis est, ut ad summum aliqua generalis descriptio culturae fieri posse videatur. Iure in congressu associationum catholicarum internationalium, hoc anno Vindobonae in Austria habito, monitum est, cavendum esse, ne in discussionibus de hac quaestione unice disputetur de conceptu culturae. Hoc monitum etiam nobis utile esse potest. Speciali modo hoc caput rationem habere conatur condicionum omnium partium mundi.

3) Caput tertium « De vita oeconomico-sociali » incipit cum quibusdam aspectibus vitae oeconomicae hodiernae, dein distinctius agit de progressione oeconomica et de principiis, quae totam vitam oeconomico-socialem regunt. Exemplum Litterarum Encyclicarum socialium sequens, hoc caput etiam ad quaestiones relative particulares descendere non dubitat. Non restringitur ad consideranda problemata occidentalia, et etiam de rationibus oeconomicis inter divites et egentiores nationes agit.

4) Quartum novum caput « De vita communitatis politicae » primo agit de hodierna situatione huius vitae, dein de natura et fine societatis politicae, porro de omnium in vita publica cooperatione, de Ecclesia denique et societate politica.

5) Quintum et ultimum caput de industria omnia problemata subsumit sub idea pacis, ea quoque, quae in eo de cooperatione oeconomica inter nationes et problemate demographico exponuntur. Hoc factum est, ut natura positiva pacis magis appareat. Solutio enim quaestionum oeconomicarum inter nationes et problematis demographici haud parum ad ordinem pacis creandum confert. In proprio numero, qui inscribitur « De natura pacis », etiam innuitur connexio pacis humanae cum pace Christi, cuius illa tum figura, tum fructus est.

Praetermissis quaestionibus, maximi sane momenti, quae in sectione prima habentur, scilicet de superanda fame et paupertate in mundo et de incremento populationis terrae, spinosissimum laborem commissionis commemorare velim, qui tribuendus erat quaestioni pacis firmandae et belli vitandi. Interventus Patrum in Aula abierunt in oppositas sententias. In detestando bello omnes consentiebant. Alii tamen simpliciter postulabant, ut arma et bella hodierna a Concilio condemnarentur,

alii e contra distinguendum esse censebant. Commissioni visum est, hac in re statuere aliquod principium morale, quod generale et inconcussum est et ex quo omnis actio bellica omnisque usus armorum diiudicari possit. Hoc principium enuntiatur in textu pagina 77, n. 98, alinea 2: « Omnis actio bellica, quae indiscriminatim pertinet (seu melius tendit) ad destructionem urbium integrarum cum earum incolis, a fortiori ad destructionem fere plenam regionum, est de se obiective crimen contra Deum et ipsum hominem, quod firmiter et incunctanter damnandum est ».

Propter vota Patrum in hoc contextu etiam sermo est de aliquibus quaestionibus particularibus, v. gr. de morali aestimatione sic dicti aequilibrii terroris, de obiectione conscientiae et de aliquibus actibus bellicis. Vestrum est, et de contentu et de opportunitate harum linearum iudicare.

IV

Venerabiles Patres,

Graves sane quaestiones! Quaestiones, quae — ut iam dictum est anno elapso in ipsa discussione hac in Aula — speciales responsabilitates nobis imponunt. Sed his quaestionibus nos sistere debemus. Hoc a nobis postulat necessitas hominis huius temporis; hoc a nobis non minus postulat Christus, Dominus Ecclesiae, qui per ipsam opus suum in incarnatione inceptum consummare intendit, servire omnibus hominibus, ut vitam habeant, et abundantius habeant.

In hoc omnes concordes sumus. In permultis singulis quaestionibus huius partis differentias sat magnas praevidemus; neque mirum est. Sincere etiam concedimus, adesse adhuc imperfectiones in his capitibus. Speramus nos, adiutos per vestras animadversiones et postea per vestros modos, textum ita perficere posse, ut eam maturitatem attingat, quae dignitati Concilii non minus congruit, quam legitimis exspectationibus mundi huius temporis.

Moderator: Gratias agimus relatori et membris commissionis pro cura et magno labore intra tam paucos menses in re tam complexa adimpleto. Nunc audiatur exc.mus D. secretarius generalis pro secundo voto.

Secretarius generalis: Suffragatio 329. Patres venerabiles, videatis folium separatum, quod refert n. 5. Quaesitum hoc est ... [*cf. vol. IV, pars II, pag. 618*]. *Placet* vel *non placet?*

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis*, pars II)

1

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI

Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

I. *Matrimonii natura* (inepte — ut opinor — vocabulo « natura », praefertur « indoles », quae proprie significat qualitatem vel propensionem), natura — inquam — matrimonii, quae fundamentum praesentis dissertationis esse deberet, sub n. 61 in pag. 47 et subsequenti describitur — mea humili sententia — incomposite et parum accurate.

Quam melius, et simul brevius, Pius XI iam initio Litterarum Encyclicarum *Casti connubii* ...[1] matrimonii naturam et dignitatem explicavit! Cur tanto testimonio Concilium Oecumenicum Vaticanum II non utitur?

II. Peior adhuc confusio invenitur *circa matrimonii fines*. Commissioni, quae praesens schema praeparavit, distinctio inter finem matrimonii primarium et fines secundarios ...[2] forsan non placuit; sed haec distinctio in doctrina catholica iam dudum firma evasit, a Summis Pontificibus, etiam recentioribus, praedicata et pluribus Sanctae Sedis actis comprobata ...[3]

Finis matrimonii primarius, vel praecipuus — sicut in textu innuitur — est prolis procreatio et sana rectaque educatio; fines autem secundarii, *fini primario essentialiter subordinati* ...[4], sunt: mutuum adiutorium, mutuus fovendusque amor et concupiscentiae sedatio. Qui fines secundarii, si finis primarius inculpabiliter obtineri nequit, sufficiunt ad matrimonio licite utendum, dummodo salva semper sit intrinseca actus matrimonialis natura ...[5]

In textu autem, fines, quos secundarios ad mentem Ecclesiae catholicae voco, quique ex vero amore coniugali profluunt, ita in schemate extolluntur ut videantur servandi etiam si, in usu matrimonii, propter eos debeat procreatio evitari.

Damnantur quidem abortus et infanticidium, utpote crimina pessima; sed, sicut fere nihil dicitur de divortio, quo in pluribus Nationibus matrimonium funditus pervertitur, ita dolendum est silentio praeter-

mitti vitium multiforme quo non pauci coniuges, sola libidine ducti, legem Dei et naturae infringentes, dum actus matrimoniales exercent, curant ne foetus conceptio fiat.

In pag. 49, n. 63, asseritur coniuges scire, in familia condenda et ducenda, sibi non licere ad arbitrium suum procedere, sed conscientia se regi debere quae lege Dei recte informetur; necnon suum esse prolis numerum secundum Dei dona verique amoris indicationem determinare.

At in pag. 50, n. 64, linn. 18-21 adicitur: indicationem amoris aliquando obscuram esse: « Non semper — ita textus — clara apparet quomodo germani amoris cultus ... componatur cum exigentiis, quibus saltem ad tempus numerus prolis augeri nequit ».

Quapropter — ut statuitur in pag. 49, lin. 43, et pag. 50, linn. 1-3 — oportet ut coniuges indagationem expleant communi consilio atque conatu, intendentes salutem mentis et corporis, dignoscentes temporum et status vitae condiciones tum paedagogicas tum oeconomicas. Et paulo post, in eadem pag. 50, linn. 37-40, subicitur ipsam Dei voluntatem in vita coniugali ordinanda clarius detegi et penitius perspici non posse nisi, praeter sensum *christianorum* [6] fidelium et omnium hominum conscientiam, responsum exquiratur a sapientia et peritia eorum qui in sacris disciplinis et profanis de homine scientiis vexati sunt.

Nemo sane est qui non videat quam facile haesitationes et anxietates inde exoriri possint, in coniugibus quoque honestis *et* [7] religiosis, et quidem non solum de vexata pillula, insulse catholica appellata, cuius iudicium Summus Pontifex, feliciter regnans, sibi assumpsit, sed de vita coniugali in universum ordinanda!

Et tamen vix est aliqua quaestio matrimonialis quae a manifesto Magisterio ordinario Ecclesiae — cui humilis ac laeta debetur oboedientia — soluta non sit, maxime si prae oculis habeantur Encyclicae Litterae *Casti connubii* Pii XI et plurima decreta a Sancta Sede recenter edita.

Textus igitur retractandus est, secus valde timerem ne via sternatur expedita multis libidinum intemperantiis.

Comperimus omnes coniugibus ab usu matrimonii, mutuo consensu, se abstinere licitum esse, itemque licere ex mutuo consensu et iustis dignisque de causis, matrimonio uti, saltem ad tempus, solis diebus in muliere agenesiacis, scil. diebus quibus physiologice conceptio fieri nequit ...[8]; sed ex schemate non eruitur haec maximi momenti veritas: semper contra naturam agere et turpe quid atque intrinsece inhonestum operari illos qui actum matrimonialem naturali sua vi procreandae vitae de industria privent.

Secundum legem divinam, equidem indubitatam, quae legem naturalem illustrat ac perficit, etiam in matrimonio necessaria est castitas;

sine dubio castitas in quibusdam adiunctis difficilis est et ardua, sed « Deus — ait S. Augustinus — impossibilia non iubet, et iubendo monet, et facere quod possis et petere quod non possis: et adiuvat ut possis » ...[9]

III. Porro primum in textu obtinet locum — quasi sit finis primarius — amor coniugalis, qui, si recte accipiatur, vere dignus est qui celebretur, nam — ut docet Pius XI — « omnia coniugalis officia pervadit et quemdam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis » ...[10]; sed oportet ut sanctus sit et purus, qui in coniugio tam iura quam officia, scil. omnes morales obligationes secundum doctrinam catholicam, componere valeat. Id autem in capite nostro partim tantum et confuse dicitur, nunquam clare pleneque.

IV. Porro, in pag. 49 significatur, etsi non aperte, educatio sexualis, quae certo utilis esse potest, et aliquando necessaria, modo serventur cautelae a Sancta Sede pluries praeceptae, de quibus saltem pauca dicenda esse censeo ...[11]

Deinde [12] adnotandae mihi sunt aliquae peculiares affirmationes quae nec accuratae sunt nec opportunae.

1. Pag. 47, n. 61, linn. 38-39. Christifideles dicuntur sacramenti virtute munus suum coniugale explentes, gradatim, ad plenam humanae personae perfectionem mutuamque sanctitatem accedere.

Mutua sanctificatio coniugum est quidem in votis; sed plena humanae personae perfectio quid hoc loco significat? Quispiam suspicari poterit ad plenam humanam personae perfectionem adipiscendam necessarium esse matrimonium!

In pag. 50, n. 64, linn. 29-30, legimus: « Vita igitur in utero iam concepta maxima cura tuenda est; abortus vero quo innocenti vita iniuste aufertur, necnon infanticidium nefanda sunt crimina ».

Quaero: quandonam per abortum vita innocenti aufertur iniuste? E. g. abortus qui therapeuticus dicitur estne iustus an iniustus? Responsio ex textu non colligitur.

Cur non distinguitur — quemadmodum in omnibus scholis nostris facere consuevimus — inter abortum directum et indirectum, ut, secundum perpetuam Ecclesiae catholicae doctrinam, cum Pio XII asseratur lege naturali et divina semper et graviter vetari directam abortus procurationem? ...[13]

...[14] Demum desiderantur pauca verba de Virginitatis et perfectae castitatis praestantia.

Virgines enim vix in textu — n. 61, lin. 34 — memorantur et inepte

omnino, cum tantum dicatur « divinum amorem, quo amor coniugalis dirigitur atque nobilitatur, etiam — *etiam!* [15] — virgines colere ».

Matrimonium recte celebratur; « Scimus enim — ut verbis S. Ioannis Damasceni utar — Dominum praesentia sua nuptiis benedixisse; illum novimus qui dixit: Honorabile connubium et thorus immaculatus » ...[16]; sed virginitatem « angelicum vitae genus » appellat ...[17] Et multo antea S. Ioannes Chrysostomus ...

Moderator: Em.me Domine, velis ad conclusionem pervenire!

Orator: Et multo antea Ioannes Chrysostomus: virginitatem tanto meliorem esse dicebat matrimonio quantum caelum terra, quantum hominibus angelos ...[18] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Romae, die 31 mensis decembris 1930: *A.A.S.* 22 (1930), p. 541 s. [2] cf. Codex I. C. 1013 § 1. [3] cf. e. g. Suprema S. C. S. Officii, Decretum de matrimonii finibus, d.d. 1 apr. 1944: *A.A.S.* Sez. II, vol. XI (1944), p. 103. [4] cf. S. C. S. Officii, ib. [5] cf. LEO XIII, Litt. Enc. *Arcanum divinae sapientiae consilium,* 10 febr. 1880. [6] christianum. [7] ac. [8] cf. PIUS XI, Litt. Enc. *Casti Connubii,* DENZ. 3718 (3341); PIUS XII, Discorso alle Ostetriche, 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 846. [9] Concilium Trident. (DENZ. 1536) quod laudat S. Augustinum, *De natura et gratia,* c. 43, 50: *ML* 44, 271. [10] cf. PIUS XI, Enc. laud. [11] cf. PIUS XI, Litt. Enc. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 3697. S. C. S. Officii, 21 mart. 1931: *A.A.S.* (1931), p. 118. [12] V. [13] cf. Codex I. C. 2356 § 1; et PIUS XII, Discorso al Fronte della Famiglia e alle Associazioni delle Famiglie numerose: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 855-862. [14] VI. De virginitate. [15] deest. [16] (*Hebr.* 13, 4). [17] S. IOANNES DAMASC., *De fide orthodoxa* 4, 24; *MG* 94, 1209. [18] S. IOANNES CHRYS., *De virginitate, MG* 48, 540.

Moderator: Gratias! Audiatur nunc secretarius generalis quoad tertium votum.

Secretarius generalis: Suffragatio 330. Videatis pag. 31: « An placeat ut textus n. 8 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 528*]. *Placet* an *non placet?*

2

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Duobus sub aspectibus loquar de cap. 1 quod problema matrimonii agitat. Primum, sententiam meam de ipsa doctrina in schemate proposita exponam. Secundo, loquar de modo quo materia capitis ordinatur et exponitur.

1. *De doctrina schematis.* Nova schematis redactio melius quam praevia affirmat et describit doctrinam de momento et legitimitate amoris coniugalis.

Attamen, puto etiam novum illum textum parum iuvaturum esse fideles nostri temporis et timeo ne legitimam illorum exspectationem frustret. Cum tanti momenti sit recta expositio naturae matrimonii pro vita quotidiana fidelium, mihi liceat investigare accurata quidem cum cura cur adhuc textus insatisfactionem gignit.

Defectus principalis schematis in hoc sistit quod rationem idoneam non habet propositi quod persona humana in matrimonio prosequitur; et propterea sensum ipsius matrimonii sicuti hodie christianis ferventioribus apparet inadaequate declarat.

Procul dubio fideles gaudebunt in hoc quod schema, quibusdam in locis, amorem coniugalem extollit. Formulae tamen principaliores ...[1] quibus schema naturam matrimonii exprimit illis videbuntur non perfecte cohaerere cum illis locis atque veram faciem et pulchritudinem matrimonii deformare. Sic considerabitur v. g. illa formula qua matrimonium definitur ut « institutum ad procreationem et educationem prolis ordinatum ». Meo iudicio, haec formula incompleta et ambigua est; quod, de cetero, ipsum schema admittere videtur quando correctionem affert dicendo matrimonium non esse « merum procreationis institutum ».

Sane, haec formula sensum matrimonii pro *specie humana,* ut aiunt philosophi, exprimere posset. Pro specie humana, enim, matrimonium nonnisi hunc sensum habet, nempe: est id quo ipsa conservatur et propagatur. Sed cum matrimonium personas iungit, oportet ut praesertim sensus eius sicuti valet *pro persona* describatur, quin tamen negligatur sensus quem pro specie humana habet.

Nunc autem, formulae superius citatae incorrecte exprimunt hunc sensum quem matrimonium habet pro persona humana et propterea mutandae sunt. Primo, hae formulae incompletae sunt. Pro personis huma-

nis enim matrimonium non est tantum institutum quoddam ad procreationem ordinatum sed est etiam — immo est praesertim — communitas amoris et vitae. Secundo, hae formulae ambiguae sunt: communitatem vel amorem coniugalem adhibere videri possent ut mera media ad procreationem vel ut nullum sensum habentes nisi per ordinationem suam ad procreationem. Quod sane et falsum et destructivum dignitatis amoris humani esset.

Itaque, propono ut in ipsa descriptione principaliori matrimonii habitudo amoris et communitatis coniugalis ad prolem sequenti modo describatur:

a) Clare et aperte dicatur matrimonium esse communitatem intimam vitae et amoris.

b) Lucide exponatur profunda significatio quam generatio prolis habet pro amore et vita coniugali. Sic coniuges intelligent prolem esse summum fastigium ipsius amoris qua se ad invicem diligunt.

c) Dicatur tandem voluntatem Dei esse ut in matrimonio coniuges prolem gignant et ita fiant cooperatores eius. Quod autem patet ex ipsis verbis Scripturae et ex ipso indole amoris et communitatis coniugalis. Sic coniuges intelligent amorem suum non ad seipsos simpliciter ordinari sed partem esse ipsius propositi Providentiae creatricis Dei.

2. *De divisione et stylo schematis.* Aliae sunt causae cur textus schematis fideles frustrabit. Causae illae pertinent ad formam potius quam ad ipsam materiam schematis, sed momentum non parvum habent.

a) Doctrina schematis exponitur modo ita inorganico ut nonnisi arduo cum labore quis percipit ultimas intentiones schematis. Quando de maioribus doctrinalibus punctis agitur, bis, ter, reditur ad easdem cogitationes quae tamen nunquam ad ultimum ducuntur. Item expositio saepe illogice evolvitur: non raro ideae tantummodo iuxtaponuntur vel inter se iunguntur vinculis potius artificialibus. Ne textus noster appareat sicuti compromissum quoddam diplomaticum inter varias scholas theologicas, ut autem e contra fideles vere illuminet, necesse est ut expositio doctrinae clarior sit firmiusque structuretur.

b) Schema stylum exhortativum non sufficienter vitat quod aliquando saporem moralizantem praebet. Vitandum est etiam, mihi videtur, frequens transitus a stylo descriptivo vel simpliciter affirmativo ad illum exhortativum ...[2]

Concludo. Nemini fugit Concilium mundo et populo christiano clare loqui debere de matrimonio. Non obstantibus magnis et peculiaribus difficultatibus in quas Concilium in hac materia incidit, illud autem promulgare nequit textum cuius intentiones ipsi pastores difficile caperent.

Mihi liceat competenti commissioni formulationes concretas in scriptis proponere quae ad textum perficiendum adiuvare possent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 47, linn. 16-19; pag. 49, linn. 24-33). [2] *c*) Saepe schema matrimonium describit sicuti statum vitae in quo insidia et pericula multiplicantur. Haec autem rerum visio neminem iuvat, maxime quando illis difficultatibus nulla solutio proponitur.

Animadversiones additae:

De necessitate melioris distributionis materiae. Multa quae in n. 61 inveniuntur pertinent potius sive ad n. 62 sive ad n. 63. Sic v. g.: pag. 47, linn. 16-26 pertinent potius ad n. 62 ubi ex professo de amore coniugali agitur; item, pag. 47, lin. 40; pag. 48, lin. 18 et integer n. 64 pertinent potius ad n. 63 ubi ex professo de fecunditate agitur.

De facto, hic n. 61 qui de dignitate matrimonii loqui intendit quasi illa omnia continet quae postea veniunt sub titulis « de amore coniugali » et « de matrimonii fecunditate ». Hic articulus ergo causa est multarum repetitionum. Mea opinione, post brevem introductionem, schema immediate exponere deberet doctrinam catholicam de matrimonio. Per ipsam huius doctrinae expositionem omnibus pateret dignitas matrimonii et familiae. Hic primus articulus ergo non est necessarius et materia eius assumi deberet suo proprio loco in aliis articulis.

Propono ergo ut sequenti modo tota materia huius capitis reordinetur:

1. *Introductio* quae intentionem Concilii diceret.

2. *De communitate coniugali.* In hac parte de matrimonio sub aspectu quo est communitas coniugalis tractaretur. In hac parte haberentur ea omnia quae de amore coniugali tractant et quae in nn. 61 et 62 nunc inveniuntur.

3. *De communitate familiari.* In hac parte haberentur ea omnia quae ad procreationem *et educationem* prolis pertinent et quae nunc disseminantur in nn. 61, 63 et 64.

4. *De officio Status erga familiam.* Ubi officium Status erga familiam tractaretur, etsi breviter tantum.

5. *De pastorali familiari.* Ubi haberentur ea omnia quae de praeparatione ad matrimonium, de educatione amoris et generatim ea omnia quae ad pastoralem matrimonii et familiae pertinent.

Sic, faciliter lineamenta maiora huius schematis multum clariora fierent, repetitiones, incohaerentiae sermonis vitarentur, et quaestiones melius tractarentur.

N. 60. Introductio: Haec introductio non mihi placet propter sequentes:

1. Non mihi videtur oportere ut in ipso prooemio errores seu deformationes indicantur. Nec decet etiam enumerare problemata matrimonii de quibus postea schema nihil fere dicit vel quorum solutionem non adhibet: v. g. problema insecuritatis familiarum, explosio demographica.

2. Haec introductio modo nimis « unilaterali » matrimonium describit ut aliquid ad procreationem ordinatum.

3. Haec introductio non clare indicat ipsam materiam schematis et intentiones Concilii.

Propono ergo ut, textu breviori et magis positivo, materia et spiritus schematis clariori modo introducantur. Aliquam redactionem novam propono in pagina textus integri quem in annexis addo.

N. 61. Pag. 47, linn. 11-16: Propono ut haec verba simpliciter tollantur. *Ratio*: non decet loqui de momento finium vel bonorum quos non enumerat textus.

Pag. 47, linn. 16-19: Haec pars emendetur attentis suggestionibus quas feci in oratione mea in aula et attenta redactione quam propono sub n. III textus in annexis additi. *Ratio*: ut dixi in oratione mea orali haec verba modo « unilaterali » et adhibito solo aspectu iuridico matrimonium describunt ut institutum ad prolem procreandam ordinatum. Christianis nostrae aetatis haec verba non recte describere videntur matrimonium sub aspectu suo « personalistico ». Formula quam propono melius exponere intendit sensum amoris in matrimonio simul cum relatione eius ad procreationem et conservationem speciei humanae.

Hae observationes valent etiam pro emendatione quam propono ubi de simili formula in pag. 49, linn. 24-33.

Praeterea puto melius esse ut unica vice tantum sed fusius maximaque cum cura tractaretur de habitudine matrimonii et amoris ad procreationem.

Pag. 47, linn. 19-40: Haec pars in n. 62 potius ponatur ubi ex professo de amore coniugali agitur. Haec omnia verba enim elevationem et sublimitatem amoris coniugalis christiani extollunt.

Pag. 47, lin. 40; pag. 48, lin. 19: Haec omnia in n. 63 potius ponantur ubi ex professo de fecunditate et educatione prolis agitur.

N. 62. Pag. 48, lin. 19: Ante verba « Pluries verbo divino... » ponentur verba (pag. 47, linn. 19-25): « Vir et uxor, qui foedere dilectionis "iam non sunt duo, sed una caro" (*Mt.* 19, 6), intima animorum, corporum atque operum coniunctione mutuum sibi adiutorium et servitium praestant, sensumque suae unitatis experiuntur et semper plenius adipiscuntur. Quae intima unio, ex ipsa coniugalis amoris natura, plenam coniugum fidem exigit atque indissolubilem eorum unitatem urget ». *Ratio*: haec verba n. 61 de amore coniugali tractant. Suum proprium locum ergo ibi inveniunt.

Pag. 48, lin. 27: Post verba: « ... et elevare dignatus est ». Post debitas accommodationes, ponentur verba linn. 25-40 pag. 47, nempe: « Christus Dominus hanc dilectionem, e divino... communiter ad Dei glorificationem accedunt ». *Ratio*: haec pars, cum de amore coniugali tractat, ibi suum locum proprium obtinet.

Pag. 49, linn. 3-23: Haec pars ponatur potius in fine totius schematis ubi de regulis pastoralibus ageretur.

N. 63. Pag. 49, lin. 24: Loco tituli « De matrimonii fecunditate », dicatur potius « De communitate familiari ».

Pag. 49, linn. 24-33: « Talis est matrimonii et amoris coniugalis indoles, ut ex semetipsis ad prolem procreandam simul et educandam ordinentur (B). Unde verus amoris coniugalis cultus totaque vitae familiaris ratio inde oriens eo tendunt (C), ut coniuges forti animo dispositi sint ad cooperandum cum amore Creatoris atque Salvatoris, qui per eos Suam familiam in dies dilatat et ditat.

Matrimonium autem, licet in prolem ordinetur (D), non est merum procreationis institutum, sed natura foederis indissolubilis inter personas bonumque prolis exigunt, ut mutuus etiam coniugum amor recto ordine proficiat et maturescat (E) ».

Haec pars emendetur attentis suggestionibus quas feci in oratione mea in aula et attenta redactione quam propono in textu in annexis addito. *Ratio*: verba

schematis non placent propter easdem rationes quam adhibui relate ad linn. 16-19, pag. 47.

Non decet proponere formulam quae adhibet matrimonium tantum ut institutum ad procreationem ordinatum et postea dicere matrimonium non esse merum instrumentum procreationis. Debemus, e contra, in ipsa descriptione matrimonii congrue proponere diversos aspectus matrimonii.

Pag. 49, linn. 36-38: Haec verba potius in n. 62 ponentur ubi de dilectione ex professo agitur.

Pag. 50, linn. 15-31: Loco verborum: « S. Synodus novit (A) coniuges... nefanda sunt crimina », dicatur potius simpliciter: « Praeter omnia memores sint coniuges christiani characterem sacrum vitae humanae quae propter ordinationem hominis ad vitam aeternam ubi de ipsa beatitudine divina fruetur valorem quemdam infinitum habet. Vita igitur in utero iam incepta maxima cura tuenda est; abortus vero quo innocenti vita iniuste aufertur, necnon infanticidium nefanda sunt crimina ». *Ratio*: Concilio non decet sic coram gravia problemata coniugum nonnisi monitum praebere contra solutiones faciliores immo contra crimina. Melius esset simpliciter et modo sereno monere coniuges de dignitate et valore vitae humanae ita ut generosi sint erga vitam. Ad hoc omnino sufficiunt verba quae habentur alibi in textu et quae retinentur.

Pag. 51, lin. 4: Post verba: « ... plenamque ubertatem suam attingere valent ». Addetur pars de educatione prolis. Ad hanc partem conficiendam uti possemus eis rebus quae in pag. 47, lin. 40 - pag. 48, lin. 18 habentur. Sed textum etiam propono quem in annexis addo.

De officio Status erga familiam. Specialis articulus, etsi brevis, haberi deberet de hoc puncto. In hoc articulo assumi possent ea quae habentur in pag. 48, linn. 15-16. Sed addi possent etiam illa quae in textu quem in annexis propono, habentur.

De pastorali matrimoniali et familiari. Clariori in luce poni deberent normae pastorales ad restaurationem matrimonii et familiae. Ad hoc utrum non melius esset specialem articulum conficere? Ad hunc autem articulum conficiendum assumi possent ea quae in pag. 49, linn. 7-23 dicuntur simul cum ideis quas in lingua gallica propono in textu quem in annexis propono.

Textus emendatus a cardinale Léger propositus (*les références renvoient au texte du schéma proposé au Concile*).

« *Le mariage et la famille* ».

I. *Introduction.* Rien n'importe autant à la destinée humaine et spirituelle des époux que la qualité de cette communauté de vie à laquelle ils s'engagent par leur mariage. Rien non plus n'importe autant à l'avenir de l'homme, de l'Eglise et de la société que la santé spirituelle du milieu procréateur (p. 46, ll. 12-18).

Aujourd'hui, le mariage fait l'objet de recherches et d'études non seulement de la part des hommes de science, mais aussi de la part de nombreux époux qui veulent mieux connaître le sens de leur vocation et mieux la suivre. Cette recherche se poursuit particulièrement chez les chrétiens, fidèles, pasteurs et théologiens, qui sont convaincus que la pensée chrétienne peut apporter sur ce sujet de pré-

cieuses lumières. Ce sont là des signes de vitalité dont on doit se réjouir. Par ailleurs, le mariage est également aujourd'hui un domaine où surgissent des difficultés nouvelles, qui pose aux chrétiens et à tous les hommes des problèmes parfois angoissants et où l'on doit regretter que se glissent de nombreuses déformations (p. 46, ll. 18-26).

Aussi, devant l'importance du mariage, l'intérêt qu'il suscite et devant les besoins qui se manifestent à son sujet, le Concile, désireux de répondre à l'attente de tous et de veiller sur la dignité du mariage chrétien, veut attirer l'attention sur certains principes fondamentaux qui — s'ils sont fidèlement suivis et enseignés — assureront la sainteté de la communauté conjugale et de la communauté familiale.

II. *La communauté conjugale.* Les aspects du mariage sont nombreux. Mais il est légitime à nos contemporains de découvrir en lui un foyer d'amour, c'est-à-dire le lieu d'une communauté intime de vie entre un homme et une femme, désireux de se compléter et de s'aider mutuellement et dont la communion de vie, scellée par un consentement personnel irrévocable pris devant Dieu et devant les hommes, aspire à s'incarner dans l'enfant, fruit de leur amour (p. 48, ll. 19-33).

La communauté conjugale en est une où l'union de vie entre deux personnes est si intime et si profonde, touche des ressorts si délicats du cœur humain, engage à ce point toute la personne qu'elle exige les soins les plus grands. Elle est fondée sur l'amour conjugal et sur ce consentement solennel et irrévocable par lequel l'homme et la femme se donnent l'un à l'autre. Aussi, faut-il tout mettre en œuvre pour sauvegarder et promouvoir la qualité et l'authenticité humaine et chrétienne de cet amour (p. 47, ll. 15-23).

L'amour conjugal réunit deux personnes, donc des êtres de chair et d'esprit. Notre-Seigneur a dit des époux: « Ils ne sont plus deux, mais une seule chair » (*Mt.* 19, 6). Par quoi on doit comprendre la profondeur étonnante de cette intimité voulue par Dieu lui-même et l'honnêteté, de même que la sainteté, reconnues par lui, des actes qui manifestent et réalisent l'union intime et normale des époux (p. 48, ll. 22-25). Mais on doit se rappeler aussi que la communauté matrimoniale ne serait pas humaine, si elle n'était encore une union des esprits et des destinées spirituelles. L'amour du Christ pour l'Eglise n'est-il pas le symbole, selon saint Paul, de l'amour que doivent avoir l'un pour l'autre les époux? Cette exigence de l'amour conjugal de réaliser une très étroite union des esprits et des cœurs ne devrait pas être oubliée quand il s'agit de choisir son conjoint et, après le mariage, il faudrait tout mettre en œuvre pour que cette communion des esprits et des cœurs se poursuive et se perfectionne sans cesse (p. 48, ll. 34-38).

L'amour conjugal réunit des personnes de sexe différent qui trouvent dans l'intimité du foyer un complément mutuel. Nos contemporains n'ont pas tort de voir dans cette complémentarité mutuelle de l'homme et de la femme dans le mariage une volonté expresse de la Providence. Mais il faut se rappeler que ce complément mutuel ne pourra se réaliser, si on ne respecte pas les caractéristiques et les vocations différentes de l'homme et de la femme. Il faut tenir aussi que les caractéristiques propres à l'homme et à la femme ne changent rien à leur égalité fondamentale en tant que personnes (p. 49, ll. 36-40).

L'engagement des deux conjoints de se donner l'un à l'autre, pris à la face des hommes et devant Dieu, est irrévocable. Une fidélité inconditionnée est liée à l'essence même du geste par lequel l'homme et la femme se donnent l'un à l'autre d'une façon si intime et si profonde (p. 47, ll. 23-25). Aussi, les époux doivent-ils

éviter toutes formes d'infidélité, surtout celles qui livrent la foi conjugale aux fléaux de l'adultère et du divorce. La récompense de cette fidélité est un amour toujours plus pur et spirituellement savoureux, qui grandit et s'affine à mesure qu'il est plus mérité (p. 48, ll. 37-41).

Bien loin d'être une idylle où chacun ne trouve que la satisfaction de sentiments et de plaisirs superficiels, la communauté conjugale est un cheminement où joies et peines, succès et déceptions vont côte à côte. Mais le bien de l'union conjugale trouve à s'alimenter autant aux uns qu'aux autres. Il est nécessaire que les époux comprennent le rôle providentiel, pour affermir l'amour, de la souffrance communément acceptée (p. 48, ll. 27-33).

Les chrétiens ne peuvent pas ignorer les dimensions nouvelles que leur foi découvre à leur amour. Dieu, en effet, n'est pas étranger à ce dernier. Les chrétiens comprennent que leur mariage est d'abord une montée commune vers Lui et ils veulent les moyens pour qu'il le soit. Il comprennent, en particulier, que le sacrement de mariage est, de par la voolnté même du Christ, une source permanente de grâces pour eux, ils s'efforcent de les mériter et de les demander. Ils trouvent en Dieu enfin, dont saint Jean a dit qu'il est Amour (*1 Io.* 4, 5) l'espérance non seulement de l'éternité de leur amour, mais de sa consommation finale et de sa transfiguration (p. 47, ll. 25-40).

III. *La communauté familiale.* C'est la volonté de Dieu que, par la procréation des enfants, les époux participent à l'œuvre admirable par laquelle il veut se donner des « adorateurs en esprit et en vérité ». Cela est évident dans ces mots de la Genèse où Dieu dit à nos premiers parents et, en même temps, à tous les époux à venir: « Croissez et multipliez-vous et remplissez la terre » (*Gen.* 1, 28). Cela est évident aussi non seulement quand on considère la nature même du mariage et de l'amour conjugal, mais encore quand on s'arrête à la signification profonde que prend l'enfant pour eux. Dans l'enfant, l'amour conjugal trouve son fruit et comme son expression incarnée; il y trouve encore des garanties nouvelles car l'enfant est comme le sceau de l'amour que les époux se vouent l'un à l'autre, la promesse de sa pérennité ici-bas et son stimulant (p. 49, ll. 24-26).

Cependant, par delà ce sens profondément humain que prend l'enfant pour leur amour, les époux s'attacheront à considérer avec reconnaissance la sublimité de la vocation par laquelle cet amour, loin d'être clos sur lui-même, est inséré dans le grand projet de la Providence créatrice de Dieu. Pour apprécier la grandeur de ce bienfait de Dieu, il faut considérer la dignité étonnante de l'homme et la sublimité de sa fin. L'homme, en effet, dépasse toutes les autres créatures par sa nature raisonnable. Mais surtout si Dieu a voulu les générations des hommes, ce n'est pas seulement pour qu'ils existent et remplissent la terre, mais pour qu'ils l'honorent, qu'ils le connaissent, qu'ils l'aiment et qu'ils jouissent éternellement de lui dans les cieux (p. 50, ll. 31 sq.).

Malgré la grandeur de cette vocation du mariage à la procréation des enfants, il ne faudrait pas croire que si le mariage reste sans enfants, contrairement au vœu souvent très vif des époux, il perd par là sa valeur fondamentale ni son caractère indissoluble. Cette épreuve est, au contraire, une invitation à grandir dans l'amour par ce renoncement même et à s'adonner à une fécondité spirituelle qui peut prendre des formes multiples selon les vocations particulières et contribuer hautement au bien de la société et à l'épanouissement de l'amour des époux eux-mêmes (p. 49, ll. 33-38).

En face de la fécondité, il est certain que les époux ne peuvent suivre leur caprice et qu'ils doivent être prêts à suivre la loi de Dieu qu'ils s'efforcent de connaître à la lumière de la Révélation et dans la docilité au Magistère de l'Eglise (p. 50, ll. 29-34). On doit entourer d'un grand soin aussi bien le pouvoir humain d'engendrer, qui l'emporte merveilleusement sur ce qui existe aux stades inférieurs de la vie que les actes eux-mêmes, propres à la vie conjugale, qui doivent être ordonnés d'une manière conforme à la dignité humaine. Par dessus tout, les époux comprendront le caractère sacré de la vie humaine qui prend, à cause de la destinée éternelle et l'homme qui est appelé à jouir de Dieu lui-même, une certaine valeur d'infini. C'est pourquoi la vie déjà reçue dans le sein maternel doit être sauvegardée avec un soin extrême; et l'avortement qui enlève injustement la vie à un innocent, comme l'infanticide, sont des crimes véritables. On ne doit jamais oublier que Dieu est seul maître de la vie (p. 49, l. 39; p. 50, l. 4).

Bien plus, les époux se mettront en garde contre toute attitude mesquine ou égoïste en face du devoir de fécondité. De telles attitudes seraient contraires aux indications mêmes de l'amour qui demande à s'exprimer dans la procréation et elles méconnaissent la grandeur de la mission procréatrice des époux. Mais, dans la détermination du nombre des enfants, ils se feront un jugement prudent dans une recherche et un effort commun: ils auront en vue la santé de l'âme et du corps, il considéreront les conditions tant pédagogiques qu'économiques qui varient avec les circonstances et l'état de vie et, enfin, ils tiendront compte du bien de leur propre famille, de la société et de l'Eglise (p. 49, l. 42; p. 50, l. 4).

La procréation humaine se prolonge dans l'éducation des enfants, droit et devoir étroitement liés à la fonction procréatrice des parents (p. 49, ll. 2-13). Les époux doivent donc avoir la possibilité concrète d'exercer adéquatement ce droit et de remplir comme il convient ce devoir (p. 48, ll. 13-18).

Il est contraire à une institution familiale saine que les parents s'en remettent complètement à d'autres du soin de l'éducation de leurs enfants. Les parents sont naturellement, en effet, les mieux préparés à entourer leurs enfants de l'amour dont ils ont besoin. Car ces enfants sont la chair de leur chair et l'amour dont ils les entourent est comme le prolongement de celui qu'ils se portent l'un à l'autre. Il n'est pas d'œuvre à laquelle les parents doivent se dévouer avec plus de zèle que l'épanouissement de la personne humaine et chrétienne de leurs enfants (p. 49, ll. 2-13; p. 47, l. 42; p. 48, l. 3).

D'ailleurs, cette attention des deux conjoints au bien de leurs enfants est bénéfique à l'amour lui-même que les époux doivent se vouer l'un à l'autre. Car non seulement la fonction éducatrice des parents exige d'eux une parfaite unité de cœur et d'esprit, mais elle la suscite et la nourrit, et elle invite les époux à se dépasser et à s'oublier dans cette œuvre commune.

Bien plus, la fidélité à cette tâche éducatrice sera un puissant stimulant pour leur propre progrès humain et spirituel. Elle les obligera à s'interroger sur la qualité du témoignage de vie qu'ils donnent à leurs enfants; l'éducation est d'abord œuvre d'exemple, les enfants étant naturellement portés à admirer et à imiter leurs parents.

Si la famille est le premier milieu où grandit l'enfant, il ne faut pas oublier que les influences qui jouent sur l'enfant dépassent de beaucoup, surtout aujourd'hui, celles du cercle familial. Le souci des parents d'assumer leur inaliénable responsabilité à l'égard de leurs enfants les fera se préoccuper de la qualité et de

l'orientation du complément d'éducation que les enfants doivent nécessairement recevoir, de nos jours, en dehors de la famille et notamment à l'école. Il est nécessaire que les parents gardent un contact étroit avec les éducateurs de leurs enfants et qu'ils prennent leur juste part, grâce à des organismes efficaces, dans la politique scolaire. Les parents ne peuvent rester indifférents, non plus, en face des autres influences variées qui s'exercent de l'extérieur sur ceux dont ils sont les premiers responsables. Sans vouloir créer des milieux artificiels et clos, ils veilleront à protéger leurs enfants des influences néfastes et, surtout, ils prendront leur juste part des activités à entreprendre pour faire du monde un milieu plus propice à l'épanouissement harmonieux des personnalités humaines et chrétiennes des enfants.

Mais malgré l'attachement qu'ils ont pour leurs enfants et le souci qu'ils ont de leur bien, les parents ne doivent pas oublier que leurs enfants sont des personnes appelées à jouir un jour de l'autonomie propre aux personnes humaines. Les parents doivent donc veiller à respecter, chaque jour davantage à mesure que grandissent leurs enfants, cette destinée personnelle et libre de leurs enfants et à en préparer l'avènement progressif. Ce respect pour la personnalité de l'enfant est particulièrement important lorsqu'il s'agit pour eux de choisir leur vocation.

Il est évident, enfin, que pour des parents chrétiens l'éducation religieuse de leurs enfants prend une importance unique. Les parents y veilleront avec le plus grand soin et en assumeront eux-mêmes la part nécessaire. Ils veilleront surtout à créer au foyer cette atmosphère chrétienne qui rende légitime de l'appeler une cellule d'Eglise (p. 48, ll. 13-15).

IV. *La famille et la société.* On insiste traditionnellement avec raison sur l'importance sociale des communautés conjugales et familiales. Aussi l'Etat doit-il assumer, lui aussi, ses lourdes responsabilités envers elles. La première responsabilité de l'Etat en ce domaine est de donner au mariage un statut légal qui corresponde parfaitement à sa nature et aux intentions du Créateur. Il appartient encore à l'Etat d'assurer aux familles des conditions économiques et sociales adéquates, d'aider les parents dans l'éducation des enfants tout en respectant les droits prioritaires des parents. L'Etat doit aussi se soucier efficacement de créer, pour sa part, des conditions de moralité publique qui favorisent le plus grand respect de l'amour humain, du mariage et de la famille.

V. *La pastorale matrimoniale et familiale.* Il importe énormément au bien des personnes, des familles et des sociétés qu'une éducation convenable soit assurée à chacun, en temps opportun et de la façon convenable, pour ce qui regarde les choses de la sexualité, de l'amour humain, du mariage et de l'éducation des enfants. L'éducation des personnes sur des sujets aussi importants, délicats et difficiles, ne peut être laissée au hasard ni à des personnes insuffisamment préparées. Il faut aider les institutions qui doivent la dispenser de même que les parents et les éducateurs de profession (p. 49, ll. 13-20).

Se réjouissant de ce qui s'est fait au cours des dernières décades, ce Concile souhaite ardemment la poursuite du renouveau parmi les chrétiens des études sexologiques, familiales et pédagogiques, auquel participeront, avec un grand souci de vérité, d'objectivité et de respect de la pensée chrétienne, les spécialistes de toutes les disciplines concernées. On doit souhaiter, là où c'est possible, l'institution de facultés ou d'instituts universitaires où soient étudiés et approfondis les problèmes dont traitent ces sciences. Le rayonnement de ces centres chrétiens de re-

cherche se fera sentir sur tous ceux qui s'occupent d'un façon immédiate de l'éducation sexuelle et de la formation à l'amour des jeunes, sur les services de préparation au mariage, sur les mouvements familiaux (*ibid.*).

Les pasteurs doivent accorder, de nos jours, une attention spéciale à la préparation au mariage. On a trop négligé cette préparation dans le passé et pourtant toute négligence en ce domaine est un grand détriment pour la communauté conjugale, pour la famille et toute la société. Aucun fidèle ne devrait se présenter au mariage sans avoir reçu une préparation humaine et chrétienne, complète, étendue et soignée, au nouvel état de vie dans lequel il s'engage. C'est le vœu de ce Concile qu'un effort semblable à celui qui fut fait après le Concile de Trente pour la préparation des clercs soit désormais entrepris pour la formation des époux chrétiens (*ibid.*).

Pour la sauvegarde et la promotion des valeurs humaines et chrétiennes de l'amour et du mariage, il est grandement souhaitable que s'établisse avec nos frères séparés une collaboration étroite grâce à laquele l'étude et la diffusion des conceptions chrétiennes en ces matières seront mieux assurées.

Em.mus D. IULIUS card. DÖPFNER, *Moderator substitutus*: Exc.mus secretarius generalis leget nunc textum ulterioris voti.

Secretarius generalis: Suffragatio 331. Videatis pag. 32: « An placeat ut textus n. 8 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 528*]. *Placet* an *non placet?*

3

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Quoad caput de Matrimonio, liceat mihi proponere duo vota ...[1] primum ...[2] ordinis scientifici, *alterum*[3] ordinis pastoralis.

Primum votum.[4] Nobis videtur peropportunum Concilium coram toto orbe terrarum votum quoddam exprimere, scil.: ut labores scientifici in campo vitae sexualis, et praesertim coniugalis, in dies *prosequantur,*[5] amplificentur et *melius*[6] coordinentur. *Et explico.*[7]

Homines scientifici dedicant conatus atque pecunias ingentes ad leges naturae praesertim physicae perscrutandas, et iure merito quidem, ita ut homo in eam magis magisque possit dominari. At nonne ab eis esset optandum ut investigationes dirigant, non minore, immo maiore studio, in ipsum hominem, considerando eum in tota eius complexitate, speciatim autem in dimensione eius sexuali et coniugali?

Maxime interest *humanitati*[8] melius cognoscere leges fecunditatis

humanae, tam virorum quam mulierum; maxime interest melius cognoscere leges psychologicas de dominatione hominum in seipsos; *cogito de legibus sic dictis « du conditionnement des réflexes », verbi gratia*[9]; maxime interest melius cognoscere leges totius vitae coniugalis, quas oportet enucleare non tantum respectu virorum ...[10], sed modo aequali respectu uxorum, et *in specie in*[11] respectu coniugalitatis qua talis, *quae leges suas proprias habet.*[12]

Constat autem quod conatus *scientifici in toto*[13] hoc campo nondum sufficiunt. Investigatores catholici in eo, proh dolor! pauci sunt. Ipsi lamentantur sese ab Ecclesia neque sufficienter sustentari, neque efficaciter stimulari. Omnes sentiunt has inquisitiones egere coordinatione meliore, *et impulsione maiore.*[14]

Itaque invitatio ad inquisitionem scientificam *perficiendam,*[15] a Concilio facta *et directa omnibus qui collaborari possunt,*[16] esset stimulus pretiosus, ac simul testimonium nostrae sollicitudinis pastoralis erga situationem quae pro omnibus hominibus, *sive christianis sive non,*[17] est momenti tam vitalis.

Pro nostris Universitatibus catholicis *vero,*[18] talis invitatio ac appellatio esset velut imperium. Hucusque, salva exceptione, sese *parum vel nullo modo*[19] dederunt huic investigationi. Ei favendum esset condendo sedes academicas, instituta, laboratoria, *et sic porro.*[20]

Ad praeveniendam omnem ambiguitatem, *licet mihi addere*[21] hoc: votum quod proponimus, in mente nostra nullum iudicium theologicum vel philosophicum implicat de valore morali variarum methodorum quae ad regulandas nativitates adhibentur. Etenim in campo pure scientifico remanet; et nullo modo nec pendet a quaestionibus hac de re inter moralistas disputatis, nec eas dirimere intendit. Sed melior cognitio legum tam vitalium de se semper valde proficua erit *in quacumque hypothesi,*[22] quodcumque iudicium doctrinale tandem ferendum sit de legitimitate *illarum methodorum.*[23]

Secundum votum.[24] Ecclesia introduxit renovationem annuam votorum baptismalium, in nocte Paschatis faciendam. Ecclesia iam a saeculis introduxerat renovationem votorum Religionis necnon renovationem promissorum quae cum sacris Ordinibus connectuntur. Hae caeremoniae eo spectant ut sensus baptismi et sensus vitae Deo consecratae vivificetur. Nonne logice deberet nunc eadem Ecclesia introducere renovationem illius consensus sacri ex quo constat matrimonium?

Nonne commissio de re liturgica providere posset in anno liturgico diem speciali modo aptum renovationi communitariae huius consensus *in paroeciis nostris,*[25] e. g. festum Sanctae Familiae, et ordinare eius cae-

remoniam? Provideret etiam in Libro rituali iam recognoscendo aliquam caeremoniam simpliciorem, quam familiae possent privatim adhibere.

Arcta coniunctio liturgiae cum vita familiari, vivificat tam liturgiam quam familiam. Hodie eo utilius videtur sustentare ac roborare fidelitatem coniugalem, quo vehementius illa fidelitas undequaque impugnatur lamentabili diffusione erotismi ac divortii.

Annua et publica renovatio illius ligaminis sacramentalis in quo familia innititur, esset beneficium perenne Concilii *nostri,*[26] et occasionem praeberet uxoratis recolendi doctrinam quam Patres eis proponunt.

...[27] Priusquam finem imponamus huic sermoni, velimus exprimere *tres animadversiones*[28] de ipso textu capitis de Matrimonio *et Familia.*[29]

Prima animadversio[30]: Commissio conciliaris, sicut *scimus,*[31] non debebat examinare problema regulationis nativitatum, quia Summus Pontifex illud sibi personaliter reservavit. Sed poterat et debebat adhuc profundius examinare alia problemata pastoralia quae cum matrimonio connectuntur: sic dedisset textui nostro resonantiam, *ut ita dicam,*[32] minus intemporalem. E. g. optaretur fortior monitio pastoralis circa matrimonia praematura leviter inita, quae hisce diebus tam multiplicantur, *ut omnes sciunt.*[33]

Secunda animadversio[34] est quod noster textus non sufficienter attentionem attrahit auctoritatum civilium responsabilium, sicut et omnium verorum christianorum *in mundo,*[35] in necessitatem fortiter reagendi contra fluctum immoralitatis qui nostras vias invadit, nostra spectacula, nostros libros ac periodicos. Hic fluctus ruinam minatur toti institutioni matrimonii. Permulti homines honesti eum quodam fatalismo subeunt. Haec immoralitas tam late sparsa, est verum dedecus civilisationis quae christiano nomine decorabatur.

Tertia et ultima animadversio[36]: suggeritur ut in *hoc capite de Matrimonio et Familia,*[37] brevis *quidam*[38] textus inseratur de valore orationis in familia *pro eius fructifera unione in Deo et membrorum inter se.*[39]

Textum cuius repercussio pastoralis patet in scriptis tradam.[40] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] quorum nemo non videbit momentum pastorale. [2] votum est. [3] secundum autem. [4] Invitatio ad investigationem scientificam. [5] continuentur. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] ut saepe factum est. [11] deest. [12] deest. [13] in. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] non sufficienter. [20] deest. [21] addemus. [22] deest. [23] methodorum supra memoratarum. [24] De renovando consensu matrimoniali.

[25] deest. [26] deest. [27] Desideria de textu schematis sicuti stat. [28] tria desideria. [29] deest. [30] deest. [31] vos scitis. [32] deest. [33] deest. [34] Alterum desiderium. [35] deest. [36] Ultimum desiderium. [37] textu. [38] deest. [39] deest. [40] deest.

Animadversiones additae:

Pars II, cap. I, n. 61, lin. 40: accedunt. Ad roborandum sensum Dei in sinu familiae maxime confert illa oratio qua omnia sua membra insimul in fide et caritate Deum colunt et eius uberrimas benedictiones impetrant. Unde per ipsos...

Moderator substitutus: Exc.mus D. secretarius generalis communicabit textum sequentis suffragations.

Secretarius generalis: Suffragatio 332. Videatis pag. 32: « An placeat ut textus n. 9 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 529*]. *Placet* an *non placet?*

4

Em.mus P. D. IOANNES card. COLOMBO
Archiepiscopus Mediolanensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine quoque 32 Italiae episcoporum, et tres animadversiones breviter proponam.[1]

I. Caput « de dignitate Matrimonii et Familiae fovenda » doctrinam praebet solide fundatam et ad praxim pastoralem magnopere accommodatam.

a) In primis, valde placet quod fines et bona Matrimonii schema *praebeat*[2] fundata in doctrina plene humana et personalistica, *etiam sub respectu supernaturali,*[3] ita ut amor coniugalis declaretur finis intrinsecus Matrimonii, *coëssentialis* procreativae finalitati. Item placet quod coniugalis fides et indissolubile vinculum deducantur *etiam* a natura propria amoris coniugalis. Demum *peculiariter laudabile*[4] quod ab huiusmodi personali amore deducatur officium illud quod vocari solet « paternitas responsabilis ». Quae non est habenda ut concessio infirmitati humanae, immo per illam parentes, seipsos sentientes ut interpretes et instrumenta amoris Dei erga suas creaturas, provident et curant ut procreatio eveniat optimis quae fieri possint condicionibus. Hoc principium paternitatis responsabilis *plane*[5] includit ...[6] possibilitatem quaerendi et ius adhibendi omnia *honesta* media seu auxilia quae sint apta ad hunc finem obtinendum.

Haec omnia quae schema clare proponit gaudio accipimus et ...[7] probamus.

II. Alia sunt quae schema innuit vel suggerit quidem, non tamen *manifestis verbis;*[8] quae vero, *meo iudicio,*[9] magis explicite proponi deberent.

a) Ubi schema exponit quod actus coniugales « donationem plenam significant et fovent » ...[10], non dicit explicite quod *debeant* significare et fovere donationem amoris. I. e. non affirmatur, sed tantum subauditur haec norma eorum moralitatis: quod scil., ut huiusmodi actus sint *moraliter*[11] boni, oportet ut sint actuationes amoris ...[12]

b) Loquens de Deo, vitae Domino, schema innuit relationem intercedere inter actus coniugum et praecellens ministerium transmissionis vitae. Non praebet tamen explicite hanc relationem ut normam moralitatis. Reapse activitas coniugalis invenit regulam suae moralitatis etiam in eo quod officio foecunditatis aliquomodo correspondeat. Ita exigentiae foecunditatis generosae et responsabilis, simul cum exigentiis veri amoris, constituunt *duplex*[13] principium normativum activitatis coniugalis.

Propono ut has duas normas moralitatis schema explicite proferat et doceat. Hoc modo ethica coniugalis magis completa evadit. Iam tempus est clare intelligendi quod omne exercitium facultatis sexualis, ut bonum habeatur, ante omnia fieri debet in contextu amoris coniugalis vere christiani et in prospectu magnanimae et simul prudentis foecunditatis, et non attendatur exclusive ad integritatem physicam actuum, sicut, proh dolor! mos fuit in doctrina morali tradenda.

III. Hic tamen iam tangimus gravem schematis lacunam, quam tertio et principali loco denuntiare intendo. Agitur praecise de illa physica integritate actuum coniugalium, quae, quamquam non est unica neve suprema norma ethica, debet tamen a Concilio retineri et affirmari ut ethicus adspectus quem non fas est derelinquere.

Hucusque probati auctores, immo ipsum Ecclesiae magisterium, semper legi Dei contrarios habuerunt actus coniugales voluntarie vitiatos, ut omnes norunt. E contra schema nostrum intra limites se continet sermonis timidi, prorsus generici *et quasi reticentis.*[14]

Haec schematis reticentia[15] talibus circumstantiis evenit, ut suspicari faciat aliquid mutatum esse. *Etenim*[16] prima hac vice in documentis magisterii exprimitur non solum necessitas responsabiliter regulandi foecunditatem, sed etiam (quod *vere*[17] novum est) periculum insitum in cessatione actuum amoris: « ubi intima vita coniugalis abrumpitur — ait schema — bonum fidei in discrimen vocari et bonum prolis pes-

sumdari potest » ...[18]. Problema inde exsurgens, postquam propositum fuit verbis tam gravibus ne dicam dramaticis, responsum exigit quod non iam potest aliis demandari, sed in ipso textu constitutionis conciliaris inveniri oportet, verbis pariter gravibus et peremptoriis. E contra schema, dum explicite excludit crimina infanticidii et abortus, reprobat verbis nimis genericis eos qui « solutionem faciliorem temere afferunt » ...[19]. Haec indeterminata reprobatio, venerabiles Patres, meo iudicio non sufficit ...[20].

Vitemus ergo omnem ambiguitatem. Ut iam dixi et omnibus notum est, de integritate actuum coniugalium doctrina moralis catholica iam possidet iudicium ethicum. Huius legis moralis demonstratio, mea sententia, *in ea quaerenda est quod perfectio physica actus quamvis in se et per se valorem moralem non constituat, tamen*[21] est elementum intrinsecum illius plenae voluntatis amoris et simul illius sincerae intentionis procreativae, quae, ut supra diximus, normae supremae sunt vitae coniugalis ...[22]. Sicut *coniugalis*[23] amor et intentio procreativa separari non possunt in sublimitate spiritus, ita non debent separari in humilitate carnis.

Necessarium non est ut Concilium in *additionem*[24] casuisticae intret, sed maximi momenti est ostendere continuitatem huius doctrinae magisterii, ne aperta relinquatur via quibusdam opinionibus, quae hodie passim irrepserunt et quae possibilem retinent substantialem mutationem doctrinae Ecclesiae circa iudicium morale de huiusmodi actibus ...[25].

Quibus omnibus perpensis, *humili corde*[26] propono ut doctrina Ecclesiae praecise in hac materia in textu huius constitutionis pastoralis clare et firmiter exprimatur. Ad hoc, emendationes quasdam scripto tradam. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ostendat. [3] deest. [4] omnino laudabile quod intima correlatio affirmetur inter amorem coniugalem et vitae transmissionem, adeo ut ipsa connubii foecunditas, et talis foecunditas quae generosa esse velit, oriri ostendatur a natura propria amoris, quippe quae ex amore promanat et amoris est complementum. *b*) Peculiariter placet. [5] quae procreandi facultatem in alveum et intra fines continet rectae rationis a fide illuminatae. [6] implicite. [7] libenter. [8] manifeste dicit. [9] deest. [10] (pag. 48, linn. 36-37). [11] deest. [12] quin immo certis circumstantiis idem amor suggerere potest abstensionem. Haec norma, scil. amor, est dynamica, et adeo excelsa ut ad perfectiorem semper adimpletionem invitet, sicut regalis lex caritatis, cuius est expressio et actuatio concreta. [13] deest. [14] Dicit enim coniuges debere hos actus peragere « secundum germanam dignitatem humanam » (pag. 50, linn. 42-43), « legi divinae inhaerentes » (pag. 51, lin. 1). Sed quid germane postulat humana dignitas? Qualis est huiusmodi lex divina? Nullo modo responsum invenitur in textu. [15] Ne dicatur haec lex subaudiri, quippe quae

sit omnibus bene nota. Etenim schematis silentium. [16] deest. [17] deest. [18] (pag. 50, linn. 21-23). [19] (pag. 50, lin. 25). [20] Verum est in relationibus particularibus, parte II (pag. 105, linn. 1-10), aliquo modo mentem redactorum patefieri; ibi enim scribunt se noluisse sequi exiguum numerum eorum qui non excludunt in quibusdam casibus usum mediorum anticonceptivorum; attamen haec intentio exprimi debuerat in ipso textu, omni qua par est claritate et firmitate. [21] non in eo quaerenda est quod perfectio mere physiologica actus in se et per se valorem moralem constituat; sed potius perfectio physica actus. [22] Nam ipsa magnitudo et dignitas amoris coniugalis postulat ut coniuges se mutuo illis actibus uniant cum omni plenitudine et sine limitationibus. Pari ratione, solummodo si est *integer,* actus potest esse signum et significatio illius profundae et constantis voluntatis procreativae, quae in coniugibus exsistere debet, etiam si hic et nunc non possit ad realitatem adduci. [23] deest. [24] ditionem. [25] Progressus cognitionis legis moralis de vita coniugali, qui certe in actu est et in futurum perget, poterit particularia sat multa profundius intelligere et praecisius definire; sed non poterit oppositum iter facere contra praecedentes cognitionis gradus ab authentico magisterio propositos. [26] humiliter.

Animadversiones additae:

N. 61, pag. 47, lin. 33: Proponitur sequens textus inserendus post verba « perpetuo diligunt » et omittatur periodus a verbis « Amor coniugalis... » usque ad verba « ad Deum ducat »: « Omnes status vitae quidem ad plenam personae humanae maturitatem conferre valent, si fideliter et perseveranter coluntur: in regno enim Dei suum quisque peculiare donum habet coniunctionis cum Christo. Quod praesertim valet de virginitate Deo consecrata: per eam enim peculiari evidentia ac plenitudine ostenditur totalis et immediata submissio Ecclesiae divino Sponso, et per eam anima desponditur et sacrata exhibetur « uni viro » Christo; sic suo modo et ipsa efficitur signum efficax sponsalis unionis inter Christum et Ecclesiam. Attamen etiam matrimonium christianum est signum operativum eiusdem mysterii: in ipso enim amor coniugalis in divino amore assumitur ac virtute redemptiva Christi et salvifica Ecclesiae actione ditatur, ut efficaciter ad Deum ducat; quod ut plene eveniat christiana « ascesi » dirigi atque nobilitari illum oportet. Quapropter etc. ... ». *Ratio*: id quod ibi dicitur de statu virginali est tam breve et, ut ita dicam, tam leve, ut videatur manifestare vel saltem insinuare aestimationem haud sufficientem erga hunc vitae statum, qui tantopere commendatur in doctrina evangelica et christiana traditione. Qua de causa proponitur ut mentio virginitatis in hoc contextu omittatur, aut potius ita evolvatur ut periculum auferatur iudicandi illos qui virginitatem, praesertim si Deo sit consecrata, sequuntur, minorem maturitatem humanam adepturos esse, quam matrimonio iunctos: in quo attendere oportet ad ea quae in constitutione *Lumen gentium* dicuntur n. 46.

N. 62, pag. 48, linn. 34-37: Textus hoc modo immutetur: « Haec dilectio proprio opere, quod est opus carnis, exprimitur et perficitur. Actus proinde, quibus coniuges intime et ordinatim inter se uniuntur, honesti sunt et donationem mutuam plenam significare et fovere debent: immo haec est una ex praecipuis normis eorum bonitatis, cuius plenitudini aliquid deesset si iidem actus amore non animarentur. Amor ille etc. ... ». *Ratio*: ut clarius ostendatur iudicium ethicum circa actus intimitatis coniugalis non exclusive desumi ex finalitate procreativa, sed etiam ex recto amore coniugali.

N. 64, pag. 50, linn. 15-24: Verba quibus n. 64 incipit cum scopo pastorali constitutionis non cohaerent. Adeo enim textus affert necessitatem non desistendi ab intimitate coniugali, nulla mentione facta castae mortificationis, adeo item difficultates coniugum exasperat, ut vires potius auferat quam augeat et conatus bonae voluntatis enervet.

Mitigentur igitur haec verba, neque omnino ignoretur solutio quae etiam in continentia et christiana mortificatione invenitur. Ne obliviscatur vitam coniugalem non posse vere christianam servari sine mortificatione, neque omnia eius problemata solvi posse si in hac terra tantum, nulla ratione habita aeternitatis, clausa considerentur.

N. 64, pag. 50, linn. 40-44: Textus ita perficiatur: « Facultas humana generandi, mirabiliter exsuperans ea quae in inferioribus vitae gradibus fiunt, magna observantia reverenda est. Ipse vero actus vitae coniugalis proprii, ut humanae suae dignitati pares serventur, tam in spiritu quam in carne integri sint oportet, iuxta doctrinam constanti traditione ab Ecclesia propositam. Ideoque coniuges... ». *Ratio*: ut textus clare ostendat continuitatem doctrinae magisterii et ne aperta relinquatur via quibusdam opinionibus quae possibilem retinent substantialem mutationem doctrinae Ecclesiae circa iudicium morale de huiusmodi actibus.

Secretarius generalis: Suffragatio 333. Pag. 32: « An placeat ut textus n. 10 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 529*]. *Placet* vel *non placet?*

5

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS ALONSO MUÑOYERRO

Archiepiscopus tit. Sionensis

Venerabiles Patres,

De matrimonio breviter loquar.

1. *Ad n. 61*: in primis, verba *contractus matrimonialis* omittuntur *totaliter* [1] in schemate et nullo modo *existimo quod omittenda sint.*[2] Verbum « contractus » est classicum; a theologis admissum, a canonistis adhibitum, a Romanis Pontificibus usurpatum. (*Cito heic documenta.*[3])

Pauci scriptores ultimis annis ex influxu quorumdam civilistarum renuerunt adhibere verbum « contractus » dicendo matrimonium esse *institutum.* Hoc *institutum* [4] in abstracto verum est sed non in concreto: non dicimus virum et mulierem iniisse institutum, sed contractum matrimonialem. Verbum contractus exprimit melius firmitatem unionis vel foederis obligationemque erga fines. Cur studiose in praecedenti schemate et in praesenti omittitur hoc verbum? Dicitur in relatione ad n. 61 ...[5] quod aliqui Patres petierunt. Sed quid valent quinque Patres

(cum reverentia dico) contra torrentem theologorum et Magisterium Ecclesiae?

Orientales non possunt hoc verbum renuere, quia in « Motu proprio » Pii XII pro ipsis dato ...[6] hoc verbum usurpatur in sua disciplina.

Audite card. Gasparri (De matrimonio ...[7]): « Nonnulli recentiores scriptores ... a voce contractus veluti abhorrent quasi tale nomen dedeceat, aut matrimonii conceptum minus rectum ingerat. Horum assertores, dum ex una parte magnam ostendunt temeritatem, ex alia longe a veritate aberrant ». (Possunt conferri *auctores quos cito.*[8])

Gravissima sunt verba card. Gasparri *pro schemate.*[9] Silentium schematis in hac re est temerarium et doctrina *in qua fundatur*[10] aberrat a veritate, est periculosa, ansam praebet erroribus circa matrimonium. Prae oculis habeamus quod dicit can. 1012. Dicit enim: « Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos ». Unde non amor sed contractus est sacramentum. Exinde propono quod saltem una vice verbum *contractus* adhibeatur, in pag. 47, lin. 8, *in loco principaliori, et*[11] dicatur: « Ita hoc actu humano, qui contractus vere est, sese mutuo coniuges tradunt et accipiunt etc. ... ».

...[12] Rationem omittendi tale verbum contractus inveniemus in praevalentia quae amori coniugali conceditur. Optimam partem habet amor coniugalis inter coniuges, certissime; sed errori qui in hac parte vagatur videtur faveri in schemate, quia 26 vicibus illud verbum usurpatur, *nec una vice, ut dixi, verbum « contractum »*.[13] Videtur amor coniugalis quasi *alpha et omega* matrimonii. Hic amor extollitur etiam omittendo quod ad finem primarium matrimonii pertinet. Propono ergo et peto instanter et instantissime quod non fiat *ullo modo*[14] omissio circa finem *primarium* matrimonii. Non occulto meam admirationem. Quare etiam in doctrina catholica *clarissime*[15] de finibus matrimonii deest fidelitas in ea exponenda? Errores etiam fuerunt ut scitis de hac re, et Congregatio S. Officii, in Resolutione 1 febr. 1944, prohibuit sententiam quae tenet finem primarium matrimonii non esse generationem et educationem prolis. Propterea propono quod in lin. 19 pag. 47 dicatur quod ad illum finem matrimonium *primario* ordinatur etc. ...[16].

2. *Ad n. 63.* In linn. 24, 25 et 26 asseritur: « Talis est matrimonii et amoris coniugalis indoles, ut ex semetipsis ad prolem procreandam, simul et educandam ordinentur ». Adverto quod hoc verum sit aliter atque aliter: amor coniugalis est vis *impellens,* matrimonium est contractus *obligans.* Unde tollantur verba *ex semetipsis* et dicatur iterum « primario ordinentur », vel asseratur *etiam*[17] quod ordinantur « diverso tamen modo ».

In fine pagellae relinquitur conscientiae coniugum « secundum Dei dona verique amoris indicationem numerum prolis determinare ». Consulite, rogo, congressum anglicum protestantium, habitum in Lambec, mense augusto 1930, Londini. Concessit enim coniugibus, *si ratio moraliter sana exsistat,* iuxta suam conscientiam, ad non abstinendum ab usu matrimonii, et *tamen* [18] natalitatem limitare, ut possint hoc facere *adhibitis* [19] mediis impedientibus. Quae differentia est inter hanc propositionem et eam quae in schemate continetur prout iacet et sonat *sine addito* [20]? Nos autem, amantissimi Patres, cauti esse debemus et veritatem non occultare. Multo minus ad errores ansam praebere. Fortasse neminem latet damna quae in hac re matrimoniali evenerunt propter verba *inconvenienter* [21] occasione huius Concilii prolata *et postea per ephemerides diffusa.*[22] Addatur ergo post verbum « determinare », v. g. « ordine tamen morali servato » — *pauca verba — vel etiam* [23] « mediis licitis ». Secus neomalthusianismus approbatur iuxta dictum « qui tacet consentire videtur », *non tenetur loqui ut in hoc casu.*[24]

Attentis problematibus matrimonialibus de quibus sese occupat hic numerus *et alii,*[25] velim solum indicare quod si adulterium et divortium prohibentur ...[26], et abortus et homicidium damnantur ...[27], actiones chirurgicae « sterelizantes » tam in viro quam in muliere etiam prohibeantur oportet. Basis magis scientifica et certa ad solvendum problema prolis numerosae est servare continentiam in diebus *genesicis,* prout Pius XII exposuit in Allocutione ad matronas italas ...[28]. Sed de hac re non ago explicite quia ad aliam commissionem haec res fortasse pertinet. Unum mihi indicare liceat quod urgeantur scientifici ad causas investigandas irregularitatum in periodo cyclica et modum eas dignoscendi.

Denique, problemata matrimonialia, *ut nuper dixit em.mus card. Suenens,*[29] indubitanter augentur *causam immoralitatis publicae.*[30] Rogo, igitur, ut de hac re *tanti momenti, tam necessaria,*[31] explicite sermo fiat ad mundum in *hoc* [32] schemate. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] omittenda sunt. [3] (LEO XIII, Enc. *Arcanum,* 10 febr. 1880; PIUS XI, Enc. *Casti connubii,* 31 dec. 1930; C.I.C. can. 1012, 1015, 1084). [4] verbum. [5] (pag. 102-103). [6] (22 febr. 1949 c. 1, 4, 7). [7] Romae 1932, 3). [8] etiam ROBLEDA S. I., *El Matrimonio in fieri, Estudios Ecclesiasticos* 1954, p. 588 ss.; 1955, pag. 479 ss.; *Matrimonium est contractus,* in *Periodica de re morali et canonica,* vol. 53, pag. 374-408; REGATILLO S. I., *Ius sacramentarium,* Santander 1964, ed. 4, n. 1015; MIGUÉLEZ, *Comentarios al Código de D. C.,* Madrid, t. II, p. 479, nota 15. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] In eodem n. 61. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] Idem asseritur in can. 1013 C.I.C. [17] deest.

[18] deest. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] vel sic. [24] deest. [25] et 64. [26] (n. 62). [27] (n. 64). [28] (29 oct. 1951). [29] deest. [30] immoralitate publica. [31] deest. [32] deest.

Moderator: Loquatur secretarius generalis quoad ultimum votum.

Secretarius generalis: Pag. 33. Proponitur quaesitum generale respiciens ceteros modos. Est suffragatio 334: « An placeat expensio facta a Commissione Conciliari circa modos reliquos prooemium et cap. I respicientes? ». Isti modi inveniuntur in ipso textu prooemii et cap. I. Sunt veluti minoris momenti, ergo fit unum tantum quaesitum generale ad complendam suffragationem circa modos respicientes cap. I et prooemium.

Ergo: « An placeat expensio facta a commissione conciliari circa modos reliquos prooemium et cap. I respicientes? ». *Placet* vel *non placet* tantum.

6

EXC.MUS P. D. PAULUS TAGUCHI YOSHIGORO
Episcopus Osakensis

Venerabiles Patres,

In n. 63 « de matrimonii foecunditate », linn. 39-42, legimus: « Sciunt coniuges, in familia condenda et ducenda, *etc.* ...[1] necnon suum esse prolis numerum secundum Dei dona verique amoris indicationem *determinare* ».

Principium quod in allegatis verbis continetur admittendum et proclamandum utique est ...[2]; verum, quia in his adeo gravibus, vitanda est quaecumque species naturalismi, neque oportet obscuretur pars quae Divinae Providentiae tribui debet in opere humanae procreationis, optarem omissionem verbi *determinare,* quod in sensu suo materiali nimis videtur calculo rationis conferre, quacumque in superioribus fiducia derelicta; unde prudentia carnis, non vera prudentia, commensurata ista apparerent.

Igitur, stricta significatio vocabuli *determinare,* verum quidem praecontinet, sed aliquid innuit et veluti celat, quae mentes offendere potest fidelium, ...[3] et infidelium, praesertim in Oriente. Sunt etenim qui voluntatem Dei maximi faciant in his omnibus, quae graviora habentur, qualis quaestio est de numero filiorum definiendo: deque praedicta voluntate ita sentiunt et loquuntur ut quae non possit, neque debeat, circumscribi

et concludi causis illis secundis quas indicare videtur vocabulum *determinare*.

Ergo curandum magnopere est ne voluntas Dei et providentia, rigida definiatur computatione elementorum in textu commemoratorum, pag. 50, linn. 1-4; vel etiam, ne coniugatorum conscientiae, aut facile ab officio procreandi excusentur, aut circa rem, problemata sibi fingant vel ab extrinseco accipiant, solutionis, pro singulis coniugiis, fere impossibilis, cum circa contingentia nimis causa saepe versetur.

Istaque ab ipso textu confirmantur, quatenus familias numerosas iure meritoque laudat, ex quo parentum facultas iudicandi de numero filiorum, secundum normas, quae videri possunt mere temporales, aliquatenus restringitur.

Quamobrem, linn. 39-44, delendo in fine prioris propositionis verba « necnon suum esse prolis numerum secundum Dei dona verique amoris determinare », et addendo in corpore alterius propositionis verba ...[4]: « Iugi vigilantia et docilitate erga Deum, communi consilio atque conatu prudens iudicium sibi formabunt de prolis numero, intendentes salutem mentis et corporis », etc.

Et quidem, si parentes iudicium sibi forment, etiam ob iustas sed non adeo graves causas, se paucos solum filios debere procreare, educatio manca et deficiens non raro obveniet, cum filii suspicari valeant se solum generatos fuisse ob solam parentum utilitatem. Quam si genitores persequantur, plus quam par est existimando condiciones diversas materiales, non parum vitae humanae appretiatio deminuetur.

Ad condiciones oeconomicas et sociales quod, in specie, attinet, observandum puto, ne ex eis obstaculum, vel fictum vel reale, detur, quo procreatio quieta et optima educatio impediatur: scil., in numero, de quo agimus, 63, etiam perspicue recolenda esse quae in n. 96 dicuntur « de cooperatione internationali quoad incrementum terrae incolarum », et in n. 97, « de ratione politica demographica ».

Cooperatio internationalis et interventus publicus problema demographicum solvere potest et debet, tamquam instrumentum divinae Providentiae, mutuo sibi adiuvantibus hominibus bonae voluntatis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non ad arbitrium suum procedere sibi licere, sed conscientia se regi debere quae lege Dei recte informetur. [2] nam, ut in relatione dicitur, pag. 104, n. 63: « licet quocumque tempore parentes numerum prolis determinaverint, quaestio hodie difficilior facta est eo quod in illa determinatione plura nova elementa concurrunt ». [3] immo. [4] « de prolis numero » censeo hanc novam redactionem esse faciendam: « Sciunt coniuges, in familia condenda et ducenda, non ad arbitrium suum procedere sibi licere, sed conscientia se regi debere quae lege Dei recte informetur ».

7

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS IOANNES MAJDANSKI

Episcopus tit. Zorolensis, aux. Vladislaviensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine omnium episcoporum Poloniae.

I. In II parte schematis constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* inter « problemata — uti dicitur — urgentiora » prae omnibus, merito sane, exprimuntur ea, quae « de dignitate matrimonii et familiae fovenda » ...[1] dicenda sunt.

Et inter problemata vitae familiaris, *iure meritoque* (quia agitur de institutione, quae natura sua fons est humanae vitae) attinguntur ea, quae de inviolabilitate humanae vitae mundo huius temporis *dicenda sunt,*[2] praesertim autem de inviolabilitate huius vitae, quae — ut utar verbis ipsius schematis — « in utero iam concepta maxima cura tuenda est ».

Problema tamen huius vitae « maxima cura tuendae » materiam constituit quae appretiatione christianae moralitatis maximi hodie esse momenti clare apparet. Et ideo necesse nobis videtur hac in materia commune exoptare afferre votum.

II. Neminem profecto latet et *Revelationem divinam* scelerosum sanguinis innocentium effusionem constanter damnare, atque praeceptum Decalogi « Non occides » lapidem factum esse angularem ordinis a Creatore constituti ...[3], et *Ecclesiae Magisterium,* consequenter, tutelam *omnis humanae vitae,* semper inter summa praecepta a Deo promulgata aestimandam esse docere. « Quae possit unquam causa valere — docet Pius XI ...[4] — ad ullo modo excusandam directam innocentis necem? ... *Sive ea matri* infertur *sive proli, contra Dei praeceptum est vocemque naturae* ».

Sed, ut experientia pastoralis, etiam inter christianos et — proh dolor! — inter ipsos catholicos, adepta, docet, mundus huius temporis optime utique intelligit scelerosam esse necem matri, et omni adulto, immo, omni infanti, etiam nuperrime in mundum edito, inflictae. (Et est horror illius sceleris *sine dubio*[5] etiam causa principalis desiderii ab omnibus ardentissime exoptatae pacis et conatuum ad bella repellenda. Et hoc est signum praestantissimum humanitatis mundi huius temporis!) Sed eodem tempore cum quasi *totali indifferentia* tractantur a contemporaneis nostris ea, quae demonstrant actualia rationaria: annuum nempe

numerum infantium nondum in mundum editorum qui pereunt occisione, valde superare numerum victimarum singulorum annorum recentis immanis belli mundialis.

Nonne haec sunt dicenda antequam dicatur de imminenti forsitan periculo sic dictae « bombae atomicae »? Et nonne haec omnia, praecise quia silentio obumbrata, tanto clarius a pastoribus Ecclesiae sunt videnda?

Eo vel magis, quia etiam *consectaria* huius crudelissimae conditionis maxima cum sollertia sunt a nobis ponderanda. Cum enim mundus huius temporis, specialiter autem *matrimonium et* [6] familia — quae *et ipsa* [7] tamquam vitae fons ac tutela a Creatore *sit* [8] constituta — crescentem in dies minatiam inundationis scelerum contra vitam innocentium experiuntur,

1. crimina ista favens utique inveniunt fundamentum in diffuso indifferentismo religioso et in relativismo ethico, praesertim quoad principia *moralitatis* [9] vitae sexualis et coniugalis, et etiam iterum relativismum istum adhuc augent;

2. scelere isto conscientia ita obdurescit, ut ipsa fundamenta vitae spiritualis et supernaturalis magis ac magis everti videantur; perit sensus maternalis et paternalis, immo, humanus et socialis, crescunt desidia, egoismus et *cynicorum doctrina* [10];

3. hoc modo Ecclesiae abripi possunt non solum singulae familiae sed et totae nationes, ac si periodicae atroces caedes vitae religiosae in catholicis nationibus perficerentur ...[11]

Historia, uti patet, in facie talis sceleris communiter commissi, solet agnoscere signum societatis declinantis usque ad extinctionem culturae et civilitatis.

Quibus omnibus quasi ...[12] oblitis etiam legislatio moderna *non raro favet huic conditioni.*[13]

Cum autem naturales, terrestres et spirituales effectus inde tam graves et multimodi evadunt, maxima cum sollicitudine ponderanda sunt consectaria ordinis supernaturalis, divinae iustitiae vindicatione minime exclusa.

Conclusio: Quae cum ita sint, fundamentali attento principio, dolentes sortem permultorum infantium, qui privantur gratia Baptismatis et ideo assequi nequeunt supernaturalem vocationem, perenniter donis caelestibus privati, uti docet Ecclesia ...[14], aestimamus singularem exstare pro Ecclesia necessitatem ut magna voce hac in Sancta Synodo, in qua disseritur de omnibus hodierni mundi problematibus gravioris momenti, anxiis, dolorosis, difficillimis, clamet in aliqua declaratione speciali disceptati schematis, aut separatim, de absoluta inviolabilitate omnis vitae

innocentis nondum in mundum editae, denuo declarando necem hanc — ob quamcumque causam patratam — verum esse homicidium. Et dicatur oportet optandam esse veram pacem, fundatam sine ...[15] hypocrisi supra illud praeceptum Dei: « Non occides »; et eradicandum esse omnem modum discriminandi, etiam hunc atrocissimum, quo vita humana efflorescens crudeliter extinguitur, reverentiae erga personam humanam, et fundamentali inter omnes homines aequalitati vulnus incurabile infligitur.

...[16] Sperare licet tanto fortiorem resistentiam fluctibus huius sceleris (nec non valde diffusae confusioni morali in quaestionibus vitae sexualis) opponendam orituram fore, quanto gravior, clarior et ponderi huius quaestionis *magis* [17] proportionata evadet haec enuntiatio.

2. Absentia autem huiusmodi declarationis intelligi potuisset, uti proditio obligationis tuendi iura fundamentalia christiani sensus humanitatis.

3. Haec est — si dicere liceat — missio pastoralis, quam Ipse Divinus Redemptor, « incarnatus de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine », designavit verbis: « Ego sum Via, Veritas et Vita » ...[18], et haec est nostra sincera sine ulla restrictione, responsio et Eius effatum: « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » ...[19]

Propositionem declarationis de hac re episcopi Poloniae iam suo tempore ad competentem commissionem conciliarem mandaverunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] hodie. [2] videntur esse dicenda. [3] (cf. *Ex.* 20, 13; *Deut.* 5, 17). [4] in Litt. Enc. *Casti Connubii.* [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] est. [9] moralia. [10] cynismus. [11] 4. quae mala augentur praesertim ibi, ubi methodus depopulationis promovetur et adiuvatur ab internationalibus factionibus, quarum finis proprius est frangere et extinguere vigorem atque vim biologicam populorum catholicorum et nationum in coloniis positarum. In nonnullis regionibus crimina necis huiusmodi vitae modo usque adhuc nunquam reperto et cognito diffunduntur; 5. addendum est et hoc perhorridum: insidiose coacti et caute remunerati ministri aegrorum atque medici magis ac magis depravantur atque sensum professionalis vocationis et dignitatis penitus amittunt. [12] spretis et. [13] saepissime favet hanc tristissimam conditionem. [14] (cf. decis. INNOCENTII III, DENZ. 410; IOANNES XXII, DENZ. 493; Conc. Florent., DENZ. 693: Catech. Trid. p. I, a V, n. 4). [15] ulla. [16] Observationes. 1. [17] deest. [18] (*Io.* 14, 6). [19] (*Mt.* 25, 40).

8

Exc.mus P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis, vic. patr. Melchitarum

Venerabiles Patres,

In quaestione de familia, adest cruciale problema, crucialius adhuc quam nativitatum limitatio, problema nempe coniugis innocentis qui, in aetatis flore et absque ullo peccato, solus invenitur alterius coniugis culpa. Paulo post matrimonium, quod felix praenuntiabatur, unus coniugum, sive humana fragilitate, sive ex praemeditatione, domicilium coniugale relinquit, novam unionem illegaliter contrahit.

Innocens coniux, ad parochum vel episcopum accedit, qui unicam inveniunt responsionem: « Nihil pro te facere possum. Ora et, bono animo, accipias sortem, solus, vel sola, vivas, continentiam servans pro tota vita ». Quae solutio heroicam virtutem supponit, fidem *robustissimam,*[1] corporisque habitum non communem, quae omnia non sunt certe pro omnibus.

Iuvenes isti, qui matrimonium inierunt, vocationem ad continentiam perpetualem se non habere indubitanter putabant, et, in multis casibus, in istis circumstantiis inveniuntur, quo unionem illegitimam extra Ecclesiam contrahent, ne psychice periclitentur. Tormento conscientiae submittuntur: aut vitam heroicam ducere, quam impossibilem reputant, aut perire.

Iamvero, optime scimus continentiae perpetuae viam, pro communi christianorum, nullam in casu esse solutionem. A. v., istos iuvenes tamquam victimas nos pastores relinquimus sine responso efficaci. Rogamus ipsos ut fidem habeant, hanc fidem scil. quae montes transvehere possit, quae, certo, non omnibus data est, et quam, inter nos episcopos, multos uti scimus, toto vitae tempore colluctari debere et orare, ut habeamus.

Quaestio quam hodie Concilio proponere intendo, haec est: Habeatne ius Ecclesia fideli innocenti, quidquid sit de natura problematis a quo torquetur ita loqui: « Habeas tibi curam de teipso (" débrouille-toi! "); nullam afferre validam solutionem possum ». Ex alia parte, quomodo potest Ecclesia huic problemati solutionem innuere, quam scit inoperantem pro casu?

Accepitne a Christo Ecclesia potestatem omnibus hominibus media ad salutem congruentia iuxta vires cum auxilio gratiae divinae ordinariae afferre? Heroismus, vel status perfectionis, numquam a Christo sub poena perditionis imponitur: « Si vis perfectus esse ... », *si vis ...*[2]

Carere non potest Ecclesia sufficienti potestate ut coniugem innocentem protegat adversus sequelas peccati alterius. Aequum non videtur continentiam perpetuam, quae cum statu perfectionis alligatur, imponi posse, quasi ut poenam, coniugi innocenti, propter proditionem alterius.

Orientales Ecclesiae consciae fuerunt semper hac potestate et quidem a prioribus saeculis. Vinculum matrimoniale indissolubile redditur, certe, lege positiva Christi, sed, ut notatur in Evangelio Matthaei ...[3], « nisi fornicationis causa » ...[4]. Ecclesiae est iudicare de sensu istius incisi, circa quod exegetae moderniores non concordant. Et, quamvis in Ecclesia Urbis Romae semper interpretatum est in sensu restrictivo, in Oriente numquam ita fuit, et Ecclesia aliter iudicavit, in favorem coniugis innocentis hoc praesumens.

Scimus Conc. Tridentinum hac de re canonem protulisse in ses. XXIV (can. 7 de matrimonio), qui opinionem romanam comprobavit et sancivit. Sed, uti bene notum est, etiam forma qua usum est Sacrosanctum Concilium in hoc canone, electa est ne traditioni orientali se opponat, quae contrariam praxim sequebatur. Et hoc, sub influxu oratorum venetianorum tunc factum est, qui morem Graecorum bene noscebant, fundatam nempe super sententiam venerabilium Patrum Ecclesiae Graecae, necnon quorumdam occidentalium, uti Ambrosii Mediolanensis. Patres Ecclesiae Orientalis, uti scimus, a secundis nuptiis tamen viduos et viduas avertebant in Domino, ex consilio apostoli, sed coniugibus iniuste derelictis in novum matrimonium ut convolent ius non recusabant. Quae traditio, per decem saecula ante separationem Ecclesiarum numquam reprobata, utiliter inservire posset nunc, apud omnes catholicos, dum propter nova studia patristica maiorem venerationem accepit doctrina Patrum Orientalium qui tamquam interpretes validiores Scripturae et moralistae insigni considerabuntur.

Apud Occidentales Canonistas vero, extensio curae pastoralis fit ex alio capite, inquisitione, scil., diligentissima circa possibilitatem impedimentorum, in qua multi dexteritatem funambuli ...[5] acquisierunt, propter bonum animorum sane, sed ita ut aliquando, v. g., post viginti annos connubii, affinitas prorsus ignota, quasi magica virgula exoritur, quae omnia solvit ...[6]

Concludo[7]: Nonne plus quam ista impedimenta, traditio Patrum Orientalium iam citata, aptius esset ad misericordiam divinam extendendam? Certe, hoc fieri non posset leviter. Abusus semper possibiles sunt, sed abusus auctoritatem et potestatem non tollunt.

Tempore oecumenismi et dialogi, utinam Ecclesia catholica legitimum agnoscat modum illum quo utuntur immemorabiliter Orientales, et utinam haec quaestio profundius a theologis examinetur quae finem

imponere posset anxietati sponsorum innocentium, periculo spirituali gravi expositorum. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] resolutissimam. [2] deest. [3] (5, 32; 19, 6). [4] (graece: Mi epi porneia). [5] (acrobate) [6] Iuristae non mirantur, sed fatemur, nos pastores, saepe fideles ob hoc obstupefieri, necnon frequenter scandalizari. [7] Conclusio.

Animadversiones additae:

Comme certaines publications ont donné des proportions trop larges à ma dernière intervention au Concile concernant le cas particulièrement fréquent et malheureux du conjoint innocent abandonné par son conjoint, et l'ont propagée de par le monde, j'ai demandé à reprendre la parole dans l'aula, non pas pour rétracter ou corriger ce que j'ai dit, mais pour rappeler brièvement ce qui suit:

1. Mon intervention avait un but strictement pastoral, celui de découvrir une solution au problème angoissant de tant de jeunes maris et de jeunes femmes condamnés à vivre seuls, dans une continence forcée, sans faute de leur part.

2. J'ai affirmé clairement dans mon intervention le principe immuable de l'indissolubilité du mariage, et j'ai évité à dessein d'employer le mot « divorce », parce que, dans l'usage catholique, ce mot signifie une infraction au principe immuable de l'indissolubilité du mariage.

3. Cette indissolubilité du mariage est tellement ancrée dans la tradition des Eglises d'Orient et d'Occident, tant orthodoxes que catholiques, qu'elle ne pouvait être mise en cause dans une intervention conciliaire. En effet, la tradition orthodoxe elle-même a, depuis toujours, tenu le mariage pour indissoluble, aussi indissoluble que l'union du Christ et de l'Eglise, son Epouse, union qui demeure le type exemplaire de la monogamie sacramentelle des chrétiens. En théologie orthodoxe, le divorce n'est qu'une dispense accordée au conjoint innocent dans des cas bien définis et dans un souci purement pastoral, en vertu de ce que les orthodoxes nomment le « principe d'économie », ce qui signifie dispense ou condescendance. Cette dispense n'exclut pas le principe de l'indissolubilité du mariage. Elle est même mise à son service, comme les dispenses des mariages valides accordées par l'Eglise catholique en vertu du privilège pétrinien. Nous ne parlerons pas des abus qui sont toujours possibles, mais qui ne changent pas la réalité théologique.

4. C'est donc une dispense en faveur du conjoint innocent que je suggérais dans mon intervention. Me référant à l'interprétation traditionelle en Orient du texte de S. Matthieu (ch. 5 et 19) j'ai envisagé l'éventuelle possibilité d'ajouter aux motifs de dispense déjà admis par l'Eglise catholique, celui de la fornication et de l'abandon définitif d'un conjoint par l'autre, pour conjurer le péril de perdition qui menace le conjoint innocent. Une telle dispense n'aurait pas plus que les autres, l'effet de mettre en doute l'indissolubilité du mariage.

5. Une telle proposition n'était point vaine, puisqu'elle s'appuyait sur l'autorité indiscutable des Saints Pères et de Saints Docteurs des Eglises d'Orient, qu'on ne peut, sans témérité, accuser d'avoir cédé à des considérations politiques et humaines en interprétant, comme ils l'ont fait, les paroles du Seigneur.

6. C'est dans cette perspective de fidélité universelle de l'Orient et de l'Oc-

cident au principe de l'indissolubilité du mariage, que l'Eglise romaine, durant les longs siècles d'union, comme après la séparation, n'a jamais contesté la légitimité de la discipline orientale favorable au remariage de l'époux innocent.

Conclusion: Tel est le sens et tel est le contenu de ma dernière intervention au Concile. Quant à l'opportunité d'admettre un nouveau motif de dispense, analogue à ceux déjà introduits en vertu du privilège pétrinien, c'est à l'Eglise qu'il revient d'en juger.

9

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Relate ad II partem schematis constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* inter alia, quae animadverti possent, aliqua seligo, quae peculiaris momenti mihi videntur.

1. Ante omnia, animadversio generalis haec est: quamvis problemata, quae in II parte huius schematis tanguntur, complete, ut evidens est, tractari nequeant, necessarium nihilominus omnino est quod expositio vel praesentatio eorum, etsi brevis, nullo modo carens sit. Hoc autem, meo humili iudicio, effici potest si frequentius et fidelius ratio habeatur Magisterii Summorum Pontificum ultimorum temporum, quod, praesertim relate ad aliqua ex problematibus de quibus in schemate agitur, multa profert atque determinat. Ita vitari possunt aliqua vaga, minus determinata, minus clara, fortasse aliquando minus cauta.

2. Circa cap. I haec habeo praecipue notanda.

a) In n. 61 enucleatius, etiamsi synthetice, principia et consectaria illustrari deberent respicientia ius primarium familiae, respectu ad Statum, ad educationem filiorum iuxta praecepta *rectae,* potius quam tantum *propriae* (uti in schemate dicitur), conscientiae. Neque supervacaneum puto, immo peropportunum censeo, et hic principium affirmare quo familia ad scholam libere electam filios educandos sine speciali onere mittere possit, civilem societatem invitando ad huius iuris exercitium concrete possibile reddendum.

b) Formulatio sive n. 63 sive n. 64 aliquatenus ambigua videtur. Etenim, ex una parte suadetur foecunditas familiae: ex altera autem parte affirmatur principium generale et absolutum, vi cuius parentibus spectat determinare filiorum numerum, et quidem iuxta criteria subiectiva, varia, incerta, uti sunt salus mentis et corporis, condiciones paedagogicae et oeconomicae, bonum propriae familiae et necessitates socie-

tatis civilis, quae criteria variant iuxta circumstantias et statum vitae. Puto neminem negare posse quod, his suffulti principiis, coniuges possent delicta contra prolem patrare ac sibi aliisque hoc iustificare. Verum quidem est in n. 64 explicite pravas illationes damnari, sed haec animadverto. Primo, si damnantur illationes, tunc principia, ex quibus illationes illae facile derivant, melius declaranda sunt, et quae opposita apparere possent melius componenda. Praeterea, quod in citato numero habetur nullatenus sufficiens est. Ibi enim tantum agitur de vita in utero iam concepta, de qua dicitur quod maxima cura tuenda est, et ideo explicite damnantur abortus et infanticidium ut nefanda crimina. Sed de mediis antifoecundativis, quae, si directe naturalem foecundationem impediunt, absque dubio illicita sunt, schema nostrum omnino silet! Nescio denique — hoc dico quasi per transennam — utrum quae in relatione, pag. 106, De additionibus, 1, « Laus familiarum prolem numerosam habentium » a relatore appellatur, revera laus sensu pleno dici possit prout in textu habetur n. 63, pag. 50, linn. 9 ss. Iudicent Patres!

3. Circa cap. II haec censeo animadvertenda.

a) Conceptus *culturae* seu humani cultus melius est determinandus. Habetur utique initio n. 65 tentamen alicuius descriptionis culturae, sed insufficiens apparet. Post tamen auditam relationem *hac mane,*[1] de hoc non insisto.

Cum autem in textu cultura sumatur sive sensu notionistico, nempe pro cognitione scientiarum et artium liberalium, sive sensu sociologico, nempe pro complexu unitario illo, qui, apud diversos populos, traditiones, mores, leges, modum vivendi atque sese exprimendi, evolutionis gradum in scientiarum et artium liberalium cognitione comprehendit, haec distinctio clare apparere deberet.

b) Cum in n. 74 indicatur oppositio, immo quaedam dissensio (rottura), quae saepe evenit « inter modum cogitandi dogmaticum — *ita dicit textus*[2] — Ecclesiae et scientiarum progressum, vel etiam inter applicationem doctrinae moralis christianae et aliquas postulationes hominis huius temporis », videtur schema, in innuenda ratione istius oppositionis seu dissensionis, indulgere cuidam ingenuitati. Verum sane est « difficultates ad accuratiorem et altiorem intelligentiam fidei mentem excitare » posse. Sed hoc non sufficit ad difficultates auferendas. Nonne hic, *quaero,*[3] saltem memorandae essent oppositiones, quae proveniunt ex philosophicis systematibus et mundi ac vitae conceptione, quae his ultimis saeculis veluti contextum efformaverunt multarum intellectualium navitatum sive in scientiarum sive in artium liberalium provinciis necnon in ipsorum vitae morum? Nonne aliquid dicendum

esset de negata transcendentia Dei personalis, de immanentismo ac de materialismo cuiuscumque speciei, de negato ordine morali obiectivo, de ethica situationis, de hodierna philosophia angoris, immo de ipsa negata Dei existentia, etiam scientistico quidem modo? Quae omnia dissensionem complete explicarent et christianis suggerere possent quid ad culturam christiane animandam agere debent.

4. Circa cap. III haec noto ad n. 81. Hic clare et directe enuntiandum esset principium proprietatis privatae, uti exigentiae dignitatis personae humanae, contra sive principium iuris proprietatis utendi et abutendi sive principium proprietatis collectivae. Unde ad comma « quaecumque sint formae proprietatis » addendum esset « privatae », nempe proprietatis privatae.

5. Quae in cap. V, n. 101, habentur de sic dictis obiectoribus conscientiae minime opportuna videntur in hoc documento. Ergo, meo iudicio, auferenda essent. Quod si manent, non video cur debeat dici « propter testimonium lenitatis christianae, vel propter reverentiam erga vitam humanam », quasi alii — et sunt fere omnes — testimonium illud non redderent vel illam reverentiam non haberent! Quae vero in insequentibus nn. 102 et 103 dicuntur sive de missione Ecclesiae et christianorum sive de partibus christianorum in institutionibus internationalibus ...

Moderator: Faveas concludere, Pater!

Orator: Subito! ... magis determinate indicanda essent ...[4] Quae, *ultimo,*[5] in conclusione, n. 105, linn. 16-18, habentur, auferantur uti minus opportuna in hoc saltem documento. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] Desunt principia quae fundamentum divinum et humanum praebent interventioni Ecclesiae in rebus ac institutionibus internationalibus. Quae dicuntur, utpote mere exhortativa, vim moraliter efficacem non habent. [5] deest.

10

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Venerabiles Patres et auditores omnes,

Hic meus interventus refertur ad partis II cap. I. Quo in capite desideratur expositio de matrimonio, in quantum est status. De homine christiano, immo de homine ut tali ita loqui debemus, ut eluceat eius

facultas condendi statum. Id quod non tantum quoad matrimonialem, sed etiam quoad sacerdotalem et religiosum statum maximi est momenti. Vita matrimonialis sicut et vita sacerdotalis et vita religiosa non tantum *actibus* specificis exercetur, sed hi actus provenire debent ex elemento statico et permanente. Homo non tantum *agit* ut uxoratus, ut sacerdos, ut religiosus, sed matrimonio iunctus vel sacerdos vel religiosus *est*. Ut talis status efficiatur, homo paratus et aptus esse debet, qui seipsum ad talem modum vivendi determinet, ita ut ex hac determinatione sui ipsius status permanens consequatur, cum obligationibus personae et cum elementis iuridicis quae sunt signum personae. Nam tota et definitiva obligatio hominis correspondet relationi hominis ad totum hominem in matrimonio. Talem determinationem sui ipsius homini esse congruam statumque definitivum pertinere ad matrimonii naturam, fere nos soli sumus, quibus persuasum est. In hac re mundo saecularizato radicaliter opponimur.

Ideo ostendere nobisque persuasum esse magna voce pronuntiare debemus, tale vinculum et statum neque contradicere libertati neque dignitati humanae. Libertas enim culmen suum non habet in reservanda facultate ad quolibet momento modo contrario agendum. Culmen libertatis non est in indecisa varietate, sed in eo, quod homo seipsum decidit determinatque, etsi inde modo agendi limites ponantur. Homo seipsum non eo vere evolvit, quod omnia possibilia sibi aperta servare neque sibimetipsi limites ponere vult. Habentur res et condiciones hominis, quae, ut plene realizentur, decisionem definitivam postulant. Hoc valet de ipso esse christiano, quippe quod charactere indelebili baptismatis conditur, ex eo decisio libera hominis sequi debet. Hoc valet etiam de confirmatione, de sacerdotali ordinatione. Hoc similiter etiam valet de matrimonio. Statum permanentem, definitivum, condere vitae christianae est.

Mundum et fideles nostros et praesertim etiam alumnos sacerdotium appetentes — quippe qui non raro difficulter tantum seipsos decidunt ad stabilem modum vivendi — magnopere adiuvamus eos animando ad fiducialem decisionem de seipsis ferendam. Omni sacrificii eucharistici actuosa participatione talis radicalis decisio iterum iterumque exercetur atque vis communicatur ad vivendum in variis statibus christianis. Cena enim eucharistica exigit sacrificium et decisionem totius hominis. « Sive vivimus, vivimus Domino; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus » ...[1] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Rom.* 14, 8).

Secretarius generalis: Communico vobis, Patres venerabiles, exitum suffragationum, quae mane factae sunt.

Suffragatio 328:

Patres praesentes et votantes	2.182
Dixerunt *placet*	2.160
non placet	22

Suffragatio 329:

Patres praesentes votantes	2.182
Dixerunt *placet*	2.171
non placet	8
placet iuxta modum	2
et suffragium nullum	1

Suffragatio 330:

Patres praesentes votantes	2.162
Dixerunt *placet*	2.144
non placet	18

Suffragatio 331:

Ex Patribus	2.137
Dixerunt *placet*	2.115
non placet	22

Suffragatio 332:

Votum dederunt Patres praesentes	2.122
Dixerunt *placet*	2.070
non placet	5
et suffragium nullum	1

Suffragatio 333:

Patres praesentes votantes	2.097
Dixerunt *placet*	2.041
non placet	54
Suffragia nulla	2

Suffragatio ultima, nempe 334:

Ex Patribus		2.014
Dixerunt	*placet*	1.999
	non placet	15

Crastina prosequetur suffragatio circa modos cap. II.

Moderator: Proxima congregatio erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXXXIX

30 septembris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXXXIX
30 septembris 1965

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis* [*ante Missae celebrationem*]: Patres venerabiles, durante Missae sacrificio, velitis orare pro victimis explosionis vulcani in Insulis Philippinis, pro mortuis qui in pace requiescunt, pro vivis qui calamitate affecti sunt.

Secretarius generalis [*post Missam*]:

Moderabitur congregationem generalem 139 em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In hac congregatione, Patres venerabiles, vobis distribuetur relatio super schema decreti *de accommodata renovatione vitae religiosae,* circa cuius modos fiet suffragatio postquam exactae fuerint suffragationes circa modos schematis *de pastorali episcoporum munere,* nempe proxima hebdomada, scil. a feria IV proximae hebdomadae ac deinceps.

Distribuetur etiam fasciculus continens schema declarationis *de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas.*

Hodie prosequetur disceptatio circa partem II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Et pariter prosequetur suffragatio circa modos schematis *de pastorali episcoporum munere.* Supponentur suffragationi modi respicientes cap. II et, si tempus erit, etiam quaesitum respiciens cap. III. Antea, fiet relatio circa cap. II; quam relationem, potestis videre in libello continenti modos.

Porro quoad partem II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* loqui postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Carolus Journet; Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis (Westminster) in Anglia; Agnellus Rossi, arch. S. Pauli in Brasilia; Villelmus Conway, arch. Armachanus (Armagh) in Hibernia; Michaël Browne; exc.mi ac rev.mi DD. Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus in Indonesia; Franciscus Tomášek, ep. Admin. Apost. Pragensis in Cecoslovachia; Franciscus M. Da Silva, arch. Bracharensis (Braga) in Lusitania; Remigius De Roo, ep. Victoriensis in Canada; Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia; Ioseph Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania; Herbertus Bednorz, ep. coad. Katovicensis in Polonia; Franciscus von Streng, ep. Basileensis et Luganensis in Helvetia; Ignatius de Orbegozo, prael. null.

Yauyosen in Peru; Antonius Hacault, ep. aux. S. Bonifacii in Canada; Ioseph Cuenco, arch. Iarensis in Insulis Philippinis; Paschalis Venezia, ep. Arianensis in Italia; Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia (Metz); Aemilianus Čekada, ep. Scopiensis (Skoplje) in Iugoslavia; Eugenius Beitia, ep. tit. Verronensis in Hispania; Franciscus Franić, ep. Spalatensis (Split) in Iugoslavia.

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerundensis

Relatio generalis
de expensione modorum caput II schematis decreti de pastorali episcoporum munere in Ecclesia respicientium

[*cf. vol. IV, pars II, pag. 556-561*] *

Moderator: Gratias agimus relatori et cum eo omnibus membris commissionis pro labore confecto. Et nunc audiatur secretarius generalis, qui legit textum votandum.

Secretarius generalis: Videatis pag. 97. Haec est suffragatio 335. Quaeritur: « An placeat ut textus n. 16 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 592*]. *Placet* an *non placet?*

PATRUM ORATIONES
(*De Ecclesia in mundo huius temporis,* pars II)

1

Em.mus P. D. CAROLUS card. JOURNET

Venerabiles Patres,

Doctrina Ecclesiae catholicae de indissolubilitate matrimonii sacramentalis est ipsamet doctrina Domini Iesu nobis revelata, et ab ipsa Ecclesia semper servata et annuntiata.

---

* *In oratione addidit*: Videte nunc, venerabiles Patres, folium adnexum, in ultima pagina. Clarum est in integro textu paragraphi quartae n. 35, in pag. 56, in linn. 17-34 sub nomine « Religiosorum » comprehendi simul « Religiosos exemptos et non exemptos », prout iam dicitur in initio ipsius paragraphi 4). Commissio tamen opportunum censet ita repetere et expresse affirmare ne in posterum de hoc textu minus rectae interpretationes vel inutiles controversiae oriantur.

Etenim apud *Marcum 10,*[1] legimus quod cum Pharisaei interrogarent Iesum: « si licet viro uxorem dimittere », respondit eis: « Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet ». Et addidit: « Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur ».

Ipse apostolus Paulus expressis verbis idem docet, nomine non quidem proprio sed ipso nomine Domini (*1 Cor.,* 7 ...[2]): « Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio *non ego sed Dominus,* uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat ».

Ex his claris testimoniis, manifestatur non aliam esse doctrinam apud Matthaeum, *cap. 5 et 19* [3], ubi legitur clausula: « quicumque dimiserit uxorem suam *nisi ob fornicationem,* et aliam duxerit, moechatur » ...[4]. Haec clausula potest quidem afferri ad affirmandum quod separatio, ut dicit Paulus, fit licita in casu adulterii; non autem ad concludendum quod novae nuptiae fiant licitae.

Aliquae vero Ecclesiae in Oriente admiserunt divortium in casu adulterii, atque permiserunt coniugi innocenti contrahere novum matrimonium. Sed hoc evenit, datis relationibus inter Statum et Ecclesiam illo tempore vigentibus, sub influxu legis civilis decernentis legitimitatem divortii et novarum nuptiarum hoc in casu. Etenim « novella Iustiniani » de diversis causis divortii, introducta est in Codicem Ecclesiae Orientalis, sic dictum « nomocanon » ...[5]

Ad iustificandam hanc praxim, illae Orientales Ecclesiae allegaverunt clausulam Matthaei de divortio in casu adulterii.

Cum autem istae Ecclesiae admittant alias causas divortii praeter illam supra adductam, apparet quod secutae sunt in hac re modum agendi potius humanum quam evangelicum.

Quidquid sit de usu harum Ecclesiarum, doctrina ipsa genuina Evangelii de indissolubilitate matrimonii sacramentalis semper viguit in Ecclesia catholica. Ad hanc Ecclesiam non pertinet mutare quae sunt iuris divini.

Ecclesia tamen, cuius non est praecepto Christi non oboedire, respicit cum immensa Dei misericordia situationes infortunatas illas, quae ad vitam heroicam vocant et quae inde solis oculis humanis, non autem coram Deo, sine exitu remanent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Mc. 10, 2 ss. [2] 10-11. [3] 5, 32 et 19, 9. [4] cf. G. DOM JACQUES DUPONT, *Mariage et divorce dans l'Evangile, Mt.* 19, 3-12 *et parallèles,* Abbaye de Saint-André, Desclée de Brouwer 1959. [5] J. MARTIN JUGIE, *Theologia dogmatica christianorum orientalium,* Paris 1930,

t. III, p. 459. - JEAN DAUVILLIER et CARLO DE CLERCQ, *Le mariage en droit canonique oriental,* Paris, Recueil Siney, 1936, pp. 84 ss.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 336. Videatis pag 97: « An placeat ut textus n. 17 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 593*]. *Placet* an *non placet?*

2

EM.MUS P. D. IOANNES CARMELUS CARD. HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Incipere vellem rogando ut quando hoc documentum in forma finali approbatum fuerit, versiones in linguis vulgaribus summa arte et elegantia exarentur. Inter omnes, versio latina minimi est momenti. Mundum enim modernum hoc in documento alloquimur. Mirum iudicari possit usurpare nomen « Constitutionem conciliarem » tractando de rebus natura sua caducis seu ephemeralibus. Si schema nostrum reapse temporibus *nostris* aptum dici debet, eo ipso vix idoneum et opportunum evasurum est pro hominibus v. g. saeculi proximi. Forsan melius esset si schema nostrum ut *simplex nuntius* in lucem esset editus. Quidquid de versione latina est dicendum, certum est quod ab hominibus ubique terrarum versiones in linguis vulgaribus avide et studiose legentur. Latinitas nostri documenti acerbe a nonnullis Patribus iam est damnata. Dicere compellor versionem anglicam vix esse meliorem cum claritate saepissime careat. Tempore opportuno viris doctis in idiomate et grammatica anglica textus integer tradetur.

Transeamus nunc ad nostri schematis substantiam.

1. Faveatis, Patres, pag. 60, linn. 30 ss. respicere. Proponere vellem insertionem clausulae de laudanda filiorum adoptione.

Agitur hoc in loco « de prole tam optata quae deficit ». Pueri vel illegitimi vel genitoribus orbati saepe saepius illius pretiosissimae hereditatis pueritiae, quae est vita domestica et familiaris, deprivantur. Verum est in nationibus ubi floret libertas religiosa bonas inveniri sorores quae huiusmodi infantes infelices brachiis apertis caritate christiana accipiant. Attamen orphanotrophia etiam ampla et splendida nullo modo domus et foci proprii vicem supplent.

Quamobrem in nostro schemate ardenter exhortandi sint coniuges steriles ut liberos adoptent, praesertim eos qui debiles sint vel deformati vel stirpis sint mixtae vel alio modo minus desiderati. Hoc esset opus

christianis omnino dignum, cum quidem nobis omnibus per adoptionem locum in Dei familia Christus procuraverit.

2. Adnexa utpote discussioni non aperta anno elapso sunt deplorata. Optime fecit commissio nostra transferendo essentialia de adnexis in ipsum schema. Adnexis autem sublatis, aliud quid minus conveniens eorum loco apparuit, i. e. notulae in relationibus sine quibus textus ipse vix intelligi poterit.

In nn. 62 ss. fere nihil ad solvenda coniugum problemata invenimus. Difficultates quippe delineantur, necessitas orationis et Dei gratiae notatur. De controversia autem quae hodie coniugum animos maxime perturbat, i. e. de honestate actuum quibus conceptione praeclusa intime uniuntur, altum servatur silentium. Ratio huius silentii omnino valida videtur. Nec commissio nostra nec Ecclesia propter hoc silentium est reprehendenda. Dum enim principia moralia fixa et certa manent, consilium a medicis, physiologistis et aliis peritis adhuc exspectatur. Voluntate Summi Pontificis materia haec a disceptatione publica priore sessione prudenter est sublata. Nunc autem serio quaerendum est num melius esset nihil dicere de matrimonio in hoc documento si ita loqui debemus ut supremum, ut ita dicam, problema evitetur. Si sic agimus, nonne periculum oritur ne fideles fraudari se sentire possint, et acatholici aliqui cavillaturi sint dicendo: « Ecclesia catholica quae in re tum morali tum doctrinali infallibilem se esse reputat iudicium hac in re proponere prorsus nescit ».

Mea humillima sententia, melius esset hoc caput omittere, donec Summus Pontifex, auditis in re scientificis peritis et theologis, controversiam dirimere paratus sit. Alioquin consilium clarum et desideratissimum fidelibus dare non valemus. Textus noster sic coniuges alloquitur et cito ipsissima verba: « Revelatione illuminati et dociles erga Magisterium sedulo scrutabuntur Dei de vita coniugali ordinanda voluntatem, quae per Eiusdem donorum naturam et harmoniam manifestatur ». Optime dictum! Attamen hortatio magis quam gubernatio esse videtur.

Laudanda omnino sunt tentamina commissionis, hac in re difficillima, ut praebeant utilem et practicam moderationem. Dicunt pag. 102: « Principia tantum generalia proponuntur ne Concilium abeat in casuisticam et ut res Pontificiae Commissioni commissa integre servetur ». Ita circumscriptum documentum nostrum non potuit esse nisi mancum. Licet tamen ad principia generaliora se restringere documentum declaret, de facto de particularibus tractandis non abstinet. De abortu et infanticidio verbum facit. De sterilizatione tamen quae, ut omnes pastores bene sciunt, longe maius est problema, prorsus silet.

Hoc tantummodo ut exemplum lacunae nostro in documento offero.

Humiliter repeto sententiam meam: bonum esset hoc capitulum de matrimonio omittere usque dum absque ambiguitate Magisterium Ecclesiae audiri poterit. Dixi.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 337. Pag. 98: « An placeat ut textus n. 27 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 593*]. *Placet* an *non placet?*

3

EM.MUS P. D. AGNELLUS CARD. ROSSI
Archiepiscopus S. Pauli in Brasilia

Venerabiles Patres,

Vobis, nomine septuaginta episcoporum brasiliensium verbum facientes, dicemus caput « De dignitate matrimonii et familiae fovenda » nobis, in genere, placere, nam conatus commissionis conciliaris tot et tam contradictorias opiniones Patrum componendi felicem habuisse exitum agnovimus.

Fortasse, brevitatis causa, multa paucis verbis contrahuntur, quae ampliori sermone tractare oporteret. Illa etiam saepe commemorata classicae latinitatis praeoccupatione textum etiam non imperitis in re theologica difficilem, et omnibus hominibus ad quos dirigitur constitutio minus gratae lectionis reddit.

Quoad particularia, non pauca scripto secretariatui mittemus. Quaedam tantum ut exemplum afferentes, loquemur de meliori et exactiori expositione signorum temporum, quod in n. 60 habetur; de perfectiori determinatione rationis formalis naturae omnino singularis contractus matrimonialis, qua fit ut non a solo humano arbitrio ipse pendeat in essendo, de quibus in n. 61 agitur; de gratia sacramentali commemoranda in n. 62, etc.

Sed quae praecipue volumus vobis communicare, respiciunt par. 64, nempe de legitimis processibus prolis limitandae.

Circa hanc quaestionem, quae omnes nos summopere excruciat, sentientes anxietatem omnium eorum qui curae nostrae pastorali committuntur, sincere fatemur, venerabiles Patres, nos non loqui potius maluisse, si loqui nobis tamquam officium non imponeretur.

Scimus quaestionem competentis commissionis studiis concreditam fuisse.

Insuper, certi omnino sumus Romanum Pontificem, gratia Spiritus Sancti qui Eum assistit, illustratum, in momento opportuno verbum opportunum dicturum esse. Iam nunc, nos brasilienses episcopi toto corde

debitam adhaesionem, qua par est reverentia ac oboedientia, decisioni ac doctrinae Summi Pontificis profitemur.

Attamen, nescimus utrum determinationes istae ad nos pervenientur antequam terminum laboribus nostris imponamur. Quod quidem si non acciderit, neque ullo modo conclusiones studiorum forsitan iam peractas ut in plurium votis est nobis notas fieri potuerint, sincerius esset, ex nostra parte, aut omnino tacere, aut impossibilitatem alicuius responsi immediati clare fateri, et consequenter studium conari adlaborandi orientationes quasdam pastorales quae modum practicum agendi et sacerdotum et fidelium, hac in re, ostenderent. Nonne hoc magis prudens vobis videtur, ne in periculo incidamus affirmandi ea quae, fortasse, crastina contra dicentur?

Certe, haec est alternativa quae nobis relinquitur: aut tacere aut sincere dubia nostra fateri. Nullatenus autem sufficerent declarationes illae indeterminatae ac impraecisae quae nobis in textu quoad hanc quaestionem praebentur.

Faxit Deus ut iustam inveniamus formulationem quae limites illius quod nobis permittitur non sese ultra progredientem, nec possit iudicari ut imprudentia, nec nobis imputari ut omissio. Dixi. Gratias.

Animadversiones additae:

1. *Observatio generalis.* Textus quamvis succinctus non omnes tangat quaestiones forte tangendas, accipitur in genere. Dolendum est quod modus loquendi tam difficilis et arduus videatur etiam in rebus theologicis non imperitis. Laudatur conatus Commissionis quae viam mediam generatim seligendo, omnibus, quatenus possibile, contradictoriis Patrum desideriis satisfaciendis curavit. Placuit 68 Patribus.

2. Ad pag. 46, linn. 28-31 usque ad pag. 47, linn. 1-7. Ita redigatur, ut puncto (.) facto post verbum « potuerunt » in lin. 31, sic continuetur: « Verum est haec, in plurimis, ita genuinam Matrimonii faciem turbavisse, ut, erronee quamvis sincere, censeant impossibile esse familiarem vitam ducere quae simul digna sit et beata. In aliis autem vera Matrimonii natura magis explenduit, siquidem ipsi praesens tempus redimentes, aeterna a mutabilibus formis discernentes, bona familiae, tum propriae vitae testimonio, tum concordi actione, diligenter promovent, et sic, interceptis difficultatibus, provident familiae necessitatibus et commodis, quae novis temporibus conveniunt ». *Ratio* est: cum agatur de « signis temporum » (vide p. 101 initio) non exhortative sed expositive immo et obiective res exponenda videtur. Placuit 66 Patribus.

3. Ad pag. 47, lin. 8. Loco « ita actu humano quo » ... dicatur: « Ita actu humano istius consensus, quo ». *Ratio est*: ambiguitatem vitare cum actu coniugali. Placuit 68 Patribus.

4. Ad pag. 47, linn. 10-11. Loco « quod vinculum sacrum respectu boni personarum non amplius a solo singulorum arbitrio pendet » dicatur: « quod vinculum inde adeo sacrum fit ut respectu boni personarum non amplius e solo hu-

mano arbitrio pendet ». *Ratio est*: *a*) Rationem formalem statuere naturae omnino specialis illius contractus matrimonialis, qua fit ut non a solo humano arbitrio pendeat in essendo;

b) Indissolubilitatem firmare etiam respectu communitatis, vel mutui coniugum consensus. Placuit 70 Patribus.

5. Ad pag. 47, lin. 34. Omittantur verba: « qui etiam virgines colit ». *Ratio est*: verba illa non sunt ad rem et difficiliorem reddunt textum. Placuit 58 Patribus.

6. Ad pag. 48, lin. 3. Addatur: « quin renuntient auspicabili promotioni cultus civilis mulieris ». *Ratio*: cf. quae de promotione mulieris dicuntur in pag. 10, lin. 2. Placuit 64 Patribus.

7. Ad pag. 48, lin. 4. Loco: « ad sanctificationem parentum », dicatur: « ad mutuam sanctificationem ». *Ratio* obvia videtur. Placuit 56 Patribus.

8. Ad pag. 48, linn. 26-27. Loco: « Hunc amorem Dominus, supremo gratiae dono, quo christifideles filii Dei vocantur, ornare et elevare dignatus est » dicatur: « Hunc amorem Dominus specialis gratiae dono, quo sponsi sanctificantur, et adiuvantur, ornare et elevare dignatus est ». *Ratio est*: mentio facienda est non modo de Gratia Sanctificante, omnibus Sacramentis communi, sed de Gratia Sacramenti Matrimonii propria. Placuit 68 Patribus.

9. Ad pag. 48, linn. 35-37. Ubi dicitur: « uniuntur, honesti sunt et, modo vere humano perpetrati, donationem mutuam significant et fovent » dicatur: « uniuntur, modo vere humano perpetrati, honesti sunt ac digni, et donationem mutuam significant et fovent ». *Ratio* obvia videtur. Placuit 60 Patribus.

10. Ad pag. 49, lin. 22. Ubi dicitur: « eosque ad vitam socialem » dicatur: « eosque ad vitam familiarem, socialem... ». *Ratio* obvia videtur.. Placuit 68 Patribus.

[*Subscripserunt etiam*] José Vicente Távora, Aloisio Lorscheider, José Lamartine Soares, Vicente de Araujo Matos, João de Souza Lima, Antonio Batista Fragoso, Othon Motta, Avelar Brandão Vilela, José Nicomedes Grossi, José de Medeiros Delgado, José Maria Pires, José D'Angelo Neto, José Medeiros Leite, Ernesto de Paula, João Batista Motta Albuquerque, Luiz Gonzaga Peluso, Afonso Maria Ungarelli, Gabriel Paulino Bueno Couto, Helder Pessoa Camara, Candido Padim, João Hoffmann, Luiz Gonzaga da Cunha Marelim, Afonso Nihues, José Costa Campos, Francisco Austregesilo Atayde, Walmor Battu Wichrowski, Diogo Parodi, Benedito Zorzi, Fernando Gomes dos Santos, Caetano Antonio Lima dos Santos, José Gomes, Tomás Vaquero, Altivo Pacheco Ribeiro, José Eugenio Corrêa, Raimundo Castro Silva, Waldir Calheiros, José Bezerra Coutinho, David Picão, Jorge Marcos de Oliveira, Wilson Laus Schmidt, José Thurler, Honorato Piazzera, Expedito de Oliveira, Antonio Barbosa, Herminio Malzone Hugo, José Brandão de Castro, Manoel Lisboa de Oliveira, Nivaldo Monte, Felipe Tiago Broers, Jeronimo Mazzarotto, Quirino Schmitz, Adriano Hipólito, Walfrido Vieira, Acacio Rodrigues Alves, Alonso Silveira, Geraldo Ferreira Reis, Luiz Victor Sartori, Milton Correa Pereira, Augusto Carvalho, Frei Felicio Vasconcelos, José Terceiro de Souza, Anselmo Pietrulla, Gregorio Warmeling, Eugenio de Araujo Sales, Belchior da Silva Neto, João José da Mota e Albuquerque, Bernardo José Mieli, Guido Casulo, Aniger Francisco Maria Melillo.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 338. Pag. 98, n. 4: « An placeat ut textus n. 28 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 594*]. *Placet* an *non placet?*

4

EM.MUS P. D. VILLELMUS CARD. CONWAY
Archiepiscopus Armachanus

Venerabiles Patres,

Cap. I huius partis II substantialiter placet. Meo iudicio conspectum pulchrum et divitem praebet doctrinae christianae de matrimonio et familia, ordine et stylo menti hodiernae bene accommodatis. Quaedam, tamen, ni fallor, addenda sunt.

1. Velim ut aliquid saltem dicatur de beneficiis ...[1] quae in civilizationem humanam invecta sunt per matrimonii christiani institutionem. Matrimonio enim christiano pro magna parte debetur ut sexualitas humana nobilitata sit et, ut ita dicam, humanizata et ad fines personalisticos et spirituales elevata; ut mulier, a quadam servitute liberata, consors viri aequalis facta sit, iuxta verba S. Pauli: « Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam »; ut mater, denique, in societate familiali nunc demum tamquam regina in domo regnet.

Velim ut haec breviter saltem in schemate commemorentur.

2. Quamvis de indissolubilitate bene loquatur schema, velim ut in par. 60, lin. 19, divortium citetur simul ac polygamia: vix aequum enim videtur polygamiam nominare, quae aliquibus communitatibus non-christianis magis peculiaris est, de divortio autem, quod matrimonio christiano aequaliter adversatur, hic silere.

Opportunum etiam mihi videtur ut hic vel alibi in hoc capite citentur verba sollemnia Domini nostri Iesu Christi: « Quod Deus coniunxit homo non separet ».

3. *De matrimonii fecunditate.* Omnes quidem conscii sumus problematum personalium gravium et quandoque agonizantium quae in hac materia oriri possunt. Hoc tantum hic velim dicere quod, ut mihi videtur, textus schematis non fideliter exprimit mentem commissionis mixtae cuius cura nostrum schema exaratum fuit.

Mens huius commissionis mixtae declaratur pag. 101, lineis ultimis ad calcem paginae, ubi dicitur quod subcommissiones et commissio plenaria mixta « clare sublineant media inhonesta prohibita esse ». Verba hic *spectata*[2] inveniuntur pag. 49 linn. 39 ss. et sic sonant: « Sciunt coniuges in familia condenda et ducenda, non ad arbitrium suum procedere sibi licere, sed conscientia se regi debere quae lege Dei recte informetur, necnon suum esse prolis numerum secundum Dei dona verique amoris indicationem determinare ».

Meo submisso iudicio haec verba non clare sublineant media inhonesta prohibita esse, eo vel magis quod in contextu *totius paragraphi,*[3] ut videtur, non agitur de mediis, sed de iudicio quoad numerum prolis.

Ut intentio commissionis mixtae melius exprimatur, ergo, propono ut post verbum « determinare », lin. 42, addantur saltem verba « mediis tamen eidem legi Dei consentaneis ».

Ante oculos habere debemus quod quidquid auctoritatem magisterii ordinarii Ecclesiae deminuit — etiam per silentium vel ambiguitatem — repercussiones habet per totum eiusdem magisterii ambitum.

Per modum conclusionis denique, quasdam observationes generales subiungere volo.

1. Nonnullae sectiones huius partis II, sicut etiam partis I, quadam excessiva timiditate, quadam nota defensiva pervadi mihi videntur. E. g., quoad relationes inter Ecclesiam et scientias humanas, historici etiam non-christiani libenter agnoscunt quod culpae quasi ex aequo inter clericos et scientistas permixtae fuerunt non nisi ex hoc oriundae quod utraque pars, et clerici et scientistae, erant humani.

Vocem autem quam audimus hic et alibi in nostro schemate nonnunquam sonat quasi vox alicuius oratoris qui nimia sollertia quaerit quomodo auditoribus placeat. Mundus quidem exspectat ut Ecclesia catholica cum humilitate christiana loquatur sed sine ullo inferioritatis sensu. Verborum Evangelii memoremur: « Admirabantur turbae super doctrina eius: erat enim docens eos sicut potestatem habens ».

2 et ultimo. Consentimus omnes quod hoc schema pars magni momenti est operis huius Concilii et quod initium aggreditur dialogi maxime necessarii inter Ecclesiam et mundum contemporaneum. In hoc sensu schema aliquid novum est tam in materia, tam in stylo, tam in audientia. Insuper, mundus contemporaneus de quo agitur, in plena et rapida transformatione prostat. His omnibus de causis nescio utrum melius non esset schema nostrum novi etiam generis titulo insigniri: v. g. « Epistola Pastoralis a Concilio ad homines huius temporis », vel etiam « Litterae synodales a Concilio ad Mundum ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] vere immensis. [2] illata. [3] deest.

Animadversiones additae:

In *Sectione 60,* pag. 46, lin. 19, post « polygamia », addatur verbum « divortio ». *Ratio* est quia vix aequum videtur polygamiam citare quae aliquibus regionibus non-christianis magis peculiaris est, de divortio, quae in Occidente grassatur, silere.

In *Sectione 62,* pag. 48, lin. 37, post verbum « fovent » addatur nova alinea: « Deus enim, matrimonium ab initio creationis instituens, dixit: Relinquet homo

patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una » (*Gen.* 2, 24).

Ibidem, lin. 38, post verbum « fidelis » addatur nova alinea: « Christus enim verba illa institutionis matrimonii originalis recolens, haec adiunxit: Itaque iam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet » (*Mt.* 19, 5-6). « Haec vero duorum in una carne coniunctio fit per matrimonii christiani sacramentum symbolum quoddam unionis indefectibilis Christi cum Ecclesia sponsa sua qua eam ab omni macula et ruga servat immaculatam » (*Eph.* 5, 25-8).

In *Sectione 63,* pag. 49, linn. 30-31, deleantur verba: « non est merum procreationis institutum » et substituantur verba: « in ipsorum coniugum bonum et perfectionem etiam instituitur ». *Ratio* est quia verba citata suggerere possent quod aliqui theologi aliquando docuerint matrimonium esse « merum procreationis institutum »; quod simpliciter non est verum. Insuper modus loquendi positivus semper praeferendus esse videtur.

In *Sectione 63,* pag. 49, lin. 42, deleatur verbum « determinare » et ita revideatur alinea: « necnon suum esse de prolis numero secundum Dei dona verique amoris indicationem secum deliberare ». *Ratio* est quia non est in hominum potestate de prolis conceptione, partu, sanitate strictim *determinare* neque in eis quae vitam et mortem tangunt divinae providentiae substituere.

Ibidem, pag. 49, lin. 42, post verbum « determinare », addantur verba: « mediis tamen legi morali consentaneis, secundum magisterium Ecclesiae ». *Ratio* est quia textus ut prostat non concordat cum intentione Sub-commissionis mixtae pluries in Relationibus schemati adnexis expressa (vid. pag. 101, 105, 106); v. g. pag. 105, ubi dicitur: « textus ... clare sublineat ... media inhonesta esse prohibita, ut rogaverunt plures Patres ». Quod quidem textus ut iacet nullo modo « clare sublineat ».

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 339. Pag. 99: « An placeat ut textus n. 29 ita immutetur ut legatur... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 594*]. *Placet* an *non placet?*

Reliquae suffragationes, Patres venerabiles, fient crastina.

5

EM.MUS P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, Venerabiles Patres,

Loquendo de cap. I, de matrimonio scil., illud in multis laudo; tamen peto ut mihi indulgeatur si quaedam suggerere audeam quibus adhuc — ut puto — perfici possit.

Cum ...[1] perplexus maneo circa quaedam quae in hoc capite exponuntur de *loco amoris coniugalis,*[2] modeste conor stricte theologice « situare », uti dicitur, locum eius, *i. e. amoris,*[3] inter fines matrimonii.

Loquendo de finibus qui dicuntur « fines operis », ut communiter dici solet, ordo est, *ut saepe diximus* [4]: finis primarius, i. e. ille qui essentialiter determinat naturam obiecti foederis coniugalis, est proles generanda et educanda; fines secundarii, seu essentiali adiuncti, sunt mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae.

Mutuum adiutorium quod a S. Thoma mutuum obsequium in domestica conversatione quoque vocatur, integratur ex tribus, quae sunt mutuus amor, mutuus honor, mutuum auxilium.

Amor de quo hic agitur est ille qui vocatur amor amicitiae, *seu amor absolute sincerus*.[5] Ille est amor, qui summopere inservit bono non solum prolis, in quantum in eius virtute coniuges, viribus unitis bonum prolis *quaerunt et* [6] procurant, sed etiam et quam maxime, bono ipsorum coniugum. *Item confirmatur* [7] quoque in *eis* [8] ex amore eorum erga prolem.

Loquendo de finibus qui dicuntur « *operantis* »,[9] « fines operantis », dicendum est illos multiplices esse posse. Sed, attenta natura coniugii, virtus humana, et maxime virtus christiana, et soliditas ipsius matrimonii, urget ut amor, qui fere semper in eis primarius est et praedominatur, sit amor sincerus seu amor amicitiae, qui ex natura sua tendit ...[10] ad hoc ut amor boni delectabilis — *licitus etiam in matrimonio sub moderamine virtutis —, tendit quoque ad hoc ut amor boni delectabilis* [11] seu amor concupiscentiae et amor boni utilis ... in *matrimonio semper* [12] secundum medium virtutis moderentur et regulentur.

Inde, v. g. in par. 61, pag. 47, suggererem, *in loco « foedere dilectionis », ut dicatur « foedere coniugii » ob complexitatem loci amoris in foedere matrimoniali. Notio « foedus coniugii » clara est, sed notio foederis dilectionis non est tam clara ob complexitatem rationis dilectionis quae intrat in vitam matrimonialem.*

Reliqua quae hic significavi in foliis meis, tradam secretariatui.[13] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] aliqualiter. [2] amore coniugali. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] Roboratur. [8] ipsis. [9] deest. [10] quoque. [11] deest. [12] vita matrimoniali. [13] ut in lin. 20 loco verborum « foedere dilectionis » dicatur « foedere coniugii », vel, si quis vellet, ut illa duo verba supprimantur.

Ibidem in lin. 27 suggererem ut vox « corporum » omittatur. Iam sufficienter continetur sensus desideratus in voce operum.

Item, ibidem in lin. 24 suggererem ut loco vocum « coniugalis amoris » ponatur vox « coniugii », maxime ratione verborum quae sequuntur. Propria ratio necessitatis fidei ex parte coniugum non est « amor » sed virtus fidelitatis coniugalis. Phrasis itaque sic sonaret: « Vir itaque et uxor qui foedere coniugii "iam non sunt duo sed una caro" intima animorum atque operum coniunctione mutuum

sibi adiutorium et servitium praestant, sensumque suae unitatis experiuntur et semper plenius adipiscuntur. Quae intima unio ex ipsa coniugii natura plenam coniugum fidem exigit atque indissolubilem eorum unitatem urget ».

Suggererem quoque ut in par. 62 (pag. 48, linn. 28-29) dicatur: « Talis amor humana scil. et divina consocians, coniuges ad fidelitatem mutuam conducit »; et in eadem par., lin. 34 dicatur: « Haec dilectio coniugum fidelitate exprimitur et perficitur; ibidem in lin. 36 dicatur: « ... mutuum amorem significant et fovent »; ibid. pag. 49, lin. 14 dicatur: « ... de *genuini* amoris dignitate ».

In par. 88, pag. 70, linn. 3-4, verba ibi allata « Caveant cives ne nimiam potestatem auctoritati tribuant » mihi inopportuna videntur.

In par. 91, pag. 72, lin. 28, consulerem ut omittatur vox « incessanter ».

In eadem par. et eadem pag. 72, linn. 30-31, dicerem « disponere possunt » loco « disponunt ».

In par. 94, pag. 75, lin. 27 verba « etiam ipsis fortunis » sine aliquo explicativo addito non videntur prudentia. Quid hic intelligitur per « fortuna »? an « superflua »? an « vitae vel statui necessaria »?

Verba in fine par. 98, pag. 78, linn. 17-19: « ... firmiter dicimus ... ab illa illatam » vix omnimode certa sunt.

In par. 106, pag. 83, linn. 35-38 omittantur vel corrigantur verba: « Hoc *facientes ... Domini suscipiatur* ». Dant sensum cuiusdam aeternae salutis universalis.

6

Exc.mus P. D. HADRIANUS DJAJASEPOETRA
Archiepiscopus Djakartanus

Venerabiles Patres et Adstantes carissimi,

Loquor nomine conferentiae 30 episcoporum Indonesiae et quidem de cap. I: De dignitate matrimonii et familiae fovenda.

Anno praeterito, in discussione nostra super schema Voti de Matrimonii Sacramento, quod iam non pertinet ad materiam Concilii, attentionem vestram rogavi pro formis matrimonii, quae inveniuntur in campis culturae non-occidentalis, sicut in patria mea, Indonesia, vel etiam in Africa, Pakistan, India, China, etc. Ad quod paululum clarificandum allegavi verba cuiusdam mulieris Pakistanae ad homines occidentales. Quae verba sunt haec: « Vos matrimonium contrahitis, *quia* amatis; nos amamus, *quia* matrimonio sumus coniuncti ».

Sub hoc speciali aspectu perlegi caput de matrimonio et familia. Redactores huius textus procul dubio sese abstinere voluerunt a conceptu et forma matrimonii nimis occidentalibus. Tamen fatendum est, eos imprimis evolutionem in occidente prae oculis habuisse.

In nostris et in aliis regionibus adhuc apud multos praevalet forma matrimonii, ubi non amor personalis inter virum et mulierem, sed pro-

positum familiam condendi in societate ad matrimonium impellit. Primum quod in matrimonio intenditur est, ut familia constituatur et ita stirps perpetuetur. Et praecise hoc propositum ducit ad verum amorem vel saltem ad fidem mutuam et stabilem inter virum et mulierem. Ne nimis facile dicamus, Patres venerabiles, hanc formam matrimonii brevi tempore exstinctam iri et ideo a nobis negligi posse. Non sumus prophetae, ne quidem in rebus evolutionis socialis.

Difficile mihi manet, nostras formas matrimonii in textu hoc recognoscere. Fateri autem debeo, non tam facile esse indicare, ubi et quomodo praecise haec nostra idea in textu actuali, qui bene compositus est, inserenda sit. Puto quod fieri potest in duobus locis, nempe:

1. n. 61, pag. 47, lin. 16, ubi post verba « amore autem coniugali » addi potest: « qui vel ad legitimam unionem conducit vel ex eorum proposito familiam condendi emergit eoque nutritur ».

2. n. 62, pag. 48, lin. 22, post verba « magni faciunt » addi potest: « Hic autem amor aeque aestimandus est, inquantum ad matrimonium ducit, per quod et perficitur, ac inquantum oritur ex matrimonio ipso, quod primarie initur ad familiam condendam et stirpem perpetuandam ».

Confidimus, subcommissionem, quae curam specialem huius textus habet, meliorem forsan et elegantiorem concordantiam cum textu facere posse.

De cetero, hoc caput nobis valde placet. In comparatione cum textu priore schema notabiliter emendatum est et laudem nostram sane meretur. Dixi. Gratias.

7

Exc.mus P. D. FRANCISCUS TOMÁŠEK

Episcopus tit. Butiensis, adm. ap. s. p. Pragensis

Venerabiles Patres et omnes praesentes,

Loquor nomine 40 episcoporum, praecipue ex Europa, Africa et America Latina, ad cap. I « De dignitate matrimonii et familiae », art. 63: de matrimonii fecunditate.

Pluries iam in Sacro hoc Concilio notatum est egestatem, famem et ignorantiam in amplissimis regionibus orbis longe lateque diffusas esse. In talibus luctuosis rerum adiunctis quam plurimae familiae gravissima damna patiuntur, in materiali et spirituali suo progressu magna ex parte impeditae.

Sed neque ditiores « evolutae », uti dicuntur, nationes huiusmodi difficultatum penitus expertes sunt. Haud enim ignorare possumus etiam

in istis regionibus duos vel tres liberos in familia saepe saepius totum decus vitae (italice « livello di vita ») notabiliter imminuere. Neque vero effugit nos tales familias quoad oeconomicas conditiones vitae multo inferiores apparere respectu illarum, quae sine prole sunt, vel personarum, quae sine matrimonio caelibes vivunt.

Experientia teste, huiusmodi demissae conditiones ulteriora socialis vitae mala generant, quibus nec gubernia Status neque variae beneficae consociationes congrua remedia afferre valent.

Sic igitur, sicuti patet, grave et arduum nostrae aetatis problema ortum est, a cuius efficaci et tempestiva solutione plurimarum animarum tota temporalis atque aeterna salus dependet.

Magna igitur argumenti istius gravitate inspecta, liceat mihi, Patres Conciliares, aliqua concreta maioris momenti media proponere, quae, sicuti spero, saltem aliquo modo ad quaestionem solvendam conferre possunt.

Unusquisque nostrum profecto meminit quantas sollicitudines Sacrum hoc Concilium de luctuosa pauperum familiarum conditione manifestaverit. Istae familiae sunt, sine ulla distinctione nationis, coloris, religionis vera spes humani generis et ipsius sanctae Ecclesiae.

Quam ob rem, ut deploratae hae condiciones in melius mutentur, necessarium mihi esse videtur, statim ac nulla interiecta mora, vastum promovere internationale programma succursus in re oeconomica, morali et informationum, adhibitis ad finem hunc sive Organisatione Nationum Unitarum sive mediis mercaturae mundialis sive optimi systematis pecuniarum ad longum tempus creditarum (italice « credito a lunga scadenza »).

In hac maximi momenti re aliqua conamina variis in nationibus iam feliciter suscepta esse probe novimus. Sed in praesentibus rerum adiunctis quam maxime necessarium est, ut huiusmodi saluberrima incepta motusque coordinentur atque arctissime inter se uniantur. Exoptata haec unio absque ullo dubio optime responderet iustis exigentiis tum Ecclesiae tum totius hodierni consortii nationum, quae per tot tantaque mirabilia communicationis instrumenta inter se coniunctae sunt.

Huius internationalis programma ante omnia activa promovendum esset participatione guberniorum, institutionum socialium et corporationum industrialiumque, et quidem uti diximus, ope pecuniae ad longum tempus creditae. Hac in re Mundialis argentaria (italice « Banca mondiale ») utillimum quoad pecuniae elargitionem atque organisationem servitium praestare posset ...[1]

In problemate hoc considerando prae oculis habeamus oportet iuvenes coniuges non eleemosynis sed mutua pecunia (italice « prestito »)

indigere, ut digna habitacula pro familiis suis aedificare possint. Et hac in re insistentes, haud silentio praeterire possumus, materiales, in quibus familiae vivunt, conditiones, etiam in futuras generationes quam maximum influxum exercere.

Congrua, de qua locutus sum, organisatio, vastum campum actionis in favorem familiarum toto in mundo habere potest et sub hoc respectu opportune complet alias organisationes internationales, sicut v. g. Caritatem et Crucem rubram Internationalem.

Per pecuniae creditae abundantem usum, per fructus internationalis catalogi mercium (italice « catalogo campionario »), per mandata requirendum, per ephemerides imaginibus illustratas atque per editiones librorum christianis ideis imbutorum, oeconomice fundare necnon iustis ideis illustrare posset rationem vitae dignae personis humanis vicesimi saeculi.

Concludo. Quam ob rem liceat mihi huic Sacro Concilio proponere, ut adhaesionem suam declaret concordi actioni singulorum hominum, coetuum, guberniorum, religiosarum societatum, internationalium organisationum, corporationum industrialium et commercialium, quae media viresque suas uniant ad internationalem organisationem creandam pro fovenda familiarum vita, in profundis illuminatisque persuasionibus fundata.

Hoc modo Concilium in clariorem lucem proferet atque universo mundo simul demonstrabit, viribus unitis omnium hominum bonae voluntatis, praesentem populationis explosionem dominari, plurimas inter nationes atque politicas ideologias separationis parietes destrui, multas naturalium divitiarum fontes, per modernam scientiam et technicam apertas aequiore modo distribui posse, ita ut communis humanae culturae thesaurus futuris generationibus integer transmittatur, in Ecclesiae et totius consortii nationum maius bonum.

Apud nos in hac re elaboratum habemus programma « Familia » nuncupatum, quod modestum quoddam conamen constituit, multae utilitatis ad exoptatam internationalem organisationem creandam pro responsabili atque vere illuminata vita in familia fovenda.

Notandum esse insuper censeo, memoratum hoc programma nostrum genuinis sanisque principiis moralibus christianis inniti, quae unica sicuti patet ad finalem talium conatuum successum revera ducere possunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Et dum illud tam vehementer a nobis optatum programma iuvenes familias in altiore decore vitae assequendo adiuvaret, eo ipso notabiliter simul conferret ad mundialem mercaturam efficacius provehendam.

[*Subscripserunt etiam*] C. Kihangire, ep. Hoima; Th. Kuba, ep. Mahagi; M. Ntuyahaga, ep. Bujumbura; N. Elko, ep. Pittsburgensis Ruthenorum; A. Roborecki, ep. Saskatoon Ucrainorum; J. Nkongolo, ep. Luebo; H. Bednorz; R. Pobožny, ep. tit. Neilensis; P. Brezanoczy, ep. tit. Rotariensis; E. Nécsey, ep. adm. ap.; B. Echeverría, ep. Ambato; Fr. Zak, ep. Sankt Pölkten; A. Lazik, ep. tit. Appia; P. Arnerić, ep. Sebenik; Dante Battaglierini, ep. Khulna; F. M. Schmidt; P. Hoang; Ph. Côté, ep. Süchow; N. Laudadio; P. Binh, arch. Saigon; A. Jacq, ep. tit. Cerasa; P. Guichet, vic. ap. Guilbert Islands; R. Kérautret, ep. Angoulême; A. Sapelak; F. S. Benitez; R. Arrieta L. Van Peteghem; P. Salmon; P. Hnilica; M. Rusnack; H. Theissing, aux. Berlin; R. Graber, ep. Regensburg; J. Hiltl, aux. Regensburg; J. Neuhäusler, aux. München.

8

Exc.mus P. D. FRANCISCUS M. DA SILVA
Archiepiscopus Bracharensis

Venerabiles Patres,

Animadversiones quas ad II partem constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* breviter audeo proponere, quattuor sunt.

Animadversio prima et positiva. Ante omnia mihi videtur dicendum quod textus generatim loquendo placet. *Rationes:* nam inter alia, digna notatu: *a*) positive exhortat « christifideles, ut, aeterna a mutabilibus formis decernentes, bona familiae, tum propriae vitae testimonio tum concordi actione cum hominibus bonae voluntatis, diligenter promoveant »; *b*) etiam positive exhortat ut foveantur « varia opera, praesertim familiarum consociationes, iuvenes ipsosque coniuges, praecipue recens matrimonio iunctos, doctrina et actione confirmare eosque ad vitam socialem, ecclesiasticam atque apostolicam formare satagent »; *c*) sciens autem « coniuges saepe multis et gravibus praepediri difficultatibus oeconomicis, socialibus, psychologicis, civilibus aliisque, quibus permanentibus amor coniugalis, in sua integritate et harmonia difficulter excoli posse » — his non obstantibus, non renuit abortum et infanticidium, verbis clarissimis, condemnare, uti fas erat.

Secunda animadversio. Attamen — veniendo nunc ad imperfectiora — etiam mihi expositio videtur forte aliquantulum diffusa, uti pluries notatum est. Ideoque, ut bene, clare et prompte omnibus patefiat sensus Ecclesiae de quaestionibus agitatis, optata seu sententiae pressis verbis redactae desiderantur.

Hoc praecipue requirendum est cum agitur de doctrina matrimonii; ne possibilis interpretatio vaga, sit origo erroris. Hac ratione, minus mihi placet modus dicendi pag. 49, n. 63, linn. 39 ss., sic sonans:

« Sciunt coniuges, in familia condenda et ducenda, non ad arbitrium suum procedere sibi licere, sed conscientia se regi debere quae lege Dei recte informetur, necnon suum esse prolis numerum secundum Dei dona verique amoris indicationem determinare. Qua in re iugi vigilantia et docilitate erga Deum, communi consilio atque conatu prudens iudicium sibi efformabunt, intendentes salutem mentis et corporis, dignoscentes temporum et status vitae conditiones tum paedagogicas tum oeconomicas, ac denique rationem servantes boni ipsius familiae, societatis temporalis et Ecclesiae necessitatum ».

Certo certius haec pericopa, quamvis modo obscuro, tamen doctrinam veram continet. Nam, iuxta textum, voluntas coniugum Deo legibusque naturalibus submitti debet. Attamen, modo quo sonat pericopa, subiectivismum sapit. Hoc autem, mea humili opinione, vitandum est; forte, utendo verbis a Pio XI in *Casti Connubii* et a Pio XII pedetentim adhibitis, res magis clare pateret ac sine possibili ambiguitate.

Tertia animadversio. Ad n. 74, pag. 57, linn. 5 ss. in quibus legitur: « Experientia enim constat non raro oppositionem, immo quandam dissensionem evenisse inter modum cogitandi dogmaticum Ecclesiae et scientiarum progressum, vel etiam inter applicationes doctrinae moralis christianae et aliquas postulationes hominis huius temporis »: ad hoc, mihi videtur dicendum quod iste modus loquendi moderari debet, ne oppositio ut vera interpretetur. Nostrum enim non est, sed historiae, talia iudicia proferre. Et, ad quid — quaero — tam frequens confessio publica culparum quae, si sunt, nec Ecclesiae qua tali, nec nobis personaliter imputandae sunt?

Quarta animadversio. Ad n. 101, pag. 80, linn. 23 ss., ubi, agendo de obiectione conscientiae in casu belli, legitur: « Insuper, in hodiernis adiunctis sat conveniens videtur ut leges « positive » eos respiciant qui ... ex conscientia servitium militare ... recusent »: adiungatur hoc incisum: « ut leges positive quantum fieri potest et bonum commune sinat, eos ... » etc. *Ratio*: propter difficultates et falsas interpretationes vitandas quae in hac materia facile oriri possunt. Praeterea, videtur ansam dare periculoso subiectivismo.

Demum, cum in capite tertio de re oeconomica agitur, mihi videtur quod, ad instar coronae, pro rebus ibi tam dilucide assertis, obliviscenda non est sententia Domini: « Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? ». Nam positio Domini et Ecclesiae coram mundo immutabilis est: ergo eadem heri, hodie et cras. Progressus in hac re tantum datur in accidentalibus. Dixi.

9

Exc.mus P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO

Episcopus Victoriensis in Insula Vancouver

Omnes in Christo Fratres,

De amore coniugali, sub n. 62, quasdam observationes submitto [1]; non tantum in nomine proprio loquor, sed nomine plurimorum laicorum coniugatorum e regione canadensi quos de hac materia consultavi. Subscripserunt etiam 33 episcopi.

In solutione huius maximi momenti problematis populus christianus integer responsionem afferre debet. Sensus fidelium etenim non tantummodo in quaestionibus dogmaticis sed etiam in quaestionibus de vita morali munus proprium habet...[2]

Mundus universus ad studium nostrum circa problemata de vita familiarum oculos convertit. Hoc phaenomenon charismaticum est necnon et optima occasio positive promovendi sanctitatem coniugalem.

Textus [3] placet iuxta modum *tantum.*[4]

En quod laici praesertim exspectant: ut Sacra Synodus 1. agnoscat dona et indoles propria vocationis eorum quae de facto vocatio maioris numeri hominum constituit, et 2. ut eos impellat ad alacriter progrediendum ad pleniorem et magis ecclesialem vitam coniugalem in hoc Ecclesiae renovationis tempore. Ad hunc duplicem finem assequendum nonne oporteret nos magno animo a praeoccupatione nimia de periculis et abusibus semper possibilibus ...[5] desistere? Nonne melius esset insistere in visionem positivam divitiarum amoris humani et in culmina quae per gratiam attingere potest?

In schemate nostro elementa doctrinalia et valores inveniuntur quae sine dubio laici magni facient. *Sed* [6] si desideria quae *optimi* [7] laici nobis expresserunt consideramus, credo quod circa multa adhuc frustrabuntur.

Percipiunt etenim laici unionem coniugalem adaequate aestimari non posse nisi habeatur clara conscientia facti scil. quod carnalis unio sese *sublimat* [8] in communione aliqua omnino typica totius personae *humanae.*[9]

Matrimonium ad procreationem ordinari recte docet visio classica; sed adhuc perficienda videtur. Optandum est ut dualismum adhuc frequens hac in materia praetergrediamur. Ne obliviscamur procreationem ...[10] non tantum requirere ut parentes sint auctores vitae physicae sed etiam ut sint fons amoris pro tota familia, fons quae nunquam exsic-

cari debet. Hoc obtineri nequit sine indeficiente in omnibus ambitibus vitae illorum generositate. Generositas autem illa non acquiritur una vice pro semper, sed quotidie sese renovat et alit secundum necessitates et circumstantias vitae concretae.

Repetitio affectionis et devotionis actuum, quasi sacramentum est illius vocationis quia illam insimul significat et nutrit. Est etiam conditio sine qua non qualitatis amoris coniugalis.

Istum vel illum actum amoris coniugalis praeter integrum vitae familialis cotidianae contextum considerare, est de facto realitati contradicere. Nam illi actus amoris coniugalis proprii inseruntur in aliquo complexu extra quem veram et plenam significationem habere nequeunt. *Non agitur de sola procreatione.*[11] Definiri ergo non possunt a sola attractione physica nec contineri in ambitu solius voluptatis. Matrimonium christianum utique vocatio est, vocatio ad perfectionem ut consortes quaerendam, nec in alio contextu videri *oportet.*[12]

Sponsi testificant amorem coniugalem experientiam spiritualem valde profundam pro semetipsis constituere. Ibi intuitionem eximiam definitionis propriae, significationis mutuae et communionis amborum in unitate infrangibili, experiuntur. Mysteriosam finalitatem vitae communis insimul cum nexibus quibus Deo creatori uniuntur quasi synthetice percipiunt. Modo fere experimentali communiant amori Dei et mediante actionis propriae modo intuitivo intelligunt Deum esse fontem vitae et felicitatis. Nam in fide percipiunt se cum Verbo divino ...[13] collaborare, se Corpus Christi dilatare membra sua illi dando, se etiam per sacramentum matrimonii, per operationes creatrices et vitam liturgicam familiae, instrumenta constitui redemptionis humanitatis et progressus universi ...[14]

Functio illa creatrix amoris coniugalis etiam extra domum exercetur. Coniuges qui familia sua plene et efficaciter serviunt, una cum aliis sponsis communitatem temporalem integralem aedificant in qua homines finem proprium melius consequi possunt. Familia amore coniugali aedificata testimonium fermentumque in ambitu sociali est, quo gaudium et felicitas irradiantur.

Nec possumus oblivisci unionem illam in remedium multiforme verti posse, specialiter quando animae prostratae sunt, quando unus ex coniunctis difficultate aliqua maxima laborat, quando domus serenitate pro bono puerorum tam necessaria caret. Non enim, quando de unione coniugali est quaestio, de solis parentibus agitur sed etiam de pueris. Amor coniugalis constanter in pueros effluit sicut et in omnes qui domi intersunt. Experientia pastorali patet.

En rationes quaedam cur sponsis christianis nunquam permittitur a

praxi cotidiana incrementoque amoris coniugalis authentici recedere ...[15]. Et ideo attentio nostra pastoralis circa amorem coniugalem non tantum ipsam Ecclesiam sed etiam integram societatem humanam attingit ...[16]

Concludo. Sacra Synodus opus redemptionis totius humanitatis adiuvat quando de positivo amoris coniugalis valore tractat. Etenim nunquam tam necessaria mundo fuit agnitio propositi divini quo homo amore creatori divino associatur et sic dignitatem suam detegit ...[17]

Nonne a doctrina illa inspirabitur et ducetur propagatio institutionum spiritualitatis coniugalis, *sic dictae « Christian family movement », « Equipes de foyers », etc.*[18] quas hodie laetanter agnoscimus?

Nonne doctrina illa in totius Ecclesiae conscientia *necnon et in mundo* [19] maiorem aestimationem authentici amoris coniugalis suscitabit?

Emendationes secretario tradam.[20] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Textus placet iuxta modum. [2] (cf. const. *de Ecclesia* n. 12). [3] Schema. [4] deest. [5] amoris coniugalis. [6] Attamen. [7] deest. [8] superat. [9] totiusque exsistentiae. [10] istam. [11] deest. [12] debet. [13] cuius incarnatio totum mundum ad Patrem trahit. [14] Unicum divinum propositum transformationem universi materialis et spiritualis, humanitatem ad Deum in Christo dirigendo, perficere intendit. Christus hodie humanitatem salvandam initialiter in domus christiani intimitate invenit. [15] Normae arbitrariae e considerationibus externis sumptae in hac materia parvi valoris videntur. [16] In hac materia gravissima clarae legislationis necessitatem parvi facere non volumus. Sed hae leges indispensabiles non debent impedire plenam amoris christiani coniugalis promotionem sub omnibus aspectibus suis. Insistere debent in valores peculiares et redemptrices amoris. [17] « Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos; benedixitque illis Deus et ait: crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam » (*Gen.* 1, 27-28). [18] deest. [19] deest. [20] Pag. 48, n. 62, linn. 19-21: Ex textibus Sacrae Scripturae hic allatis qualitates amoris coniugalis non sunt tantum castitas et unitas, sed etiam gaudium, generositas, fecunditas, misericordia, etc. Hic invenitur quaedam tendentia restringendi aspectus in ambitu moralistica.

Ibidem, lin. 30: Non tantum « officia et sacrificia pervadit » amor sed omnes manifestationes vitae coniugalis.

Ibidem, linn. 34-37: Actus coniugales non solum *honesti* sunt, sed sunt *sancti* quia ipsum Christi amorem exprimunt.

Hic desideratur quoque definitio magis positiva et biblica fidelitatis coniugalis; hic videtur quod tantummodo in sensu canonico intelligitur.

Et in lin. 41, loco « officia » desideratur verbum « vocationem ».

Pag. 49, n. 62, linn. 3-6: *Ex lege sua* et non ad solam aestimationem magnam mundi debet amor coniugalis honestate irradiare, et coniuges impellere ad actionem socialem.

Ibidem, linn. 15-16: Sapit praeoccupationem nimis moralisticam, v. g. verba utens « castitatis cultu »; « honestis sponsalibus »; « legitimas nuptias » etc.

Haec videtur esse tentatio aliqua totius paragraphi.

Lin. 10: Tollantur verba « etiam spiritualem » ne videtur dicere quod aliquae vocationes christianae non sint spirituales.

[*Subscripserunt etiam*] Baudoux Maurice, arch. Saint Boniface; Carter Alexander, ep. Sault Sainte Marie; Charbonneau Paul, ep. Hull; Decosse Aimé, ep. Gravelbourg; De Roo Remi, ep. Victoria; Doyle Wilfrid, ep. Nelson; Flahiff George, arch. Winnipeg; Frenette, Emilien, ep. Saint Jérôme; Hermaniuk Maxim, arch. Winnipeg degli Ucraini; Klein Francis, ep. Saskatoon; Leverman Alfred, ep. Saint John; MacEachern Malcom, ep. Charlottetown; O'Neill Michael, arch. Regina; Power William, ep. Antigonish; Roborecki Andrew, ep. Saskatoon degli Ucraini; Blais Leo, ep. tit. Geron; Hacault Antoine, ep. tit. Media; Hayes James, ep. tit. Reperi; Levesque Louis, arch. tit. Egnazia; Nelligan Charles L., ep. tit. Fenice; Proulx Adolphe, ep. tit. Missua; Wilhelm Joseph, ep. tit. Saccea; Windle Joseph, ep. tit. Uzita; Gerin Marcel, prael. Choluteca; Courtemanche Firmin, ep. Fort Jameson; Prevost Joseph, ep. tit. Ammaedara; Bokenfohr John, ep. Kimberley; Deschamps Gerard, praef. ap. Daru; Gallagher Norman, ep. tit. Adraso; Coderre Gerard M., ep. S. Jean de Québec; Caza Percival, ep. tit. Albule; Weber Jérôme, abb. null. St. Peter - Münster; Webster Benjamin, ep. Peterborough; Couturier Gerard, ep. Hauterive.

10

Exc.mus P. D. IOSEPH URTASUN

Archiepiscopus Avenionensis

Patres venerabiles,

Hoc caput optima principia continet. Non videtur tamen sufficienter respondere exspectationi hominum huius temporis quos volumus alloqui. Sicut optanda sunt unitas maior redactionis cum aliis capitibus et stylus magis directus.

In meliorem ac acutiorem formam, in materia tanti momenti, affirmentur tres praecipuae considerationes ...[1]:

1. Amor coniugalis, matrimonium et familia maximam venerationem requirunt ab omnibus et ubique, praesertim hodierno tempore.

Etenim, nulla datur humana relatio interpersonalis quae tam sacrum ac privilegiatum characterem habeat, sicut ista relatio inter virum et mulierem, qua inchoatur et perficitur familiae aedificatio. Relatio illa proprium habet valorem ex semetipsa: non solum respectu propagationis speciei, sed ad profectum proprium personarum viri et mulieris, sicut ad eorum maturitatem.

Huius relationis qualitas a nulla auctoritate publica aut privata laedatur. Immo ab omnibus defendatur atque roboretur.

Familiae communitas constituit essentiale et primarium bonum tam pro membris suis quam pro totius civitatis bono communi.

2. Haec duo summi momenti et fundamentalis valoris quoad matrimonium et familiam affirmentur: ius ac personalis libertas. Salventur et promoveantur, quasi per mutuum pactum inter Ecclesiam et hodiernum mundum firmandum:

a) Ius et protectio iuniorum ad educationem quae deceat. Haec non turbetur aut « conditionata » videatur commercialisatione erotismi, nec perpetua excitatione ad vitium. (Quod notatur speciatim in urbibus universitatum, in officinis et in locis recreationis aut otii, scil. montibus, littoribus maris).

b) Libertas iuvenum in prudenti electione comparis quocum vocatio ad matrimonium impleatur, secundum Dei voluntatem suique proprii cordis inclinationem. Libertas etiam pro iis qui caelibatum tam consecratum quam non consecratum servare intendunt.

c) Libertas pro sponsis sese praeparandi ad vitam matrimonialem, opportuno tempore, per sufficiens spatium, efficacibus mediis (libris, conferentiis, filmibus, etc.), necnon decursu studiorum — quae valent praecipue pro feminis.

d) Personalis libertas, seu actus humanus plene voluntarius in eliciendo matrimonii iureiurando, aut in rationabili voto procreationis, defendatur adversus perturbationes systematicas opinionis publicae, aut adversus pressuras quae proveniunt ex parte Status, aut ex oeconomicis eversionibus, aut ex penuria domorum, aut ex impossibilitate emigrandi.

e) Libertas tandem servetur pro parentibus qui, anteriore et superiore iure, primariam et continuam habent educationis responsabilitatem: libertas conscientiae et cultus, libertas eligendi media ad perfectiorem promotionem progeniei suae in societate.

3 et ultimo. Ad vitam humanam tuendam et familiae amorem promovendum, nova instituetur actio in omnibus campis vitae socialis ac politicae, necnon in moribus et legibus. A christianis innovetur, viribus etiam coniunctis cum omnibus bonae voluntatis hominibus, tanquam urgens huius generationis pugna ad novas familias condendas: ex humili amicorum associatione usque ad « culmen » internationalium institutionum. Instauretur quoad demographicas, oeconomicas, culturales, sociales conditiones ordo novus: ad salubres habitationes aedificandas et subsidia proportionate distribuenda secundum vitales necessitates; ad securitatem atque efficacem mutuam collaborationem instituendas respectu periculorum seu inopinatorum eventuum; ad publicam moralitatem defendendam, quae apta videatur ad vitam individuorum — etiam nondum

natorum — tuendam, ad firmandam dignitatem feminarum ac puerorum, ad defendendos sensus sacros amoris coniugalis ac parentalis.

Dum de his tribus bonis praeclarissimis tractat — nempe maioris venerationis, tutioris libertatis ac melioris ordinis instaurandi —, Ecclesia catholica proprios limites non excedit: quasi carnem suam nutrit et fovet, dum « Ecclesias velut domesticas » aedificat per sacramentum et doctrinam matrimonii christiani. Loquens in nomine Christi, simul cum hodierno mundo, de praesenti et de futuro, humanae conditionis et vitae curam gerit.

Nos, plures episcopi Galliae, trademus in scriptis emendationes circa numeros schematis ad complendum pariter et contrahendum, vitando repetitiones. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1. Maxima veneratio ab omnibus habeatur erga amorem coniugalem, matrimonium atque familiam. 2. Libertas undique in hodierno mundo promoveatur, praesertim in hac nostra quaestione de matrimonio et familia. 3. Ad vitam humanam tuendam et amorem familiarem promovendum, actio communis foveatur inter Ecclesiam et coaetaneos nostros.

Animadversiones additae:

Per totam praesentem constitutionem elucenda inter Ecclesiam et hodiernum mundum solidaritas proponitur.

Unde, ad caput nostrum quod attinet, de dignitate matrimonii et familiae, adhibeatur explanatio ad duas propositiones:

Ecclesia et hodiernus mundus de momento quaestionis et in aliquibus punctis de germana matrimonii necnon familiae natura plene consentiunt.

Ad promovendam in favorem familiae meliorem lucem, Ecclesia affert specificam dotem et actionem.

De germana natura et de fundamentali matrimonii et familiae momento, moribus, scriptis et legibus nostro tempore amplissime disputatur. Nihilominus in aliquibus firmis punctis omnes bonae voluntatis homines consentiunt. Cum quibus evidenter convenit Ecclesia. Sic firmatur hodiernis diebus quod:

1. Viri cum muliere *unio seu copulatio specifica et propria humana qualitate gaudet.* A quacumque alia apud alias species copula distinctione clara viget.

In ea enim adnotantur: dignitas humanae personae, praesertim mulieris et pueri; mutui consensus responsabilitas; magnus in utriusque mente et corpore influxus; plerisque casibus, absque dubio, iter novum et mutata vita.

Si licet comparare fugitivo et instinctuali animalium concursioni, quantis et numeris differentiis humana unio signatur.

2. Huic *consortii humani dignitati, aliae specificae notae consonant, scil.*: libertas, seu ex utraque parte in electione et consensu voluntarium; fides, quamvis confusa, certa: mutui iuramenti lucida conscientia aliqua obligationum et ligaminis perceptio erga comparem eiusque futuram vitam; communis in consequentias assumendas responsabilitas, notabiliter ad prolem sedulo educandam.

3. His tanti momenti iuramentis *ipsae personae certe obligantur.* Sed eodem tempore *quasi sociale pactum concluditur.* Matrimoniali contractu etenim, communi opinione omnium civium necnon religiosa saepe fide, aliquo et diverso modo *tota ligatur societas.*

E nova familia constituta, mutuo sponsorum et susceptae prolis amore, quasi communis stirpis membrorum responsabilitas oritur. In hoc conveniunt cuiusque gentis mobiles traditiones, simul ac hodierna huius problematis conscientia. Nostris enim turbatis temporibus eminet et resurgit coaevum civium solidaritas atque diversarum generationum soliditas.

4. *Matrimonio ens novum constituitur, scil. familiare ens.* Anterioritate et propria dignitate praecellit ens istud quamcumque socialem tutelam et quoscumque modos politici convictus: ad modum praecellentis personae humanae.

A positiva lege aut publici gubernatoris dispositione non immediate pendet. Pro sui ductus regimine coniuges et parentes propria conscientia et libera electione — quasi non scripta lege — fruuntur.

Ordinatae communitatis testimonium a multis hodiernis vel fere ab omnibus hic recognoscitur. Quantum enim valet familiae, et praesertim sponsae matris legalis status, tantum firmata videtur civitas.

5. *Humanae consanguinitatis fraternitatisque conscientia* ex hac intima sponsorum coniunctione atque parentum filiorumque amore, tanquam a primaria fonte oritur. Constanti animo et benevolenti corde texuntur civilia ligamenta ac pacis proposita.

Multiplicatis ergo filis et unitis viribus, quamquam passim tumultuose aut cruciamento, communitatis ac convictus fundamenta roborantur.

6. Cuiusque *personae temporalis vita procuretur*; tam legitima parentum ambitione quam iuvenum impetu. Ita, familiari impulsu, totus populus et speciatim civitatis moderatores sedulo excitantur ad temporale regimen omnibus aspectibus computandum, oeconomice, sociali, culturali ac politico modo.

Prospectivae melioris mundi praemonitioni, propria familiae expansione et personalis commodi studio unusquisque sponte cooperat; tam parentes pro filiis quam ipsi filii, una cum adultis et aliis filiorum filiarumque comparibus.

Quo perpetuo dynamismo, recente conditis familiis quotidie renovato, omnia civitatis problemata redintegrantur: sanitas corporis et mentis tam privatim quam publice promovenda; cultura atque omnimoda educatio acquirenda; oeconomicae ad dignam cuiusque vitam necessitates adipiscendae; privatae publicaeque libertatis exercitium fovendum; omnia quae ad condendam personalitatem pertinent procuranda.

7. *Unde praesentis generationis commune ac essentiale propositum eluctatur,* scil.: hodierni mundi emendatio et ad meliorem futurorum sponsorum fortunam renovatio.

Novae etenim tam materialis quam spiritualis vitae condiciones ob omnibus et ubique exspectantur quae, post tantas mutationes, technicos et sociales progressus, iniqua bella faustasque restaurationes, demographica explosione signatas, magis ac magis aequitati et iustitiae consentaneae parentur.

Spe illa laborantur parentes pro filiis. Similiter pro semetipsis iuvenes, praesertim qui de futura suae familiae condicione universitatis studiis praeoccupantur.

Sed, quicumque cives, ex omni horizonte oriendi, in hoc omnes consentiunt; nam de suae prolis simul ac totius humanae familiae sorte evidenter agitur.

Ad talia tantaque proposita, tota anima et cooperativa voluntate consentit et applaudit Ecclesia.

* * *

Oportet adhuc ut declaret Ecclesia quali *dote ac specifica actione,* in promovendo meliori matrimonii ac familiae statu cooperare intendit.

Duplici respectu, scil. doctrina propria et speciali actione, in favorem matrimonii et familiae militant christiani.

1. Sacramento matrimonii Deo coniuncti, ac totius catholicae fidei professione illuminati, *Supremo Creatoris ordini a Redemptore* novibus dotibus aucto, adhaerent christiani omnes, et imprimis christiani sponsi.

Inalienabili iure ac responsabilitate fruitur unaquaque persona — tam mulier quam vir — libertate status vitae eligendi, et ad sic electam vitam facultate socii sibi proponendi. Quam libertatem *proponere et defendere* omnimodo intendunt fideles.

Mutuo consensu sacramentalis gratia provocatur et totius vitae fide alitur. Quam perennem fruitionem contra quascumque adversitates exemplis actuosisque adiumentis intendunt similiter proponere et defendere.

Ad suum coniugem adiuvandum utrique sponsi se vovent: ut, mediatione coniugalis et parentalis amoris, plenitudo acquiratur aetatis et perfectionis, ad instar Christi et Ecclesiae coniunctionis. Quem sublimem finem non possunt humiliter assequi, quin cum aliis familiis, viribus unitis, militent.

Denique tandem Ecclesiae ac simul humanae civitatis augmentum sacro iuramento sibi proponunt. Itaque suo testimonio ac sua vita mundo proponitur a christianis sponsis.

2. *Coniugalitatis exemplar et sollicitatio proponitur mundo.* Honesto etenim et sacro amore humana amplectatur sexualitas; ad sponsorum spirituale et corporale beneficium ordinatur harmonia et pace.

Ad mutui adiutorii assumenda munera virtus ac ingenium acuitur generosa foecunditate et educativa responsabilitate simul ac proni ducuntur parentes ad fructuosam cum aliis adultis cooperationem.

Interne habitu familiae, quae tanquam « familiaris Ecclesia » matrimonio sacramentali constituitur, fidei, spei, caritatis, orationis et quasi publici cultus quotidiana exercitia ducuntur, quae omnes habiliores reddit ad servitium Ecclesiae et civitatis; quorum convictus familia seipsa vitale semen constituit.

3. *Paternitali functione christiani sponsi deputantur* perfectae cum unica Dei Paternitate consociationi. Quae divina paternitas unicuique filiorum suam vitam tradendo, totius humanae familiae bonum ac prosperitatem universali amore intendit et prosequitur.

Unica actione et unico impulsu itaque christiani sponsi, regnum Dei promovendo, familiae propriae eademque voluntate societatis harmoniosum auctum procurant.

Testimonio Encyclicarum S. Pontificum litterarum et huius nostri schematis, socialis vitae perfectio a qualitate participantium necnon perfectione institutionum quae ab eis animantur maxime pendet. Ad hoc christiana et familiaris educatio tendit ut, semina fraternitatis, praecellentes personae ac familiae prodeantur.

Dum multiplicans hominum filios humana paternitas operatores societatis perficit, potentia christianismi influxus cum viribus fraternae indolis civium maximum adiutorium affert.

4. *Actuosa parentum participatione ad res publicas gerendas,* praesertim in campo educationis, virtutum omnium — imprimis iustitiae et caritatis — mutua aemulatione exercitia prosequuntur.

Quoniam omnia parentes ad mentem Dei primi Donatoris agunt: quasi, proximi servitio, illi rationem reddituri donorum ab ipso receptorum.

Neque alium finem quem meram operis et caritatis perfectionem ad laudem omnium Patris — quotidiano familiaris vitae et mutuae elevationis testimonio — intendunt.

5. *Maximam uniuscuiusque perfectionem intendit tota christianae fidei professio.* Quotidiana ad libertatis, obedientiae, mutui amoris, benevolentiae et ferventis adiutorii exercitia in familiari convictu quasi primaria et continua schola inveniuntur. Quae spiritualis et immediata fecunditas generosa participantium multiplicatione augetur.

Processu continuo proximorum ortus atque exitus, familiares omnes fiunt mysterio vitae mortisque. Ita colitur aeternae cuiusque hominis fortunae conscientia simul ac cuius uniuscuiusque responsabilitas ad familiae et societatis munera implenda cum maxima ingeniositate.

Exinde in participationem civilis vitae fit proemium communi actione familiae et ad ampliores responsabilitates acceptandas praedisponantur omnes.

Concludendum: Matrimonii ac familiae germana natura confirmanda est simul ac genuina Ecclesiae doctrina et actis.

Maximi momenti apparet caput istud, si respiciantur assidue hodiernae disputationes de humana sexualitate, de matrimoniali contractu et de mutua fidelitate aut divortio, de sponsarum foecunditate et aliae scientiarum, morum aut legum novitates.

Pro praedicatorum, confessariorum et theologorum instructione, textus audacter emendetur. Ad Summi Pontificis discretionem, eius proxima monitione de spirituali ac morali coniugum vita, multa tractanda sunt. Atque, si audacia iuvatur, postulet Sacra Synodus ut, triginta interpositis annis, renovata illustris Casti Connubii proposita noviter edicantur.

Ad nos quod pertinet, habeantur in capite admonitiones et solemnes exhortationes: ad omnes cuiuscumque aetatis parentes et sponsos simul ac ad omnes cuiusque regionis et culturae homines ut copiosa et studiosa opera ad novas condendas familias adiuventur iuvenes desponsati, praesertim illi et illae quae studiis adhuc se dedicant; ad eosdem, ut praesentes familiaris vitae in melius quam citius mutentur; ad quoscumque utriusque sexus cives ut, multiplicatis personarum ac consociationum inter proximos et amicos conatibus, maxima cura vitent ne hodierni mundi et christianae actionis spes evanescet; ad legislatores et publicae sanitatis tutores, praesertim in novis republicis e tutela mancipatis, ut simili praeoccupatione praestant.

Ad praesentem matrimonii et familiae statum emendandum, in favorem novarum familiarum, adiumentum quam maximum afferant omnes communi hodierni temporis mundi et Ecclesiae actioni ut temporali ac spirituali cura mundus melior paretur.

11

EXC.MUS P. D. IOSEPH REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

Venerabiles Patres,

Quod attinet caput de dignitate matrimonii et familiae fovenda, schema nostrum in eo laudandum est, quod momentum amoris coniugalis pro ipso matrimonio et etiam pro procreatione et educatione prolis sublineatur. Laude deinde dignum est, quod schema certe difficili quidem sed sapientissima moderatione se abstinet a specialibus problematibus tractandis, ad quorum investigationem ipse Summus Pontifex specialem Pontificiam Commissionem instituit.

Non habueram intentionem, hac de re plura dicere. Sed discussio heri incepta postulat, ut aliqua verba adiciam. Ipse Summus Pontifex specialem Pontificiam Commissionem ad ea problemata matrimonialia, quae hodie discutiuntur, scientifice investiganda instituit. Si illa problemata iam nunc tam clare soluta essent, sicut v. g. heri em.mus card. Ruffini asseruit, tale mandatum Summi Pontificis difficile intellectu esset. Em.mus card. Suenens egregio modo heri ulteriores scientificas investigationes postulavit. Harum scientificarum investigationum norma — et hoc valet a fortiori pro laboribus Pontificiae Commissionis — non potest esse nisi veritas, quae zelo et in responsabilitate coram Deo et oratione inquiri debet. Si Pontificia Commissio ad problemata scientifice investiganda instituta est, non potest textus noster conciliaris nunc exhibere haec problemata ut iam soluta. Ideoque certe difficilis quidem sed sapientissima moderatio in textu nostro necessaria est.

Insuper laudandum est, quod hoc caput indigentiis pastoralibus satisfacere intendit, quamquam iure dubitari potest, num modus loquendi — non raro rhetoricus — veris indigentiis pastoralibus hodiernis semper respondeat. De talibus autem fusius loqui opportunum non esse videtur. Solummodo ea dicantur, quae ad emendationem schematis necessaria esse videntur.

In textu nostro sublineatur matrimonium variis bonis ac finibus praeditum esse. In relationibus particularibus adnexis dicitur introductionem ideae duorum principalium bonorum matrimonii uniendorum, procreationis nempe et amoris, a Patribus semper fortius expetitam fuisse. Amor ut bonum matrimonii tunc etiam finis matrimonii nominari potest, si amor ut illud momentum intelligitur, quo communitas matrimonialis constituitur, i. e. ut relatio personae ad personam et quidem talis, qualis

matrimonio propria est. Si vero amor sensu psychologico sumitur, tunc non est finis sensu proprio, sed potius est ratio ineundi matrimonium et virtus in matrimonio semper excolenda. Ex his inter alia sequitur amorem coniugalem non posse simpliciter identificari cum actu coniugali, sicut etiam in textu huius schematis aliquoties fit. Amor coniugalis ad totam vitam coniugalem se extendere et omnia personare debet. Actus coniugalis tantum unus inter alios actus amoris coniugalis esse potest et revera actus amoris coniugalis est, si non solum communicatio mutua corporum est, sed mutua donatio viri et uxoris, ergo mutua donatio duarum diversi sexus personarum, quae sunt « duo in carne una » ...[1]. Amore coniugali totam vitam matrimonialem personante illa essentialis relatio mutua personae ad personam magis magisque in realitatem vitae matrimonialis perducitur. Et hoc quidem fundamentaliter pro matrimonio postulandum est, cum matrimonii dignitas fundatur in dignitate personae humanae. Ex dignitate personae humanae sequitur dignitatem actus coniugalis consistere in intima coniunctione personali, quae tamquam actus amoris coniugalis sicut omnis genuinus amor humanus intendit personam amatam et per personam amatam ultimatim tendit in Deum. Hac intima coniunctione personali irrevocabilis consensus personalis matrimonium fundans ita confirmatur, ut matrimonium suam vim fundamentalem suamque indissolubilitatem non amittit, si proles, saepius tam optata, deficiat. Ex his elucet veritas illius dicti in schemate nostro, matrimonium, licet in prolem ordinetur, non esse merum procreationis institutum.

Dolendum est, quod textus nunc propositus in quadam, ut videtur, oppositione ad textum priorem, verbo « responsabilitatis » non utitur, e contra solummodo de « plena officii sui conscientia » ...[2] et de « generosa humana et christiana officii operisque conscientia » ...[3] loquitur. Hoc revera dolendum est; clare enim urgeri debet responsabilitas coniugum formans totam vitam matrimonialem. Responsabilitas urgenda est; omnino enim aliud est plena responsabilitate coram Deo agere quam arbitrarie agere. Vera responsabilitas etiam generositatem includit. Responsabiliter agendo homo ipsi Deo eiusque voluntati respondet.

Emendationes ex his sequentes et alias emendationes, quae necessariae esse videntur, in scriptis trado. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Eph.* 5, 31). [2] (cf. pag. 49, linn. 9 s). [3] (cf. pag. 50, linn. 6 s.).

Animadversiones additae:

1. N. 60 (pag. 46, lin. 21) loco « erotismo » dicatur: « sexualismo ». *Ratio*: periculum nostri temporis non tam « erotismus » quam « sexualismus » est; in-

super « sexualismus » semper sapit « hedonismum » et « egoismum », non ita, saltem non eodem modo, « erotismus ».

2. N. 61 (pag. 47, linn. 11-13) loco textus « Ipse vero Deus, caritatis suae consilio, variis bonis ac finibus matrimonium instruxit » dicatur: « Ipse Deus ut creator generis humani auctor est matrimonii variis bonis ac finibus praediti ». *Ratio*: textus schematis ansam praebere posset errori bona et fines matrimonii non ipsi intrinseca, sed lege positiva, licet divina, data esse.

3. N. 61 (pag. 47, linn. 16-18) loco phrasis « Amore autem coniugali, generoso atque conscio, quemadmodum extra legitimam unionem existere nequit, animetur oportet ipsum institutum matrimonii, quod ad procreationem et educationem prolis ordinatur, quibus, veluti fastigio, completur et coronatur » dicatur: « Amore autem coniugali animetur oportet ipsum institutum matrimonii, quod, licet ad varia bona et varios fines ordinetur, procreatione et educatione prolis, veluti fastigio, completur et coronatur ». *Ratio*: *a*) Verba « generoso atque conscio, quemadmodum extra legitimam unionem existere nequit » omittantur, ne ansa praebeatur errori, quod amor coniugalis solummodo in actu coniugali verificetur. *b*) Reliqua emendatio textus ex eo sequitur, quod in phrasi immediate praecedente sermo est de variis bonis ac finibus matrimonii; textus schematis, sicuti sonat, ansam praebere posset errori solam generationem prolis declarari ut finem matrimonii et sic phrasi immediate praecedenti contradiceret.

4. N. 61 (pag. 47, lin. 21) loco « intima animorum, corporum » dicatur: « intima personarum ipsarum ». *Ratio*: nullo modo est adaequata ista dictio enumerans coniunctionem « animorum, corporum atque operum », quia ex una parte coniunctio personarum et ex altera parte coniunctio operum consideranda est.

5. N. 61 (pag. 47, linn. 23-25), phrasis « Quae intima unio, ex ipsa coniugalis amoris natura, plenam coniugum fidem exigit atque indissolubilem eorum unitatem urget » sic emendetur: « Quae intima unio, ex ipsa coniugalis *actus* natura *ut mutua duarum personarum donatione,* plenam coniugum fidem exigit atque indissolubilem eorum unitatem urget ». *Ratio*: illa intima unio, de qua textus schematis loquitur, est (ut ex phrasi immediate praecedente patet), unio, qua vir et uxor « iam non sunt duo, sed una caro », ergo ipse actus coniugalis, et non amor coniugalis generatim sumptus, qui ad totam vitam coniugalem se extendere et omnia personare debet.

Plena coniugum fides atque indissolubilis eorum unitas non solum ex consensu matrimoniali, sed etiam ex actu coniugali ideo praecise sequuntur, quia actus coniugalis non sola communicatio mutua corporum est, sed mutua donatio duarum personarum, quae sunt « Duo in carne una » (*Eph.* 5, 31). Plena coniugum fides atque eorum indissolubilis unio referuntur ad personas.

6. N. 61 (pag. 47, lin. 28 s.) loco « Sicut enim Deum olim foedere dilectionis et fidelitatis populo suo occurrit, ita nunc Salvator hominum... » dicatur: « *Olim Deus* foedere... occurrit *et nunc* Salvator hominum... ». *Ratio*: hoc modo progressus a Vetere ad Novum Testamentum clarius exprimitur. Praeterea modus loquendi non est correspondens; analogia enim viget inter Vetus Testamentum (Deus - Israel) et Novum Testamentum (Christus - Ecclesia).

7. N. 61 (pag. 47, lin. 33) loco « christiana ascesi » dicatur: « virtutibus christianis ». *Ratio*: ipsae virtutes dirigunt et nobilitant; ascesis, exercitium, non sufficit.

8. N. 61. (pag. 47, lin. 34) loco verbi « colit » dicatur: « suscitat ». *Ratio*:

clare enuntietur amorem divinum non solum nutrimentum, sed etiam fontem virginitatis esse.

9. N. 61 (pag. 48, lin. 13) in phrasi « Parentum ius procreandi prole ... » post verbum « ius » interponatur: « cum plena responsabilitate ». *Ratio*: sic clarius elucet responsabilitas parentum in oppositione ad omne dictamen auctoritatis civilis.

10. N. 62 (pag. 48, lin. 22 s.) loco verborum « Ille autem amor, utpote actus eminenter humanus, cum in personam dirigatur » sonet textus: « Ille autem amor, cum in actu eminenter humano in personam dirigatur... ». *Ratio*: ne amor coniugalis et actus coniugalis simpliciter identificentur.

11. N. 62 (pag. 48, lin. 31 s.) loco « eroticam » dicatur: « sexualem ». *Ratio*: cf. emendationem 1.

12. N. 62 (pag. 48, lin. 36 s.) loco « significant et fovent » dicatur: « efficiunt eique fovent ». *Ratio*: donatio mutua plena, de qua textus loquitur, per actum ordinatum coniugum *habetur* et non solum significatur. Ideo verbum « significant » non sufficit.

13. N. 63 (pag. 49, lin. 9 s.) loco verborum « plena officii sui conscientia » dicatur: « plena responsabilitate ». *Ratio*: « officii sui conscientia » non est idem ac « responsabilitas », quo verbo textus gallicus, ex quo textus latinus translatus est, utitur.

14. N. 63 (pag. 49, linn. 24-26) loco phrasis « Talis est matrimonii et amoris coniugalis indoles, ut ex semetipsis ad prolem procreandam simul et educandam ordinentur » dicatur: « Ipse Deus dicens " Non est bonum hominem esse solum " (*Gen.* 2, 18), " fecit hominem ab initio masculum et feminam " (*Mt.* 19, 4). Idem Creator, volens homini participationem specialem quandam in sui ipsius opere creativo communicare, viro et mulieri benedixit dicens: " Crescite et multiplicamini " (*Gen.* 1, 28). Intima ab initio ordinatio viri mulierisque ad invicem, ut mutue se compleant, coniungitur cum humani generis propagatione ». *Ratio*: Ea quae phrasi deprimenda in lingua scholae dicuntur, per propositam emendationem non solum verbis ex S. Scriptura desumptis dicuntur, sed etiam confirmantur. Phrasis in schemate sequens « Unde... » organice et tamquam conclusio ex S. Scriptura sequitur. Insuper idea unitatis procreationis et amoris coniugalis, cuius mentio a Patribus « semper fortius expetita fuit » (cf. pag. 103) inculcatur, quod in phrasi deprimenda non fit.

15. N. 63 (pag. 49, lin. 27) in phrasi « Unde verus amoris coniugalis cultus totaque vitae familiaris ratio inde oriens eo tendunt » post verbum « oriens » inseratum verbum « etiam ». *Ratio*: Secundum relationem particularem haec phrasis intendit indicationem finalitatis matrimonii et amoris coniugalis (cf. pag. 105). Per interpositionem verbi « etiam » finis procreationis positive sublineatur et hoc loco sufficienter indicatur etiam alios fines matrimonii existere et non ansa praebetur errori, Concilium Oecumenicum loqui de procreatione tamquam unico fine.

16. N. 63 (pag. 49, linn. 33-36) phrasis « Si proles, saepius tam optata, deficiat, matrimonium vim suam fundamentalem suamque indissolubilitatem non amittit, verum coniuges ad multiformem foecunditatem spiritualem invitat » sic emendetur: « Si proles, saepius tam optata, deficiat, matrimonium vim suam fundamentalem provenientem ex irrevocabili consensu personali et dignitate intimae coniunctionis personalis ideoque etiam suam indissolubilitatem non amittit ». *Ratio*: verba enumerata inserantur, ut argumento confirmetur matrimonium, etiamsi

proles deficiat, non amittere vim suam fundamentalem suamque indissolubilitatem; insuper his verbis ostenditur, in quonam consistat illa vis fundamentalis. Verba sequentia de foecunditate spirituali deleantur, quia illa foecunditas spiritualis omni matrimonio competit; insuper textus schematis ansam praebere posset errori foecunditatem spiritualem quasi compensationem pro foecunditate corporali spectari posse. Textus sic emendatus etiam phrasi sequenti magis correspondet.

17. N. 63 (pag. 49, lin. 39) textus « Sciunt coniuges » sonet: « Sci*a*nt coniuges ». *Ratio*: de facto coniuges hoc non semper sciunt.

18. N. 63 (pag. 49, linn. 43-44, et pag. 50, lin. 1) phrasis « Qua in re iugi vigilantia et docilitate erga Deum, communi consilio atque conatu prudens iudicium sibi efformabunt » sic emendetur: « Qua in re coniuges vera et docili reverentia erga Deum atque communi consilio prudens iudicium sibi efformabunt ». *Ratio*: termini « vigilantia » necnon « conatus » in hac materia vere ambigui sunt!

19. N. 63 (pag. 50, linn. 4-7) phrasis « Ita fideles divinum consilium implentes, Creatorem glorificant, seipsosque in Christo perficiunt, cum procreandi munere generosa, humana et christiana officii onerisque conscientia funguntur » sic emendetur: « Ita fideles divinum consilium implentes, creatorem glorificant, seipsosque in Christo perficiunt, cum procreandi munere generositate, responsabilitate, humana et christiana officii onerisque conscientia funguntur ». *Ratio*: tum generositas tum responsabilitas urgeri debent. Non est timendum, ne coniuges per introductionem verbi « responsabilitatis » putent sibi licentiam permitti, ut arbitrarie agant. Omnino enim aliud est, plena responsabilitate coram Deo agere quam arbitrarie agere. Etiam non potest, sicut in relatione fit, simpliciter dici responsabilitatem dirigi spiritu generositatis; econtra vera responsabilitas etiam generositatem includit.

20. N. 63 (pag. 50, linn. 7-14) textus a lin. 7 « Coniuges omnes » usque ad lin. 14 « augmentum » deleatur. *Ratio*: quae in hoc textu dicuntur nihil novi enuntiant, necnon nimis rhetorice videntur.

21. N. 64 (pag. 50, linn. 40-42) textus « Facultas humana generandi, mirabiliter exsuperans ea, quae in inferioribus vitae gradibus fiunt » sic emendetur: « Sexualitas humana, essentialiter exsuperans omnem sexualitatem in inferioribus vitae gradibus ». *Ratio*: facultas generandi fundatur in sexualitate. Tota sexualitas humana et non solum facultas humana generandi essentialiter (verbum « essentialiter » magis sobrie ideoque magis convenienter sonat quam verbum « mirabiliter ») exsuperat omnem sexualitatem in inferioribus vitae gradibus. Haec praevalentia sexualitatis humanae etiam radix praevalentiae facultatis humanae generandi est.

12

EXC.MUS P. D. HERBERTUS BEDNORZ

Episcopus tit. Bullensium Regionum, coad. c.i.s. Katovicensis

Venerabiles Patres,

In textu schematis, pars II, cap. I, loquitur de crisi matrimonio familiaeque a longis annis minante. Genus vivendi hominum magis magisque industrializatum et urbanizatum non favet stabilitati matrimonii

et familiae bene ordinatae. Maxime hac crisi mulier-uxor et mater liberorum tangitur. Vita eius multis et profundis permutationibus subiecta est, non solum in oeconomiis sese evolventibus, ubi merces mariti non sufficit ad familiam sustentandam, sed etiam in oeconomiis prosperitatis, ubi mulieres ad laborem professionalem se astringunt ob maiorem independentiam a marito, ob desiderium maioris consumptionis, ob luxum, etc. ...

Attamen experimenta in pluribus magnisque nationibus ultimis decenniis facta, dederunt hominibus persuasionem de veritate, quae ab Ecclesia iam ab antiquissimis saeculis praedicabatur, quod opus est matrimonium indissolubile et familiam, quae suas obligationes educativas bene perficit habere. Homo enim natura sua intima « ens familiale » est. In familia nascitur, optime physice et spiritualiter evolvitur, et quando iam adultus est et sui iuris, solet de familia propria creanda cogitare. Homo est « ens familiale », quia tota eius vita, non solum biologica, sed etiam spiritualis et socialis, generatim se evolvit in situatione familiari: in familia suae nascentiae et in familia in qua parens fit. Hic est ordo naturalis vitae humanae a quo nullus se seiungere debet. Experimenta socialia, quae ut basim amorem, sic dictum liberum inter virum et mulierem, et non matrimonialem familiaremque habent, nullum effectum stabilem in vita humana secumferunt, sed totam vitam socialem in anarchiam conducunt. Haec est res maximi momenti, quae saepe saepius in toto orbe terrarum non tantum catholico sed etiam atheistico et laicistico nostris temporibus recognoscitur. Bonum commune totius societatis humanae exigitur, ut familia ipsa melius quam hodie officio educationis exsequatur.

Attamen conditiones vitae praesentis societatis humanae hoc non favent. Proh dolor! videmus hodie familiam fere ubique fortem tendentiam ostendere, transferendi istud grave officium, i. e. prolis educationem in alios e. g. in scholam, Ecclesiam, organisationes sociales.

Sed familia *bene* [1] debet educatrix filiorum esse, specialiter tempore praescholari, quando proles adhuc non frequentat scholam, sed in familia manet et vivit. Fundamenta fortis personalitatis humanae tunc *in familia et* [2] a familia ponuntur. Ecclesia libenter laborem istum adiuvat, v. g. per dispensationem sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae pueris ad usum rationis pervenientibus. Tempestiva acceptatio istorum sacramentorum habetur tamquam coronatio aetatis praescholaris liberorum. Deinceps familia debet omnibus cum institutionibus curam educationis habentibus intime collaborare, praesertim cum schola et cum Ecclesia, ut puer quam longius cum familia ligatus remaneat. Communis oratio familialis, quam nostris temporibus pater Payton e Congregatione S. Cru-

cis saepe saepiusque in suis cruciatibus sublineat, familiam intrinsece confirmat ita, ut liberi in familiam libenter revertuntur. Nullibi melius se sentiunt, quam in bona christianaque familia.

Homo enim « ens familiale » est.

In art. 61 de obligationibus parentum erga proprios filios et vice versa loquitur. Et hoc placet; sed parvum eodem loco de societate largiore et superiore familiae dicitur, i. e. de societate tam ecclesiastica, quam civili, quae debet relationes inter parentes et filios ac inter filios erga parentes faciliores melioresque reddere. Debemus enim recognoscere familiam munus educationis adimplere non posse si mater laborans maiorem partem diei extra domum remanet. Hoc in casu communitas superior familiae debet auxilium praebere ita, ut conditiones vitae parentum hoc modo construantur, ut pater et mater plene officio paedagogico satisfacere possint. Vere esset quaedam crudelis iniuria solum de parentum obligationibus educativis loqui, nulla facta idque expressa, longiorique mentione supra id, quod Status et Ecclesia familiam adiuvare debent per creationem talium conditionum vitae, ut parentes suis difficilibus officiis satisfacere possint.

Concludens propono sequentia:

1. in art. 61 schematis notionem hominis tamquam « entis familialis » introducere.

2. Parentes praemonere, ne obligationem educationis liberorum in alios nimis velociter transferrent.

3. In familia communem orationem *liberorum parentumque* [3] favere.

4. Meliores conditiones oeconomicas et sociales creare, praesertim pro matre, ut familia melius et facilius obligationes liberorum educationis adimplere possit. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] plene. [2] deest. [3] deest.

13

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS VON STRENG
Episcopus Basileensis et Luganensis

Textum legit exc.mus P. D. Ioannes Baptista Przyklenk, ep. Ianuariensis, qui admonet: Venerabiles Patres, perantiquam et illustrem sedem Basileensem et Luganensem non quidem occupo, sed novissimam Ianua-

riensem. Attamen, debita cum venia em.mi moderatoris, vobis legam interventionem venerandi antistitis Basileensis ob rationes pastorales ex heri absentis.

Venerabiles Patres,

Sane *iustum* [1] est, quod schema quaestionem de abortu non praetermittit. Etenim apud perplures populos, praesertim cultiores quos vocant, crimen abortus, post divortiorum diluvium, in subiecta materia, locum fere principem inter delicta nefanda tenet. Unde schema nostrum, haud secus ac Pius XI in Litt. Enc. *Casti connubii,* absque ulla tergiversatione clare enuntiet, quid Ecclesia hac de re sentiat. Ecclesia, dialogi cum mundo moderno cupida, in hoc schemate optimam habet occasionem nitide exponendi suam de abortu sententiam ...[2]

In pag. 50, n. 64, linn. 29-31, quaestio tamen magis leviter tangitur quam lucide exponitur. Immo, ni fallor, ita exponitur, ut brevitas claritati nocere videatur. Defectus claritatis haud parvum secum fert periculum false sentiendi de abortu. Supponere licet verbo abortus in loco significari omnem et quamlibet vitae prolis, in sinu materno reconditae ...[3], directam necem. In theologia morali haec notio (qua etiam craniotomia etc. comprehenduntur) post memoratas Pii XI Litteras Encyclicas absque dubio ius civitatis habeat oportet ...[4]. Aequum non est abortus notionem in ordine morali restringere ad solam eiectionem foetus qui nondum extra uterum vivere potest, uti adhuc apud quosdam auctores catholicos fit. Unde crimen abortus habetur in omni et qualibet vitae prolis genitae necdum natae directa nece *sive* [5] destructione.

Attamen, alius est modus loquendi theologicus inter catholicos, alius plerumque in mundo huius temporis inter medicos, immo apud vulgum ...[6]. Codices civiles passim poena non plectunt quamlibet vitae prolis genitae necdum natae directam destructionem, sed eam tantum quae absque sic dictis indicationibus praesertim medicis, facta est. Sic saepenumero apud ipsos catholicos idea erronea invaluisse videtur crimen abortus non esse nisi directam vitae prolis genitae necdum natae necem, indicationibus sive medicis sive aliis lege civili admissis destitutam. Sane error funestus et lamentabilis est. Insuper plerumque apud medicos vox abortus non adhibetur nisi ad significandam illam vitae prolis, in sinu materno reconditae, destructionem civiliter criminosam. Alia forma perimendae vitae nondum natae ab iis simpliciter praegnationis interruptio appellari solet. Eam legitimam seu iuxta *leges* civiles generatim habent; iustam seu iuxta *ius* civile declarant; eamque citra poenam et proinde undequaque iustificatam proclamant.

Utique, quasi inter parentheses addere libet in bonorum medicorum

honorem, iuxta medicinae cultores vere peritos numerum indicationum olim titulo medicinae frequentium nunc fere ad nihil redactum esse. Attamen in materia abortus discrepantia inter modos loquendi nostrum et mundi negari nequit.

Ne quis, rebus sic stantibus, de sententia Ecclesiae anceps maneat, ne quis propositionem in schemate prostantem, nempe « abortus vero (ait schema) quo innocenti vita *iniuste* aufertur, necnon infanticidium nefanda sunt crimina », detorquere possit, perinde ac si esset abortus seu quaedam directa vitae prolis genitae necdum natae destructio qua innocenti vita *iuste* aufertur, sequentem textum propono: « abortus vero seu omnis et quaevis vitae prolis genitae necdum natae directa destructio, necnon infanticidium nefanda sunt crimina ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] gratum. [2] Iuvat citare Pii XI textum quem non legam, sed commoditatis causa affero: « Sed aliud etiam ... gravissimum commemorandum est facinus, quo vitae prolis in sinu materno reconditae attentatur. Id autem permissum volunt alii et matris patrisve beneplacito relictum; alii tamen illicitum dicunt, nisi pergraves accedant causae, quas medicae, socialis, eugenicae indicationis nomine appellant. Hi omnes quod ad poenales reipublicae leges attinet, quibus genitae necdum natae prolis peremptio prohibetur, exigunt, ut quam singuli, alii aliam, defendunt indicationem, eandem etiam leges publicae agnoscant et ab omni poena liberam declarent... Quod vero attinet ad "indicationem medicam et therapeuticam"...: ... quae possit unquam causa valere ad ullo modo excusandam directam innocentis necem?... necessitatibus, quibus eae (i. e. sociales et eugenicae indicationes) innituntur, per occisionem innocentium providere velle absonum est praeceptoque divino contrarium, apostolicis etiam verbis promulgato: Non esse facienda mala ut eveniant bona »: *A.A.S.*, 22 (1930), pp. 562-564. [3] (seu genitae necdum natae). [4] (cf. J. Pilz, *Abtreibung*, in: *Lexikon für Theologie und Kirche I*, col. 96). [5] seu. [6] Libet adducere (non autem legere) textum in DTC I, col. 2647: « Observons... C'est l'avortement que l'on appelle médical, lequel est accepté par la législation civile comme par l'opinion ».

Animadversiones additae:

Ad pag. 49, n. 62, lin. 13 ss. *Schema habet*: « Curandum quoque est ut iuvenes suo tempore apte de amoris dignitate, munere et opere, potissimum in sinu ipsius familiae, instruantur et, castitatis cultu instituti, convenienti aetate ab honestis sponsalibus ad legitimas nuptias transire possint ».

Contra textum exceptionem moveo. 1) Textus sic sonat, perinde ac si omnes iuvenes de amoris dignitate etc. instruendi non sint nisi in ordine ad matrimonium ineundum. Quid dicatur de ceteris, bonae quidem voluntatis amplectendi vitam caelibem? 2) Textus non satisfacit realitati. Etenim iuvenes experiuntur inclinationem et amoris impetus, initio magis generales erga aliquam personam sibi circumstantiis coniunctam, puta erga magistrum vel magistram, deinde magis particulares erga concretam plerumque alterius sexus personam. Quas vires naturae ne parvipendant, apte edoceantur; agitur reapse de dono Dei quod tamen in vasis

fictilibus portatur. Discant has vires recte aestimare, rite moderari, haud dilapidare, donec Deum sequantur vocantem ad capessendum vitae statum sive matrimonialem sive caelibem. Unde sequens *proponitur textus*: « Curandum quoque est ut iuvenes suo tempore apte de amoris dignitate, munere et opere, potissimum in sinu ipsius familiae, instruantur. Tunc ediscant amoris inclinationem impetusque quos, annis pubertatis advenientibus et progredientibus, imo e corde prorumpere sentiunt, tamquam Dei donum recte aestimare, vires istas naturales rite moderari nec ullo modo dissipare, ita ut, castitatis cultu instituti, convenienti aetate Deum possint sequi vocantem ad vitae statum generose capessendum sive matrimonialem sive, propter regnum caelorum, caelibem ».

Pag. 50, n. 63, linn. 8-14. 1) *Schema, l. c., habet*: « Coniuges omnes qui tali modo muneri sibi a Deo commisso satisfaciunt, *aestimationem omnium revera merentur* ». Ni fallor, huic laudi hic non est locus. Sermo enim est de coniugibus qui officia sibi propria implent. Propono igitur, ut loco laudis dicatur: « Coniuges omnes qui tali modo muneri sibi a Deo commisso satisfaciunt, coram omnibus testimonium dant rectae qua affecti sunt erga officia matrimonii socialia habitudinis ».

2) *Schema pergit*: « Quos inter peculiari modo memorandi sunt illi qui, divinae Providentiae confidentes, prudenti communique consilio, magno animo prolem congruenter educandam etiam numerosiorem suscipiunt ». Hi coniuges qui, divinae Providentiae confidentes, re familiari per excellentiam professionalem et domesticam rite dilatata, debitum excedunt, quatenus corde magnanimo curas prolis numerosioris et vitae et congruae educationis suscipere non dubitent, *laude* illa cumulentur. Unde propono, ut dicatur: « Quos inter peculiari modo aestimationem omnium merentur illi qui, divinae Providentiae confidentes, re familiari per excellentiam professionalem et domesticam rite dilatata, debitum excedunt, quatenus corde magnanimo, prudenti communique consilio, curas prolis numerosioris et vitae et congruae educationis suscipere non dubitent ».

3) *Deinde schema pronuntiat*: « Qui omnes, affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati, suo quisque modo conferunt ad mundi ornatum et Ecclesiae augmentum ». Quid sibi velit illud « mutua sanctitate », et praesertim illud « ad mundi ornatum »? Etiam versiones ostendunt rem vix posse concipi nec rite intellegi. Unde propono, ut dicatur: « Qui omnes... mente consimili et geminata sanctitate adunati, suo quisque modo conferunt ad bonum societatis humanae, ad prosperitatem patriae et Ecclesiae augmentum ».

4) Postremo liceat suggerere additionem quandam. Constat inter populos praesertim maioris quae dicitur culturae seu cultus, affectum rectum nobilemque erga prolem etiam numerosiorem haud adeo florere. Unde expedit, quod hic affectus omni cum sapientia et assiduitate colatur. Textus proinde addatur: « Ceterum absonum non est laudibus afferre rectum nobilemque affectum inter populos praesertim maioris qui appellatur cultus impensius nutriendum quo in prolem etiam numerosiorem generose amplexandam animi feruntur » (Gerade in den Kulturländern ist die Kinderfreudigkeit entschieden und weise zu pflegen und verdient echtes Lob).

14

EXC.MUS P. D. IGNATIUS M. DE ORBEGOZO Y GOICOECHEA
Episcopus tit. Ariassensis, prael. null. Yauyosensis

Venerabiles Patres,

Necessarium existimo aliquas animadversiones exponere circa doctrinam contentam in cap. I partis II nostri schematis, ubi agitur « De dignitate matrimonii et familiae fovenda ».

I. Et imprimis dolendum est quod in hoc capite non exponuntur logicae consequentiae quae promanant e constitutione dogmatica *de Ecclesia,* praesertim ex eius cap. V « De universali vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ». Magno cum gaudio nos praedicamus quod omnes qui efformant populum Dei, sive clerici sive laici, vocantur ad sanctitatem, et quidem non ad sanctitatem secundi ordinis relate ad religiosos, sed ad perfectionem caritatis. Ad adiuvandos igitur fideles, ut in sua vita ad sanctitatem pervenire possint, necessarium est ut ipsis ostendamus quomodo in diversis vitae adiunctis, in cotidiano labore, in matrimonio et in familia, ad sanctitatem tendere debeant.

Titulus nostri schematis est: « De Ecclesia in mundo huius temporis », et ideo quaerere possumus: quid Ecclesia mundo dicere debet circa matrimonium? Quod est *testimonium* ab Ecclesiae membris praebendum circa matrimonium? Et responsum hoc est: matrimonium est schola sanctitatis, est *vocatio* pro multis ad obtinendam perfectionem caritatis. Sed hoc, proh dolor! in schemate clare non apparet.

II. Nunc vero agere etiam volo de aliquibus verbis n. 63, quae quidem vera sunt si recte intelligantur, at vero hodiernis in adiunctis ansam praebere possunt erroneis et gravissimis interpretationibus; legimus enim n. 63: « Matrimonium autem licet in prolem ordinetur, non est merum procreationis institutum; sed natura foederis indissolubilis inter personas bonumque prolis exigunt, ut mutuus etiam coniugum amor recto ordine proficiat et maturescat ».

Si hic textus significat procreationem non esse finem unicum, hoc est omnino evidens. Si vero intenditur tuitio pacis interioris illorum coniugum qui, sancte et recte matrimonio utentes, filios habere non possunt, tunc talia verba sunt innecessaria, quia numquam coniuges, si aliquam christianam formationem habeant, propter hanc causam pacem interiorem amittunt. At vero, si id quod intenditur est proclamatio radicalis aequalitatis inter fines matrimonii — et contextus huic interpretationi

favere videtur — tunc quidem haec verba habent rationem essendi, cum qua tamen ratione minime concordo.

Ecclesia traditionaliter docuit exsistentiam horum duorum finium, sed unum vocare voluit *finem primarium*, alterum vero *secundarium*. Dicitur autem hic finis secundarius, non quia parvipendatur, cum re vera nobilissimus sit, sed tantummodo propter eius ordinationem ad finem primarium. Et censeo quod nos acceptare debemus talem ordinem esse sanctum et sapientem, quia coniuges veluti manu ducit ad perfectum et efficax exercitium vocationis divinae ...[1]

III. Dicitur praeterea in n. 63 quod coniugum est prolis numerum determinare. Sed quo modo? Quo criterio? Quae elementa doctrinalia efformare debent illud quod vocatur « prudens iudicium », vel illam « conscientiam recte efformatam », iuxta quae procedendum est?

Responsum in ipso schemate invenimus: illa criteria seu elementa doctrinalia sunt voluntas Dei vivi et humana prudentia. Coniuges quidem facile invenire possunt humanam prudentiam — propter rationes salutis, commoditatis, educationis, etc. —, sed, quaero, poteruntne tam facile dignoscere voluntatem Dei, quae postulat orationem, sacrificium, fiduciam in divino adiutorio, abnegationem et Crucem?

Meo iudicio, haec verba schematis ansam praebere possunt multis anxietatibus et, praeterea, sensim sine sensu coniuges ducent ad moralitatem « minimalisticam » et casuisticam, quam nos merito reiicimus, quia inducere nolumus fratres nostros laicos, qui una nobiscum populum Dei efformant, ad vivendum in ipso limite, quem praetergredi non licet, sed iis e contra ostendere volumus viam ad sanctitatem et perfectionem ducentem.

IV. Legimus etiam in schemate paucissima verba laudatoria pro iis qui prolem numerosiorem habent, dicitur enim: « ... peculiari modo memorandi sunt illi qui, divinae Providentiae confidentes, magno animo prolem congruenter educandam suscipiunt » ...[2]. Hoc quidem non sufficit! Et hoc fere nullum solacium afferre poterit incomprehensioni in qua vivunt multi ex istis coniugibus, qui quidem vere exemplares dici debent. Quia, non sine dolore hoc dico, multi sunt qui cotidie pati debent compassionem et despectionem — et quandoque etiam inurbanitatem — aliorum coniugum qui paucos filios habent. Et hoc etiam in locis catholicis! Post breve tempus, illi qui hactenus habebantur tamquam coniuges heroici, debebunt occultare suos filios — si plures quam duo sint —, nisi velint publice ostendere id quod a multis consideratur verecundum signum suae irresponsabilitatis vel effrenatae luxuriae.

V. Praeterea dicitur in schemate quod, ad statuendum numerum filio-

rum, coniuges prae oculis habere debent condiciones oeconomicas et bonum societatis temporalis ...[3]. Hic cavendum est, Fratres carissimi, ne Sacrosanctum Concilium a multis considerari possit tamquam instrumentum amplificationis illius « propaganda », quam nonnullae nationes faciunt, ut in aliis nationibus, praesertim ex Asia, Africa et America latina, instauretur strictissima regulatio nativitatum, seu « birth control ». Haud semel cogitare possumus quod talis « propaganda » non est honesta, et oritur ex spiritu nationalistico vel ratiale. Solutio problematum non residet in deminutione nativitatum, sed in meliore distributione divitiarum inter filios humanae familiae. Multis in nationibus adsunt hodie ingentes divitiae naturales, quibus nemo utitur, dum aliae nationes penuria laborant. Ideo vox Concilii alte proclamet necessitatem motus migratorii, postulet Concilium ut nationes quae divitias habent migratores excipiant cum caritate et sine iniusta discriminatione.

VI. Tribuat nobis Deus ut, hac hora, simus valde cauti et prudentes. Ne velimus ante tempus provocare iudicium quod habebit multas et gravissimas consequentias, circa quaestionem nondum satis ponderatam. Voluit Romanus Pontifex sibi reservare iudicium ultimum circa hanc difficilem quaestionem, et voluit quoque ut res tota perpenderetur a Commissione peritorum in hac re. Cur ergo haec quaestio includi debet in discussione nostri schematis?

Si tamen expedit ut includatur, postulo ut hoc caput reficiatur, ostendendo matrimonium esse veram vocationem ad perfectionem caritatis obtinendam, et vitando pericula confusionis et moralitatis minimalisticae, quae ex actuali redactione oriri possunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Citare hic volo verba notissima Sacrae Scripturae, quae in libro Tobiae legimus. Dicit enim archangelus Raphaël Tobiae iuniori: « Audi me, et ostendam tibi qui sunt quibus praevalere potest daemonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus... Tu autem cum acceperis eam (uxorem), per tres dies continens esto ab ea, et nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea... Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequaris » (6, 16-22). [2] (n. 63, pag. 50, linn. 9-11). [3] (n. 63, pag. 50, linn. 3-4).

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *Ss. Concilii subsecretarius*:

Communico exitum suffragationum in hac congregatione habitarum.

Suffragatio 1, seu 335:

Praesentes votantes	2.178
Dixerunt *placet*	2.172
non placet	5
placet iuxta modum, ergo nullum	1

Suffragatio 2, seu 336:

Praesentes votantes	2.175
Dixerunt *placet*	1.989
non placet	185
placet iuxta modum, ergo nullum	1

Suffragatio 3, seu 337:

Praesentes votantes	2.176
Dixerunt *placet*	2.163
non placet	13

Suffragatio 4, seu 338:

Praesentes votantes	2.170
Dixerunt *placet*	2.137
non placet	32
Votum nullum	1

Suffragatio 5, seu 339:

Praesentes votantes	2.147
Dixerunt *placet*	2.137
non placet	9
Votum nullum	1

Moderator: Proxima congregatio erit cras, hora nona.

EM.MUS P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXL
1 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXL

1 octobris 1965

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 140 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Patres venerabiles, quaeritur a multis Patribus, iustissima quidem de causa, quodnam sit kalendarium huius mensis octobris, qui hodie incipit. Kalendarium vobis nunc indico, sed ut nunc possibile est, nam praevidere futura non semper competit hominibus, praesertim si iisdem hominibus, Patribus conciliaribus in casu, libertas relinquitur! Ergo, quae dico, pronuntio cum aliqua probabilitate, vel melius: aliqua certa, Deo favente, dicam, alia tantum probabilia.

Haec sunt certa, Deo favente, uti patet: feria II proxima et feria III, erit congregatio generalis. Hae congregationes habentur etiam diebus reliquis.

Feria II, cum Sanctissimus Dominus proficiscatur Neo-Eboracum ut nuntium det pacis, inclito consessui Nationum Unitarum, Missa quae celebratur ante congregationem erit in hunc finem, et recitabitur etiam Oratio fidelium congruens.

Feria III habebitur congregatio generalis. Sed, in fine, Patres exspectabunt in aula Summum Pontificem revertentem ex suo itinere, ut reverenter auscultent illius verba, quod erit, uti praevidere est hominibus, versus horam meridianam.

Usque ad medietatem mensis octobris, ad diem 17 — si necesse erit, die 16, quae est sabbatum, habebitur congregatio generalis, si necesse erit — ergo usque ad diem 17, ordo est immutatus; habebuntur congregationes ut moris est. In quibus congregationibus ad finem perducentur — id vehementer speramus — disceptationes circa schemata quae adhuc disceptanda sunt. Item fient suffragationes quae faciendae adhuc sunt.

Die 17 habebitur sollemnis beatificatio beati Berthieu, martyris.

Diebus qui succedunt, nempe hebdomada quae est a die 17 ad diem 23 (23 est sabbatum tamen), praevidetur aliqua brevis vacatio quae tamen est vacatio a congregationibus generalibus, non a labore, et explico:

Nam illis diebus ferventiores esse debent labores commissionum conciliarium, ut praeparent novos textus iuxta animadversiones factas a Patribus conciliaribus.

Et adhuc novus labor manet omnes Patres conciliares. Nam Summus Pontifex desiderat habere consilia circa aliqua argumenta de quibus ipse, Summus Pontifex, editurus est normas seu instructiones. Quapropter, proxima hebdomada, uti spero, dabitur praesidibus conferentiarum episcopalium argumentum quod notificent suis confratribus respectivae conferentiae episcopalis, ut referant de hac re in sessione quae habebitur iuxta diem rationes quae et indicabuntur.

Quapropter, illi dies dedicati sunt alii labori, multi quidem momenti, etsi forte non habeantur congregationes generales.

Hebdomada sequenti, uti patet, habebuntur item congregationes generales et pro certo habemus, saltem vehementer sperare fas est, ut aliqua schemata iam emendata nobis pervenerint, ita ut ea possimus examinare quoad emendationes vel quoad modos, iuxta iter conciliare cuiuscumque schematis.

Versus finem mensis, speramus fore ut prima sessio publica huius periodi conciliaris celebrari possit, quae erit igitur septima sessio publica, in qua promulgentur, approbante Summo Pontifice, ea decreta quae iam in congregatione generali approbata fuerint. Spes est ut aliqua decreta habeantur, quapropter ut haec sessio publica celebretur.

Et ita explicit mensis octobris. Postea, erunt feriae mortuorum, de quibus dicemus alia vice.

Queratur aliquis Pater non omnia schemata esse distributa. Revera unum manet schema distribuendum: *de educatione christiana.* Ego promisi hanc distributionem pro hac hebdomada. Attamen commissio voluit profundius in hoc argumentum maximi momenti investigare, et dabitur vobis hic ultimus fasciculus ineunte proxima hebdomada.

En nomina, Patres venerabiles, eorum qui loqui volunt de II parte schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Valerianus Gracias, arch. Bombayensis in India; Ioseph Slipyj; exc.mi DD. Hadrianus Ddungu, ep. Masakaënsis in Uganda, nomine 70 Patrum; Antonius Hacault, ep. aux. S. Bonifacii in Canada; Paschalis Venezia, ep. Arianensis in Italia; Paulus Schmitt, ep. Metensis in Gallia; Aemilius Čekada, ep. Scopiensis in Iugoslavia; Eugenius Beitia, ep. tit. Verronensis, Hispania; Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia.

Deinde, ut aliquis ordo servetur, hoc statuerunt em.mi Moderatores, discussio transit in cap. II. Revera, argumentum totum est pars II; quapropter illi qui exhibuerunt suas petitiones loquendi ultra diem

23 septembris ius non habent loquendi, iuxta normas in *Ordine* statutas. Attamen moderatores voluerunt inter hos qui tempore debito exhibuerunt suas animadversiones, hunc ordinem logicum servare, ne confusio fieret.

Et circa cap. II loqui petierunt: exc.mi DD. Aloisius Bettazzi, ep. aux. Bononiensis in Italia (Bologna); Leo Elchinger, ep. coad. Argentinensis (Strasbourg) in Gallia; Iulianus Le Couëdic, ep. Trecensis in Gallia; Lucianus Lebrun, ep. Augustodunensis (Autun) in Gallia; Ioseph Vairo, ep. Gravinensis in Italia (Gravina); rev.mus P. Anicetus Fernandez, mag. gen. Ordinis Praedicatorum; exc.mi DD. Petrus Veuillot, arch. coad. Parisiensis in Gallia; Michaël Pellegrino, arch. electus Augustae Taurinorum in Italia (Torino); Aemilius Blanchet, ep. tit. Philippopolis in Thracia; Candidus Padin, ep. tit. Tremithusinus in Brasilia; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis in Hispania; Augustinus Frotz, ep. aux. Coloniensis in Germania; Otto Spülbeck, ep. Misnensis in Germania.

Nunc prosequimur etiam reliquas suffragationes circa schema *de pastorali episcoporum munere*. Si paucis momentis attenditis, Patres venerabiles, lego primam suffragationem huius diei.

Suffragatio 340. Videatis pag. 99: « An placeat ut textus n. 33 et n. 35 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 595*]. *Placet* an *non placet*, Patres?

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis*, cap. I partis II)

1

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Venerabiles Patres,

Loquor in nomine totius conferentiae episcopalis Indiae, cuius membra in Roma adnumerantur *fere*[1] 78.

Gratias maximas Deo Omnipotenti liceat mihi agere quod potuissem labores meos resumere in hac sessione Concilii, quando, inter multa alia, agitur de themate fundamentali, nempe matrimonio et familia, cuius dignitas ac sanctitas hodie etiam in Oriente, post tot et tanta saecula

periclitatur, et hoc quidem — proh dolor! — propter influxum civilizationis occidentalis.

Iam dixit in a. 1936 Mahatma Gandhi, sarcastice sed *vere* [2]: « *Erat privilegium nostrae generationis in laudes extollere vitium, aequiparando illud cum virtute et ita destruendo existentiam physicam et moralem nostrae stirpis* ».[3]

I. De hoc schemate, praesertim de parte II, id mihi dicendum videtur: In primis indagandum esse quid laici praestantiores ubique terrarum, ii praesertim qui magnas partes in vita publica gerunt, sentiant de modo quo Concilium ad mundum hodiernum sermonem dirigat. Cum autem, antequam Romam profecti essemus, versio anglica huius documenti praesto non esset ...[4], curavi ut hoc documentum redderetur in linguam anglicam, idemque submisi — sub secreto quidem — iudicio quinque Indiae laicorum: duo eminentes catholici, tertius catholicus ut ita dicam liberalis, quartus denique cultor religionis Zoroastranismi. Omnes concordant quod hoc documentum, optime exaratum, est valde commovens. *Utinam potuissem* [5] citare in lingua anglica saltem ipsissima verba laici non-catholici, qui est redactor ephemeridis *cum ingenti circulatione, nempe* [6] « Times of India ». *Sed hora fugit, non revocanter. Cum citatio est longa et impressiva, sensus eius est, in lingua latina, quod documentum clare ostendit quomodo Ecclesia se accommodet in eius loquela temporibus ac circumstantiis modernis.*[7] Attamen vellem dicere quod exaratio huius schematis antequam promulgetur, quoad idioma et stylum, concredatur laicis, *non theologis,*[8] peritis, ut reddatur in lingua quam mundus hodiernus potest intelligere et aestimare. Nam hoc schema, *in India etiam,*[9] ex omnibus mundus modernus cum desiderio desiderat. Secus, si relinquatur in forma praesenti, forsitan erit *inefficax pro illis ad quos dirigitur.*[10]

II. Mihi videtur materialismum, de quo iam *altera die* [11] locutus est em.mus card. Suenens, ni fallor, qui hodie longe lateque repserit cuique tribuendum sit mores publicas communiter degenerasse, non satis reprobatum esse — quae corruptio morum, fons et origo omnium malorum *et ruina familiae* [12], ut opinor, magis periculosa sit quam possibilitas belli atomici. Verba illius egregii viri felicis memoriae, Lord Halifax, sunt ad rem; dixit: « Si ordo socialis hodie perturbari et pene labefactari videatur, credo id non depopulationi bellico attribuendum esse, quam quod ipsa fundamenta vitae moralis et culturalis pedetentim eversa sint sicque vacuum quod nequeat compleri in corde humano creatum sit » ...[13]

III. Mihi videtur, cap. I non potest bene intelligi et aestimari nisi simul disceptatio fiat de cap. III, in quo agitur de vita oeconomica-so-

ciali, propter intimum nexum inter ea. Valetudo physica ac sanitas moralis familiae ubique terrarum, fine finaliter, dependent super condiciones iustas vitae oeconomicae-socialis pro omnibus civibus secundum normas iustitiae distributivae.

In meo humillimo iudicio, ingentes inaequalitates vigentes in mundo hodierno, quaeque scandalum movent non satis forte deploratae sunt a schemate. Sane obligatio orta ex iustitia et ex caritate, quae urget nationes affluentes ad subveniendum necessitatibus egentium, bene enuntiata est. Insistere tamen oportet etiam hanc largitatem in bonum ipsius benefactoris redundare. Profecto exspectandum fore ut recipientes largitatem cum gratitudine et oeconomia utantur ...[14]. Cursus, enim, generis humani eo usque pervenit ut ipse cultus civilis in discrimen vocetur quamdiu homo solutionem violentam quaerit problematibus seipsum agitantibus ...[15]

Dixi quod cap. III est intime nexum cum cap. I: etsi bene factum, deficit in non paucis quoad certa problemata, e. g. quomodo possit componi iura proprietatis privatae cum exigentiis Status moderni; e. g. etiam quomodo systema moderna in variis sphaeris differt a systema capitalistica.

In conclusione, dico quod in memoriam revocemus practicum consilium datum paucis annis abhinc a Doctore Adenauer qui dixit: « In christianitate solum potest componi iura privata individui cum exigentiis gubernii in democratia ». Et conclusit: « The less State, the better ».[16] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] bene. [3] "The greatest harm done by such propaganda lies in its rejection of the old ideal in its place of one which, if carried out, must spell the moral and physical extinction of the race. It was reserved for our generation to glorify vice by calling it virtue...". [4] ope trium sacerdotum et unius religiosae de Sacro Corde, qui bene cognoscunt et linguam latinam et anglicam. [5] Liceat mihi. [6] deest. [7] "I cannot conceive of a more convincing answer than is provided by this document to the question of how the Church and what it has to say are relevant to the problems of the day. In its reference to 'Socialisation', to the increasingly widespread denial of God, to industrialisation and economic policy and to the 'human person' as the subject and end of all social institutions, this is a document which can be understood and welcomed by anyone irrespective of his religious affiliations. What it has to say on the subject of world-peace and the threat of nuclear war is, of course, quite acceptable to any intelligent citizen wherever he may live. The comment that war is becoming more and more an unsuitable means by which to restore violated rights, goes a step beyond what most people are willing to say on the subject of preserving world peace". [8] deest. [9] deest. [10] casus: Vox clamantis in deserto ». [11] deest. [12] deest. [13] "If our social order

today shows signs of disintegration, this is, I believe, less through the destruction of war than through the slow attrition of its religious and cultural foundations, which have created a vacuum, without themselves having the capacity to fill it". [14] ne affluentes putent "that the money has gone down the drain". [15] Neque pila atomica (atom bomb) nec ingens progressus in arte bellica, nec inimicitia et discordia (Tension) inter duas partes oppositas in quibus mundus hodie distrahitur, et maximum omnium periculum illud collocandum est in condicione durissima in qua ingens pars orbis incolarum vivit — unus enim ex tribus hominibus super faciem terrae fame torquetur, duo ex tribus degunt in condicionibus ad instar condicionum vigentium in castris sic dictis « concentration » (campi di concentramento), plurimi denique degere sine ullo tecto coacti sunt. Hoc nobis indicium magnitudinis problematis praebere potest et ad solutionem aptam promovendam omnes vires humanas colligere debemus. Haec enim est violentia gravissima, violentia primi ordinis, violentia iniustitiae; capax quidem est vicissim generandi conflagrationem talem qualem mundus adhuc nunquam vidit. [16] IV. Cap. III, etsi bene exaratum, deficit in hoc quod Concilium nihil dicit explicite: *a*) quonam modo ius proprietatis privatae cum socialismo componatur. *b*) Fere nihil in eo invenitur ut ius proprietatis privatae accommodetur nostris temporibus, ubi tot et talia praesto sunt species generaque iurium. Utrum tale systema bono civili melius respondeat quam systema capitalisticum, quaerendum est a scientia oeconomica et politica. Gubernium hodie magis magisque exclusive ius proprietatis sibi vindicat. In memoriam revocamus optimum consilium Doctoris Adenauer, qui dixit: "In my opinion, Christianity is the best compromise we can imagine between the conflicting aims felt by the individual and the community. The instrument for achieving political aims in the modern democratic state, is the political party. So, if christians want to infuse political life with christian principles, they must use the political party. The less State, the better".

Secretarius generalis: Suffragatio 341. Pag. 100: « An placeat ut textus n. 35 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. vol. IV, pars II, pag. 595*]. *Placet* an *non placet?*

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SLIPYJ
Archiepiscopus Maior Leopolitanus Ucrainorum

Venerabiles Patres,

Iam primo superficiali quoque ictu oculi magna varietas capitulorum, articulorum in schemate observatur. Plures orationes prolati sunt, pleni spiritus originalis et acuminis. Saepe Patres conquesti sunt de logica, de consequentia, de ordine articulorum, de terminologia, plus vel minus cum fundamento in re.

Mihi autem alia in mentem venit ratio et vero quaedam angustia in tractandis quaestionibus et anxius sum ne repetatur id quidem quoad

II partem. Schema iure merito « De Ecclesia in mundo huius temporis » nominatur. Sed debeo confiteri terminum « mundus » tractari non complete. Fere omnes Patres ex occidentali puncto videndi totam materiam tractant. Attamen neminem latet hunc mundum et quidem in hoc tempore exsistere etiam « retro velum », sicut dicunt, « dietro cortina »; intelligendo Orientem Europaeum et Asiaticum, septemtrionalem Africam, Unionem Sovieticam, Indiam, *Sinenses,*[1] Iaponiam, ubi etiam plus 300.000.000 christianorum vivunt et saepe saepius diversum modum vivendi agunt. De hoc autem exotico Oriente rarissime applicationes principiorum christianorum nostras aures frangunt. Et sine dubio ibi est diversa coexistentia statuum, diversa oeconomia, et sociologia, servitium medicinale, postale et militare, familia, abortus, divortium, leges matrimonii, ars, scientia, moralitas, *et sic porro, quia Ecclesia Christi, possumus nunc dicere, est etiam extra Europam et extra Americam.*[2]

Saepe saepius termini constant ex contrariis conceptibus et iisdem solum vocibus. Nostri casus morales sunt ex materia Orientis rari et ego perterritus fui quando Patriarcha Maximos exigebat: « Il faut changer les manuels de théologie morale » certe non principia mutare, sed applicationes methodi *ad*[3] casus, non ex tempore feudalico, sed hodierno sumenda sunt. *E. g.: differentia notatur: diaconus secundum Orientales non potest esse minister matrimonii; in Ecclesia autem latina nomine adsistere et benedicere matrimonia potest.*[4]

Haec praeterivi[5]...

Nemo Patrum ex professo de communismo-collectivismo et atheismo, excepto card. Florit, *ex professo*[6] tractabat. Neminem latet vitam communem originem ducere ex Evangelio et remanere nunc *in Ecclesia*[7] in monasteriis. Attamen hodie isti conceptus apud communistas sunt inseparabiles a se et de hoc quaestio magna institui potest.

Multi Patres ultimis diebus locuti sunt de atheismo praevalenter secundum conceptum occidentalem, sed hodie existunt iam Status *in Oriente*[8] qui non indifferentes sunt versus religionem, sed ex professo propagant irreligiositatem et persequuntur non solum Ecclesiam Christi, sed omnem religionem. De libertate etiam religionis ibi plus loquuntur quam venerabiles Patres in Concilio.

Ni fallor, nemo Patrum advertit punctum saliens systematis hodierni in Oriente, esse initiativam individualem vel totalitarem. Ne quidem card. König in suo gravi et *limpidissimo*[9] sermone mentionem de hoc fecit. Meus piae memoriae praedecessor Servus Dei Andreas Szeptyckyj semper desiderabat vivere saltem breve tempus in civitate secundum principia christiana fundata, quia Status christiani in historia vix idealem gradum attigerunt. E contrario nostro tempore existunt Status qui con-

sequenter atheismum *realisant in vita* [10] et theismum expellunt. Quae dicta non sunt secreta, sed per longum et latum in ephemeridibus et libris descripta.

Animadvertere *quidem* [11] potest quidam cur ipsi Orientales materiam non pertractarent. *Et vero nunc* [12]...

Primo quia sunt in comparatione ad 3000 Patrum pauci — potest dici « quantité négligeable » — et secundo se adaptant ad Occidentales et tantum nonnulli suam catholicam orientalem lineam sequuntur. Ceterum et multi Patres latini ex regionibus orientalibus ...[13] provenientes, de moribus et quaestionibus suae patriae *tacent.*[14] Principia catholica ...[15], et quoad personam et quoad communitatem, *magni* [16] momenti sunt, non tantum pro Occidentalibus sed etiam pro Orientalibus. Quia Oriens est etiam mundus et vero huius temporis, et habet *etiam* [17] Ecclesiam Christi.

Timeo ne disceptatio super schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* suum sensum proprium et generalem scopum primarium propter inadvertentiam perdat, quod facile in analysi instituta et in sectionibus particularibus peractis evenire potest.

Secundum meum modestum iudicium schema nostrum ...[18] ad pulcherrima pertinet, quia *decretum* [19] *de Ecclesia* cum omnibus dependentibus schematibus complet, perficit et quasi in totum reassumit. Cum omnia fere schemata plusminusve particulares et singulares quaestiones tractent et discutiant, schema nostrum actionem et valorem Ecclesiae in tota magnitudine et amplitudine (dans sa grandeur) repraesentat in oppositione ad statum conaminum generis humani in terra et extra terram. Ipsa enim Ecclesia non solum ut compar elementum in vita hodierna apparet et aequum gressum cum ceteris factoribus et viribus tenet, sed ut vis eminens alias superat. Ad probanda et sustinenda superiora asserta duo momenta sedulo attendenda sunt:

1. Ecclesia habet vim, ius et obligationem cooperandi in perficiendo mundum et societatem in speciali. Ecclesia similis est « fermento ... donec fermentatum est totum » ...[20], quod certo certius non ad caelum refertur, ubi non datur fermentatio, sed praecise ad terram, in quantum perfectioni perpetuae subicitur. Populare proverbium atheisticum: « den Himmel überlassen wir den Engeln und den Spatzen » (caelum relinquimus angelis et passeribus) Ecclesiam ab hoc labore excludit *at* [21] hac parabola reicitur ...[22]

Secundum elementum, quo Ecclesia est munita a Christo in hodierna navitate, est missio ad omnes gentes, omnes terras, in omnibus saeculis, consequenter etiam in nostro: « Euntes ergo docete ...[23] ». *Quod sine dubio et Orientem complectitur et respicit.*[24]

Quae dicta cum duobus *superioribus* [25] textibus S. Matthaei, *omni modestia servata,* [26] etiam iusto desiderio card. Frings aliquantulum satisfaciunt.

Decursu saeculorum Ecclesia hanc *etiam* [27] honorificam missionem explebat et vero ut factor quam maxime activus et dynamicus, transformando, corrigendo et perficiendo mores, vitam, culturam, artem et scientiam, omnium temporum et *omnium* [28] gentium, hominem individualem et communitatem. Schema ad quaestionem respondet qualem nunc vim et quale munus et pensum habet Ecclesia explendum quoad Occidentem et Orientem, in facie hodierni movimenti et contemporaneae navitatis, non in singularibus casibus, sed in generali scopo ...[29]. Sub hoc respectu discussio debet procedere, non solum infirmitatem constatando sed et medicinam procurando.

Ecclesia, omni potentia naturali et supernaturali munita, laborem immensum fortiter et audacter aggredi et omissiones supplere debet et in crescentibus difficultatibus, discrepantiis et perturbationibus ad necessariam synthesim pervenire, ut aequilibritate restituta, ope principiorum Christi, humanitas ulteriorem progressum et novas acquisitiones attingat. In hac directione debet se evolvi discussio. Qui aspectus quaestionum generalis non est parvipendendus, quia *hominibus* [30] conspectum et punctum videndi amplificat. Sicut, e. g. cura pastoralis in paroeciis et eparchiis ampliore modo a diplomatia catholica ...

Moderator: Em.me Pater, velis ad finem pervenire!

Orator: Subito! ... in Statibus exercetur. Habendo prae oculis totum summarium, ne male interpretentur animadversiones circa latinitatem linguae, quia novi termini tantum per usum stabilem significationem acquiruntur. In memoriam revoco, quando incepta erat translatio terminologiae graecae in linguam latinam, *ipse* [31] Cicero hanc imperfectam et barbaricam respectu graecae appellabat. In suis sermonibus card. Döpfner et card. Suenens pluribus adaptationibus neologicis usi sunt et nemo scandalizatus ...

Moderator: Gratias pro citationibus, sed velis concludere!

Orator: Subito! ... (*aestimabat*)[32], sed e contra, admirans conamina aedificatus est. Etiam alia schemata non in superlativa latinitate conscripta sunt. *Manet ergo totus* [33] originalis latinus textus, sicuti *desiderat ceterum S. P. Paulus* [34].

Quibus omnibus reassumptis, possumus dicere [35]: hoc modo *possu-*

mus [36], ut ait Papa Ioannes, pacem in terris non solum restituere sed etiam stabilire.

In textu scripto tradito: [1] Bagdad, Sinenses regiones et. [2] maritima et aerea navigatio et astronomicae expeditiones. [3] et. [4] Oritur quaestio de diaconis, qui apud occidentales possunt benedicere matrimonia, in oriente non. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] lapidissimo. [10] omni cum vi, tota sua machina statali realisant. [11] deest. [12] deest. [13] Vietnam, Philippinis, India, Australia etc. [14] tacebant. [15] applicanda. [16] maximi. [17] deest. [18] et pars discussa. [19] constitutio. [20] (*Mt.* 13, 33). [21] sed. [22] Quod refertur non solum ad occidentem, sed et ad orientem, i. e. vitam hominis perficere, miserias amovere et omnibus conatibus naturalibus suis propriis viribus cooperari. [23] omnes gentes baptizantes eos... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20). [24] deest. [25] deest. [26] salvo meliore iudicio. [27] altam. [28] deest. [29] (en gros); quoad sociologiam et oeconomiam, relationem statuum, nationum, demographicam inhabitationem terrae, in navibus maritimis, quoad productionem atomicam, alimentorum, in aeronavibus, in excursionibus astrospatialibus, non solum in terra, sed etiam extra terram. [30] hominum. [31] deest. [32] deest. [33] Relinquendus ergo est. [34] est et desiderium S. P. Pauli VI. [35] Cum satisfactione plures passus, quae nobilitatem hominis respiciunt, extollo. Reassumendo dicta ex profunda persuasione repetendum est doctrinam et principia Ecclesiae etiam hodie ad transformanda et perficienda societatem humanam in occidente et oriente, cum omnibus exigentiis et intentionibus, valide esse et vim sufficientem habere ad promovendum progressum. Christiani, simul cum omnibus hominibus bonae voluntatis coniuncti, habiles sunt ad solutionem problematum moralium, intellectualium, scientificorum et culturalium inveniendam. [36] possunt etiam.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 342. Est quaesitum generale quoad cap. II: « An placeat expensio facta a commissione conciliari circa modos reliquos cap. II respicientes ». *Placet* an *non placet?*

Moderator: Loquatur exc.mus D. Hadrianus Ddungu, qui loquitur de priori capite, sed nomine 70 Patrum.

3

Exc.mus P. D. HADRIANUS DDUNGU
Episcopus Masakaënsis

Venerabiles Patres,

Peto veniam vestram si vos redire ad primam partem huius schematis rogare audeo. Agitur de re magni momenti, secundum iudicium 94 Patrum qui huic interventioni subsignaverunt, scil. de cap. II, ad n. 30.

Inter problemata acutissima quorum ad solutionem detegendam Concilium mundum hodiernum adiuvare libenter intendit, procul dubio adnumeranda est discriminatio hominum quoad stirpem, vulgo « racial discrimination ».

De hoc problemate loquitur quidem schema nostrum. Attamen, quod est sane dolendum, commissio quaestionem summis labiis tetigit, confuse et nimis leviter. Nam in textu latino quattuor lineis exposuit et problema et eiusdem solutionem; et quidem discriminationem quoad culturam, sexum, stirpem, conditionem socialem, linguam, tribum, pellis colorem et religionem promiscue tractavit, quasi eiusdem essent gravitatis et periculi.

Gravitas problematis nemini latet, cum discriminatio stirpium non solum aequalitati hominum adversetur, sed homini libertatem deneget et aliquando ab eo vitam ipsam sive directe sive indirecte auferat. Contra huiusmodi iniurias diriguntur huic Sacrae Synodo verba prophetae: « Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam » ...[1]. Nobis munus incumbit defendendi aequalitatem hominum eorumque iurium, fortiter et sine ambiguitate, eo vel magis quod quaedam nationes huiusmodi iniustam oppressionem et subiugationem in Sacra Scriptura fundatam esse perperam contendunt, « volentes esse legis doctores non intellegentes neque quae loquuntur neque de quibus affirmant » ...[2]

Venerabiles Patres, hac in aula iterum atque iterum dictum est mundum ab hoc Sacrosancto Concilio exspectare solutionem gravorum problematum. Cum igitur discriminatio stirpium inter problemata gravia adnumeranda sit, haec Sacra Synodus huiusmodi quaestionem quasi per transennam tractare nequit, sed meo humili iudicio tenetur mentem suam patefacere fusius, clarius et fortiter.

Dum enim Ecclesia tacere videtur, alii qui in Christum non credunt, tamquam propugnatores aequalitatis et dignitatis hominum clamare non cessant. Iis solutionem problematis relinquere non licet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Is.* 58, 1). [2] (*1 Tim.* 1, 7).

Moderator: Gratias! Loquatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Proponitur ultima suffragatio, quoad cap. III. Legenda esset relatio, sed quoniam relatio continetur paucis lineis, et quidem in pag. 112, potestis per vos legere, Patres venerabiles.

Quaesitum hoc est (suffragatio 343): « An placeat expensio facta a commissione de episcopis et dioecesium regimine circa modos cap. III schematis decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* spectantes ». *Placet* an *non placet?* Quaesitum invenitur in pag. 126.

4

Exc.mus P. D. ANTONIUS HACAULT

Episcopus tit. Mediensis, aux. S. Bonifacii

Venerabiles Patres,

...[1] Admodum placet spiritus cap. I; doctrina recta et aetati nostrae accommodata hic elaboratur. Petimus ut *saltem* [2] substantialiter servetur uti est hoc caput; perficiatur *tamen* [3] in quibusdam.

Secundum intentionem pastoralem Concilii, quaedam notentur ad textum n. 60 perficiendum.

A. Quaedam sic dicta signa temporum in re matrimoniali in n. 60 enumerantur. Ut ait *ipsa* [4] relatio, « facta potius citentur quam diiudicentur ». Lectori linn. 18-24 in pag. 46 res aliter apparet, quia loquendo de « polygamia aliisve fallacibus formis » matrimonii notantur *potius* [5] aspectus negativi; quae autem de facto in mundo exstant *in pluribus locis,*[6] non identificantur sub aspectu suo positivo.

Sacra indoles matrimonii tamen postea sub n. 61 optime illustratur. Doctrina catholica hoc loco ita proponitur ut omnibus pateat matrimonium christianum esse diversis et vere necessariis notis praeditum. Notio matrimonii recte fundatur in ipso dilectionis foedere, quod natura sua stabilitatem societatis coniugalis secum trahit. In hac notione fundamentali et primaria matrimonii omnes homines generatim conveniunt. Ergo notio foederis, ab omnibus acceptabilis, sumenda est velut basis communis ulterioris explanationis ...[7] et perfectionis matrimonii a Concilio proponendae.

Inter multa possibilia foedera dilectionis, quae olim exsistebant et hodie adhuc inveniuntur, nempe polygamia, concubinatus legalis, bigamia, etc., illud foedus excellit quod amorem humanum fortiter perficit et ab omnibus « hedonismi » et « egoismi » periculis ita eripit ut ad plenitudinem suam pervenire possit.

Polygamia et alia foedera dilectionis quadam stabilitate pollent, quae saltem bonum prolis fovet. Quia stabilitatem quamdam obtinent multae societates talia foedera matrimonium appellare consentiunt. Ideoque respiciendum est ad hunc aspectum positivum, i. e. ad bonitatem quae in illis foederibus reperitur. Nullo modo mihi est in animo affirmare Ecclesiam debere illa foedera probare, quia de facto carent notis secundum doctrinam catholicam omnino necessariis ...[8]

Sed mihi videntur, in schemate, diversa foedera, matrimonio infe-

riora, potius imperfecta et perfectionanda quam simpliciter esse damnanda ...[9]

Dilectio et foedus dilectionis inter virum et mulierem in Christo redimuntur et ad dignitatem matrimonii extolluntur. Exinde, illud foedus dilectionis, omnibus notis praeditum, quibus unitas et stabilitas coniugii perficitur, nempe illud solum foedus quod exigentiis profundioris amoris vere respondit, ab Ecclesia « matrimonium » appellatur.

Quia schema de polygamia, etsi breviter, loquitur, nonne opportunum sit ita ostendere doctrinam catholicam ut appareant *primo* relativa bonitas polygamiae et *secundo* definitiva matrimonii christiani superioritas ...[10]? Recognoscatur ergo textus n. 60 schematis ut gradatim fiat transitus a foedere imperfecto ad doctrinam completam Ecclesiae de matrimonio.

Textus ita confectus et aliae animadversiones secretariatui in scriptis remittuntur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] In nostro schemate Concilium omnes homines explicite alloquitur (cf. n. 2). Quod quidem summe congruit suo pastorali officio, et generatim apto modo absolvitur. [2] deest. [3] autem. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] (et progressus in dialogo). [8] Au contraire, j'appuie fortement les paroles de Mgr. Nkongolo à la session III: « ... ce qui est grave, ici, c'est que la nature même du mariage et son unité sont moquées et bafouées publiquement et sans la moindre honte. Tout cela constitue un péril très sérieux pour l'institution du mariage chrétien et même du simple mariage naturel. Il nous paraît donc nécessaire que l'Eglise, dont le crédit est très grand en Afrique, même auprès des païens, lance ici un solennel avertissement, et affirme notamment avec force: que le retour à la polygamie, loin d'être un progrès humain, est au contraire un sérieux recul de la civilisation; que la polygamie porte gravement atteinte à la dignité de la femme; enfin, que pour les chrétiens c'est une profanation sacrilège de la sainteté du mariage, sanctionnée par le Christ » (cf. D. C. 6-12-64, 1613 s., note 5). [9] Concubinatus legalis et polygamia longe distant ab ideali « pari humano » aut a sublimitate matrimonii christiani. A Deo tamen in Vetere Testamento, sicut et libellus repudii « ad duritiam cordis » (*Mt.* 19, 8) concessi sunt, ut aliquid relative et in se bonum, v. g. relative ad adulterium et prostitutionem quae simpliciter damnata sunt. [10] (foedus naturale, nunc sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia).

Animadversiones additae:

Pag. 46, n. 60, linn. 18-31: « Christiani in communione se sentiunt cum omnibus qui in mundo hodierno ideam altiorem tenent de dignitate viri et mulieris necnon et de exigentiis amoris specialis et pleni qui inter sponsos personali dignitate dotatos vigere debet. Et confidenter credunt notionem eximiam matrimonii, quam in Ecclesia receperunt, melius respondere talibus exigentiis quam polygamia vel alia foedera dilectionis imperfecta, quae in quibusdam regionibus adhuc inveniuntur. Pariter confidenter admittunt indolem sacram, quam amori nuptiali re-

cognoscunt, aptam esse ad consuetudinem inter virum et mulierem sublevandam supra merum "erotismum" aut proclivitatem ad "hedonismum" et "egoismum".

Praeterea commotiones et incertitudines non leves quae pro vita familiari inducuntur a necessitudinibus oeconomicis et socialibus, consentaneas existimant aetati nostrae, in qua tot et tanta citius crescunt et mutantur. Cum sollicitudine observant in pluribus orbis partibus praerapidum incrementum demographicum.

Ardua problemata exorta sunt, quae passim angorem et crisim quamdam conscientiarum invexerunt. Sed matrimonialis familiarisque instituti vis et robur ex eo apparent, quod variae et profundae immutationes societatis hodiernae veram eius naturam plurium oculis manifestare potuerunt potius quam illud penitus evertere ».

N.B. Dividitur in tribus alineis expositio nostra ut clarior appareat progressio idearum: primum exponitur *doctrina* Ecclesiae in comparatione cum ideis vigentibus et quidem incipiendo ab aspectibus positivis potius quam ab erroribus; deinde enuntiantur *facta* specialia nostri temporis; et sic pervenitur *ad enuntiationem problematum* quae ex confrontatione doctrinae et factorum exsurgunt.

II. Quoad n. 64, agnoscendus et laudandus est progressus in praesentatione doctrinae tam difficilis *de morali coniugali et de vita procreanda*. Synodus sua non facit argumenta et conclusiones auctorum ultimorum saeculorum, quae in traditione antiqua non inveniebantur. Et sic apertus remanet campus ad studium peritorum et commissionum a S. Pontifice institutarum. Servandus est omnino textus et, si possibile, luminosior fiat. Ad textum clarius reficiendum liceat mihi tres adnotationes facere et tandem novam ordinationem textus Commissionis approbationi humiliter submittere.

A) 1. Ad pag. 50, linn. 15-18: Textus potest praebere falsum sensum. Si enim novus inveniretur modus considerandi obligationes coniugum, difficultates varii generis hic recensitae, iam non essent obstaculum amori integro et harmonico colendo, sed potius occasio amorem coniugalem fovendi.

2. In propositione: « Non semper... » (linn. 18-20), sine dubio agitur de difficultate conciliandi obligationem ad tempus non procreandi prolem numerosiorem cum necessitate constanti amorem colendi actibus coniugibus propriis. Sed hoc non satis clare dicitur in textu. Haec conciliationis difficultas forsan non existit nisi in hypothesi actuali moralistarum, secundum quam unicus modus agendi coniugibus licitus est ille in quo physice et immediate servatur ordo ad foecunditatem i. e. « actus de se aptus ad generationem ». Ipse textus, mihi videtur, problema foecunditatis praeiudicat. Loquitur ac si voluntas numerum prolis limitandi secum *necessarie* traheret obligationem cessandi ab actibus quibus amor coniugalis alitur. Ni fallor, non est de intentione Concilii iudicium ferre in hoc problemate quia specialiter ad Summi Pontificis competentiam relictum est.

3. Textus tandem modo magis logico procedere deberet. Melius esset primum enuntiare *duo facta,* scil. apparitio novarum difficultatum pro coniugibus, specialiter quantum ad prolem suscipiendam et rite educandam, et ex altera parte difficultas servandi integritatem amoris coniugalis sine opere coniugibus proprio. Deinceps enuntietur *problema conscientiae* ex coincidentia horum duorum factorum exsurgens, antequam transeatur ad normas morales.

B. Pag. 50, n. 64, linn. 15-24: Nova ordinatio textus Commissioni proponitur: « S. Synodus novis coniuges in vita coniugali harmonice ordinanda saepe multis et

gravibus praepediri difficultatibus oeconomicis, socialibus-psychologicis, civilibus aliisque. Exinde in circumstantiis versari possunt in quibus numerus prolis augeri nequit, saltem ad tempus. Ex altera parte, si cessat germani amoris cultus, coniuges sibi velut extranei fiunt: ubi intima vita coniugalis abrumpitur, bonum fidei in discrimen vocari potest. Tunc etiam bonum prolis pessumdari potest: educatio enim liberorum necnon fortis animus ad prolem ulteriorem suscipiendam periclitantur.

Ideo coniuges non semper clare vident quomodo necessitas exsurgens abstinendi a munere foecunditatis componi possit cum studio amoris coniugalis in sua integritate et harmonia et mediis sibi propriis iugiter colendi ».

Secretarius generalis: Patres venerabiles, non est suffragatio proponenda, sed opportunum visum est illa quae dixi de kalendario adhuc complere notitiis magis praecisis quoad suffragationes faciendas in posterum. Si velitis notas scribere ...

Ergo, iam peregimus 16 suffragationes circa expensionem modorum *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Die 6, 7 et 8 octobris, fient 19 suffragationes pro expensione modorum schematis *de accommodata vita religiosa.*

Die 11 et 12 octobris, fient suffragationes 7 pro expensione modorum schematis « De institutione sacerdotali ».

Die 13 octobris, habebuntur suffragationes 5 pro expensione modorum schematis *de educatione christiana.* Quod schema vobis dabitur, uti dixi, ineunte proxima hebdomada.

Die 14 et 15 octobris, fient suffragationes 8 pro expensione modorum schematis *de habitudine Ecclesiae erga religiones non christianas.* Et dixi, Patres venerabiles.

Moderator: Audire velint Patres! Moderatores aestimant perplura dicta fuisse de cap. I, scil. de matrimonio et familia, et proponunt ut finis imponatur disceptationibus de hoc capite et ut transitus fiat ad cap. II, « De cultus humani progressu rite promovendo ».

Si placet Patribus ut transitus fiat, velint Patres surgere; secus in sede maneant.

[*Intervallum*: *Fere omnes Patres surgunt*].

Gratias! Antequam vero transitus fiat ad cap. II, loquatur nunc exc.mus D. Paulus Schmitt, qui loquitur nomine plus quam 70 Patrum.

5

Exc.mus P. D. PAULUS IOSEPH SCHMITT

Episcopus Metensis

Liceat mihi, venerabiles Patres, liceat mihi aliquas animadversiones facere ad Prooemium totius secundae partis schematis (n. 59).

In schemate bene monstratur quomodo Ecclesia mundum huius temporis, sicuti est, discernere debet. Et, consequenter, quomodo Ecclesia potest hunc mundum adiuvare in suo servitio humanae vocationis, necnon vocare ad christianam gratiam. Et optime.

Est autem alter aspectus dialogi inter Ecclesiam et mundum super quem optamus ampliora verba: Quomodo Ecclesia invenit in mundo huius temporis multiplices et positivas occasiones ad acquirendam meliorem conscientiam suiipsius, ad melius suum nuntium exprimendum et ad melius suam missionem adimplendam.

Omne enim quod laborat ad melius esse hominis in hoc mundo cooperatur, suo modo, secundum consilium Dei, ad melius esse Ecclesiae et provocat Ecclesiam ad seipsam renovandam. Hoc valet in ordine familiae, culturae, vitae oeconomicae et socialis, necnon politicae, tam nationalis quam internationalis.

Primum consideramus aliqua facta exemplaria. Postea proponam aliquas theologicas considerationes super id quod Ecclesia accipit de mundo huius temporis.

I. *Facta exemplaria*: Mundus huius temporis conspirat ad promovendam maiorem dignitatem hominis, ut est et esse debet persona sui compos. Nonne in hoc Ecclesia, pro parte, mundo debitrix fit acutioris curae de libertate et de morali honestate in re religiosa?

Mundus huius temporis in lumine ponit factum sic dictum socialisationis. Nonne in hoc Ecclesia, pro parte, mundo debitrix fit amplificationis, in sua vita, valorum communitatis et collegialitatis?

Mundum huius temporis adspirat ad strictiorem iustitiam in ambitu sociali et ad temporalem liberationem hominum. Nonne in hoc Ecclesia, pro parte, mundo debitrix fit exigentioris sensus iustitiae et etiam caritatis?

Mundus huius temporis magis ac magis conscius devenit suae interdependentiae et necessarii dialogi inter diversos populos et diversas civilisationis formas. Nonne in hoc Ecclesia, pro parte, mundo debitrix fit melioris conscientiae et profundioris exigentiae propriae catholicitatis?

Mundus huius temporis magis conscius fit de absurditate belli.

Nonne in hoc Ecclesia, pro parte, mundo debitrix fit enucleationis doctrinae suae traditionalis, tam lucide illustratae in Encyclica *Pacem in terris?*

Mundus huius temporis militat ut recognoscatur distinctio inter ordinem politicum et ordinem religiosum, quod vocant laicitatem, non dico vero laicismum. Nonne in hoc Ecclesia, pro parte, mundo debitrix fit purioris conscientiae et manifestationis suae evangelicae transcendentiae?

Mundus huius temporis imbutus est spiritu scientificae investigationis et inventionis. Nonne in hoc Ecclesia, pro parte, mundo debitrix fit urgentis necessitatis scrutandi suam propriam doctrinam divinitus revelatam?

Mundus huius temporis inquirit maximam significationem humanae existentiae. Nonne in hoc Ecclesia, pro parte, debitrix fit alicuius incitationis ad purius manifestandam vocationem divinam hominum per Iesum Christum, in Spiritu Sancto, ad Patrem?

II. *Theologicae considerationes*: Ex his factis et multis aliis, sequitur onus iustitiae pro Concilio declarandi id quod Ecclesia debet mundo hodierno, sincera cum humilitate et gratiarum actione.

Forsan aliquae propositiones, ut sequentes, exprimere poterunt hunc aspectum dialogi Ecclesiae cum mundo.

Debet Ecclesia non solum proponere divinam salutem mundo hodierno sicut medicus qui sanat aegrotantem, sed etiam, grato animo, recognoscere quod ipse mundus cooperatur, praedicto modo, mysterio salutis.

Debet Ecclesia gratias agere pro omne quod navitas huius mundi efficit pro meliore conditione hominis; nihil de hoc extraneum est navitati christianae gratiae.

Debet Ecclesia integrare suae vitae missionique positivas incitationes quae oriuntur e mundo hodierno quoad libertatem, dignitatem hominis, veritatem scientificam et historicam, etc. Etsi incitationes illae a nobis requirunt recognitionem morum nostrorum.

Debet Ecclesia intelligere quod futura tempora sua iam hodie inscribuntur in progressu praesenti hodierni mundi et in hominum horum temporum legitimis adspirationibus.

Debet Ecclesia firmiter et in factis tenere quod iam dictum est in constitutione *Lumen Gentium,* scil. quod gratia Dei laborat in proposito hominum ad realisationem ultimae intentionis Creatoris. Etiam si propositum istud extra visibilem ambitum Ecclesiae evolvitur.

Non sufficit ut Ecclesia consideret mundum praesentem ut puram marginem vel ut occasionem suae propriae actionis. Intelligere debet

hominum propositum esse in statu activae vocationis ad regnum Dei, in statu intrinsecae connexionis cum opere salutis in Christo.

Concludo. Valde optandum est ut hic aspectus dialogi Ecclesiam inter et mundum, in prooemio huius secundae partis, magis enucleatur.

Deus enim christianae salutis idem est ac Deus Creationis humanaeque historiae! Dixi. Gratias.

Moderator: Transitus fit ad cap. II.

6

EXC.MUS P. D. LEO ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentinensis

Venerabiles Patres,

Aliquas de cap. II, scil. « De cultus humani progressu rite promovendo » facere intendo observationes, negativas imprimis, constructivas deinde. Concretas propositiones ad secretariatum *transmitto.*[1] Hic ipsum motivum tantummodo propositionum delineare vellem.

Problema principale in hoc capite tractandum, est conditio et modus se gerendi Ecclesiae quoad civilisationem technicam mundi hodierni.

In textu, quem prae oculis habemus, nimiae, quam par est, quaestiones considerantur. Ex eo consequitur, textum multas generales affirmationes piasque exhortationes complecti, veraque carere excelsitate. Graviores quaestiones quae hodie Ecclesiae conscientiam movere debent non satis emergunt.

Ipsa conceptio culturae nimis arcta videtur. Cultura enim illud est quod elucet ex modo quo homines, certae regionis ac certi temporis, sese exprimunt, non solum in cultu religioso, in vita intellectuali et artistica, sed etiam in structuris technicis, in forma laboris et in otiorum ordinatione.

Ut Concilium a mundo audiatur, caput hoc plane recomponi debet.

En, ut mihi apparet, respectus sub quo praecipuum problema ab *Ecclesia hierarchica*[2] considerari debet.

Inquieta hodie est Ecclesia, eo quod influxus eius, in hodierno tempore minuitur, atque Nuntium eius non aeque libenter ab hominibus recipitur.

Quomodo praesens esse potest Ecclesia in mundo, in quo, pro maiore parte, homines ipsa Ecclesia adhuc non indigent; quia per se solos, independenter ab Ecclesia — immo nonnunquam contra eam-

dem —, sibi composuerunt proprium humanismum, propriam anthropologiam, etiam propriam ethicam, immo messianismum terrestrem.

Illud quod novum, in hodierno rerum statu dici debet, non est quod Ecclesia obviam sibi habet culturas novas, sed quod non amplius earumdem directionem assumere valet contendere.

I. *Rationes huius rerum status. a*) Rationes *demographicae.* Magis augetur hominum multitudo in iis mundi partibus, quae religionem christianam vix aut non receperunt. Conatus qui in maiore mundi parte fiunt ad promovendam culturam, minime inde christiana conceptione nituntur.

b) Rationes *historicae.* Etiam in regionibus quae Nuntii christiani heredes fuerunt, apud non paucos homines, diffidentia aliqua viget erga Ecclesiam. Hanc diffidentiam causarunt animi pusillanimitas, spiritus dominationis, carentia aestimationis et amoris, quibus haud raro accusata est Ecclesia, per ultimos quinque saeculos, relate ad hominum opera culturalia.

Insuper, Ecclesia, saeculis elapsis, semetipsam inclusit in certa specie culturae quae cum philosophia determinata colligatur, et, eo ipso, aliquatenus, incapax facta est sermonem et modum cogitandi hominis hodierni temporis intelligendi.

c) Rationes *pastorales.* Per multum tempus, Ecclesia mundum non sufficienter audivit, et, ita agens, missionem suam apostolicam non plene adimplevit. Ut efficienter testis sit Christo, Ecclesia ad investigationes et angustias hominum attendere et respondere debet. Iam vero, saepius, doctrinam profert abstractam et quasi irrealem, quae mundi necessitatibus non occurrit.

Curae pastorali, quidem, congruum non est, quod quaestionibus aliquibus positis, responsum non dat Ecclesia; sed magis eidem contrarium est, quod Ecclesia responsum profert quando non fuerunt positae quaestiones.

II. *Quomodo hodie, in tali rerum statu, Ecclesia adhuc valet esse praesens culturis hominum, easque spiritu evangelico imbuere potest?* Ecclesia ad id contendere debet, ut coniunctior sit cum culturis, instaurando dialogos et collaborationes, sed spiritu semper servitii non dominationis ducta.

Primo, advigilare debet imprimis Ecclesia, ut multi veri christiani capaces sint praesentiae activae, in omnibus campis ubi mundi vultus exstruitur: i. e., ubicumque paratur modus studiorum, ratio habitandi, laboris forma, otiorum ordinatio, etc. Hi christiani ambiguitates progressus introspicere debent, ita ut in omnibus his campis valores pro-

prie humanas dignoscere et salvare valeant. Hoc, ut fiat, requiritur ut ipsi sacerdotes sufficienter sint mente aperti atque exculti, ita ut laicos efformare valeant secundum sanam ordinationem valorum.

Deinde, suscitare debet Ecclesia varias formas congressus et collaborationis, quibus variarum disciplinarum docti, inquisitiones suas componere valeant cum veris argumentis authenticae Traditionis christianae.

Hoc modo, tantum, cessabit divortium inter ambitum fidei et ambitum scientiarum.

Denique, Ecclesia suscitare debet theologos, talis intuitionis spiritualis capaces, ut in Nuntio evangelico et in cultura biblica, ea dignoscere atque extollere valeant, quibus homines hodierni aptius alloquuntur; atque etiam in propria investigatione incorporari possint quae in philosophia moderna sana sunt et quae in cultura scientifica nos movent. Hi theologi etiam detegere debent quae in mundo hodierno aliquo modo sunt in statu exspectationis relate ad Evangelium et etiam relate ad aliquam spem eschatologicam (gallice dicimus « les pierres d'attente du Royaume dans le monde d'aujourd'hui »).

Hic agitur non tam de methodis pastoralibus, quam de ipsa reorientatione theologicae reflexionis.

Ad illam obtinendam, omnino optatur, ut Ecclesia, theologos spiritu creativo munitos, ad laborem incitet.

Nisi adsint in Ecclesia exploratores (gallice « avant-garde »), multitudo Populi Dei non facile invenit in hoc mundo vias Domini. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] transmisi. [2] Ecclesiae hierarchia.

Animadversiones additae:

Ad n. 22. *De cultura rite promovenda.*

A - *Remarques critiques.*

1. *Les « services réciproques » échangés entre Eglise et culture ne doivent pas apparaître comme de l'« utilitarisme »*. Dans le texte du Schéma (n. 22) comme dans l'Annexe III, les rapports envisagés entre l'Eglise et la culture sont conçus d'une façon trop utilitaire, sous la forme de services réciproques. Lorsqu'on essaye de justifier ces services et parfois simplement de les exprimer, on utilise des formules trop vagues ou qui donnent l'impression qu'on n'a pas tenu compte suffisamment de l'histoire assez complexe des problèmes qui concernent les rapports de l'Eglise et du monde.

Exemples: Dans le n. 22 du Schéma, p. 25 lignes 39-41, on affirme qu'on aboutit à une déchéance de la culture lorsqu'on néglige l'apport religieux. C'est vrai, mais on n'explique pas pourquoi.

Pag. 26, lignes 8-9, on demande que les chrétiens pratiquent l'art, la science, etc., « in Christi lumine ». C'est très vague et l'on ne voit pas ce que la lumière du Christ peut apporter à une telle culture.

Dans l'Annexe III, p. 29, n. 7, la même ambiguïté subsiste; elle devient plus gênante car le nombre des formules qui servent à définir l'urgence des services que l'Eglise peut apporter à la culture est assez considérable. Lorsqu'on dit (cf. n. 7, § 3) que la prédication évangélique et la dispensation des mystères appellent l'homme et le conduisent déjà à une culture humaine et sociale « eo ipso »: c'est équivoque. Cela peut signifier la chrétienté sous sa forme la plus stricte où l'Eglise tient tout en main, même les secrets pour faire des machines à vapeur; ou cela peut être entendu dans un sens très large et alors cela ne signifie plus rien.

Quand on dit (même §) qu'à la suite d'une telle influence, les chrétiens peuvent se comporter dans le plan de la culture « humaniore modo »: la formule est assez bonne, mais elle ne dit pas tout ce qu'elle contient, parce qu'il y aurait tout un contexte doctrinal à rédiger pour la faire comprendre. C'est par le biais d'*un redressement de l'homme* comme tel que l'Eglise influe sur la culture, et non au plan des fins « objectives »; car elle ne possède aucun « secret », ni de la beauté, ni de la vie économique, ni de la vie politique, etc.

Le n. 8 de l'Annexe III (p. 30) conçoit également le problème de l'Eglise et de la culture sous l'aspect de rapports uniquement utilitaires. Lorsqu'on dit (cf. n. 8, p. 30 (lignes 4-5) que la culture rend l'homme « promptior ad Deum inveniendum eiusque vocem percipiendam »: c'est vague. Quand pour expliciter la sollicitude de l'Eglise à l'égard de la culture, l'Eglise doit veiller à ce que la culture n'empêche pas la vie chrétienne — ratione peccati — mais que l'Eglise élève l'homme et l'ouvre au salut, ces formules pourraient être excellentes si l'on voyait mieux de quoi il s'agit. Cela fait penser à ce que dit S. Thomas lorsqu'il apprécie un acte moralement correct: la correction même de l'acte sur son plan propre le rend « ordinabilis ad finem ultimum ». Dans ce cas on comprend la jonction des deux plans. L'esprit doit devenir « capax Dei ».

P. 31, ligne 1, on se contente d'évoquer « magnae simul utilitatis est pro ipsa Ecclesia »...: cela fait trop mesquin. Quand ensuite on parle de la culture qui peut rendre la tâche d'évangélisation plus facile parce que l'homme informé par la culture mérite les qualificatifs de « aptior et promptior » (p. 31, ligne 4): on ne voit pas pourquoi c'est vrai et à quoi cela correspond.

Les explications doctrinales à donner, pour combler ces lacunes, pourraient rester sommaires à condition de renvoyer à un chapitre doctrinal préliminaire, définissant suffisamment *la distinction et la jonction intrinsèque* de l'Eglise et du monde et, par répercussion, de l'Eglise et de la culture.

2. *Soyons ouverts au monde d'aujourd'hui tel qu'il est.* Le texte du Schéma, tel qu'il est conçu, pourrait sembler destiné à un monde religieux passablement clos, et par là on pourrait lui reprocher de passer à côté de la question qui doit être considérée sur ce plan comme étant la question essentielle. La voici: L'Eglise est inquiète de ses possibilités de rayonnement parmi les hommes de notre temps et de ses possibilités d'accueil par eux. Comment peut-elle être présente *dans* et *à* un monde qui semble ne plus avoir besoin d'elle parce qu'il s'organise en un humanisme, ou une anthropologie, même en une éthique et une vie spirituelle (à la fois très haute et très simple) et finalement en un messianisme terrestre?

3. *Ne sous-estimons pas l'importance du problème de la culture.* Le Cardinal Lercaro avait dit au Concile, le 4 novembre 1964: « Le numéro 22 est comme le nœud de tout le Schéma ». Or c'est la partie du document conciliaire dont le

texte semble le plus faible, comportant beaucoup de lieux communs sans grande signification actuelle.

Par exemple, telle qu'elle est présentée par le Schéma, la culture pourrait être considérée comme un certain « luxe », alors qu'elle est devenue « un fait de masse ». La culture se développe en relation aves les loisirs. Or les loisirs sont devenus un élément essentiel du monde moderne.

B - *Propositions pour une refonte du texte.*

Introduction. 1. *Le fait culturel et la situation nouvelle qu'il pose à l'Eglise.* D'une part le christianisme est mis en question dans le monde moderne: « Dieu est mort » parce qu'on n'a pas besoin de lui.

En face de l'Eglise il y a un monde culturel florissant et une mutation considérable des données du monde culturel qui, bientôt, influencera et réglera de vastes régions de notre comportement individuel et collectif.

Quelle va être la situation de l'Eglise devant le nouvel humanisme qui s'édifie sous nos yeux et qui est un humanisme intégral, comportant tous les périls de l'immanentisme et le refus de la transcendance? Quelles seront encore les possibilités de présence et d'évangélisation de l'Eglise à l'égard de ce monde nouveau?

2. *L'attitude nouvelle de l'Eglise n'est pas une position de repli stratégique.* Attention à une vue trop courte de l'histoire: la problématique dont nous prenons conscience actuellement a toujours existé. L'Eglise s'est toujours trouvée devant de nouvelles cultures. Ce qui est nouveau, c'est qu'autrefois l'Eglise avait conscience d'être *effectivement* « le guide ». D'autre part, le monde est désormais plus difficile à atteindre parce que plus loin de Dieu et parce que nous ne parlons pas, de part et d'autre, le même langage.

Le fait, pour l'Eglise, d'accepter de ne plus avoir le monopole de la culture, n'est pas une position de repli stratégique mais un phénomène normal d'évolution et de purification. Toute religion, à mesure qu'elle progresse, se purifie, en se délestant de charges temporaires qu'elle avait dû assumer et dont elle se libère pour pouvoir être davantage elle-même.

L'Eglise se décharge progressivement de ce qui ne lui paraît pas relever de sa mission propre. Cette séparation n'est pas un divorce mais la preuve qu'elle prend mieux conscience d'elle-même et de « l'autre ». La mission de l'Eglise dans le monde *des* cultures n'est ni « captation » ni « retrait », mais volonté d'authenticité et de « pauvreté évangélique ».

3. *Les attitudes positives qui s'imposent à l'Eglise* dans son souci de présence aux problèmes culturels d'aujourd'hui peuvent être ramenées à trois, qui s'appellent et se complètent: I. Etre à l'écoute du fait culturel; II. Intégrer à la vie chrétienne les richesses de la culture; III. Apporter sa propre contribution à l'effort culturel.

Ces divers devoirs découlent pour l'Eglise de sa mission « d'Incarnation »... à la suite du Sauveur.

I - *Etre à l'écoute du fait culturel.* Pour savoir comment elle pourra entrer en contact avec le monde *des* cultures, l'Eglise a le devoir d'être d'abord à l'écoute du fait culturel, dans une attitude d'accueil et d'ouverture, faite de sympathie et de confiance.

Elle doit être à l'écoute du fait culturel:

1. *Dans toute son actualité.* Voir ce qui compte aujourd'hui le plus dans le

monde de la philosophie, de la littérature, des sciences, de la technique, des loisirs.

Etre attentif à la manière dont la jeunesse se comporte vis-à-vis de la culture, car c'est la jeunesse qui représente l'avenir de l'Eglise.

Constater la progression continue du fait culturel, animé par un dynamisme non conformiste. Nous ne sommes plus dans un monde statique mais dans un monde en devenir continuel. Le dynamisme de l'activité culturelle consiste à reculer sans cesse toutes les limites.

2. *Dans son ampleur et sa complexité.* Le phénomène culturel se présente avec trois caractéristiques:

a) C'est un *phénomène de minorités créatrices* qui fabriquent des valeurs nouvelles: artistiques, techniques, scientifiques, idéologiques. Cela concerne en particulier le monde de *la haute culture* (où travaille un certain nombre de spécialistes).

b) C'est un *phénomène de masse.* Il existe en ce moment une *culture de masse* qui pénètre partout grâce aux énormes moyens de diffusion. D'autre part, il naît toute une civilisation des loisirs, directement secrétée par la civilisation du travail dont elle est l'envers en même temps qu'elle l'équilibre.

c) C'est un *phénomène qui relève d'une sociologie* des milieux, de l'espace, du temps.

Il existe une *sociologie culturelle* qui a dégagé une typologie des cultures en montrant comment les cultures prennent une coloration particulière suivant les milieux géographiques, sociologiques, historiques.

3. *Dans son originalité.* *a*) Les cultures se développent dans une *autonomie croissante* à l'égard de toutes les traditions d'ordre moral, politique, religieux, idéologique. Il y a un phénomène de déconfessionnalisation et de désacralisation croissantes, en même temps qu'un phénomène d'auto-sacralisation: on découvre un nouveau sacré.

b) *L'aspect communautaire* est une des caractéristiques du fait culturel.

Les groupes et les milieux culturels secrètent des habitudes de pensée et des styles de vie. Sous l'influence de la culture de masse se créent des modèles (vedettes et héros), des rites (le besoin d'avoir son spectacle chaque semaine), des cadres nouveaux (l'éducation populaire fait surgir de nouveaux meneurs). Les équipes de la recherche scientifique forment une société qui a ses structures, sa discipline, sa « morale », ses valeurs particulières.

4. *Dans sa puissance formatrice de l'esprit.* Les loisirs sont une école de divertissement mais aussi une école de vie.

Le monde de la technique crée une mentalité spéciale, une conception particulière de la vérité (la hantise de l'exact, du mesurable, de l'authentique).

Les moyens audio-visuels secrètent une éthique, éduquent un comportement affectif qui se situe au-delà des discours et qui peut secréter des idéologies (au moins chez les plus intelligents).

5. *Dans son dynamisme missionnaire.* *a*) Des organisations culturelles tendent à s'ériger en entités de même valeur que les religions. Plus ou moins consciemment elles prennent à l'égard de la religion soit une attitude provocante (de combat), soit une attitude d'indifférence, considérant la religion comme absolument dépassée (puisque devenue inutile).

Les loisirs sont ainsi devenus quasiment des « moyens de salut », qui complètent les propositions de vie qui proviennent de la profession. De même il y a désormais les « apôtres » de la culture populaire.

b) Chaque type de culture, s'il est vraiment vivant, se donne une *vocation universaliste* et a tendance à devenir missionnaire: cela surtout grâce aux moyens de communication modernes, avec le support de la jeunesse et l'appui des Etats.

A partir du moment où les cultures deviennent universalistes, elles se considèrent comme des « absolus » et deviennent un « ersatz de la religion », un nouveau messianisme.

Conclusion. Pour pouvoir répondre à une exigence d'information permanente et vraiment objective face aux réalités culturelles modernes, l'Eglise devrait avoir autour d'elle *des équipes* qui l'aident à s'informer. Ces équipes devraient avoir une formation générale leur permettant d'interpréter les formes culturelles du monde moderne. Il serait même heureux qu'à ce travail d'information l'Eglise puisse associer quelques incroyants qui accepteraient cette collaboration.

L'Eglise devrait s'interroger aussi au sujet de son propre comportement vis-à-vis de ce monde culturel, pour mieux comprendre les réactions des autres à son égard, leurs déceptions ou leur défiance: cela pour lui permettre de rectifier certaines de ses attitudes.

II - *Intégrer à la vie chrétienne les richesses de la culture. N.B.*: Il ne s'agit pas d'une intégration qui serait une absorption telle qu'elle se réalisait dans le passé. Il ne faudrait pas tomber dans un mauvais humanisme chrétien. L'église doit respecter l'autonomie du temporel.

Le rôle *propre* de l'Eglise est d'annoncer Jésus-Christ Sauveur et non pas de créer elle-même des valeurs culturelles temporelles. Mais elle se doit d'accueillir les valeurs culturelles d'aujourd'hui pour élaborer une expression de la foi répondant à notre temps et apte à être appréciée par les esprits les plus exigeants.

Cela implique un triple effort:

1. *Comprendre et re-connaître les valeurs culturelles du monde d'aujourd'hui.* Raison *ontologique*: la culture étant désormais un des aspects les plus importants de la promotion de l'homme, elle devient aussi un aspect de la manifestation de Dieu, car tout ce qui est bon vient de Dieu.

Raison *pastorale*: les mondes culturels sont le milieu providentiel où doit se réaliser actuellement l'incarnation ou l'insertion du Message évangélique. Il importe donc que l'Eglise comprenne bien, par le dedans, les modes de pensée et de vie de ces mondes culturels, puisque ce sont les intermédiaires nécessaires entre elle et l'homme d'aujourd'hui. Ces diverses formes de culture constituent des médiations normales entre Dieu et l'homme.

2. *Discerner ce qui est valable.* L'Eglise ne peut pas intégrer sans choisir. Avant d'utiliser elle-même les langages culturels d'aujourd'hui, elle doit d'abord, avec prudence, discerner la valeur de ces formes d'expression de l'homme moderne. Mais, comme nous sommes dans un monde en devenir, l'Eglise veillera à ne pas bloquer la recherche par des jugements prématurés.

3. *Assimiler ce qui est reconnu comme valable.* Quels éléments des cultures modernes l'Eglise va-t-elle intégrer pour que l'homme d'aujourd'hui puisse se sentir compris par elle et pour qu'il puisse la comprendre? Quelques *exemples*:

a) *La conception de la recherche de la vérité.* Pour pouvoir mieux faire

reconnaître l'originalité de deux sortes de vérités — la vérité, fruit d'expérience, et la vérité qui est un absolu révélé irréductible — l'Eglise tiendra compte de la conception de la vérité à laquelle est habitué l'homme d'aujourd'hui, vivant dans un monde dominé par la science. L'Eglise orientera l'homme moderne vers une dimension de la vérité que le savant ne trouve pas dans son laboratoire.

Ce qui intéresse le monde moderne, ce n'est pas ce que Dieu « est » en lui-même mais ce qu'il est *par rapport à l'homme* (comment Dieu sauve). L'homme moderne est davantage sensible à une vérité de salut qu'à une vérité religieuse de pure connaissance. Il a l'impression que par la Révélation Dieu ne répond pas à notre curiosité mais à un besoin vital.

L'Eglise sera particulièrement sensible à deux aspects fondamentaux que revêt la vérité pour l'homme d'aujourd'hui: c'est une vérité qu'on n'a jamais achevé de découvrir; c'est une vérité « puissante » qui transforme (qui est efficace). Sur le plan religieux, ce sera une « dunamis », une vérité qui sauve (par la vertu même de son origine divine), c'est une vérité qu'on découvre *ensemble* (en équipe).

b) *La valeur de la psychologie affective.* L'Eglise devrait assimiler aussi une partie de l'anthropologie moderne et en particulier la psychologie affective (ou psychologie des profondeurs). Les vertus doivent être enseignées en faisant appel au « cœur » (dans le sens biblique du terme) pour avoir prise sur ces mondes culturels marqués par leur ouverture aux valeurs affectives.

c) *L'importance de la dimension historique.* On prend de plus en plus conscience que le réel est « temporel ». La dimension du temps est à la fois principe d'intelligibilité et de maturation de toutes choses. D'où l'importance des sciences historiques également pour les sciences sacrées, en particulier pour les sciences bibliques. Il importe donc que l'Eglise reconnaisse la liberté de la recherche dans le respect des compétences.

d) *Les exigences inéluctables du langage.* Le langage traduit toujours une expérience.

Notre terminologie religieuse a été jusqu'ici fonction d'une vision très statique du monde. Notre vision actuelle étant avant tout évolutive, il faut nécessairement en tenir compte pour traduire nos vérités religieuses, si nous voulons être entendus.

III - *Apporter sa propre contribution à l'effort culturel.* La mission de l'Eglise vis-à-vis des cultures est à la fois une mission de service et une mission de salut.

1. *Mission de service.* L'Eglise y satisfera:

a) En suscitant et éduquant certaines *attitudes de base* que l'Eglise de l'Evangile a en commun avec certains milieux culturels: attitude d'authenticité; attitude de pureté et de transparence; attitude d'humilité et de pauvreté (dans le sens de disponibilité); le souci du dialogue; la nostalgie de l'unité.

b) En apprenant aux hommes *à choisir* devant la multiplicité déroutante des propositions qu'offrent les cultures.

Que l'Eglise dirige les options des chrétiens et éclaire les hommes de bonne volonté.

2. *Mission de salut.* Il faudrait que l'Eglise ose avertir les mondes culturels des dangers qu'ils secrètent. Mais qu'elle le fasse avec simplicité, pureté et désintéressement, ne manifestant d'autre volonté que celle de *sauver l'humain dans l'homme.*

L'Eglise doit aider la montée culturelle des hommes à ne pas dévier de sa signification humaine et à rester ouverte au sens du mystère et de la transcendance. Elle le fera en rappelant toujours les significations ultimes de la personne et de la vie humaine. Ici comme ailleurs, l'influence de l'Evangile ne peut que délivrer et servir l'accomplissement humain véritable.

L'Eglise ayant mission de défendre de préférence les faibles, doit protéger avant tout les valeurs qui, à l'heure actuelle, sont les plus gravement menacées et même en voie d'être sacrifiées: des valeurs de recueillement et de silence indispensables à une vie authentiquement humaine; les valeurs d'intimité, d'intériorité et d'amitié, conditions d'une resacralisation de l'amour; le sens du respect et de la transcendance, nécessaire à la préhension du sacré de la vie et du sacré de la mort; le sens du gratuit, en face de l'idolâtrie du rendement; le sens de la qualité, devant l'écrasement par la quantité; la recherche d'une personnalisation véritable à travers des communautés, en réaction contre le nivellement par la base dû au processus de massification.

Conclusion. Pour remplir sa mission propre au milieu des mondes culturels d'aujourd'hui, l'Eglise veillera: *a*) à reconnaître l'autonomie du phénomène culturel; *b*) à réaliser des structures de dialogue, pour être présente à ce monde comme le sel qui préserve, comme un ferment qui fait monter.

7

Exc.mus P. D. IULIANUS LE COUËDIC

Episcopus Trecensis

Venerabiles Patres,

Caput illud II, quod « De cultus humani progressu rite promovendo » agit, maximi momenti mihi videtur ad aetatem nostram quod attinet. Genus quoddam constituit compitis (gallice « carrefour »), a quo omnes humani progressus in quaslibet directiones proficiscuntur.

Ob hoc ...[1] simul « structuratum » et completum esse debet, i. e. humanorum valorum scalam statuere, omnibus technicarum sive antiquarum sive novarum gradibus congruere, simulque eorum mensuram moderari certum locum eis *tribuens*.[2]

Et, ad hoc ...[3] illustrandum, intendit modesta mea interventio.

In ipso initio capituli, n. 65, haec verba leguntur, quae arctissime cum contextu nectuntur, et quae in lucem clariorem poni debent, *scil.*[4]: « Ex diverso autem modo utendi rebus ».

Tota enim cultura moderna ad hoc tendit *praecise*[5] ut cognoscatur et efficiatur verus et adaequatus modus utendi rebus, et quamvis de eo aperte agatur n. 71, hic verus modus non sufficienter ibi, meo quidem sensu, in luce ponitur.

Nam rebus uti potes modo quo faciunt philosophi, eas vacuefaciens

earum substantia et specie semper miranda et mutanda, non relinquens eis nisi earum « esse » intelligibile. Hoc in casu, res non vere in seipsis conspiciuntur; subiectum analysis tantum sunt: contingentia enim earum « esse » uteris ut ad illam Rationem sufficientem et Plenitudinem, quae est Deus, pervenias.

Revera modus ille Platonicus cogitandi, supra res ipsas procedit; videturque Graecorum sapientia parum de illo puncto curasse. « Homo faber », cui sanctus Thomas proprium locum tribuit, dignus non videtur cui magni Helladis philosophi animum *intendunt*[6]; nec ipsa technica, quamvis tunc temporis vox illa sit vix inchoata hominumque auribus consona; et hoc *revera*[7] in stricta logica.

Aetati autem nostrae, periculum est ne ad conclusionem hac de re absolute contradictoriam deveniatur. Tantopere homo faber rebus vincitur, ut iam non possit eis imperare et, si hic neologismus adhiberi possit, sese « deshumanizet »; et ut eo magis fiat faber, eo minus maneat homo; extra suum situm psychologicum *et ontologicum*[8] ponitur, nec iam locum habet.

« Agere » suffecit « contemplationem », et cum illud « agere » exerceatur in ordine quantitatis et productionis *tantum, fere simile est illae productioni « in serie » et*[9] « anonyma », necnon maioris ...[10] quantitatis ex eo capiendae, modus ille utendi rebus irrationabilis factus est, et consequenter *non solummodo immoralis sed*[11] amoralis.

Proinde emendatio maximi momenti efferenda est ad hanc novam mundi visionem.

Profecto, et contra Platonicae philosophiae placita, res in seipsis exsistunt; propriam naturam habent, propriumque situm in universo; non sunt signa tantum, sed entitates.

Sed rursus, nullo modo fines sunt; *media* sunt, et forsan vox illa clarius exponi deberet in ipso textu capituli. Nequit homo in rebus sistere: si enim illi vitae commoditates praebent, non sunt in se aliquod « bene esse », nec a fortiori aliquod « melius esse », nec *praesertim « integrum et*[12] totum bene esse »; non debet homo illis servire, sed illis *uti* ad contemplationem, in eo sensu quod contemplatio habet quid gratuitum et extollens animam. In hoc enim statu, si accipimus definitionem culturae *ab oeconomista illustri datam: cultura est*[13] possibilitas homini data *inveniendi suum verum situm in universo*[14] » (gallice: « La culture est la possibilité pour l'homme de se situer »), homo plene tunc in suo statu *definitivo*[15] permanet.

Obliviscendum enim non est quod bene notat Introductio ad schema « De Ecclesia in mundo huius temporis »: in *hac culturae quaestione,*

id ad quod omnia referuntur ut[16] summum momentum *est*[17] integra vocatio hominis ...[18]

Addamus tandem quod rebus « sub specie Pulchri et Boni » uti, impossibile est, nisi sub hoç respectu *integrae vocationis hominis*[19], *nam propter materialem et quidem maximi momenti utilitatem, ex illis*[20] exsurgere sinunt « spiritualitatem » quam modo virtuali continent. Si res ita *respiciuntur,*[21] Deus non longe est ab intellectu humano de rebus ...[22] meditante eisque utente; primum praesentitur Deus, deinde invenitur; et Universum « Laus Dei » efficitur.

Concludentes postulamus ut formaliter dicatur in illo cap. II res tantum esse media; secundo, « agere » non esse ita magni efferendum ut parvipendatur et tollatur contemplatio; tertio, rebus esse utendum sed non eis serviendum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ipsum. [2] attribuendo. [3] ultimum punctum. [4] deest. [5] deest. [6] intendant. [7] deest. [8] quodammodo. [9] quae est tum « in serie » tum. [10] argenti. [11] deest. [12] deest. [13] a Siegfried propositam. [14] bonum suum inveniendi et tenendi. [15] deest. [16] cultura. [17] habet. [18] (pag. 12, lin. 19). [19] deest. [20] et quod praeter materialem utilitatem. [21] conspiciuntur. [22] humanis.

8

Exc.mus P. D. LUCIANUS LEBRUN
Episcopus Augustodunensis

Venerabiles Patres, carissimi Fratres,

Nomine plurimorum episcoporum loquor *circa educationem culturalem integralem hominis et speciatim circa illud quod ab omnibus vocatur « le sport »*.[1]

Liceat *enim*[2] in memoriam revocare momentum activitatis sportivae in mundo hodierno, simul ac valores fundamentales activitatis sportivae tanquam media ad integram culturam hominis efficiendam.

I. *Momentum activitatis sportivae in mundo hodierno.* Iam non est ulla condicio socialis (« aucun milieu social ») in qua quocumque modo activitas sportiva non habeatur.

Mediis hodiernis communicationis socialis — sive ordinentur sive non ordinentur ad rem sportivam — cognoscuntur ab omnibus eventus sportivi, non solum ludicra certamina quae sunt talis vel talis loci, aut societatum in natione existentium, sed etiam competitiones illae quae

in quavis terrarum parte fiunt inter propugnatores diversarum gentium; quibus mediis attrahuntur ad loca in quibus fiunt competitiones, spectatores magis ac magis idonei, necnon magis ac magis multi.

Illorum quoque qui ad ludicra certamina sese exercent numerus ac valor de die in diem crescit. Etenim, ab ipsa infantia, in activitatem sportivam pueri exercentur. Aliunde, plurimis otia maiora praebentur ad hanc activitatem et diversa ludicra exercitia fovenda sive individualiter sive collective. Itaque, non est dubium quin mentalitas sportiva et exercitia corporalia fiant partes mentalitatis hominis hodierni et, simplicius, animi culturae.

II. *Valores fundamentales activitatis sportivae.* Valor praecipuus activitatis sportivae est peculiaris efficacitas ad *integrum bonum* [3] hominis, totam eius personalitatem extollendo.

Iam vis, agilitas et concordia ipsius corporis humani, in ludicris certaminibus se praebent ut radii virtutis et pulchritudinis Creatoris, iuxta Scripturam: « Deus creavit de terra hominem ... et secundum se vestivit illum virtute ... et secundum imaginem suam fecit illum » ...[4]

Insuper, mediantibus voluntate, abnegatione, constantia et fortitudine necessariis ad ludicra certamina, manifestatur penetratio animi in corpus humanum. Haec benefica dominatio animi in corpus et, consequenter, haec docilitas gradatim aucta corporis ad animum, magis ac magis hodie inveniuntur in methodis adhibitis ad paranda exercitia.

Aliunde activitas sportiva maxime favet incremento aliquarum qualitatum hominis quae sponte ordinantur in servitium boni communis sed quae excolendae sunt ut bono illi magis inserviant. Quales sunt mens illa qui dicitur « esprit d'équipe », rigor et subtilitas in perceptione, promptitudo in decisione, firmitudo in conatu, repetitio in offensione. Illis virtutibus alluditur in sermone communi quando designamus illum qui in vita quotidiana habet mentem sportivam (« l'esprit sportif »).

Dominus in terra nos posuit ut exerceamus omnia quae perfectiorem reddunt vitam nostram quin omittamus lumen et splendorem quae de caelo proveniunt. Activitas nempe sportiva, qua habetur concentus congruens corporis a Deo creati et emendatio interior per disciplinam obtenta, nonne se habet ut authentica expressio caritatis erga nosmetipsos simul ac proximum, si, hac adiuvante activitate, homo, recta otiositate utens, physice excolitur ut aptior fiat ad universas facultates in obsequium fratrum ponendas?

Hoc tandem quoque notandum est quoad aliquomodo ad socializationem pertinet: activitas sportiva nempe ingentes multitudines congregat et animum plurimorum retinet attentum circa manifestationes maioris

momenti. Praesertim multis occasionem praebet congregandi homines ex diversis condicionibus socialibus ac nationibus. In illa pacifica aemulatione habetur aliquod fundamentum fraternitatis universalis et concordiae inter diversos coetus humanos ex omni natione et genere.

Unde proponitur addere textui schematis (n. 73, lin. 2 s.) has lineas: « Activitas sportiva et physica cultura sunt in primis media amplissime diffusa integrae hominis culturae *favendae*.[5] Adiumento sunt iustae proportioni inter corpus et animam servandae, magni momenti qualitates morales augent, fraternasque relationes statuunt inter homines omnium condicionum, nationum atque gentium ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] qui hic subscripserunt. [2] deest. [3] integram salutem. [4] (*Eccli.* 17, 1, 2). [5] favendi.

[*Subsignaverunt etiam*] card. Richaud; P. Théas, ep. Tarbes et Lourdes; G. Huyghe, ep. Arras; J. Bellec, ep. Perpignan; J. card. Martin; G. Matagrin, aux. Lyon; A. Bontems; R. Johan, ep. Agen; J. Patria, ep. Périgueux; H. Dupont; A. Atton, ep. Langres; C. Tourel, ep. Montpellier; M. Lallier, arch. Marseille; M. Maziers, aux. Lyon; E. Polge, ep. tit. Tiava; A. Pailler, coad. Rouen; V. de la Chanonie; P. Vignancour; G. Jacquot; H. Jenny; P. Puech; J. Brunon; J. Urtasun, arch. Avignon; R. Bézac; H. Donze, ep. Tulle; G. Bannwarth; R. Boudon; P. Gouyon, arch. Rennes; A. Bréhéret, ep. Cahors; J. Vilnet, ep. S. Dié; G. Garrone, arch. Toulouse; J. card. Lefebvre, arch. Bourges; E. Pirolley, ep. Nancy; A. Cazaux, ep. Luçon; J. Guilhem, ep. Laval; J. Hermil, aux. Autun.

9

Rev.mus P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Magister Generalis Ordinis Praedicatorum

Venerabiles Patres,

...[1] Fatendum est etiam libenter in isto cap. II plura eaque optima de hac momentosa re contineri. Ea tamen nimis diffuse proponi videntur, nec satis profunda immo neque satis exacta ad valores reales doctrinae Ecclesiae, quae nonnisi timide et quasi per transennam memoratur, cum tamen tam magnas partes reapse habeat in provehenda et complenda humana cultura huius nominis digna et tam necessarium sit ut talis cultura exponatur, diffundatur et defendatur.

Ut his vel similibus defectibus remedium aliquod afferatur, quattuor modeste proponere velim.

1. Culturae momentum. Fatendum est hoc punctum de cultura humana rite provehenda esse inter potiora totius constitutionis: *a*) quia

cultura ipsa est inter meliora bona humana consideranda; *b*) quia maxime adiuvare potest ad consequenda omnia alia de quibus homo indiget, et specialiter ea quae in toto hoc schemate perpenduntur.

2. Culturae diffusionis necessitas. Hinc sequitur maxime oportere ut cultura inter omnes homines, quatenus possibile sit, diffundatur. Usque dum fere omnes homines quamdam culturam non possideant, mutua conviventia et commercium erunt impossibilia. Unde inter prima bona quae egenis et operariis procuranda sunt, numeranda est cultura et consequenter media oeconomica vel alterius generis necessaria ad eam sufficienter acquirendam. Dictum est, et bene, quod hodie pauperes communiter non amant eleemosynam, vel melius iudicant, et merito quidem, quod non datur iusta et plena satisfactio suis necessitatibus per solam eleemosynam, sed praeferunt et exigunt medium vel genus vitae, quo ipsi cum suo labore obtinere queant necessaria ad vitam dignam gerendam. Inter haec media forsan occupat primum locum cultura. Unde Ecclesia quae maximam curam habere debet de pauperibus, ut eorum conditio melioretur, etiam debet maxime promovere culturam et consequenter quod omnibus provideatur de mediis necessariis ad illam acquirendam.

Insuper in cultura invenitur praecipuum medium ad propagationem atheismi et etiam ad illud debellandum. Hoc bene intelligunt omnia systemata marxista ...[2], nam id de quo prius et maxime curant est de diffusione suae doctrinae praecipue inter iuvenes. Et propter hoc etiam in Statibus in quibus adhuc non dominantur, ea in quibus prius dominari quaerunt sunt ipsae Universitates. Saepe notata est intelligens ars marxistarum ...[3] ad diffundendam suam doctrinam.

Revera quod attinet ad culturam hoc omnino verum est, quia praesertim ingredi et dominari intendunt Universitates et pluribus in locis iam hoc consecuti sunt. Forsan maximum periculum pro christianismo invenitur in penetratione et propagatione marxismi materialistae in Universitatibus, praesertim in Universitatibus Americae Latinae et aliarum iuvenum nationum. Persona magni ingenii et optime informata dicebat mihi quod marxistae in America curabant magis habere adeptos inter studentes et professores quam inter operarios. Si haec cultura materialistica et antichristiana, quae in tot Universitatibus aperte diffunditur non efficaciter impugnatur cum vera et sana cultura, sat cito damna ingentia societati et Ecclesiae certissime allatura est.

Et haec impugnatio, ut iam indicabimus, fieri debet tribus modis, praebendo media ut omnes possint acquirere ipsam culturam veram et eiusdem diffusionem curando *et vitae christianae exemplaris praebendo*.[4]

3. Bene explicandum est de qua cultura humana et de quo eius pro-

gressu fiat sermo. Non petimus ut detur accurata definitio culturae, quod difficillimum est, sed petimus ut aliquo modo describatur de qua cultura et de quo progressu agitur.

Nomine humanae culturae, de qua hic loquimur, intelligitur, non quaecumque sic appellata ab hominibus, licet fucata tantum ac specietenus sit, sed vera et honesta cultura; et quidem integralis vel completa ...[5]. De cultura nempe omnino conformi verae naturae humanae eiusque dignitati personae; et quidem integrali, tum respectu partium humanae naturae et personae singularis et societati totiusque humanitatis, tum etiam respectu partium humanae culturae, ita sane ut omnes eius formas et modos complectatur, nullo excepto, *tum respectu totius hominis totiusque humanitatis, nullo excepto.*[6]

...[7] Respectu vero partium ipsius culturae humanae, haec debet complectere omnes artes, omnes technicas et omnes scientias tam experimentales et positivas quam rationales et speculativas, sive sint ordinis *moralis* [8] naturalis vel philosophici, sive ordinis supernaturalis vel theologici, nulla exclusa ...[9]

Cum ergo humana cultura integralis debeat perficere totum hominem, omnes eius partes secundum propriam eius naturam, in praedicta cultura debent esse quaedam elementa fundamentalia omnibus communia, in quibus omnes et singuli homines convenire necesse est, ut vitam agant homine dignam, tum quoad corpus, tum quoad animam ...[10]

Itaque humana cultura integralis fundamentalis, cuius omnes homines sani animo et corpore capaces sunt, extendi debet ad omnes et singulos homines, atque ad universam humanitatem ...[11]

4. ... *pauca dicam* [12]...

De contributione Ecclesiae ad humanam culturam eiusque progressum.

Ecclesia autem catholica, quae depositum suscepit totius divinae revelationis et mandatum divinum accepit illud praedicandi et exponendi omnibus gentibus universi mundi, est eo ipso dux et magistra veritatis salvificae et supernaturalis. Quam ob rem non potest opponi humanae culturae verae et sanae, cuiuscumque formae vel modi illa sit, sed neque cum ea confundi vel ei necessario alligari ...[13]

Et legam conclusionem.[14] Qua in re, ut historia narrat, Ecclesia non solum excitavit maximos theologos et artistas, verum etiam maximos philosophos et conditores philosophiae christianae, sicque maxime contulit ad sublimiorem culturam humanam.

Cuius rei exemplum prostat in primis S. Thomas ...[15]. Ut enim ipse egregie dicit, « cum perfectio hominis consistat in coniunctionem ad Deum, oportet quod homo ex omnibus quae in ipso sunt, quantum potest,

ad divina innitatur et adducatur, ut intellectus contemplationi et ratio inquisitioni divinorum valet » ...[16] Et ideo « humana mens debet semper moveri ad cognoscendum de Deo plus et plus secundum modum suum », i. e. secundum totum suum posse ...[17]

Denique, cum praedicatio Evangelii ad omnes gentes extendenda sit, cultura Ecclesiae proprie et supernaturalis ad omnes homines atque ad universam humanitatem nata est extendi ex propria sua indole. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Liceat mihi modeste proponere aliquas animadversiones in cap. II partis II huiusce constitutionis, quod est de progressu humanae culturae rite promovendo, si forte sint cuiusdam utilitatis ad illud perficiendum. [2] materialista totalitaria. [3] materialistarum. [4] necnon vitam christianam exemplarem a christianis exhibendo. [5] non mutila. [6] deest. [7] Cultura ergo integralis respectu partium humanae naturae et personae debet omnes eius partes, facultates et aptitudines afficere, explicare et perficere, corpus nempe et animam cum omnibus eius facultatibus et capacitatibus et aptitudinibus, sensibus scil., corde, voluntate et intellectu. Nec solum individualiter, sed et socialiter vivens, in familia, in civitate et in universo mundo complectente omnes civitates vel coetus hominum maiores. Integralis nimirum respectu totius hominis totiusque humanitatis, nullo excepto. [8] deest. [9] Sicut enim in constitutione ontologica naturae humanae anima et corpus essentialiter proportionata et coaptata sunt, atque in corpore sano beneque constituto omnia eius membra sibi invicem proportionantur; ita et in humana cultura contingere debet, ut nempe sit vere organica et hierarchica in tota eius integritate. Omnes siquidem et singuli homines sunt eiusdem naturae specificae. Atque ideo omnes et singuli habent idem specie corpus organicum cum iisdem specie organis et membris, eandemque specie animam rationalem cum iisdem specie potentiis sive facultatibus operativis. Simul tamen cum hac identitate specifica datur magna differentia individualis tum quoad corpus eiusque membra et organa, tum quoad animam eiusque facultates et aptitudines. Alii namque sunt grandiores robustioresque corpore, alii habiliores et capaciores animo. [10] Fundamenta scil. culturae physicae, intellectualis, moralis et religiosae, quae sunt veluti membra vel partes humanae culturae totalis vel integralis. Quod si homo unam tantum formationem humanae culturae integralis habeat, ceteris neglectis vel omissis, monstruosus esset et deordinatus, eo circiter modo quo corpus deforme vel mancum esset si non omnia organa simul possideret. Sicut igitur sanitas corporis consistit in quodam aequilibrio humorum et functionum membrorum et organorum eius, ita sana et vera cultura animae exigit ac postulat necessario aequilibrium et concentum omnium partium eius. Ita, esset abnormalis homo ille qui, neglecta omni animae cultura, unam corporis sui culturam physicam sibi procuraret; vel qui solum intellectum, non cor suum coleret; aut etiam qui culturam technicam unice prosequeretur, neglecta vel contempta omni cultura morali et religiosa. [11] Simul tamen, iuxta capacitatem et habilitatem cuiuscumque maiorem, debent homines singulares maiorem et accuratiorem unius vel alterius partis culturae sibi procurare, puta artis vel scientiae alicuius, quae vulgo specializatio dici solet. Nec enim omnia possumus omnes. Universi tamen homines specializati simul sumpti et collatis viribus,

possunt ac debent sublimiorem culturam persequi et acquirere; in eamque iugiter ac indesinenter progredi, ut videre est nostris diebus in re praesertim technica et in scientiis experimentalibus. [12] deest. [13] Gratia enim nequit cum natura confundi, neque modis contingentibus eiusdem naturae necessario allegari, sed naturam universam omnesque modos culturae naturalis in immensum transcendit. Naturam tamen eiusque veram et sanam culturam non destruit, sed potius elevat et perficit. Non enim verum vero neque bonum bono unquam contradicere possunt (cf. Conc. Vat. I, Const. *de fide catholica,* cap. 4; DENZ.-BANNW. n. 1797) sed potius mutuam opem sibi ferre. Et quidem maiorem et uberiorem opem confert fides et divina doctrina Christi, quam proponit Ecclesia, humanae et naturali culturae, quam haec illi. *Primo* quidem quia humanam culturam locupletat veritatibus et bonitatibus ordinis prorsus supernaturalis, quae omnes vires naturales intellectus et voluntatis omnino superant; « siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Dominus iis qui diligunt illum » (*2 Cor.* 2, 9; *1 Cor.* 2, 7-10; Conc. Vat. I, Const. cit., cap. 2, n. 1786; cap. 3, n. 1790). Homini ergo affert et confert culturam alius omnino generis, nempe supernaturalem vereque divinam, quae propria est filiorum Dei. *Deinde,* quia divinitus complet, roborat et tuetur ea ipsa quae, de se, spectant ad culturam humanam naturalem in gradu eius superiore et sublimiore, videlicet circa notiones et normas fundamentales vitae humanae rite ducendae in ordine ad finem eius ultimum, puta de exsistentia Dei qua primo principio et ultimo fine hominis totiusque mundi, de humanae animae immortalitate, de lege aeterna et naturali, atque de eorum principiis fundamentalibus, quae sunt normae moralitatis totius vitae humanae. Haec enim omnia licet rationi humanae rite excultae per se impervia non sint, tamen, ut experientia constat et historia philosophiae narrat, a paucis tantum, et quidem ab iisdem nisi post longum tempus, itemque ab iis ipsis nonnisi cum admixtione multarum haesitationum multorumque errorum, de facto agnita atque perspecta sunt (cf. Conc. Vat. I, *ibid.* c. 2, n. 1786). *Tertio,* quia fides quaerit intellectum eorum quae credit, quantum status viatoris permittit; et ideo convocat et urget omnes vires cordis et intellectus, ut ex comparatione mysteriorum supernaturalium inter se et cum fine hominis ultimo, itemque ex analogia eorum quae homo naturaliter cognoscit, aliquam Deo dante intelligentiam illorum mysteriorum assequatur (cf. Conc. Vat. I, *ibid.* c. 3 n. 1796), quae scientiam theologicam constituit. Huiusmodi autem scientiam magnam omnigenamque postulat atque exigit culturam humanam historicam, litterariam, scientificam et philosophicam. Idemque dicendum est de cultura artistica ex fide catholica provocata et excitata, puta litterarum ad divina mysteria proponenda modo accommodato diversis hominum condicionibus, artis sacrae pictoricae, sculptoricae, architecturae, musicae aliaque id genus. [14] deest. [15] Aquinas, qui maximus simul theologus atque philosophus christianus exstitit. [16] (In librum Boethii de Trinitate q. 2 a. 1 c). [17] (*ibid.* ad 7).

Moderator: Rogantur Patres ut suas sedes velint occupare ad audiendam sub brevi aliquam communicationem.

Interim loquatur exc.mus D. Michaël Pellegrino, arch. electus Taurinensis, quem collegiali cum gaudio in Concilio nostro salutamus et congratulamur.

10

Exc.mus P. D. MICHAËL PELLEGRINO
Archiepiscopus electus Taurinensis

Venerabiles Patres, dilecti Fratres ac Sorores,

Hoc caput, simul sumptum, mihi placet, cum gravissima problemata quae in eo tractantur in luce rationis et divinae revelationis perspecta, modo sufficienter exigentiis nostri temporis accommodato praesententur.

Duas minimas variationes in huius capitis textu proponere velim. Attamen, ne videatur mons ridiculum murem parturisse, rationes harum mutationum breviter enucleare conabor.

1. In cultura nostri temporis scientiam historicam maximi esse momenti nemo infitietur. Sufficiat sic dictum « historicismum » memorare, quo omnia, in investigatione rerum humanarum, ad historiam reducuntur, essentiis immutabilibus et principiis absolutis prorsus sepositis.

a) Historicae investigationis momentum ex eo patet quod eius obiectum directum et immediatum est homo ipse, cuius natura, mores, adspirationes, conatus, infirmitates, omnibus temporibus eadem simul et diversa in lucem exsistunt.

b) Investigatio historica intime connexa est cum cognitione historiae salutis, ut in nostro schemate saepius innuitur aut declaratur ...[1]

Porro, ut persuasum habeamus, historiam salutis veluti centrum esse totius scientiae theologicae, ea verba revocare sufficit quibus Summus Pontifex Paulus VI respondere dignatus est Domino doctori Skydggaard qui Observatorum nomine locutus erat: « Ces développements, que vous appelez de vos vœux, d'une théologie " concrète et historique ", " centrée sur l'histoire du salut ", Nous y souscririons volontiers pour Notre part et la suggestion Nous paraît tout à fait digne d'être étudiée et approfondie. L'Eglise Catholique possède des institutions, que rien n'empêcherait de spécialiser davantage dans ce genre de recherches, quitte même à créer une institution nouvelle dans ce but, si les circonstances le suggéraient ».

Videantur insuper quae in emendato textu schematis decreti *de institutione sacerdotali,* n. 16, pag. 16, lin. 25 leguntur: « ceterae theologicae disciplinae ex vividiore cum Mysterio Christi et historia salutis contactu instaurentur ».

Nullo modo assero haec quae dixi in schemate nostro ignorari vel negari; sed puto opportunum esse ut momentum historicae investigationis eo loco expresse memoretur ubi variae scientiarum provinciae

aliquo modo recensentur, nempe in n. 60, pag. 54, linn. 2 ss., ubi textus ita immutari poterit: « Insuper homo, utilitatis commodique sui cupiditatem superans, *etc.*[2] ..., in varias scientiae, philosophiae, *historiae* atque artis disciplinas incumbit ».

Praeter rationes quas iam attuli, haec quoque non neglegenda mihi videtur: docti viri qui in historiae studium ubique incumbunt iucunde accipient hanc recognitionem laborum suorum, ii praesertim qui investigationem historicam colunt in variis campis (biblico, ecclesiastico, patristico, archaeologico, etc.), qui pressius historiam salutis attingunt.

2. Laudabiliter affirmatur ius ad libertatem in veritate inquirenda, in propria opinione declaranda ac vulganda (n. 72, pag. 56, lin. 21). Attamen, in conclusione capitis vocabula adhibentur quae, praeter intentionem, puto, eorum qui schema redegerunt, memoratum ius periculose restringere possent. Dicitur enim: « Immo optandum ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur, nec pauci inter eos haec studia data opera, " scientificis " subsidiis adhibitis, colant et altius producant. Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscatur fidelibus christiana libertas inquirendi, cogitandi necnon mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus competentia gaudent » ...[3]

Submisse *interrogare velim*[4]: quinam sunt *fideles* quibus agnoscenda est « christiana libertas inquirendi, cogitandi » etc.? Respondeat quispiam omnes christianos baptizatos, etiam clericos et episcopos, inter fideles adnumerandos esse. At nescio an hic sit communior usus loquendi, praesertim quod immediate antea de laicis memoria fit.

Procul dubio auctoritatis ius est et officium in clericos accuratius invigilare quorum errores perniciosiores sunt. Hoc tamen semper fieri debet cum reverentia hominis dignitati debita, ad quam pertinet etiam libertas investigandi quae omnibus agnoscitur.

Nec putemus nullum periculum in hac re subesse. Omnes sane grati sumus supremae Ecclesiae auctoritati quae suo tempore gravissimum modernismi exitium profligavit. At quis affirmare audeat, in illa necessaria repressione, iura et dignitatem personae clericorum semper religiose servata esse, sive de sacerdotibus iuvenili ardore flagrantibus, sive de episcopis vel de Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus ageretur?

Ne quis autem putet, haec et similia ad antiquiora tempora pertinere, sufficere censeo si memorem, paucis abhinc annis, me quemdam religiosum virum invenisse qui in « exilio » non *proprie*[5] voluntario degebat, ob opiniones doctrinae ab eo prolatas quas hodie in documentis pontificiis et conciliaribus legere gaudemus. Casum eiusmodi non unicum esse omnes sciunt.

Vix enim necesse est animadvertere, etiam in scientiis theologicis plurima inveniri quae, etsi multo tempore pacifice retenta sunt, progressu investigationis revisioni subicienda esse noscuntur, atque sphaeram rerum opinabilium fortasse multo ampliorem esse quam putant ii qui durum illum et saepe periculosum laborem eiusmodi investigationis non sunt experti.

Solummodo hac condicione, ut libertas in quaerenda veritate omnibus catholicis agnoscatur, dialogus ille intra Ecclesiam fieri poterit quem Summus Pontifex Paulus VI exoptat « crebrum et familiare ..., promptum ad varias nostri huius temporis hominum voces audiendas ... », *etc.*[6]

Addere velim, si unusquisque sciat sibi suam opinionem sana et competenti libertate promere licere, veracitate illa atque sinceritate eum acturum esse, quae in sancta Ecclesia semper refulgere deberet. Secus agendo, vix vitari potest pestis abominabilis mendacii et hypocrisis.

En ergo, ut concludam, quattuor illa innocentissima verba quae inserenda propono in textum memoratum (n. 74, pag. 58, lin. 7): « Ut vero munus suum exercere valeant, agnoscatur fidelibus, *sive clericis sive laicis,* christiana libertas inquirendi » etc. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (n. 69, pag. 54, linn. 12 ss.; n. 70, pag. 54, linn. 26 ss.; pag. 55, linn. 3 ss.). [2] et amore perpulchri atque veri accensus. [3] (n. 74, pag. 58, linn. 4 ss.). [4] interrogo. [5] deest. [6] ... aptum... ad catholicos homines plane bonos efficiendos, prudentes, liberos, aequabiles, fortes » (Enc. *Ecclesiam suam*: *A.A.S.,* 1964, pag. 657).

Secretarius generalis: Audiatis, Patres venerabiles! Summus Pontifex communicat omnibus Patribus Sacri Concilii textum nuntii quem ipse missurus est ad perinsignem Coniunctarum Nationum Coetum [*cf. vol. IV, pars I, pag. 27*].

11

EXC.MUS P. D. AEMILIUS ARSENIUS BLANCHET

Archiepiscopus tit. Philippopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres,

Textus nobis propositus, « de cultus humani progressu rite promovendo », magni laboris testis est et non quidem sine fructu: clare quaedam lineamenta status praesentis in mundo intellectuali describit et *iuste*[1] animadversiones exprimit de libertate Ecclesiae erga diversos cultus, de insertione Revelationis in variis cultibus, de legitima scien-

tiarum autonomia, etc.: quae debebunt retineri; sed cum res sit tam ampla et tantam praebeat difficultatem, non est mirum si non plene respondeat exspectationi, neque in iis quae dicta sunt, neque in modo ea dicendi.

1. Valde insufficiens apparet descriptio cultus huius temporis, non quod possit esse completa, sed quaedam essentialia desunt, quae cum fide particularem nexum habent. Ita, v. g., nihil de historia, quae nostris temporibus tam novum et magnum habuit et habet incrementum et quae singulariter notat modum hodiernum cogitandi, cum historia, non solum hodie agat de rebus humanis praeteritis, sed de omnibus fiat, lato sensu, historia: de vitae evolutione, de progressiva constitutione terrae, de astrorum origine, etc. Ex altera parte, in ipsa cultura mentis hodiernae, magnum habet historia momentum, liberans eam ab obsessione praesentis et docens rerum variationes et aliquam, ut ita dicatur, relativitatem. Denique, nemo est qui nesciat ex historia — et stricto et lato sensu accepta — tum erga fidem ortas esse difficultates non paucas nec parvas, tum venisse, in Ecclesia, felicem studiorum renovationem.

Merito, in nostro textu, magnus datur locus scientiis positivis et technicis artibus, quae ex his scientiis manant et dant homini potestatem usque adhuc incognitam et cuius non potest extensio praevideri: quae erit vita hominum post centum annos? Nemo est qui possit dicere. Et bene in nostro textu laudatur illa hominis victoria.

Sed insufficiens est illa felix visio, cum potentia hominis non solum felices effectus habeat, — et haec est maxima quaestio huius temporis. Potestatem dat homini scientia positiva, sed huius potestatis qualis debeat esse usus, inhabilis est ad docendum et iam nunc huius potentiae suae timorem homo sentit: haec est tragoedia huius saeculi. Scientiae psychologicae et sociologicae media dant mentes humanas tractandi sicut res, et dies iam venit ubi exsistentia ipsa gentium pendet ex sola voluntate aliquorum. Hic desideratur, in nostro textu, expressa mentio de natura scientiarum positivarum, quae miro modo ea quae sunt explorant, sed quae fieri debeant non dicunt: nesciunt quis sit sensus vitae humanae et ex natura sua nesciunt, quia tale problema methodos suos excedit. Deest hic, ut ita dicam, aliqua philosophia scientiarum et critica cognitionis humanae quae, paucis verbis, in suo ordine unumquemque modum cognoscendi simpliciter collocet; sed de philosophia nihil in textu, nisi semel nomen solum.

Eo magis haec omissio desideranda est quod philosophia in nostro tempore, etiamsi non semper suum proprium nomen portet, plurimum valet. Est enim philosophia — non scientia — ille humanismus atheus, sub diversis speciebus diffusus, qui hominem considerat tanquam solum

finem hominis et, solis humanis viribus, reiecto omni alieno auxilio, vult hominis regnum loco regni Dei construere et solidaritatem humanam in communi labore liberationis caritati evangelicae substituere. Est — ex adverso — alia philosophia, et alter humanismus, ille existentialismus, equidem diversis formis, quarum aliquae ex anxietate humana ad Deum vadunt dum aliae ita libertatem humanam exaltant ut omnes valores evertant et de homine faciant rerum mensuram. Quae non sunt, ut patet, merae cogitationes alicuius somniatoris in solitudine sua meditantis, sed in tempore nostro signum suum imprimunt et multorum animos perturbaverunt et perturbant.

Dum aliqua nimis effuse exponantur in nostro textu, haec desunt, cum sint tamen signa « characteristica » nostri temporis.

2. *De modo dicendi.* Habemus hic claram, bonam, bene ordinatam dissertationem, sed quae omnia tractat cum nimio optimismo, more placide amoeno quasi omnia possent satis simpliciter componi et accommodari ex bona voluntate mutua: ita ad homines scientiae noster textus alloquitur, dans bona monita et exprimens sapientia vota. Sed, in re, non agitur de « gentlemen-agreement ». Homo non quae vult cogitat: veritatis quae ei apparet, non est dominus, sed servus, et conflictus notionum adversarum durum est certamen, non solum inter homines, sed in eodem homine, et solutio saepe exspectanda est per multos annos, donec unicuique veritati, bene tandem intellectae, suus tribuatur locus. De gravitate illorum certaminum, de eorum severa lege, nihil sentitur in textu, neque de honore debito iis qui, tota anima, vero inserviunt. Desideratur in re tam virili aliquid magis virile.

Optandum est tandem ut fides catholica non tam pallidam faciem praebeat; non petitur hic nescio quis « triumphalismus » Ecclesiae, nam Ecclesia est ancilla, sed agitur de magnificis et ardentibus divitiis Christi.

Tandem, debet, in immenso certamine hodierno, fides catholica semper suum locum conquirere, quia non res in eodem statu permanent: hic labor continuus est et, hodie, supremae necessitatis. Nam si est « scandalum infirmorum » — quod est certe deplorandum — est etiam scandalum fortium, cuius grave momentum clare apparet. Nam, si in populis constans et firma fit opinio quod « ubi scientia adest, ibi abest fides », tranquillo populi fidem deserent. Debet ergo esse apostolatus in excelsis, ubi scientia non solum cognoscitur, sed elaboratur. Esse debet, sicut dixit Summus Pontifex hodie regnans, zelus pastoralis in mundo intelligentiae; quem zelum ...

Moderator: Velis concludere, exc.me Pater!

Orator: ... quem zelum nullus alius zelus supplere potest. Oportet

ergo ut Ecclesia, in numero crescenti, suscitet qui sint duplici cultu, scil. scientifico et religioso, qui fidem in mundo doctorum repraesentent — cum illis laborantes eisdem methodis et eodem zelo — et scientiam in mundo fidei, ita ut scientia maneat aperta ad ampliorem veritatem et fides semper melius quaerat intellectum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] iustas.

12

Exc.mus P. D. CANDIDUS PADIN

Episcopus tit. Tremithusius

Patres venerabiles, Observatores, Auditores et Periti carissimi,

Gaudium magnum habemus ex ipso facto praesentationis huius schematis hic in aula. Et hoc non tantum propter ipsam materiam in illo contentam, sed adhuc propter opportunitatem quam offert huic sincerae et apertae discussioni circa tam gravia problemata quae hominem hodiernum in vita sua cotidiana attingunt. Laudamus ergo et gratias agimus commissioni pro labore *exacto*.[1]

Attamen, textus adhuc perficiendus est, et ad hunc finem aliquas observationes facere volumus. Ad secretariam mittemus suggestiones magis praecisas.

Hic in aula volumus tantum attentionem vestram occupare circa aliquam *materiam* [2] quae, nostro humili iudicio, magni momenti est. Agitur namque de promotione « culturae » in unoquoque populo et de participatione christianorum in omnibus conatibus pro hoc fine obtinendo.

Textus cap. II, in nn. 65 ad 74, deficientia unitatis patitur, speciatim quoad conceptus « culturae ». Descriptio in n. 65 contenta naturam « culturae » ponere videtur in variis formis quibus homo suum genium vel spiritum exprimit, mediante transformatione *realitatum* [3] terrestrium. Sed cum haec transformatio, signata spiritualitate humana, se complet in ambitu communitatis *humanae* [4] historice exsistentis, ipsa « cultura » *exprimit* [5] semper characteres originales populi historice determinati. Et hoc ...[6] dicitur in fine n. 65.

Proh dolor! autem hunc characterem originalitatis, essentialem ad naturam culturae definiendam, non clare comperitur in numeris sequentibus huius capitis.[7] In n. 66, e. g., affirmare videtur aliquam tendentiam ad unam « culturam » universalem efformandam, quasi uniformiter. Sed

hoc, nos omnes scimus quod sit sociologice impossibilis et nec aliquid desiderandum esset. Quod utique accidit, et magis in dies crescit, est communicatio magis universalis variarum culturarum, *ut dicitur.*[8] Nunquam autem in sensu uniformi. Melius esset, ergo, indolem complementariam omnium « culturarum » asserere et sic reverentiam erga omnes illas formas commendare.

Eadem *haesitatio est*[9] ubi loquitur de « cultura scientifica et technica » et de « cultura » humanistica, in n. 68. Revera, si omnes expressiones creativae uniuscuiusque populi ...[10] « culturam » componunt, in determinatis condicionibus historicis, tunc existere non potest *unam* culturam scientificam ac technicam vel *unam* culturam humanisticam. Sunt autem elementa scientifica ac technica vel elementa humanistica quae iuvant ad aliquam determinatam « culturam » efformandam, signata indole uniuscuiusque populi.

Iam non possumus admittere illam excessivam valorizationem sic dictae « culturae classicae » (i. e. graeco-romanae), quia non habet valorem absolutum. Oportet ut elementa humana sive ex scientiis sive ex litteris ...[11] harmonice componere pro « cultura » moderna efformanda, *et hoc*[12] magni momenti est pro educatione, ut omnes populi possint valorem suum affirmare. Ad hunc finem ...[13] omnes christianos laborem magnum debent assumere. Dixi Gratias.

In textu scripto tradito: [1] peracto. [2] quaestionem. [3] rerum. [4] deest. [5] exprimet. [6] bene. [7] Iste character originalitatis autem, essentialis ad naturam « culturae » definiendam, non clare in numeris sequentibus apparet. [8] deest. [9] impraecisio adest. [10] aliquam. [11] desumpta. [12] Hoc. [13] obtinendum.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationum:

Suffragatio 340:

Patres praesentes votantes	2.129
Dixerunt *placet*	2.093
non placet	36

Suffragatio 341:

Ex Patribus	2.125
Dixerunt *placet*	2.046
non placet	76
Suffragia nulla	3

Suffragatio 342:

Dederunt suffragium	2.118
Quorum pronuntiaverunt *placet*	2.090
non placet	26
Suffragia nulla	2

Suffragatio 343 et ultima:

Patres praesentes votantes	2.060
Dixerunt *placet*	2.039
non placet	20
Suffragium nullum	1

Ergo, Patres venerabiles, omnes modi admissi sunt; quapropter totum schema approbatum haberi deberet. Attamen em.mi Moderatores, ad normam *Ordinis Concilii celebrandi,* statuerunt faciendam esse suffragationem circa integrum schema, cum duplici formula *placet* et *non placet.* Et est suffragatio quae praecedit sessionem publicam, circa hoc schema. Haec suffragatio fiet feria IV proxima. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio erit feria II, hora 9.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

(Partem II in genere et cap. I)

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS *

(Partem II in genere et cap. I)

1

EM.MUS P. D. HERMENEGILDUS CARD. FLORIT

Archiepiscopus Florentinus

1. Illa, quae in hoc capite dicuntur de amore coniugali tamquam vero valore humano, habenda sunt bona. Hac enim doctrina, proposita in documento officiali Ecclesiae, recognoscitur quod amor coniugalis omnesque eius manifestationes genuinae de se non adversantur caritati divinae, et quod ipsae caritate divina informari possunt. Hac ratione Concilium multis hominibus bonae voluntatis validum auxilium praestat, ut ipsi laete vitam christianam agere possint, quatenus superatur illa opinio — quae tot homines Ecclesiae alienavit — large diffusa inter ipsos fideles vitam sexualem magis constituere indulgentiam quam verum bonum humanum.

2. Desiderandum autem esset, quod doctrina de amore coniugali proponeretur magis in connexione cum aliis bonis matrimonialibus.

3. Porro etiam de hoc capite dicendum est, quod nonnulli de toto hoc schemate dixerunt.

Proponit conceptionem de se laudandam, sed nimis modo naturali-optimistico. Haec conceptio non habet sufficientem rationem status peccati, in quo vivimus, cui debetur vita matrimonialis etiam christianorum saepe aliena a conceptione christiana. Consequenter non satis effertur momentum crucis in vita christiana, scil. necessitas renuntiationis etiam eorum, quae de se sunt bona, si tale sacrificium in concretis circumstantiis sese imponit.

Solutio quaestionum per modum sacrificii nonnisi obiter in schemate recensetur ita ut in commissione quaestio poni potuerit: Quid respondendum est — supposito hoc schemate — ad quaestionem concretam in confessionali propositam?

4. Ea de causa desiderandum esset, quod doctrina de amore coniugali tamquam vero bono humano proponeretur veluti explicatio ulterior et pro-

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrumpta est.

fundior doctrinae traditionalis aut saltem demonstraretur congruentia huius doctrinae cum doctrina traditionali. Etsi enim doctrina traditionalis in schemate non penitus ignoratur, tamen aliqua essentialia huius doctrinae in schemate non proponuntur, ita ut doctrina schematis appareat tamquam mutatio tacita doctrinae traditionalis in essentialibus.

Breviter: Illa, quae in schemate dicuntur, bona sunt, si intelligantur sensu positivo, non autem, si intelligantur sensu exclusivo; sensu exclusivo autem de facto intelligentur.

Dico sensu exclusivo intelligentur. Hoc imprimis refertur ad lectores: fideles doctrinam schematis ita intelligent, et intelligere debent, ratione habita, quod magisterium ecclesiasticum usque nunc etiam alia tamquam essentialia proposuit, quae in schemate tamquam essentialia non proponuntur.

Haec interpretatio fiet etiam a pluribus theologis, qui certo certius textum interpretantur tamquam approbationem doctrinae recentioris de matrimonio eiusque usu; omnes autem scimus difficile esse conciliare hanc doctrinam cum illa hucusque firmiter proposita a magisterio Ecclesiae.

5. Puto autem omnes convenire unum ex elementis essentialibus doctrinae traditionalis esse hoc: inter fines matrimonii tamquam instituti conditi a Creatore naturae humanae, est essentialiter generatio prolis, ita ut actus coniugalis natura sua sit ordinatus ad prolis generationem. Inde haec conclusio semper fiebat: Actum coniugalem non posse privari vi sua generandi industria humana, quin (saltem obiective) lex naturalis graviter laederetur.

Iamvero ad eandem hanc conclusionem perducit analysis ipsius naturae amoris coniugalis, quatenus agitur de amore *personali,* de mutua deditione *personali.* Hac ratione revera posset conceptio de amore coniugali proponi ita, ut ipsa tamquam evolutio doctrinae traditionalis necnon congruentia cum doctrina traditionali appareret. Hoc dicendum est etiam, quia doctrina traditionalis omnino habet distinctionem inter fines matrimonii, in quantum ipsum est institutum naturae, quod ad actum coniugalem ordinatur: cfr. ad hoc Encycl. *Casti Connubii,* DENZ., 32, 3716 s. et verba Pii XII, in *A.A.S.* 43 (1951), 843.

6. Elementum essentiale modo indicatum doctrinae traditionalis constanter a magisterio Ecclesiae proponebatur. Non videtur hac de re haberi definitio solemnis; attamen doctrina tamquam authentica interpretatio ipsius legis naturalis proposita est. Hac ratione praesens quaestio momentum habet pro ipsa auctoritate magisterii Ecclesiae. Si in hac re, in re tanti momenti, admittitur possibilitas mutationis doctrinae usque nunc constanter propositae (etsi mutatio admitteretur tantum implicite, scil. eo quod aliqua tamquam essentialia habita in doctrina traditionali amplius non urgerentur) auctoritas magisterii non posset non pati damnum.

Praeterea habetur iam per annos (scil. independenter a Concilio) tendentia doctrinam magisterii de iure naturali habendi tamquam declarationes validas pro determinatis circumstantiis socialibus, id est, in ultima analysi, tamquam aliquam dispositionem disciplinarem, quae iam non urget, si mutantur respec-

tivae circumstantiae sociales. Sine dubio tali modo practico magisterium procedere potest et interdum etiam procedit.

Attamen hoc dici nequit, si ipsum principium doctrinale iuris naturalis ex professo qua tale proponitur. Sub hoc respectu, cum quaestione hodierna de matrimonio est in quaestione ipsa potestas magisterii Ecclesiae proponendi principia doctrinalia iuris naturalis. (Notandum est hisce dictis non excludi veram evolutionem iuris naturalis, quatenus non tantum eius cognitio perfectior fit, sed etiam, quatenus in evolutione vitae socialis illa principia investiganda sunt, quae novis factis realibus congruunt. Hac ratione autem habetur evolutio, non autem mutatio iuris naturalis, quatenus non mutantur principia ipsa, sed mutantur facta socialia quibus alia congruunt principia de se immutabilia).

7. Integritatis causa, etiam dici debet hoc: in ultima analysi quoad quaestionem de matrimonio est in quaestione ipsa notio « naturae humanae ». Habetur enim hodie generaliter tendentia intelligendi hanc notionem non iam sensu philosophiae perennis, scil. de essentia tamquam principio activitatis, sed potius sensu exsistentiali: natura humana peccato vulnerata, quae leges sibi de se convenientes observare non potest. Natura tamquam essentia est res abstracta; nescimus quid tandem aliquando ipsam constituat; in omni casu quaestiones vitae concretae non possunt solvi cum appellatione ad talem naturam humanam abstracte consideratam. Consequenter — aiunt — quaestiones matrimoniales hodiernae non possunt solvi per applicationem principiorum ethicae traditionalis. Immo admittitur aperte has quaestiones solvi non posse, si considerantur in luce principiorum ethicae traditionalis.

8. Tali sensu exsistentialistico intelligi possent haec verba schematis: « Ita fideles divinum consilium implentes, Creatorem glorificant, seipsosque in Christo perficiunt cum procreandi munere generosa, humana et christiani officii onerisque conscientia funguntur » (pag. 50, linn. 4-7).

Est modus loquendi se referens ad numerum prolis regulandum, quo abuti possunt illi qui, tali appellatione ad propriam « conscientiam » supposita, usum matrimonii permittunt etiam cum applicatione mediorum anticonceptionalium.

Porro ita facile intelliguntur verba: « non semper statim apparet clare quomodo germani amoris cultus, quo cessante coniuges saepe sibi velut extranei fiunt, componatur cum exigentiis, quibus saltem ad tempus numerus prolis augeri nequit.

Ubi autem intima vita coniugalis abrumpitur, bonum fidei in discrimen vocari et bonum prolis pessumdari potest: tunc enim educatio liberorum necnon fortis animus ad prolem ulteriorem suscipiendam periclitantur (pag. 50, linn. 18-24). Nonne heic dici deberet, quod abstinentia, si spiritu cristiano suscipitur, veram caritatem mutuam confirmat? Verba, sicuti prostant, facile intelligi possent de impossibilitate practica abstinendi ab usu matrimonii. Haec terminologia et hic modus « solvendi » quaestionem, originem habet in « ethica situationis » Protestantium, scil. quaeritur solutio

« situationi » satisfaciens, quin affirmetur necessitas servandi normam ideoque habendi voluntatem ad praestandam sacrificium, si hoc se imponit. Utique schema explicite se refert ad legem Dei (pag. 49, linn. 41 ss.). Etiam auctores « ethicae situationis » non negant ipsam legem Dei; attamen secundum ipsos, principia generalia ethica homo in statu naturae lapsae non potest observare in quavis « situatione »; quaevis « situatio » suam legem habet. Proinde, hisce suppositis, homo secundum legem Dei procedit, si « legem » situationis observat. Quapropter schema de lege Dei loqui deberet ita ut quaevis ambiguitas auferatur.

9. Vix notari debet solutionem difficultatum, quae supra indicantur, facilem non esse. Ex una parte non est certum Concilium approbare textum, qui doctrinam traditionalem clare annuntiat. Minus adhuc certum est, doctrinam traditionalem hodie admitti a pluribus sacerdotibus et laicis, postquam doctrina recentior tam late diffusa est etiam per publicationes divulgationis. Quod attinet ipsa problemata matrimonialia, quae certe exstant et pastoraliter non facile solvantur, dicendum autem est difficultatem nimis crescentis populationis non haberi in nostris regionibus. In nostris regionibus difficultas maior oritur potius ex defectu spiritus christiani, ex conceptione vitae practice materialistica, quatenus altior tenor vitae de facto tamquam supremus valor habetur. Populatio in nostris regionibus crescere deberet.

Ex altera parte incertitudo quoad doctrinam de rebus matrimonialibus magis crescere facit incertitudinem et differentiam quoad modum procedendi confessariorum cum damno etiam pro auctoritate magisterii Ecclesiae hisce in quaestionibus.

Forte tamquam minimum obtineri potest, ut in nota schematis citentur respectivi textus Pii XI et Pii XII (non tantum illi supra citati), quibus apparet magisterium Ecclesiae etiam hodie hanc doctrinam urgere, ita ut clare manifestum sit doctrinam in essentialibus non esse mutatam. Convenit autem ut dicatur (etsi spiritus sacrificii urgeri debeat, abstinentiam ab actu coniugali, quando se imponit, non exigere, ut etiam omnia alia signa amoris inter coniuges fieri non possint.

Suggestio pro pag. 48 linea 34 (ut clarior reddatur sensus amoris coniugalis iuxta Ecclesiae doctrinam): « Haec dilectio proprio opere exprimitur et perficitur. Actus quibus coniuges intime et ordinatim inter se uniuntur, ex se ad donationem personalem mutuam plenam significandam et fovendam tendunt. Hi actus itaque modo vero humano perpetrati honesti sunt, dummodo de industria propria naturali sua vi atque virtute non destituantur, ita ut illam donationem personalem mutuam plene significent et valide foveant. Sciant enim omnes: " quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere " (Pius XI, *Casti Connubii, A.A.S.*, 22, 1930, 560); tali enim agendi modo, ipse amor coniugalis in sua radice graviter feritur ».

* * *

Pag. 47, n. 61, lin. 10: Proponitur emendatio: « quod vinculum sacrum, *neque* respectu boni personarum e solo singulorum arbitrio pendet ». *Ratio*: melius innuitur bona obiectiva matrimonio fuisse a Deo determinata; personalia quoque ordinem servare ad obiectiva.

Pag. ibid. lin. 17: « ... quemadmodum ... existere nequit ». Nonne ex ratione grammaticali subiectum « ipse » vel « ille » exprimendum esset?

Ibid. lin. 33: Non « diligunt », sed « diligant ».

Ibid. lin. 34: Fortasse inseri posset verbum « ordinatur » vel « praeparatur »; unde: « amor coniugalis ... ordinatur, dirigitur atque nobilitatur ... ».

Pag. 48, n. 61, lin. 14: Suggeritur mutatio « rectae » pro « propriae ». Unde dicatur: « secundum rectae conscientiae praecepta ». *Ratio*: tollere occasionem arbitrariae interpretationis, indicando clarius debitam ordinationem rerum.

Pag. 48, n. 62, lin. 34: « Haec dilectio proprio *matrimonii* opere, singulari *ratione* exprimitur ». Verba sublineata opportune introducerentur ad accuratiorem expressionem doctrinae.

Pag. 49, n. 63, lin. 27: Fortasse clarius hyperbaton sic: « totaque inde oriens ratio vitae familiaris extendunt, ut ... ».

Ibid. linn. 32-33: Suggeritur in complementum, ad mentem redactorum schematis: « ... ut mutuus in eo amor recto ordine *exhibeatur,* proficiat et maturescat ».

Ibid. lin. 41: Desideratur fortasse (in alinea tertia) *magis explicita* indicatio huius ideae: inter conflictum generandi prolem imprudentiori consilio humano et vitandi peccatum, proles generetur. Unde fortasse in lin. 41 sic: « ... lege Dei recte informetur, *sanctitatem matrimonii cuilibet valori mere humano semper anteponat,* necnon suum ... ».

Pag. 50, n. 64, lin. 19: Fortasse sic: « ... quomodo *totalis* amoris cultus *matrimonio proprius* quo cessante ... ». *Ratio duplex*: *a*) *germanus* amor, cuius motivum est Deus, quando intime possidetur, talis exhibetur qui facile ostendat quomodo sit componendum cum exigentiis prolis non amplificandae; *b*) in sequentibus verbis « intima vita coniugalis » indicare videtur congressum carnalem; iam vero, abruptio huius, sub exigentiis germani amoris secundum Deum, minime obstat bono fidei, si scil. abruptio fit ne coniux, tenere dilectus, peccato maculetur.

Pag. 50, n. 64, linn. 25-31: Ad medendum hodiernae confusioni, ad vitandum silentium quod interpretari poterunt gentes tamquam tacitam conniventiam cum quibusdam tendentiis hodiernis, ad denuo affirmandam doctrinam Ecclesiae per saeculum cum dimidio saepius sive a Sancta Sede (S. Officium, S. Paenitentiaria, Encycl. *Casti Connubii,* Allocutiones Pii pp. XII) sive ab Episcopis plurium integrarum Nationum constanter expressam, necessarium videtur sic dicere: « Sunt qui his difficultatibus solutionem faciliorem afferunt, *abstrahendo a doctrina traditionali in Ecclesia, vel etiam solu-*

tiones insinuando et acceptando quae cum declarationibus Litt. Encyclicae " Casti Connubii " a Pio XII confirmatis, componi non possunt. Immo ab ipsa occisione non abhorrent ... » Ad hoc citamus *A.A.S.* 22 (1930) 559-560; 43 (1951) 843-844; 50 (1958) 734-736.

Ibid. linn. 34-36: Proponitur emendatio: « Revelatione illuminati sedulo scrutabuntur Dei ... voluntatem, quae per authenticum Magisterium, cui fideles oboedire debent, stultas quaestiones et contentiones devitando (*Tit.* 2, 9) et per divinorum donorum naturam ... Ad quam voluntatem Creatoris clarius ... ». *Ratio*: ne scrutatio voluntatis divinae liberae ipsorum resolutioni relinqui videatur, postquam Revelationem et Magisterium consideraverint; et ne vis authentica Magisterii obscurius significetur.

Pag. 107, ad (F): Dicitur damnari solutiones *faciliores.* Solutiones non damnari debent quia faciliores, sed quia adversantes bonis moribus. Unde habetur, ceterum, mensura absoluta difficultatis? Sequitur « De aliis illicitis operibus uti de *iniusta* sterilizatione ... ». Duo observanda: *a*) Si attentio sic deviatur et convertitur ad sterilizationem *iniustam,* favor conceditur opinantibus esse aliquam sterilizationem proprie dictam (directam) quae sit licita; in concreto, igitur, sterilizationem *contraceptivam; b*) cum quaestio vexata hodie sit de mediis regulandi prolem et de usu contraceptivorum, si Concilium hoc loco memorat sterilizationem *iniustam,* et non sterilizationem *contraceptivam,* indirecte saltem praestat favorem et vim illis qui etiam intra Ecclesiam catholicam, in dies magis contraceptionem admittunt quae ad abortum vitae iam conceptae non perveniat. Quae affertur consideratio in ultimis quattuor lineis p. 107 vix aliquem convincet; potius confirmabit multos in suspicione quod Concilium non adversatur anticonceptivis. Consequentiae patent. Concilium non debet quidem sententiam dicere de quaestione sibi a Romano Pontifice avocata; sed neque debet ei indirecte et tacite praeiudicare.

2

Em.mus P. D. PAULUS PETRUS card. MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Ce chapitre qui nous met dans des perspectives relativement neuves (Doms et Von Hildebrand avaient déjà lancé des idées semblables), et qui contient dans la suite de l'analyse des redites, peut-être nécessaires, me permet de faire les remarques suivantes:

Paragraphe 61: quatre remarques. *a*) On a bien fait de parler de consentement personnel irrévocable et non plus de contrat: et pour se mettre tout à fait dans un ordre de personnes et pour respecter la tradition orientale.

b) On a bien fait aussi d'insister sur l'amour, essence du mariage, et sur l'ascèse qu'il requiert dans son expansion. Il reste cependant qu'ici comme dans le reste du chapitre l'on est trop optimiste sur la vie de l'amour. On revient peu sur la concupiscence, sur le péché, sur la nécessité de la

Rédemption. Je sais que la tradition orientale insistera davantage sur le *sequere naturam* (nature humaine soumise à la raison éclairée par la grâce) que sur l'*agendo contra naturam.* Il faudrait cependant, me semble-t-il, tempérer l'optimisme du chapitre, sans nécessairement tomber dans le pessimisme augustinien.

c) Il faudrait, peut-être, montrer que les père et mère de famille se sanctifient en accomplissant du mieux possible leurs tâches familiales.

d) On insiste sur la tendresse de la mère pour les enfants. C'est bien. On pourrait attirer, en même temps, l'attention sur son exemple de dévouement, d'abnégation etc. pour la formation de ces mêmes enfants.

Paragraphe 62: deux remarques. *a*) On a bien fait d'insister sur l'éducation des enfants à l'amour et sur la non contrainte dans le choix pour le mariage. Cependant on pourrait dégager le rôle du *conseil* que les parents plus expérimentés dans la vie pourraient donner.

b) L'on pourrait, peut-être, puisque dans cette seconde partie de ce schema les exemples abondent, faire allusion aux équipes de jeunes foyers qui ont donné d'excellents résultats un peu partout et de les favoriser.

Paragraphe 63: une remarque. On fait très bien d'insister sur l'amour *véritable,* sur la conscience formée selon la loi de Dieu, sur la docilité à la volonté du Dieu vivant, sur le jugement prudent, sur la responsabilité dont (les époux) s'acquittent avec un sens humain et chrétien. Tout cela, cependant, ne résout pas le problème de la sexualité des époux ni de la régulation des naissances. Tout cela dit formation, éducation de l'amour et son rapport avec la fécondité. C'est là le domaine des principes dont aucune conscience vraiment chrétienne ne peut s'éloigner. Mais le problème concret demeure entier. La Commission pontificale créée à ce propos se réserve peut-être le droit de donner les solutions concrètes.

Paragraphe 64. Cette difficulté dont je parle est soulevée au début de ce par. 64 et la solution qui y est donnée reste une solution spirituelle sublime que ne peut embrasser pratiquement qu'un petit nombre de chrétiens; car ce raffinement de la conscience, il n'est pas donné à tout le monde d'y arriver.

Le texte parle d'un ordre de personnes. C'est bien. C'est juste. C'est de la théorie vraie, belle, mais pratiquement inefficace, sauf pour une petite élite.

3

EM.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH CARD. SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Some of the Conciliar Fathers have recommended that the Chapter on Marriage and Family life be omitted from the Schema since it can say nothing to help married couples to solve their intimate problems, especially the problem of birth-control. *Salva reverentia,* I believe strongly that the Chapter

should not be omitted. Rather it should be included but as a dynamic, unified synthesis of the theology of the married state. Such a positive presentation of the theology of marriage, which has come to be so often framed in legal, contractual and juridical terms, would be a tremendous benefit for the renewal of Christians in their evaluation of marriage as well as in their practical living of the holy state of matrimony. It is evident to all that many of the ills that plague our society today come from the break-down of the home, and this break-down in so many cases is caused by faulty understanding, or complete lack of understanding, of the true reality of marriage and its implications.

However, to achieve this renewal by a presentation of the theology of marriage, this presentation must be a dynamic and contemporary statement meaningful to our times. It must be a synthesis of the Church's traditional truths and of the developments in the Church's understanding of those truths.

It is evident that contemporary knowledge, biblical, theological, psychological, sociological and philosophical, has contributed to a deeper and fuller understanding of the Church's doctrine on marriage. These developments must be brought into a dynamic synthesis.

It seems to me that these developments in clearer understanding of marriage concern the following points especially: 1) On Marriage as an Institution; 2) On the Nature of the Marriage Union; 3) On the Bona of Marriage and its relationship; 4) On Conjugal Love; 5) On the Relation of Conjugal love and the Sexual act.

These five points with their developments, as I see them, I present for your consideration in the annexed pages.

In Conclusion, it seems to me that once such a dynamic synthesis of the theology of marriage is presented, we will have given an indispensable background for the understanding of whatever decisions are made concerning the particular problems which harass spouses today.

* * *

N. 61, pag. 47. The presentation in the present text of the sacred character of marriage and the family is ambiguous, lacking in clarity, and is open to various interpretations. This is so especially because the clear relationship between the divine and human elements of the institution of marriage is not developed to meet clearly the contemporary situation with its questions, its new and real problems, progress in knowledge, and demands for Christian personalism in its moral teaching.

1. In the first lines what is the relationship between "the conjugal community as founded by the Creator and equipped with his laws", and on the other hand, "the conjugal community" as "established on the covenant or irrevocable personal consent of the spouses"?

It is an immutable and inviolable fundamental doctrine that matrimony was instituted by God, and therefore that marriage is a divine institution.

But what is meant by this institution by God? Certainly it does not imply that marriage was instituted by an arbitrary divine decree which in no way took account of man's free will. The human will, too, enters into the marriage institution. *How does the human will enter into marriage institution?* Does it mean that man is allowed to play only a secondary but free role in the realization of God's design in concreto; i. e. is the human will in the foundation of marriage restricted to whether to marry and whom to marry and once married by free obedience man conforms meritoriously to the divine will by fulfilling the laws and duties, with which God in His original decree has equipped the marriage institution? Could we not, rather, consider that the divine will's institution of marriage took place, not by a fiat subsequent to and distinct from the establishment of human nature, but rather as implicit in the creation and establishment of *human nature itself.* In other words can we not see God's will in the institution of marriage concretized in the *objective order of human nature?* Can we not understand God's will as the ultimate sufficient reason of marriage and the objective order of human nature, created and established by God, as the immediate reason? When God created man "to the image of God He created him: male and female He created them". (*Gen.* 1, 27). This was the creation of objective human nature. Human nature, in its wholeness, is not simply the male-man, or the female-woman, but both together complementing each other, forming a community, after the exemplar of the Triune Godhead itself. After all God instituted marriage for the same reason that he created his universe and man, namely to communicate His love to man—and divine love is communitarian; it has its meaning in its self-donation to another. Can we not discern the divine institution of marriage in *Gen.* 1, 27 and because of it we see it also in *Gen.* 1, 28: "God blessed them, saying, Increase and multiply and fill the earth"? In other words, God's disposition in connection with the foundation of marriage is to be found in the establishment of human nature as such and in part in the fact of human maleness-an-femaleness. Therefore, the institution of marriage is related to human sexuality (not merely to genital sexuality).

It is true that the schema says that marriage as an institution has its origin in a human act i. e. in the personal consent of the spouses; but is this to be understood that marriage has nothing to do with the human will except insofar as the human will may *particularize* it in *existence* (as if marriage as a divine institution exists generically and in the abstract independently of existing marriages); or can it and should it not be understood as having its origin in the human nature as God created it, in the sense that marriage is a *society to which human nature inclines.* In this way matrimony is *natural.* St. Thomas says (*S. T. Supp.* 41, 1) "Wherefore nature prompts a certain society of man and woman, in which consists marriage". Without at all denying that marriage is divinely instituted can we not say truly that marriage is a natural (not naturalistic) institution, in the sense that the

human act in which marriage has its origin i. e. the human decision to marry, is a free, obedient personal undertaking *in response to God's call,* which call is embodied in the historical human nature which God created.

Therefore marriage depends upon God's will because it depends upon human nature—a human nature which is itself created in a certain historical situation, the most fundamental factor of which is God's historical decision to enter into personal relations with men.

(This is more in keeping with contemporary concept of revelation as a divine event in history rather than a static statement of God in the distant past; it sees marriage in a more doctrinal context rather than juridical; it is in harmony with the continuity between the moral order and the order of nature, a doctrine emphasized by John XXIII in *Pacem in Terris*).

This is not a departure from Christian tradition but a development.

It seems to me that the Christian doctrine of marriage, in the light of contemporary knowledge, biblical, doctrinal, psychological, sociological and philosophical, must present the "nature of marriage" as meaning: what marriage truly is, by reason of its divine *and* human foundation. The divine foundation or will is embodied in human nature as God created it male and female, which human nature prompts a certain society of man and woman —which is really a true vocation or call stemming *ultimately* from God who made human nature such, but immediately from human nature itself.

The consent—the human act of the spouses is therefore a free, obedient, personal undertaking in response to God's call. Thus one does not forge a dichotomy between the divine and human foundation of marriage but sees them brought together into the total nature of marriage as an institution. (This is the existential approach in theology as distinguished from the essentialist approach). Likewise, one can see (putting proper emphasis on the human foundation of marriage i. e. in human nature itself) that what God has disposed in connection with marriage is to be found, in part, in the fact that the institution of marriage is related to *human* sexuality i. e. to human "*male-and-femaleness*". (We have thought too long of sexuality as genital; the contemporary world and the Christian contemporary world requires that we see sexuality totally as human involving body and soul, or the bodily and the spiritual).

2. There is ambiguity and lack of clarity in the Schema on the nature of the *consent* which constitutes the marriage bond. It talks around the point. And what is the nature of the union which has its origin in the human free act willing the union of spouses. Contemporary problems demand unambiguous clear teaching on these questions. In Christian tradition the statement of St. John Chrysostom (*P.G.* 56, 802) " Matrimonium non facit coitus, sed voluntate ". But what is the object willed? Is it primarily and above all the union of souls, and subordinately and secondarily the union of bodies? It is rather the union of persons. We have become increasingly aware in our individual and collective historical (i. e. real existential experience)

of the substantial unity of man as a human person, in which soul and body (distinct indeed) are seen interpenetrating and as interdependent. We have found it ever more necessary to establish a much more radical distinction between *man and beast* than was possible on the basis of a specific difference alone (i. e. animal = genus, rational = specific difference) and to think of man's humanity in terms of the factual, historical condition of a person (As Rahner says "an incarnate spirit"). Man's increasing awareness of his personality, of the unity of the human person, requires that we see truly human and Christian marriage along these lines. This will be a development in the doctrine of marriage, not in the sense that this insight is not an element of the Christian doctrine of marriage, but in the sense that we can now understand it better and express it more adequately.

Against the background of the relative underdevelopment of the role of human nature in marriage (which we have treated in 1) we can understand a similar underdevelopment in the traditional doctrine on the nature of the union of marriage. Taking *Casti Connubii* as a witness of the traditional doctrine we understand Pius XI's statement: "the souls of the contracting parties are joined and knit together more primarily and more firmly than are their bodies". It is evident from the context why he contrasted the priority and firmness of the union of souls with the union of bodies; he wished to distinguish the marriage union which is specifically human, from the promiscuous, casual unions of animals, and from the animal-like unions into which human beings can sinfully enter. In opposition to these, he taught in accordance with authentic Christian doctrine, that the union of marriage is firm and indissoluble. Therefore marriage is to be distinguished from animal or animal-like unions because it is a stable bond between male and female.

Note, however, that this bond is seen as created by the will, and not by any transitory sensual or emotional inclination, and from this union of souls by God's decree, a sacred and inviolable bond arises. Therefore the bond of marriage joins the souls more closely than the bodies. Is this an exact and adequate expression of the matter, in view of contemporary knowledge of human nature and of the dignity and unity of the human person? We believe there is room for development here. We should not remove the act of the will from the bodily and sexual nature of the object of the will. The marriage consent is directed to the union of two persons in a *human-sexual* society. It does not impair but rather enhances the spirituality of Christian marriage by realizing and stating that in a very real sense the marriage contract is a bodily and sexual contract. Human sexual intercourse, therefore is not merely sexual copulation. Precisely as intercourse it is a spiritual achievement of man, for sexual intercourse means a sexually grounded society.

To put this in another way: Efficient causality in marriage is ascribed to a "firm act of the will". But the will as such is a rational appetite not identifiable with the power of deciding between alternatives. Liberum

arbitrium is a *function* of the will. But the will *is* an appetite, that is, a power by which we incline to an end and cleave to a good. In the matter of marriage the will is not essentially the power to choose between matrimonial candidates but above all the *power of loving* a person with a love that makes the two become one flesh. That is why conjugal love, is not merely an animating motive, but of the essence, a fundamental aspect of marriage.

The marriage liturgy reminds us that love is relevant to the marriage contract. From the point of view of morality, then, the contract of marriage would not mean principally a *juridical* committment, as it would a promise and an undertaking. In law, marriage is consummated only once; in real life it is consummated only throughout life: a common sexual life binds the spouses ever more strictly and closely. Matrimony is a life-long undertaking, a durable, perfectible committment through time toward a common human man-women life. It is a *unique* society for mutual perfection at all levels of existence and experience; and reason why it is such is that it is a man-woman, a sexual society: the family life can obtain only in marriage. Therefore the sexual union is not accidental but essential to the perfection of the nature of marriage, it is an essential expression of conjugal love.

3. If there is need to recognize development of doctrine on the institution of marriage (cf. Point n. 1) and on the nature of the marriage union (cf. point n. 2) there is, likewise, need for development on the *bona* of marriage.

a) *Bonum prolis*: There can be no doubt that the common life of man and woman is ordered to the propagation of the race. This is not only well founded in Christian tradition but is also part of the bi-sexual nature of man. But one of the most serious problems that the contemporary Christian marriage faces is *why* and in *what sense* bonum prolis is the first of the marriage goods; or what is the relation of the marriage goods to each other, since, according to traditional doctrine fides and sacramentum are primary in their own order.

St. Thomas explicitly dealt with this problem in *S. T. Suppl.* 49, 3. Cf. quote - Dewart p. 302. It would seem that the teaching of St. Thomas is this: Proles is the most essential good of marriage in the sense that there could be no valid marriage without the intention of begetting children, at least in principle. The procreation of proles is the chief good of marriage insofar as this good is considered in principle i. e. as determining the nature of marriage. It is absolutely essential in principle: without it as a principle there would be no marriage institution. Since the primacy of proles is required by the nature of marriage in principle, there can be little doubt that the bonum prolis requires the human race to reproduce and expand through the institution of marriage. But the bonum prolis is not essential to the *use* of marriage; in this respect what is most essential is sacramentum. This means that especialy for the Christian, it is more essential that an individual, concrete marriage be holy and sanctified than that it procreate.

It does not seem to mean that the bonum prolis requires that each and every conjugal act be apt to procreate.

4. *Conjugal love*: We have said above that conjugal love is not merely an animating motive running through the various phases of married life, but is of the essence of marriage. It is a fact that contemporary knowledge and circumstances pose a certain number of questions which are for the Church, not the occasion of concessions to the sexualism or to the eroticism of modern times, but rather the occasion for a deepening in her understanding of her doctrine.

Nothing is more important in the common life of men than human love and the family and nothing is more menaced today. It is an evident fact that for man today marriage appears more as being the expression of personal love, be it the love of man and woman (husband and wife) or the love of parents for their children. Certainly this aspect has never been foreign to the doctrine of the Church; but it is incontestable that the growing consciousness of the personal in life, which John XXIII emphasized in *Pacem in Terris* as among the "signs of the times", is to be reflected and expressed in the doctrine of marriage. Consequently, without in any way minimizing the transmission of life as a fundamental aspect of marriage, this other aspect of personal love is now seen more and more as a real and essential value. The presence, safeguarding and development of this personal love in marriage, which is really the lived expression of the bonum fidei and of the unicity and indissolubility, is an essential good of marriage, in fact it may be said to be the *causa formalis* of the institution of marriage.

Therefore it can be said, and I think it must be said clearly that marriage presents at once two fundamental aspects: both that of the communion between the persons, or conjugal love, and that of the transmission of life. It is not a question so much of determining which is primary. The question is rather how to harmonize these two aspects of marriage which are *equally essential*. This conjugal love should not be identified only with the « mutuum adiutorium » listed by the manuals and canon law among the secondary ends. It is a much broader and more deeply involved in the marriage (cf. Dewart p. 283 and p. 264 - Pius XI). Nor should it be identified only with the bonum fidei in its restricted sense of the exclusion or forsaking of all others, but rather it is involved in the mutual inclusion of each spouse into the other's total personal life (p. 291).

When the doctrine of conjugal love, in its full value, is brought into a good synthesis of the doctrine of marriage, much light will be brought to the problem of regulation of births.

5. *Conjugal love and the sexual act.* The marriage act, precisely in so far as it is sexual, and because it is sexual—in the sense of human sexuality and not merely genital sexuality—is an act of mutual love between the person who is the husband and the person who is the wife. Therefore, sexual

intercourse should be said clearly to belong to the order of Christian love (cf. Dewart p. 264).

St. Paul, *Ephes.* 5, 25, taught that the love of Christ for the Church was the exemplar of the love of husband and wife. But in the traditional doctrine on marriage this analogy of Christ's sanctifying love for the Church has tended to mean that *marital love* should be "pure" rather than lustful. The truth of this is beyond doubt. But since it is easy to construe all sexuality as selfish, a strong current of Catholic thought has seen "pure" or unselfish love as almost asexual by definition.

Further the marital act is considered the *manifestation* of conjugal love, just as Christ's act of laying down his life manifested his sanctifying love. But just as Christ's deed defines the nature of his union with the Church, can it not be said that the marital union is part of the sacramental economy; or to put it another way, just as Christ's love for the Church *is* the grace and the gift that makes the Church holy, so does not the marital act make the parties holy in the sacramental sense of the terms?

In the tradition of the Church it has always been said that the marriage act is *meritorious* (*S. T. Supp.* 41, 4). But the question is not merely whether the marriage act can be meritorious, but whether it is related to the sacramental grace of marriage and therefore holy, in the sense of being a sign of grace.

This question must be raised and answered *today* if we are to understand the marriage act in its very sexuality and corporeity, not simply as a physiological event involving the congress of two genital systems, but a supernatural event which solicits and demands an interpersonal relation of the order of the purest and holiest Christian love. It may be true that in *special* callings a virginal marriage may be permissible and holy, but this would be an exception to the rule it proves.

The vice of lust must be condemned in marriage as everywhere else. But lust is a vice and not a synonym of sexuality. Most Christians know what lust is, but not all Christians are aware of the horizons of Christian sexual love. Their firm act of the will in the marriage consent is the beginning of sexual union, that is a decision, a promise and an undertaking related not merely to "the right to each other's body", but to the creation of a common life through sexual society. Seen in this light the marriage consent could be said to produce grace in its very sexuality. This common life of conjugal love and "deep attachment of heart" between husband and wife, which is the "causa formalis" of marriage, is no way more powerfully generated or more abundantly fostered than by sexual intercourse.

4

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Ad n. 60, pag. 46, lin. 19: post « siquidem » addatur « *divortium et* in quibusdam regionibus ... » ut affirmatio sit magis concreta pro omnibus.

Pag. 46, linn. 30-31: post « ... evertere non potuerunt », addatur: « immo non semel in honore denuo iam ibidem habetur ubi prius ipsum demoliri tentatum erat: quae omnia potius veram eius naturam plurium oculis manifestaverunt ». *Ratio*: cum hoc revera factum est, e. g. in URSS, eius explicita recordatio magis efficax reddit affirmationem textus.

Ad n. 60, pag. 47, lin. 5: in fine paragraphi addatur sequens propositio: « Ipsi autem, minime oblivioni faciles, specialiter considerent in mundo huius temporis amorem illum consecratum " propter Regnum Dei " (*Mt.* 19, 42), cuius per saecula tot homines ac mulieres testes fuerunt (cf. PIUS XII, Litt. Encycl. " Sacra Virginitas ", *A.A.S.* 46 [1954], pp. 174-178). Matrimonium enim et Virginitas, quin inter se opponantur, ut viae complementariae considerandae sunt in Populi Dei peregrinatione ad supremum Fontem totius amoris ». *Ratio*: videtur necessarium connectere, in forma positiva, thema de Matrimonio cum themate de Virginitate, ad indicandam eorum complementaritatem in organica vita Ecclesiae, quin imminuatur, propter hoc, specificam ac valde positivam praesentationem Matrimonii.

Ad n. 61, pag. 47, lin. 17: supprimatur expressio « quemadmodum extra legitimam unionem existere nequit ». *Ratio*: est affirmatio partim ambigua, partim apologetica et insuper repetitio innecessaria.

Ad n. 61, pag. 48, linn. 1-3: corrigatur tota phrasis sequenti modo: « ... adimplebunt, et eorum curam domesticam, quorum amantissima sollertia iuniores praesertim liberi naturaliter indigent, magni aestimabunt ». *Ratio*: ne excludatur pater a labore domestico, praesertim in tam variis condicionibus socialibus.

Ad n. 62, pag. 48, lin. 40: loco « ab omni illicito opere », dicatur « ab omni opere verum amorem offendentem », ut vitetur interpretatio potius legalista vel ethicae materialis.

Pag. 49, lin. 4: substituatur « christifideles » per « coniuges », claritatis causa.

Pag. 49, lin. 5: loco « eminere », dicatur « prosequi », veritatis causa.

Ad n. 63, pag. 49, linn. 41-42: aggregentur aliqua verba ita ut phrasis definitive sic sonet: « ... necnon suum esse prolis numerum, etiam magnum, secundum Dei dona verique amoris indicationem et circumstantias concretas determinare ». *Ratio*: ut affirmatio evadat magis completa et implicet sensum substantialem ultimae phrasis paragraphus, quae, ob motiva indicanda, nobis supprimenda esse videtur.

Pag. 50, linn. 9-14: terminetur paragraphus cum « ... revera merentur ». Supprimantur omnia quae sequuntur usque ad finem paragraphus: « Quos inter ... et Ecclesiae augmentum ». *Ratio*: quia introducit discriminationem inacceptabilem quoad confidentiam divinae Providentiae et quoad prudens communeque consilium (?). Nobis videntur sufficientes emendationes introductae in adnotatione anteriori.

5

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA
Archiepiscopus de Lourenço Marques

Pag. 49, n. 63, lin. 41: tollenda sunt verba: « necnon suum esse prolis numerum ... determinare », usque ad pag. 50, lin. 4 ... Ecclesiae necessitatum ».

Re quidem vera, unde theologice probatur coniuges esse numerum prolis determinare? quis non videt hunc modum dicendi esse saltem praematurum et fovere « edonismo » vitae modernae, quae quidem vult gaudere sed non acceptare responsabilitates ipsius matrimonii?

Ergo ut aliquos cristianos scandalum non patiantur, Concilium sileat et quando veniat tempus Summus Pontifex faciat verbum.

6

EXC.MUS P. D. MICHAEL BALAGUER
Episcopus tit. Castellominoritanus

Según las palabras de S. Pablo que dicen que el que no puede contenerse que se case, porque mejor es casarse que abrasarse, se afirma que el matrimonio es un remedio para la concupiscencia. Esto es debido al pecado original por el cual nació la concupiscencia; pero el matrimonio es anterior al pecado original y poseía ya desde su origen un fin agregado al de la multiplicación de la prole, que es señalado claramente en el Génesis.

En efecto, allí se lee que el Señor dijo que no era bueno que el hombre estuviera solo, y que necesitaba de un auxilio semejante a él; y después se describe la creación de la mujer en la forma que allí leemos, forma en que se hace resaltar que hombre y mujer constituyen un solo cuerpo, pues Eva es sacada del cuerpo de Adán, y es llamada por él, carne de mi carne y hueso de mis huesos.

La unión, pues, del hombre y la mujer en el matrimonio es un complemento natural y querido por Dios para ambos, y lo era antes del pecado original, cuando el hombre no sólo estaba inmune de la concupiscencia, sino que gozaba de los otros dones preternaturales; por lo tanto parece que se debe decir que lo es mucho más ahora por las particulares circunstancias difíciles del hombre.

Por lo tanto eso que se suele llamar ahora en nuestra Teología, mutua ayuda, es mucho más que eso, pues es la natural complementación del hombre y la mujer y se debe decir que es un fin tan primario del matrimonio como la multiplicación de la prole, si bien ambos se encuentran en campos distintos, pues mientras la multiplicación de la prole persigue el bien de la especie, o del género humano, la complementación psicológica y la profunda compañía humana, que sólo el hombre puede hacer a la mujer y ésta al hombre, persigue el bien y la perfección del individuo.

Pero ambas realidades son queridas por Dios, y se leen en la Escritura.

Por lo tanto hablar de fin primario del matrimonio señalando como tal sólo la multiplicación de la prole y su educación, y no ver fuera de esto nada más que remedio a la concupiscencia y una mutua ayuda colocada en el mismo grado de importancia que el remedio a la concupiscencia ya que se la incluye dentro del fin secundario, es apartarse de la realidad dispuesta por Dios.

Además un remedio nunca puede ser un fin; sino, a lo sumo, un medio. Los que por via de excepción, son favorecidos por el Señor con el carisma de la virginidad obtienen su complementación humana mucho más abundantemente; pero sobrenaturalmente, por medio de otras gracias que acompañan al carisma de la virginidad, si es que los favorecidos por la vocación a la virginidad, viven unidos con Dios por medio de una oración más intensa. Si esto no acontece, no sólo serán los hombres menos acabados, menos hombres, sino que, al poco tiempo sentirán el vacío y la incomplementación y serán seres amargados, y quizá después, lamentablemente caidos.

Por lo tanto entiendo que se debe decir que la unión del hombre y la mujer en el matrimonio tiene un fin primario para el género humano, que es la multiplicación y educación de los hijos, y otro igualmente primario, pero para el individuo o las personas de los esposos, que es llegar a su natural complementación psicológica y humana, como condición natural para alcanzar las otras virtudes que Dios exige al hombre; y que el remedio a la concupiscencia, consecuencia del pecado original, es algo accidental, que no entraba en el plan querido por Dios, como no entraban el dolor y la muerte, y que, por lo tanto, sólo en sentido figurado puede llamarse fin secundario.

Además el matrimonio no es remedio para la concupiscencia sino para las almas castas y piadosas, como la triste experiencia lo demuestra; pues quien en el matrimonio busque como fin, aunque se le llame secundario, satisfacer, para aplacarlos, los impulsos de su concupiscencia, no hace sino avivar esa misma concupiscencia. Esta es la lección de los hechos.

San Pablo hablaba a cristianos a quienes suponía preocupados preferentemente por la virtud, y a esos, si no se les ha dado el carisma de la virginidad, el matrimonio ayuda, siempre que esté rodeado además de las otras virtudes que el mismo Apóstol señala como obligación de los esposos, y entre ellas un amor mutuo, santo e intenso, como el de Cristo a su Iglesia.

7

EXC.MUS P. D. EUGENIUS BEITIA ALDAZABAL
Episcopus tit. Verronensis

Pars II constitutionis *De Ecclesia in mundo huius temporis* agit de aliquibus quaestionibus, quae « urgentiores » appellantur. Ac in primis de matrimonio et familia. Liceat nobis memorari illum articulum Codicis Socialis Mechliniensis ubi familia describitur ut « fons » unde vitam accipimus, ut « schola » ubi cogitare discimus et « templum » ubi primam emittimus religiosam invocationem. Omni ope nitendum est ut ea omnia firmentur quae tali institutioni securitatem tribuant, et in nihilum redigantur, quae ipsam debiliorem reddunt.

In hac igitur linea et summopere laudans positivam directionem quae capiti tributa est, aliqua exponere vellem, claritatis et complementi ergo, ut melius appareat problema ut « urgens », vel si vultis urgentissimus in unoquoque casu, et solutio vel doctrina catholica in re.

Citabo verba ipsa schematis et addam complementariam considerationem. In n. 60 res est de natura matrimonii: « Non ubique tamen — dicit textus schematis — huius institutionis dignitas eadem claritate illucescit, siquidem in quibusdam regionibus polygamia aliisque fallacibus formis obscuratur ».

Iste conspectus quaestionis nec integer est nec sat planus ut eius momentum et actualis positio percipiatur. Cum existit frontalis et directa aggressio contra matrimonium, ut naturale institutum « suapte natura sacrum », parum videtur asserere eius dignitatem non eadem ubique claritate illucescere, et in quibusdam regionibus polygamia et aliis formis fallacibus obscurari.

Peto ut stylo magis directo et expressivo pugna universalis contra institutionem familiarem depingatur. Pugna quae attingit et leges et mores. Pugna quae aperta est in omnibus mediis communicationis socialis, id est, in spectaculis theatralibus et cinematicis, in litteris novelisticis, in modis socialibus ...

Peto ut in concreto iuxta polygamiam, cuius momentum non intendo infrapendere, citetur ad amussim « divortium » et ponderetur eius multo maior protervus influxus.

Polygamia decrescit semota a conscientia dignitatis humanae, quae etiam attingit mulierem, ut videre est in historia moderna cuiuscumque regionis. Dum e contra « divortium » ut institutum legale quotidie progreditur impulsum a falso criterio dignitatis humanae, a reali labe hedonismi individualis et ab acceptatione normarum ethicae situationis, quae in hac materia ut in nulla alia periculosam ostendit vim.

Malum polygamiae — certe magnum — non est solum in praxi, sed praecipue in lege polygamiam sanciente; malum divortii — longe maius — non adest in mera separatione coniugum et destructione foci familiaris, sed in lege semper convolationem sine termino ad novas nuptias faciliorem reddente. In casu polygamiae tempus est pro iure, nam lex favebit proxime

institutioni matrimoniali unitariae. In casu divortii — proh dolor — lex institutionem gravius in dies aggreditur.

Incongruum ergo est alludere ad polygamiam, quae ut speramus forse cito non habebit nisi valorem archeologicum et non facere explicitam mentionem de divortio in praesentatione problematis, a fortiori quando profitemur aperte nos punctum initiale constituisse in examine signorum temporis. Maneat citatio polygamiae sed addatur haec relatio ad luem divortii vincularis in mundo hodierno, fere in plerisque regionibus mundi. Parcite mihi si observationem linguisticam adhuc profero. In textu linguae vernaculae vocabulum adhibitum est « deformatio », « nublada por la poligamia o por otras deformaciones », ait textus hispanicus, « elle est ternie par la polygamie ou d'autres déformations », dicitur gallice, et similiter anglice et germanice. In textu latino sermo est « de fallacibus formis ». Non credo omnino parem esse expressionem. In omni casu verbum etiam latinum « deformatio » ampliori vigore rem ostendit.

In n. 61 asseritur « communitatem coniugalem a Creatore conditam suisque legibus instructam, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instaurari ».

Ecce descriptio matrimonii iuxta schema propositum. Quid habemus contra illam. Revera « nihil », nisi quod in tam solemni occasione non proponatur clariori et evidentiori ratione, matrimonium ut institutum naturale a Deo conditum, proprias leges possidens et a Christo elevatum ad dignitatem sacramenti, cum iisdem elementis quae matrimonium « legitimum » faciunt, id est, cum consensu libero partium, in bilaterali contractu quo utraque pars, iure habilis, tradit et acceptat ius in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem, vel si mavultis ad vitam communem et coniugalem.

Res non caret momento. Aestimo quod aspectus pastoralis inspici potest etiam ex aulis Tribunalium Ecclesiasticorum ubi causae matrimoniales in dies amplius congeruntur. In his causis matrimonialibus, ut propria experientia tot ex vobis ut ego ipse scitis, multa sunt elementa ponderanda ut veritas elucescat, non solum in retinendo — ad favorem iuris — vinculo matrimoniali ubi eius inexistentia non constat, sed etiam in proferenda declaratione nullitatis matrimoniorum quae invalide sunt attentata, sive ex defectu capacitatis in personis, sive ex vitio consensus liberi, sive ex imperfecta cognitione materiae consensus, sive ex non observantia formae iuridicae.

Defensio matrimonii aequo intuetur oculo sive permanentiam vinculi ubi non constet de eius inexistentia, sive declarationem nullitatis ubi haec probetur, sive dispensationem a « rato et non consummato », vel a matrimonio legitimo ubi competenter exerceatur ab Ecclesia, sive simplicem limitationem potestatis rumpendi nexum in matrimonio rato, i. e. sacramento et consummato.

Ad haec omnia satius intelligenda oporteret aliquid dicere in hoc capite primo secundae partis huius schematis. Multa non cauta vel aperte iniusta

dicuntur adversus tribunalia ecclesiastica. Et praeparatio ad criterium aequum efformandum est in hac materia etiam actuale ac urgens problema. Cui obviam eundum est, pro necessario dialogo.

Non peto ut paginae constitutionis augeantur largis considerationibus inclusis. Peto simpliciter ut pro foedere, vel cum foedere loquamur de « contractu » matrimoniali et de eius elementis. Nec video rationem qua Patres cuiuscumque regionis in tota catholicitate difficultatem movere possint ad adhibendum verbum « contractus » cum accipiant verbum « foedus ». In contractu salvantur semper leges superiores, utpote agitur de contractu naturali, sacro et divino, elevato ad dignitatem sacramenti, et peculiarem firmitatem ex sacramentalitate accipiente. Verbum « contractus » consecratur larga traditione et usu universali in iudiciis et ministeriis pastoralibus, in foro et in disciplina, in scholis et praedicatione.

Tandem unum tantum verbum dicam de his quae circa « amorem » ut elementum matrimonii dicuntur. Ut alias diximus compleantur quae in schemate dicuntur. Unio animorum per amorem semper est expetenda et desideranda. Ubi non sit, difficilis erit vita matrimonialis. Sed non est de essentia matrimonii, quae salvatur sine ipso, non est obiectum contractus sed adiunctum ut nuptiae felicem exitum habeant, ex ordinariis contingentibus, nec permanens et aeternum quidquid poetae possint fingere et homines nupturientes cupere. Unde ex hac parte etiam in evidentia ponendus valor permanens moralis et iuridicus contractus, ne delusio lugenda possit accidere et altas turres illusionis evertere.

Ceterum multa restant apprime dicta, quae sinceras conferent laudes in strenuos laboratores schematis, dialogum cum mundo moderno scite praeparantes.

8

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO
Episcopus Pisaurensis

Multis quae dicta sunt in hac aula circa cap. I, partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* liceat mihi unum tantum adiicere.

Ex volitis ambiguitatibus textus, quae iam ab aliis ven. Patribus sunt indicata; ex iis quae plures repetita audivimus, hoc coniici licet: *amorem coniugalem* ita exaltatur et quasi ad sidera effertur uti medium ad perfectionem assequendam, ut concludere liceat debere Ecclesiam permittere ut coniuges matrimonio utantur quin prolem suscipere teneantur, si id, eorum iudicio, nimis grave evadat. At quomodo utentes matrimonio finem excludendi prolem assequi possunt? Nolumus apertis verbis dicere. Nolumus claram doctrinam Ecclesiae aperte tradere; sed spem fovere malumus posse hoc aliquo modo obtineri, quin coniuges ad continentiam, saltem temporaneam, adigantur.

At ardua, mea sententia, exsurgit hic difficultas. Si usus matrimonii, sine ulla restrictione, sed ad beneplacitum coniugum, est medium necessarium

ad felicitatem hominis in hac vita, ad perfectionem moralem e spiritualem, ad felicitatem et stabilitatem societatis et status, etc., quomodo natura non providit ut ille usus componi posset cum moderata et, ut ita dicam, taxata prole? Quomodo perfectionem coniuges non possent assequi nisi ad violenta, vel repugnantia, vel damnosa recursum habeant?

Actus enim contra naturam sunt horrenda; abortus est homicidium; sterilizatio est mutilatio personae; medicamenta contra conceptionem sunt inventa scientiae contra naturam; onanismus damnatur tam in Scriptura quam in conscientia populorum. Natura ergo defecisset in re tantae gravitatis: nam vel coniuges ad onus importabile damnantur, vel ad violenta et inhonesta adiguntur. Sperant quidem multi fore ut scientia medium honestum ad finem aptatum praestet: at quid dicendum de praeteritis saeculis? Problema semper exstitit.

Eo ipso quod nequeant coniuges numerum filiorum limitare et simul matrimonio uti pro lubito, ad seriam reflexionem nos inducere debet: est ipsa natura quae nos admonet, ante Revelationem. Quod non potest obtineri nisi violata natura, non potest esse in licitum, et multo minus aut nobile aut conferens ad sacram coniugum unionem aut efficax ad perfectionem personalitatis assequendam.

Concilium ergo dicat clare et sine ambagibus et fucatis circumlocutionibus quo pacto, coniuges qui nolint aliam prolem suscipere, possint filiorum suorum numerum claudere.

Puto enim officium nostrum esse lumen mundo praebere et adiutricem operam ad salutis viam percurrendam, non optata mundi mulcere, confirmare et ut ita dicam codificare.

Est certo gravissima haec quaestio de numero filiorum alendorum; sed praeter pillulas ceteraque media antifecundativa, alia sunt media mundo suggerenda: tenor vitae magis sobrius; distributio bonorum magis iusta; utilisatio magis rationalis omnium bonorum quae natura hominibus praebet; devolutio in bonum familiarum ingentis pecuniae quae vel dissolvitur in res inutiles (fumum, cinema, etc.) vel mala impenditur in arma construenda et in bella paranda. Et super omnia nobis, venerabiles Patres, mihi videtur, praedicando et hisce diebus nostris fides in divinam Providentiam quae « nec abitem esurire » patitur.

Quae Providentia non ad modum exceptionis et veluti paucis est proponenda, sed omnibus omnino hominibus qui Deum non negant.

Lacrimabilis enim experientia nos docet proximo et maximo periculo aeternae perditionis sese exponere coniuges qui aliam prolem suscipere nolunt et tamen volunt coniugali more vivere.

Nimis triste esset si Concilium nostrum ambigendo eos in periculo non solum vivere sineret sed etiam eorum vivendi rationem comprobare videretur.

9

EXC.MUS P. D. VARNERIUS BOUDREAUX

Episcopus tit. Calyndensis, aux. Lafayettensis

Schema debet expressis verbis docere hanc « Communem consilium atque conatum atque prudentem consilium » inter coniuges esse formandum secundum normas a magisterio Ecclesiae statutas et statuendas, praesertim quoad methodum vel modum prolem limitandi; secus conscientia individualis, sine ulla norma obiectiva, indicatur.

Porro, opportunum videtur indicare in schemate quod amor sexualis est expressio amoris coniugalis, et non eius causa; et in aliquo modo positivo reprobare debet schema hanc sententiam nostris temporibus vigentem in qua « sexus » est aliqua nova religio, cum sua liturgia propria quae hominem ad plenam vitam suam et finem conducit.

Deinde, schema debet viros scientificos invitare ad studia innuenda et complenda ut coniuges catholici accuratius et tutius sequi possint methodum prolis limitandi ab Ecclesia probatum (vulgo "rhythm system").

Rogo ut haec additio compleat partem II cap. I, n. 61, lin. 40: « Ad roborandum sensum Dei in sinu familiae maxime confert illa oratio qua omnia sua membra in fide et caritate Deum colunt et eius uberrimas benedictiones impetrant ».

10

EXC.MUS P. D. AUGUSTUS BOUSSARD

Episcopus Venetensis

Quamvis articulus ille 60 in genere placeat, aliquae emendationes utilissimae videntur ut, iam ab initio, scopus accuratius determinetur: Ecclesia intendit suae doctrinae lumen afferre hominibus, christianis et non christianis, quibus hodie speciali acuitate et modo urgentiore problemata matrimonii et familiae ponuntur.

Pag. 46, linn. 12 ss.: « Salus tum personae tum societatis humanae necnon ipsius Ecclesiae... ». *Ratio*: condicionem familiae et matrimonii non a longe et quasi extranee Ecclesia considerat: haec condicio est problema ipsius Ecclesiae; familia enim est pars Ecclesiae.

Pag. 46, lin. 14: loco « Ideo christiani... », scribere: « Unde gaudendum est... ». *Ratio*: ipsi christiani eamdem spem, easdemque difficultates experiuntur: ab aliis hominibus in hoc loco non debent seiungi sub respectu experientiae, e contra in solidarietate cum illis ostendi debent ita ut Ecclesia videatur lumen afferre in gravioribus quaestionibus quibus omnes homines laborantur.

Pag. 46, lin. 14: loco: « Ideo christiani... promovere student », scribere:

« Unde gaudendum est de subsidiis quae, his diebus, huic communitati afferuntur, uti sunt adiumenta iuridica, medica et oeconomica, profundiores notitiae sive de psychologia amoris, sive de physiologia sexus et generationis, et potissimum apud quosdam vigens altior existimatio amoris coniugalis personalis et ferventis, necnon coniugum aequalis dignitatis agnitio ». *Ratio*: hic textus magis concretus explicite exponit cur quaestiones de matrimonio hodie ubique et ab omnibus disputentur.

In lucem ponendo ea quae familiam et matrimonium adiuvant, eo ipso clarius apparent difficultates, perturbationes eversionesque, quibus homines premuntur, et ita melius ostenditur cur responsio Ecclesiae desiderabilis sit et desideretur.

Pag. 46, lin. 20: delere: « fallacibus », scribere: « aliisve erroneis formis obscuratur et praesertim in divortii periculo exponitur; amor nuptialis insuper... ».

Pag. 46, lin. 25: addere: « commotiones et incertitudines, immo quandoque perturbationem vel eversionem. Accedit in pluribus... ».

Pag. 46, linn. 28-31: loco: « Verumtamen matrimonialis... plurium oculis manifestaverunt », proponitur: « Ad quorum nonnulla solvenda ut conferat, iuxta propriam missionem, Ecclesia lumen a Christo acceptum fidelibus suis transmittere aliisque hominibus proponere intendit. S. Synodus, de matrimonio, amore et familia tractatura, sub quo quidem respectu maior hodiernorum christianorum pars illis attendere solet, se tamen sperat omnibus hominibus lucem allaturam esse, illis non exceptis, quorum mores et mens quaestiones sub aliis potius respectibus ostendunt ». *Ratio*: textus propositus nobis melius placuit ut: 1) clarius intentio ostendatur: Ecclesia — iuxta suam missionem — lumen fidelibus transmittere, aliisque hominibus proponere; 2) materia de qua tractandum est indicetur: de matrimonio, amore et familia; 3) sub quo respectu res agitur videatur: in iis quae valde obscura sunt ita ut christifideles, conscie, et alii, quodammodo inconscie, lumen exspectant.

Pag. 47, linn. 1-5: textus: « Christifideles, praesens tempus redimentes... novis temporibus conveniunt », ponatur n. 64, pag. 51, lin. 4, post: « attingere valeant ». *Ratio*: hic excellens textus meliorem locum invenit ante exhortationem finalem.

[*Subscripserunt etiam*] Em.mi card. Paul Richaud, arch. Bordeaux; Ioseph Martin, arch. Rouen; exc.mi de Bazelaire, arch. Chambéry; Audrain, arch. Auch; Urtasun, arch. Avignon; Marty, arch. Reims; de Provenchères, arch. Aix; Dupuy, arch. Albi; P. Veuillot, coad. Paris; M. Bernard, arch. tit. Are di Mauritania; Em. Blanchet, arch. tit. Recteur Université Paris; Em. Socquet, arch. tit. Selimbria; Kervéadou, ep. St. Brieuc; Johan, ep. Agen; Vignancour, ep. Valence; Desmézières, ep. Beauvais; Boudon, ep. Mende; Barthe, ep. Fréjus; Pioger, ep. Sées; Puech, ep. Carcassonne; Piérard, ep. Châlons; Guilhem, ep. Laval; Vion, ep. Poitiers; Cazaux, ep. Luçon; Rougé, ep. Nimes; Villepelet, ep. Nantes; Fougerat, ep. Grenoble; Bougon, ep. Moulins; Mazerat, ep. Angers; de Courrèges, ep. Montauban; Vilnet, ep. St. Dié; Le Couédic, ep. Troyes; Pourchet, ep. St. Flour; Fauvel, ep. Quimper; Patria, ep. Périgueux; Jacquot, ep. Gap; Boussart, ep. Vannes; Guibert,

ep. La Réunion; Rigaud, ep. Pamiers; Bréheret, ep. Cahors; Fourrey, ep. Belley; Bontems, ep. Maurienne; Bellec, ep. Perpignan; Riobé, ep. Orléans; Ménard, ep. Rodez; Bannwarth, ep. Soissons; Goupy, ep. Blois; Vial, ep. Nevers; Donze, ep. Tulle; de Cambourg, ep. tit. Eutyme; Hermil, ep. tit. Marida; Gand, coad. Lille; Courbe, ep. tit. Castoria; Béjot, ep. tit. Cassandria; Malbois, ep. tit. Altava; Riopel, ep. tit. Neocesarea di Siria; Matagrin, ep. tit. Floriana, aux. Lyon; Badré, aux. Paris; Darmancier, vic. ap. Wallis et Futuna; P. Martin, vic. ap. Nouvelle-Calédonie; Julliard, vic. ap. New Hebrides Islands.

11

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Ad pag. 49, n. 62, lin. 17: « Parentum aliorumve tutorum est se iunioribus prudenti consilio duces praebere ». Optime dictum et secundum hoc principium redigenda sunt quod traditur in expositione introductoria pag. 8, n. 7.

12

EXC.MUS P. D. MICHAEL BROWNE

Episcopus Galviensis et Duacensis

Defectus schematis in hac parte II est quod thema unicum vel unificatum non habet ita ut attentionem hominum in genere compellat.

In mundo moderno thema quod omnes intelligunt est progressus. Homines ubique credunt, sperant, diligunt progressum in omnibus suis formis. De progressu scientifico et technologico maximopere se gratulantur. Et avide omnes de eo loquuntur et legunt. Similiter de progressu oeconomico, politico, culturali et internationali.

Certissime in scientificis inventionibus, in productione industriali, in politica statuum independentia magna et admiranda effecta sunt.

Sed etiam ex alia parte affirmandum est has humani ingenii victorias non automatice et in omni circumstantia prosperitatem beneficam et gaudium hominibus ordinariis attulisse.

Progressus scientificus arma atomica produxit cum possibilitate belli totalis et terroris universalis de quo loqui ulterius non volo.

Progressus oeconomicus non omnibus hominibus prosperitatem affert nisi cum iustitia et aequitate fructus eius dividantur. Praeterea societas hodierna affluens, uti dicitur, maiorem vitae securitatem et ordinem socialem non secumfert si ex statistica criminali iudicare possumus.

Emancipatio politica statuum non eo ipso et semper libertatem et ameliorationem omnibus civibus attulit.

Hinc ut inventiones et instituta moderna verum beneficium et progressum omnibus hominibus producere possint, certae condiciones sequuntur: ex eis praecipua et maxime necessaria est ut altior sit sensus et praxis moralitatis tum inter regentes tum inter subditos, ut iustitia, caritas, temperantia, sapientia ab omnibus honorentur et in praxim deducantur.

Hic Ecclesia maximum adiumentum et beneficium mundo huius temporis confert ut progressus verus realis et universalis obtineatur quia Ecclesia hominibus lucem et vitam moralem affert per suam doctrinam et sacramenta.

Hoc schema insistere debet functionem Ecclesiae propriam et primariam non esse progressum, affluentiam vel alia terrestria producere. Schema debet doctrinam Salvatoris nostri in sermone montano de bonis terrestribus spernendis propalare et verba eius alte proclamare: « Quaerite primum Regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis ».

13

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

N. 60, pag. 47, linn. 2-4. Loco « bona familiae » dicatur « bona matrimonii ac familiae ».

N. 61. *In genere.* Mihi videtur periculosum quod heic matrimonium describatur prius ac quasi praevalenter per « amorem ».

Pag. 47, lin. 9. Loco « tradunt atque accipiunt sponsi », dicatur: « tradunt atque accipiunt coniuges ».

Pag. 47, lin. 10. Sic emendetur: « ... quod vinculum sacrum non amplius e solo singulorum arbitrio aut humanae potestatis pendet ». *Ratio* emendamenti: omissa sunt verba textus « respectu boni personarum » et addita sunt verba « aut humanae potestatis » ne inferri possit quod « respectu boni societatis » singuli coniuges aut humana potestas valeat vinculum dissolvere.

Pag. 47, linn. 16-19. Hic, ni fallor, procreatio et educatio prolis accipiuntur tamquam complementum et corona matrimonii, dum e contra constituunt eius finem essentialem primarium. Propono textum sic emendatum: « Amore autem coniugali, generoso atque conscio, qualis extra legitimam unionem exsistere nequit, animetur ac veluti fastigio compleatur et coronetur oportet ipsum institutum matrimonii, quod ad procreationem et educationem prolis ordinatur ».

Pag. 47, lin. 19. Sic propono: « Vir itaque et uxor, qui foedere coniugali iam non sunt duo sed una caro etc. ». *Ratio* emendamenti: dicendo foedus « dilectionis » indico unam tantum partem foederis, et quidem partem non constitutivam.

Pag. 47, linn. 23-25. Sic complenda propono: « Quae intima unio, ex primordiali Dei praecepto et ex ipsa coniugalis amoris natura, plenam per-

petuamque coniugum fidem exigit atque indissolubilem eorum unitatem urget ».

Pag. 47, lin. 26. Loco « Christus Dominus hanc multiformem dilectionem ... benedixit », dicatur: « Christus Dominus hoc multiforme coniugale consortium ... benedixit ». *Ratio*: Sacramentum matrimonii sacrat quidem dilectionem coniugum, sed tamquam partem coniugalis consortii. Non amor coniugalis sed foedus coniugale prius ac per se elevatum est ad dignitatem sacramenti.

Pag. 17, lin. 30. Loco « in sacramento matrimonii » dicatur « per sacramentum matrimonii ».

Pag. 47, lin. 36. Sic compleantur: « Quapropter coniuges christifideles ad sui status officia et dignitatem servanda peculiari etc. ».

Pag. 48, linn. 13-15. Sic emendanda censeo: « Parentum ius officiumque procreandi prolem eamque educandi, praesertim in re religiosa, ad rectam propriae conscientiae normam, omnino in tuto ponatur ».

N. 62. Pag. 48, lin. 19. Loco « coniuges invitantur », dicatur « coniuges vocantur ». Agitur enim non de mera invitatione sed de vero praecepto.

Pag. 48, lin. 23. Sic legatur: « Ille autem amor, utpote actus vere humanus cum a persona in personam dirigatur ». *Ratio* emendamenti: nimis affirmatur dicendo quod actus amoris coniugalis sit « eminens » actus humanus!

Pag. 49, lin. 14. Loco « de amoris dignitate », dicatur « de amoris coniugalis dignitate ».

Pag. 49, lin. 19. Loco « partem eligendam », dicatur « *com*partem eligendam ».

Pag. 49, lin. 22. Loco « ecclesiasticam », dicatur « ecclesialem ».

N. 63. Pag. 49, lin. 24. Loco « ex semetipsis », dicatur « suapte natura ».

Pag. 49, lin. 30. Loco « merum procreationis institutum », dicatur « merae procreationis institutum ».

Pag. 49, lin. 34. Loco « suamque indissolubilitatem », dicatur « suamque unitatem et indissolubilitatem ».

Pag. 49, lin. 41. Sic compleatur: « prolis numerum secundum Dei dona verique amoris indicationem iustis mediis determinare ». Non sufficit enim solvere quaestionem de numero, sed solvenda est mediis licitis.

N. 64. Pag. 50, lin. 25. Sic legatur: « Sunt proh dolor qui his difficultatibus solutionem illicitam temere afferunt, immo etc. ». Additur « proh dolor » ad exprimendam reprobationem ex parte Concilii; loco « faciliorem » dicitur « illicitam », quia hic non agitur de facilitate aut difficultate solutionis, sed de eius liceitate aut illiceitate!

Pag. 50, lin. 34. Loco « erga Magisterium », dicatur « erga Magisterium Ecclesiae », claritatis causa.

Pag. 50, lin. 40. Loco « conferunt » dicatur « conferre possunt ».

14

EXC.MUS P. D. AEMILIANUS FRANCISCUS ČEKADA
Episcopus Scopiensis

In animo habeo loqui de cap. I partis II nostri schematis, i. e. *de Dignitate matrimonii et familiae fovenda.* Sed mirum dictu: arduus mihi hic labor videtur. Temporibus anteactis, cum nos theologiae morali in nostris seminariis vel facultatibus theologicis insudabamus, revera difficile non erat mentem Ecclesiae hac in re perfecte cognoscere. Sufficiebat aperire librum cuiuscumque probati auctoris, et ecce: doctrina Ecclesiae apparebat coram nobis lucida atque perspicua: hoc tibi licet, hoc non licet; hoc est peccatum in materia vitae matrimonialis, hoc vero actus dignus et meritorius.

Nunc autem certa quadam confusione omnia obnubilata nobis videntur. Legi cap. I partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Verba sunt delicata, selecta, oleo humanitatis et christianitatis condita, attamen frustra quaeres responsum ad ea, quibus conscientiae nostrae hodie anguntur: potestne componi vita matrimonialis virtuosa et honesta cum modo agendi, qui regulationem partus implicat, quaenamque in hac materia sunt licita, quae autem prohibita? Sedulo enim auctores huius capitis evitant praecise respondere interrogantibus. Praeter principia, quae christianissime sonant, sunt in textu quaedam, quae aequam ac favorabilem notam theologicam vix merentur. Ita v. g. in n. 61, pag. 48, legi possunt verba: « Parentum ius procreandi prolem eamque educandi, prae ceteris in religione, *secundum propriae conscientiae praecepta,* omnino in tuto ponatur ».

Liceat mihi hic animadvertere, procreationem prolis non esse tantum ius, sed et sacrosanctum officium coniugum, supposito nempe exercitio vitae coniugalis. Porro, estne propria conscientia unica norma huius iuris? Conscientia, quae etiam erronea esse potest.

Notum est in « mundo huius temporis » grassare gravissima crimina contra honestatem vitae matrimonialis: abortus, infanticidia, quin loquamur de aliis, quae ad praxim anticonceptionalem in genere reducuntur. Et omnes isti homines haec facinora cum sua conscientia componere student.

Non volui dicere, auctores loci citati talem conscientiam prae oculis habere. Tamen, cum de normis vitae christianae agatur, nulli aequivocationi est relinquendus locus.

Haec et similia, quae decursu disceptationis *de Ecclesia in mundo huius temporis* dicta et audita erant, clare indicant, quam spinosam materiam aggredimur, dum mundo moderno de mundo loqui volumus. Propterea, optime fecit Pontifex Paulus, cum materiam de matrimonio — nobis Patribus Conciliaribus consentientibus — saltem in parte maxime odiosa suo iudicio vindicasset.

Nos scimus Romanum Pontificem esse Petrum. Petrum, cui dixerat dominus: « quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quod-

cumque solveris super terram, erit solutum et in caelis » (*Mt.* 16, 19). Et iterum: « ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos! » (*Lc.* 22, 32).

Certissime, fides Petri non deficiet. Petrus in medio mundi huius temporis, qui modo Paulus VI nuncupatur, sapientia sibi a Deo data proferet sententiam, quae securitatem reddet nostris mentibus pacemque donabit cordibus. Petrus, ad nos conversus, confirmabit in veritate et vero iudicio fratres suos.

Parcatis mihi, Fratres venerabiles, si unum adhuc nervose extollam. Nos in Occidente solliciti sumus, quomodo nova individua humana, infantes qui in vita coniugali reclamant ius ad vitam, reducemus ad numerum rationabilem, ita ut omnes homines copia bonorum terrestrium frui possint.

In Oriente non eandem sententiam sequuntur. Cum iuxta finem mensis elapsi Beogradi, in urbe capitali Jugoslaviae, congregati erant repraesentantes nationum, qui de problemate crescentis populationis in mundo doctissime disseruerant, plerique ex Occidente — Republica Jugoslavia praecedente — id petebant, ut numerus nascentium reduceretur omnibus mediis, in primo ordine mediis conceptionem impedientibus. His autem contradicebant delegati nationum orientalium Russia Sovietica non excepta, qui uno ore proclamabant ius ad vitam infantium. Illi omnes argumento nitebantur, ad colendam terram et ad condiciones vitae elevandas necessarios esse homines, novos homines.

Proverbium, quod adhuc nuper erat in honore apud Slavos Meridionales, sic sonat: « Ubi sunt capita, ibi erunt et galeri (Dove ci sono le teste, saranno anche le berrette) ». Proh dolor! Etiam apud nos, non obstante hoc pulcherrimo proverbio, numerus nascentium, praecipue apud catholicos et orthodoxos, in dies decrescit. In quibusdam provinciis, secundum statisticas officiales, numerus abortuum maior est quam numerus partuum. Et hoc fit consentientibus, immo et faventibus, organis administrationis publicae.

Eodem tempore cives religionis islamiticae, normas naturae sequentes, plurimos infantes habent et sic quotannis augent relationem percentualem elementi islamitici ad globum populi Jugoslaviae. Ceterum, haec res non est aliquod specificum Jugoslaviae. In omnibus terris Orientis, Africae necnon Americae Meridionalis, apud sic dictas nationes non evolutas, numerus infantium nascentium valde est elevatus. Quid dicemus his novis agminibus, qui ex latebris sinus materni progrediuntur, ut repleant terram et subiciant eam? Quid aliud nisi: « Benedicti, qui veniunt in nomine Domini! » (*Mt.* 21, 9).

15

Exc.mus P. D. ANDREAS M. CHARUE

Episcopus Namurcensis

Pag. 47, lin. 1: quaero utrum lectores facile intelligere possint expressionem « praesens tempus redimentes » (gallice: mettre à profit le temps présent).

Pag. 47, lin. 33: « diligant » loco « diligunt »?

Pag. 48, lin. 19: scribere cum maiuscula « Verbo divino » vel forsan melius « in Sacris Libris ».

Pag. 49, linn. 17-18: vocabulum « audiendo » facit difficultatem, quia prima fronte cogitatur de aliquo gerondivo. Clarius esset si haberetur forma pluralis « prudentibus consiliis ab eis libenter audiendis ».

16

Exc.mus P. D. IOSEPH M. CUENCO

Archiepiscopus Jarensis

Quasdam animadversiones obiciendas opportunum duco in cap. I partis II huius schematis quod nunc examini subicimus, ad illud nempe caput quod « de dignitate matrimonii et familiae fovenda » tractat.

Hoc siquidem caput reperio obscurum, immo et ambiguum. Obscurum et ambiguum, inquam, non sola deficientis latinitatis causa, sed potissimum ex ipsa interna ratione argumentum tractandi, praesertim quia ad amorem coniugalem et ad prolis procreationem usumque matrimonii, in genere se refert.

Normae enim quas hoc schema proponit pro recto matrimonii usu nimis genericae sunt, talesque ut nimis subiective intelligi et applicari possint. Aliquando siquidem defendit simpliciter parentum ius procreandi et educandi prolem « secundum propriae conscientiae praecepta » (pag. 48, lin. 14). Aliquando honestos dicit actus intimos coniugum dummodo « ordinatim » fiant et « modo vere humano » (pag. 48, lin. 35 s.); atque, ubi statim intendit significare quae coniuges christiani debeant speciatim vitare, explicite citat adulterium ac divortium (pag. 48, linn. 39-41) et, inferius, abortum et infanticidium (pag. 50, lin. 29 s.), quin ullum e contra verbum dicat expresse de onanismo coniugali, quam tamen omnes scimus gravissimum frequentissimumque constituere problema in usu matrimonii. Inferius autem pari generico modo coniuges hortatur ut « leges vitae coniugalis pie custodiant » « secundum germanam dignitatem humanam » (pag. 50, lin. 32 s. et lin. 42 s.).

Quae porro omnia quae hoc in capite dicuntur recte sunt dicta, sed nondum complete nec proinde sufficienter.

Cuicumque enim nostrum bene notum est quanta anxietate totus fere mundus quamdam spectet Ecclesiae declarationem circa huiusmodi quaestionem. Etiam si in hoc schemate minime intendatur totam rem absolvere, cum ea sit Summo Pontifici reservata, tamen necessarium puto quod etiam in hoc capite, si revera hoc argumentum tangat, aliquod saltem principium magis completum, licet generalibus verbis, statuatur, ita ut asseratur verbi gratia: quod coniugibus liceat matrimonio uti dummodo sincere procedant iuxta propriam conscientiam, lege autem Dei recte informandam *prout a Magisterio Ecclesiae authentice declaretur*; et, cum revera declaratio explicita et categorica quoad hoc exsistat in Litteris Encyclicis *Casti Connubii* Pii XI, onanismus expresse dicatur a lege divina prohibitus (cf. DENZ.-SCHÖN., 3717).

Quam porro declarationem eo urgentiorem existimo quo in praesenti huius capitis schemate taliter amor coniugalis extollitur ut possit, nisi recte pleneque intelligatur, graviorem adhuc reddere illum actualem « hedonismum » qui recte ab ipso schemate denuntiatur (pag. 46, lin. 22).

Quare opportunum censeo praeterea, ut clarius explicetur character *supernaturalis* qui amorem coniugalem in matrimonio christiano informare debet. Quod vero melius poterit declarari si etiam in hoc capite expresse declaretur ac extollatur superior excellentia virginitatis « propter regnum caelorum » servandae (cf. *Mt.* 19, 12), in eo loco ubi nunc virgines simpliciter citat (pag. 47, lin. 34).

Ubi etiam opportunum erit quod coniugibus christianis magis explicite declaretur omnino necessarium esse spiritum *mortificationis* atque *pietatis* sedulo fovere, cum ferventi participatione in vita liturgica, praesertim autem per frequentiorem accessum ad Sacramenta Paenitentiae et Eucharistiae, ad vitam matrimonialem familiaremque recte ac digne ducendam iuxta spiritum Christi.

17

EXC.MUS P. D. IOANNES FRANCISCUS DEARDEN
Archiepiscopus Detroitensis

Nemini latet momentum huius capitis, de matrimonio scilicet et familia. Hoc institutum fere omnes, tum viros tum mulieres, immediate respicit, et aliquo modo eorum vires, desideria, spes in unum redigit. Nostris praesertim diebus ob conditiones novas et prementes, in re coniugali exorta sunt problemata ardua de quibus christifideles vexantur. Ut in luce clariori ponatur intima natura ipsius vitae coniugalis ad Ecclesiam docentem se vertunt magna cum expectatione.

Ecclesia, certo, quae et ipsa fidelis esse oportet ad depositum, satisfacere nequit expectationibus quae cum sua doctrina non congruunt. In quantum vero potest, Ecclesia ex thesauro doctrinali nova et vetera proferens adiumentum afferre potest tum elucidando veritates de ipsa indole vitae christia-

nae etiam in re matrimoniali tum instituendo colloquium cum coniugibus de iis quae angorem et crisim conscientiarum passim provocant. Ita agendo Ecclesia munus suum adimplet, pro posse, modo qui est consonus temporum necessitatibus.

Inter tot et tanta quae matrimonium et familiam spectant, textus quaedam vere digna profert, — et ob hoc laudandus est, — sub luce quattuor notionum particularium, — nempe, sanctitatis, caritatis, responsabilitatis et integritatis vitae coniugalis. Viam prudentem premens, textus pro fine habet ut sub aspectu naturali necnon supernaturali christifidelibus afferret cognitionem pleniorem et ditiorem de vita matrimoniali et familiari.

Textus tamen vitium notabile praesefert: ut responderet votis Patrum, multa immo nimia in paucis verbis exprimere conatur. Res etenim ita concinne exponuntur ut sensus haud plene perspicitur. Ad claritatem inde assequendam proponere audeo quod in hoc capite textus aliquatenus magis amplus reddatur. Fateor me hoc propositum cum aliqua haesitatione adducere, eo quod plures Patres, me etiam consentiente, iam postulaverunt molem huius schematis reduci oportere. Attamen haec pars schematis tam momentosa est quod opportunum duco hoc propositum facere.

Praeterea textus, qui in illis quae exponit valde placet, indiget conclusione magis disserta. Uti nunc iacet, caput fere ex abrupto terminatur. Cum finis huius capitis est ut det christifidelibus cognitionem pleniorem eorum vocationis coniugalis simulque eis spem erigat, concludi debet verbis quae patefaciunt curam pastoralem necnon Ecclesiae sollicitudinem.

En quaedam notatu digna quae per summa capita in tali conclusione proferre possunt:

1. Vita spiritualis coniugum nutritur caritate, responsabilitate et observantia vitae matrimonialis et familiaris. « Coniuges ... parentesque christiani », — sunt ipsa verba constitutionis *de Ecclesia,* n. 41 — « oportet ut propriam vitam sequentes, amore fideli, totius vitae decursu se invicem in gratia sustineant, et prolem amanter a Deo acceptam christianis doctrinis et evangelicis virtutibus imbuant ».

2. Amor coniugalis intelligi debet in contextu totius vitae christianae, cuius dignitas et plenitudo ditiorem significationem amori tribuunt.

3. Animus coniugalis et parentalis fovendus est, etiamsi, legitima de causa, proles augeri nequit; et custodiendi sunt amor prolis, necnon dilectio compartis, integritas vitae, temperantia et fortitudo.

4. Conatus a viris scientificis augendus est ut in natura illa media inveniantur, quae integritatem physiologicam et psychologicam vitae coniugalis maxime servant.

5. Curent pastores ut ipsi mediis paedagogicis necnon liturgicis animos coniugum in vocatione sua, christiano modo adimplenda, recte educent atque firment. Memores sint verborum in constitutione *de Ecclesia* prolatorum:

« ... coniuges propriam habent vocationem, ut sibi invicem et filiis sint testes fidei et amoris Christi » (n. 35).

Haec et alia a Patribus in aula prolata perficere possunt hoc caput, ita ut doctrina tradita apte possit fulcire et ditiorem reddere sub luce Evangelii vitam coniugalem christifidelium huius temporis.

18

Exc.mus P. D. IOANNES DE CAMBOURG

Episcopus tit. Eutymensis, aux. Bituricensis

Ce nouveau texte est fort supérieur au précédent; il est cependant d'inégale valeur; de plus, il gagnerait à être condensé.

J'envoie ici quelques observations, lesquelles ont trait d'une part au chapitre premier de la seconde partie « de dignitate matrimonii et familiae fovenda » (n. 60 à n. 64), d'autre part au chapitre cinquième de cette même partie « de communitate gentium et de pace promovenda » (n. 90 à n. 103). J'y adjoindrai un texte « refondu » pour le chapitre I sur le Mariage et la Famille.

II Pars. Caput I: de dignitate matrimonii. Le texte paraîtra décevant à beaucoup, je le crains, du fait que le problème de la hiérarchie des fins du Mariage n'est pas traité. Peut-être la Commission a-t-elle estimé qu'il était trop lié à l'objet soumis à la commission spéciale ...

N. 61, pag. 47, lin. 37: dicatur peculiari *roborantur et veluti* consecrantur sacramento; etc. ...

N. 61, pag. 47, lin. 34: « qui etiam virgines colit ». Haec mentio, hic, inutilis videtur. Vel, si manet, virginitas extolletur, dicendo v. g. « cui tamen virginitas praeplacet ».

N. 62, pag. 48, lin. 23: « amor, utpote *actus* eminenter humanus » sed videtur amorem coniugalem non esse actum ...

N. 62, pag. 48, lin. 29: « liberum donum ... tenero affectu *probatum* ». Forse melius diceretur « *sustentatum* », quia donum potius est consequentia affectus.

N. 62, pag. 48, linn. 37-39: post assertionem « amor ille fide ratus et *in Christo* sanctus est », timendum est quod pro ipsis non putant valere ea quae dicta sunt « ceteri legitimo coniugio dediti », id est non-christiani.

N. 63, pag. 50, lin. 11: « prolem ... *numerosiorem* ... ». Dicatur absolute et non comparativo modo, quia comparatio, in contextu interpretari possit « ultra quod rationabile est ».

Dignité du Mariage et de la famille.

60. *Le mariage et la famille dans le monde actuel.* Le développement de l'homme et de la société est étroitement lié à la prospérite de la communauté

familiale. Aussi l'Eglise voit-elle avec sympathie tout ce qui peut aider les époux à accomplir leur éminente mission. La vigueur de l'institution familiale se révèle aujourd'hui dans la résistance aux chocs qui tendent à l'ébranler: survivance de la polygamie dans de vastes régions, imprégnation d'une ambiance d'égoïsme, d'hédonisme et d'érotisme, pressions économico-sociales qui jettent nombre d'âmes dans l'angoisse de l'insécurité.

61. *Caractère sacré du mariage et de la famille.* Dotée de lois propres par le Créateur, fondée sur le don mutuel, personnel et irrévocable des conjoints, la famille est indispensable à la pérennité du genre humain comme à son bonheur. Un amour sans réticence et sans repentance doit l'animer, qui ne se trouve que dans l'union légitime. L'alliance des époux trouve son achèvement dans l'acte qui les fait « une seule chair » (*Mt.* 19, 6). De cette unité, la communauté des pensées et de l'activité domestique quotidienne leur donnera une plus vive conscience.

Parce que cette intimité réclame, de par sa nature même, une indéfectible fidélité, qu'elle tend d'ailleurs à renforcer, mais qui comporte de fréquents sacrifices, le Sauveur des hommes sous-tend l'effort des conjoints par un sacrement de cette Eglise dont Il est l'Epoux. Orienté et vivifié par l'ascèse chrétienne, sous l'action de la Grâce, l'amour les conduit au-delà de leur épanouissement humain, à la rencontre du Christ. C'est pourquoi ils s'attacheront à remplir en esprit de foi leurs devoirs d'état, en particulier la tâche de procréation et d'éducation qui fait leur grandeur. Ils ouvriront ainsi la voie du Salut à tout leur entourage. Les enfants concourront de leur côté à la sanctification et au bonheur de leurs parents par le témoignage de leur piété filiale, de leur respect et de leur reconnaissance. En fils aimants, ils leur obéiront, et les assisteront dans les épreuves de même que dans la solitude de la vieillesse.

Mettant à profit le temps présent, faisant le départ de ce qui demeure et de ce qui passe, les chrétiens auront à cœur de développer les valeurs familiales tant par l'exemple de leur vie privée que par leur collaboration avec les hommes de bonne volonté de toute croyance, sans omettre pourtant de souligner l'excellence du célibat inspiré par l'amour de Dieu et du prochain.

L'Etat, florissant quand prospère la famille, doit protéger celle-ci et la soutenir. Il doit notamment sauvegarder le droit des parents d'élever leur progéniture selon leur conscience, venir en aide aux familles nombreuses et favoriser la présence de la mère au foyer, car l'enfant a besoin de la tendresse maternelle surtout dans ses premières années.

62. *L'amour conjugal.* A plusieurs reprises, la Parole de Dieu a invité les fiancés à garantir leur promesse par une affection chaste et les époux leur contrat par une union sans faille. Inclination éminemment humaine, l'amour va à la personne. Rehaussé par la Grâce, il associe chez le chrétien le divin à l'humain, et à travers les épanchements de la tendresse, parfait le don mutuel. Il dépasse ainsi amplement l'éphémère et décevante attirance érotique cultivée pour elle-même. Soutenus par la prière et par l'Action catholique,

guidés au besoin par les mouvements familiaux interconfessionnels, les époux chrétiens procureront à leurs enfants le bienfait d'un foyer uni, leur apprendront la dignité de l'amour par la rectitude de leur vie. Ils les formeront à la vie sociale, civique et ecclésiale, puis, le moment venu, ils les conseilleront prudemment dans le libre choix d'un état de vie, et éventuellement d'un partenaire, selon la vocation divine.

63. *La fécondité du mariage.* Bien que la stérilité des époux n'invalide pas le mariage, celui-ci tend essentiellement, de par la Volonté du Créateur qui a différencié les sexes, à la procréation et à l'éducation. Fiers d'être appelés à accroître le Peuple de Dieu et confiants dans la divine Providence, ils s'estimeront gravement tenus d'accueillir tous les enfants qu'ils jugeront en conscience pouvoir convenablement mettre au monde et élever, compte tenu de leurs forces physiques, de leurs ressources matérielles et morales, des besoins de l'Eglise et de la patrie. Dociles au Magistère qui déclare faute grave la fraude contre la nature et crimes contre l'homme l'avortement et l'infanticide, aidés par la sagesse et la compétence des théologiens et des spécialistes des sciences humaines, le mari et la femme, égaux dans leurs droits comme dans leurs responsabilités, trouveront dans une loyale collaboration avec le Maître de la vie leur plénitude psychologique, morale et spirituelle.

Ainsi à travers les aubaines et les sacrifices, à travers les peines et les joies de leur sublime vocation, s'accomplira par les époux chrétiens le grand dessein du Dieu vivant.

* * *

De nn. 61 et 62 agere intendo. Antequam de unoquoque numero dicam, notare velim pericopas, non parvas, quae alibi, in hoc capite, locum meliorem invenire debent. Imprimis valde optandum est ut ad n. 63 transferantur quae de *educatione* dicuntur pag. 47, lin. 42 (a verbo « coniuges ») ad pag. 48, lin. 3, et pag. 49, linn. 7-33, quia in hoc n. 63 nihil habetur de educatione quamvis finem matrimonii recolere intendat, scil. « prolem procreandam simul et *educandam* ». Praeterea quae dicuntur linn. 13-18 pag. 48 et 3-6 pag. 49, ad n. 64 remittantur, ubi meliorem locum invenient, tanquam conclusionem pastoralem.

Nunc ad n. 61. *In paragrapho prima*:

a) Delenda sunt verba: 1. « suisque legibus instructa » (lin. 7), quia pluries dicitur. 2. « quemadmodum extra legitimam unionem existere nequit » (lin. 17), utpote experientiae contraria. 3. « quod ad procreationem et educationem prolis ordinatur, quibus, veluti fastigio, completur et coronatur » (linn. 16-17), saltem si redactio infra proposita admittatur.

b) Clarius dicendum est institutum matrimonii sacrum esse natura sua, uti a quibusdam religionibus non christianis agnoscitur, quia participat de dignitate personarum. Propterea sequentem redactionem propono pro linn. 10-17, pag. 47: « ... lege divina firmatum. Quod institutum tam sacrum est quam et ipsa persona, quae est imago Dei ad Dei consortium vocata. Est

enim ambarum personarum mutuum ac perfectum donum, ad utriusque felix incrementum et ad novas personas suscitandas ordinatum, quo Deus ipsos coniuges per utrumque perficit, per utrumque filios creat, et toti familiae seipsum tanquam immensum immenseque foecundum amorem adumbrat. Unde amore coniugali generoso atque conscio animetur oportet ipsum institutum matrimonii. Vir itaque et uxor ... ».

c) Lin. 22, post « Praestant », addatur: « Tum in ipsa familia, tum ad latius sociale commercium », quia oportet notare necessitatem pro familia sese convertendi ad vitam socialem.

d) Lin. 25, ponatur « vult » pro « urget », quia Ecclesia aliquoties coniuges liberat a veri matrimonii vinculo in bonum Fidei.

In paragrapho secunda:

a) In disceptatione generali, plures Patres petierunt ut locus daretur « peccato ». Ideo propono ut opus Redemptionis sic exprimatur:

1. addendo lin. 27, post « abundanter benedixit »: « peccato autem laesam et foedatam sanavit ».

2. Mutetur verbum « nobilitatur » (lin. 34) per verbum « purgatur », ita ut linn. 34-36, pag. 47 sic legantur: « ... dirigitur atque purgatur divino amore, qui etiam virgines colit, assumitur a Christo ut efficaciter ad Deum ducat ».

b) Uti supra dixi, finis paragraphi, a verbis « Coniuges autem ... » pag. 47, linn. 42 ad pag. 48, lin. 3, ad n. 63 transferatur.

In paragrapho tertia:

a) Quia liberi etiam ad progressum humanum parentum suo modo concurrunt, legatur in pag. 48, lin. 4: « ... familiae membra, ad humanam maturationem et christianam sanctificationem parentum ... ».

b) Ad iuvandos senescentes parentes quod attinet, nonnunquam ipsi pagani exigentias morales edixerunt humanitatis plenas: unde, loco: « necnon in senectutis solitudine filiorum more assistent », scribere mallem: « nec ipsos in solitaria senectute derelinquent ».

c) Quia in patientia christiani possident animas suas, peto ut in fine, post ultima verba: « amabili cooperatione », addatur: « tum communi patientia in molestiis et doloribus ferendis ipso amore Christi pro Ecclesia sponsa patientis et morientis ». Et, de facto, vita difficultatum plena est, ut neminem fugit.

De paragrapho quarta, peto ut transferatur ad n. 64, ut dixi.

Nunc de n. 62. *Circa paragraphum primam,* pauca mihi videntur notanda, scil.:

a) Pag. 48, linn. 21-22: Delenda sunt verba: « Pluries quoque nostrae aetatis homines verum amorem inter maritum et uxorem magni faciunt » quae verba inter signa temporum fausta aptum locum haberent, scil. in n. 60.

b) Cum sanctificatio attingat hominem in corpore et anima, ibi sane opportunum est illud memorari, dicendo, v. g., in linn. 26-27, pag. 48: « quo christifideles, tam corpore quam anima sancti, filii Dei vocantur » ...

c) In lin. 30, pag. 48, verbo « immo » substituatur « ideoque », ut clarius tanquam consequentia appareat ille amoris progressus.

Paragraphus secunda plura continet: honestatem unionis carnalis inter coniuges; novam affirmationem indissolubilitatis, ex qua eruitur necessitas exempli in vera fidelitate praebendi tam a christianis quam a non-christianis coniugibus, modo sat negativo expressam; tandem mediorum supernaturalium ad officia vitae christianae peragenda. Circa quae, ut firmior et clarior evadat textus, sequentem paragraphi redactionem propono, in qua:

a) honestas unionis carnalis fortius affirmatur: etenim alicubi de hac re remanent sequelae Iansenismi.

b) Nexus indissolubilitatis cum unione Christi et Ecclesiae in Sacramento significata clare apparet.

c) Mentio coniugum non christianorum deletur, quia hoc in contextu coniuges non christiani et ipsi exemplum a christianis opportunum accipere posse potius dicerentur, quam simul cum eis, ad exemplum commune offerri.

d) Item, deletur mentio « divortii », tum quia divortium inter signa temporum negativa locum invenire debet, utpote vera lues in nostra aetate grassans, tum quia, modo positivo loquendo, finis textus recogniti eum excludit.

Unde sic currit emendatio mea pro hac secunda paragrapho: « Haec quidem dilectio proprio opere exprimitur et perficitur. Actus proinde, quibus coniuges intime et ordinatim inter se uniuntur per se honesti sunt et, modo vere humano perpetrati, donationem mutuam plenam significant et fovent. In Christo autem, ille amor fide ratus et corporaliter expressus signum est et vera participatio unionis Christi et Ecclesiae; unde sanctus est, atque inter prospera et adversa indissolubiliter fidelis. Quapropter christiani, sacramentorum et orationis ope gratia Christi suffulti, omnibus exemplo sint in coniugali castitate inconcussaque fidelitate usque ad mortem ».

De tertia paragrapho, nihil in hoc n. 62 remaneat, sed, propter rationes initio allatas, partim ad n. 63, partim ad n. 64 textus transferatur.

Sic ad meliorem redactionem articulorum sub numeris 61 et 62 recensitorum, necnon totius capitis, me quasdam utiles emendationes proposuisse humillime spero.

[*Subscripserunt etiam*] *Cf. pag. 167.*

19

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

In genere desideratur ut caput de matrimonio perspicue doceat traditionalem doctrinam de fine primario matrimonii qui est procreatio et educatio prolis, cui fini amor coniugalis subordinatur. Hic amor dici potest causa formalis matrimonii, semper tamen subordinata causae finali.

Ad n. 61, pag. 47, lin. 39: Quae ibi dicuntur videntur excludere possibilitatem perfectionis humanae personae, saltem in sua plenitudine, extra matrimonium, quod admitti non potest et contradicit quae in aliis schematibus proponuntur, de vita religiosa v. g.

Ad n. 63, pag. 49, linn. 41-42: Quae ibi dicuntur favent subiectivismo in re gravissima, et non sufficienter excludunt media illicita limitationis prolis.

Ad n. 64, pag. 50, linn. 17 ss.: Quae hic dicuntur naturalistice rem considerant. Deest affirmatio valoris mortificationis, et fiduciae in Dei Providentia.

20

EXC.MUS P. D. GEORGIUS MARCUS DE OLIVEIRA
Episcopus S. Andreae in Brasilia

De quelques problèmes plus urgents.

Chapitre I: *Dignité du mariage et de la famille.*

Généralités. Il nous plait beaucoup verifier quelques points pour une tentative d'une vision de la vie familiale prenant comme base l'amour conjugal; laisser à la conscience éclairée des couples la decision sur le nombre des enfants, dans une nette recherche de la volonté de Dieu; reconnaître la famille comme un groupe social que tient ses propres lois; ne rien dire sur fins primaire et secondaire du mariage et régistrer que le mariage « n'est pas un simple instrument de procréation ».

Nonobstant on ne peut pas neger que le schème est un document travaillé dans une époque de transition en ce que touche à la question de la limitation de la naissance. On sent qu'il n'y a pas encore une vision sûre à l'égard du problème. De cet endroit on déplore le silence sur la question des moyens de limitation de la naissance; l'appel fréquent à la « conscience bien formée » sans expliquer quelle soit cette bonne formation; et la recommandation de fidélité à la Révélation — quand la Bible traite seulement de ce sujet dans la *Gen.* 38, 10, et le péché ici référé est contre la loi de lévirat, que n'est plus en vigueur — et considération au Magistère, quand on sait que les Evêques ne sont pas suffisamment éclairés sur la matière.

D'autre part, les belles pages sur l'amour conjugal semblent sorties du livre de Herbert Doms « Du sens et de la fin du Mariage ». Serait d'une grande justice la réhabilitation de ce bon livre, le quel continue dehors de commerce.

Suggestions. N. 60. Au début du premier paragraphe on présente de manière opportune la notion de famille chrétienne vivant dans un milieu pluraliste et acceptant toutes les possibilités de collaboration positive. Ainsi on dépasse l'idée d'organisations dites chrétiennes et l'effort pour retourner à la chrétienté.

Un des pires males à propos de la famille et de l'amour conjugal dans le monde d'aujourd'hui se trouve en ce que les chrétiens, eux mêmes, ne considèrent pas la famille comme une des unités socio-biologique, sujet et objet de l'apostolat, dans son projet pastoral — fait pour des enfants, des jeunes, des hommes, et femmes séparément et non pour la famille ou pour le couple — et s'oublient, quelques fois, d'éclairer les chrétiens sur la dignité, sainteté de la famille et son obligation dans l'apostolat.

En concret: où conste « ne brille pas partout du même éclat puisque... » ajouter: « même les chrétiens ni toujours sont suffisamment éclairés à propos de... et dans certaines... ».

N. 61. Commence par mettre en rélief l'aspect légal du mariage, tout en accentuant l'importance de l'institution du consentement. Cette notion manque de densité humaine qu'on ne peut atteindre qu'en partant de la sexualité autant qu'incarnation de l'amour que trouve sa plénitude dans l'institution. Il manque aussi de référence à l'idée du complément et de l'être conjugal né du mariage. D'ailleurs il vaudrait mieux s'exprimer en termes de sacralité, dans une visée biblique, qu'insister sur le mot d'institution. Tout le chapitre a un air plutôt juridique et légaliste. Il méconnait la portée anthropologique qui est d'autant plus riche qu'elle comprend la dimension sociale.

Apport au 1er paragraphe. Remplacer le texte suivant: Dieu, lui même, dans son dessein d'amour, a enrichi le mariage de fins et de biens divers: leur importance est considérable pour la continuité du genre humain... », par: « Dieu, lui même, dans son dessein d'amour, a fait de la famille la mère du genre humain pour le bonheur terrestre ». L'expression « importance considérable » n'est pas suffisante.

1. Suggestion pour une nouvelle rédaction du premier paragraphe du n. 61, depuis le début jusqu'au texte finissant par ces mots: « et la prospérité de la société toute entière »: « L'être humain, créé par Dieu au premier abord comme un tout spirituel, a eu, depuis la création d'Eve, une existence differenciée. Masculin et féminin, il trouvera son complément parfait dans la reciprocité et dans l'exercice des charismes particuliers que l'homme et la femme reçoivent pour atteindre en commun l'accomplissement de leur destinée humaine et éternelle. Ainsi Dieu a conçu le développement du genre humain et la continuation de son œuvre pour l'union de l'homme et de la femme, fondée sur l'attraction réciproque naturelle. Cette union se concrétise dans l'acceptation de la vie commune pour la joie et la croissance de l'être

personnel et de l'espèce. Le mariage a été donc établi comme base de toute la société, pour le bonheur terrestre et le salut éternel des membres de la famille, pour la stabilité, la paix et le progrès de toute vie sociale ».

2. Que le texte « L'institution du mariage doit être animée par cet amour conjugal, généreux et conscient, qui ne peut exister en dehors d'une union légitime... », soit remplacé par: « L'amour conjugal généreux et conscient atteint sa plénitude dans l'institution matrimoniale ». Le texte se présente dans une perspective juridique, quand, par contre, il devrait se situer dans un plan anthropologique.

3. Remplacer: où est « par le pacte de leur amour » par « l'engagement de leur amour ». Le mot est plus vital, moins juridique.

4. Remplacer: « par l'union intime des âmes, des corps et des activités » par « par l'union de parfaite intimité personnelle et réciproque amitié ». Il est toujours dangereux de séparer la notion d'union du corps, âme et activités.

Au 2e paragraphe: Il y a d'emblée une référence à la portée christologique du mystère de l'amour conjugal. Ne serait-il opportun aussi d'ouvrir ce mystère d'amour à la lumière de la Trinité?

Le texte « Le Christ Seigneur a comblé de bienveillance et a béni cet amour multiforme issu de la charité divine, image de son union avec l'Eglise », soit remplacé par: « ... cet amour multiforme issu de la charité divine, image de sa vie avec le Père et le Saint Esprit et de son union avec l'Eglise ». Cette sentence a le mérite d'amplier la notion très connue de Paul qui présente le mariage comme une image de l'union du Christ et de l'Eglise. Il ne s'agirait seulement d'une image, mais de la réalisation d'une nouvelle alliance avec le Christ qui se concrétise de manière spécifique dans le couple.

Ensuite la phrase « qui a suscité aussi la virginité » s'introduit de façon forcée et trop rapide. S'il n'est possible de parler sur la verginité d'une manière plus claire, il vaudrait mieux, peut-être, ne pas la mentionner. Malgré tout nous suggérons que le texte: « orienté et ennobli par l'ascèse chrétienne, l'amour conjugal est assumé par l'amour divin... » soit remplacé par: « L'amour divin qui suscite aussi bien la virginité que l'amour conjugal, oriente ses formes diverses d'amour vers Dieu, par la Grâce rédemptrice du Christ et l'action salvifique de l'Eglise » (remarquer qu'on a omis l'expression « ennobli par l'ascèse chrétienne », qui pourrait être interprétée comme négation de l'existence d'une ascèse propre à l'union conjugal).

La position des parents à propos des enfants non est simplement d'éducateurs. C'est bien plus large comme fait noter la *Lumen Gentium*. Donc, où conste: « quant aux époux, grandis par leur rôle de père, de mère, ils accompliront avec conscience leur devoir d'éducateurs... » ajouter: « fournisseurs matériaux de la famille et sanctificateurs... »; où conste « à leur sanctification mutuelle... », ajouter: « ... et à l'apostolat auprès des autres familles »; où on dit: « ... qu'ils procurent la gloire de Dieu », ajouter: « ... dans le monde et dans son foyer, signalé de simplicité et esprit de pauvreté, où le superflu ne doit pas exister, parce que appartient aux plus pauvres ».

Dans ce que touche au travail de la femme hors de son foyer, il serait recommandé de charger les auctorités publiques de la création de conditions qui permettent le travail des mères dans son propre foyer, en remarquant le service public qu'elles prêtaient dans de pareilles conditions. Donc, où conste: « ... la tendresse de leur mère », ajouter: « ... est à la charge de la société créer des conditions favorables à un tel travail que, même si réalisé dans le foyer, c'est un service public de grand relief ».

La dernière sentence du 2e paragraphe semble ne s'adresser qu'aux pays où on valorise trop de la femme en dehors du foyer, quand le problème contraire se pose en beaucoup de pays.

Il faut encore accentuer le cas assez répandu de la totale aliénation de l'homme aux problèmes de l'éducation, spécialement par rapport aux plus jeunes.

Dernier paragraphe. Il manque d'une Théologie de l'éducation, et du sens de « socialisation » d'après Jean XXIII. L'idée de la Famille, sanctuaire fermé est un recul par rapport à l'ouverture sociale que doit avoir la famille moderne. Avant à la procréation, il faut se rappeler qu'elle ne constitue pas un droit absolu, mais on doit aussi accentuer la notion de la paternité conscient et responsable. En ce que concerne l'éducation ne voit pas, par la lecture du texte, qu'elle doit être integrée au bien commun, ce qu'il faudrait rappeler avec insistance.

N. 62. D'abord il faut rémarquer que l'ordre de n. 61 et 62 n'est pas assez naturel. On devrait parler de l'amour conjugal avant de se référer au caractère sacré du mariage et de la famille qui viennent de lui.

Le n. 62, intitulé « Amour conjugal », parle tout d'abord du caractère surnaturel du mariage. Prèsque tout de suite, traite du sujet éducation. Ce sujet « éducation », d'ailleurs, est traité aussi à la fin du chapitre.

Le *paragraphe 1er* est redigé en des termes trop romantiques, peu réalistes. Il exprime aussi l'idée de deux réalités: l'amour humain et divin, et attribue à la Grâce ce qui est propre à l'amour conjugal. Il n'exprime pas assez la réalité de la communauté totale de vie des époux, qui se fonde sur le rapport conjugal. Il lui manque enfin, la notion que l'amour conjugal est la propre expression humaine de la grâce, qui lui confère une dimension nouvelle sans, pour autant, changer la nature.

Nous proponons une nouvelle rédaction pour tout le paragraphe 1: « L'amour qui unit l'homme et la femme a été créé par Dieu, et dans l'intention divine, il était beau et pur. A cause de l'ambiguité de l'attraction purement érotique il est ennobli par l'amour personaliste des époux, qui donne valeur et consistence à cette attraction. L'amour conjugal donne un sens et un valeur particulier à la communauté totale de vie entre les époux, qui devient vie d'enfants de Dieu, par un don spécial de la grâce. Un tel amour associe, à la fois, l'humain et le divin, conduit les époux à un don libre et naturel d'eux mêmes, qu'ils se manifestent par des sentiments et des gestes de

tendresse. Il imprègne les obligations et les sacrifices de la vie conjugale; bien plus, il s'accomplit lui même et grandit par son généreux exercice ».

Nouvelle rédaction pour le *2e paragraphe*: « Cette affection ainsi comprise et conduite d'une façon humaine, ratifiée, par un engagement et sanctifiée par le Christ est indissolublement fidèle pour le meilleur et pour le pire. C'est pourquoi ceux qui sont unis dans le mariage, refuseront toute action illicite, surtout celles qui livrent misérablement la foi conjugale aux fléaux de l'adultère et du divorce. Ils rendront ainsi un vrai témoignage de l'amour chrétien ».

Nouvelle rédaction pour le *troisième paragraphe*. « Cet amour devra se prolonger et s'accomplir dans l'amour parental. Les époux devront se devouer avec spéciale attention à l'éducation des enfants, L'ambiance d'une famille vraiment unie est favorable à l'éducation, une fois que, son rôle principal est de former à l'amour. Le mariage doit être une école progressive pour la liberté et la responsabilité, que tout être doit atteindre à l'âge adulte. En fait, il doit mener les êtres à la pleine réalization de leur potentiel humain. Eduquer c'est susciter des conditions pour que l'être humain puisse réaliser le mieux possible, le plan de Dieu à son égard. Le rôle des parents n'est pas celui d'intervénir dans le plan divin, mais tout simplement, mais celui de guider l'âme jeune et inexpérient à l'atteindre, en employant, pour cette fin, tous les recours accordés par la Grâce divine et la science humaine. Grandis dans une ambience d'authenticité de vie chrétienne, les jeunes prendront conscience de la dignité de l'amour et de l'importance de celui-ci dans la vie de chaque personne, quoi que soit la vocation et la forme dont il se présente dans les circonstances de vie de chacun. Divers mouvements, notamment des associations... » etc.

Le n. 63 révèle le respect admirable de l'Eglise pour la conscience et la responsabilité des époux, aussi bien, qu'une plus grande compréhension maternelle pour les problèmes et difficultés suscités par les circonstances historiques et sociologiques où vivent les couples d'aujourd'hui.

Suggestions. Au texte « constamment attentifs et dociles à la volonté du Dieu Vivant », accroître: « Qui donne et prend la vie... » (réponse aux familles, qui, ayant planifié le nombre des enfants, pouvent voir, ses plans altérés par disposition de Dieu).

Le texte: « les conditions tant pédagogiques qu'économiques qui varient avec les circonstances et *l'état* de vie » soit remplacé par « *niveau* de vie » (l'état de vie étant, certes, le mariage).

Remplacer le texte: « besoin de la société et de l'Eglise » par « besoin de la société et l'expansion du Règne de Dieu » (ainsi on écarte toute interprétation de tentative de domination de l'Eglise à travers la fécondité de ses enfants).

A la fin de le n. 63 ajouter: « ... certains cependant de que interprétant la volonté divine, leur semble-t-il ne pouvoir avoir des autres enfants, il leurs

est, seulement, licite employer des moins acceptés pour les deux conjoints, et que ne viennent pas blesser la dignité de l'amour conjugal ».

N. 64. Le paragraphe 1er de cet n. 64 est marqué par le grand courage d'envisager les grands conflits qui peuvent surgir entre l'intimité conjugale et la paternité responsable. Il considère aussi les conséquences tragiques de ces conflits sur la fidélité conjugale, et l'éducation des enfants. Pourtant, nous pensons qu'il faudrait bien avoir présent la situation des couples qui, convaincus par l'Eglise de la gravité du fait d'éviter des enfants par des moyens illicites, et mis en face d'un idéal trop élévé pour leurs forces, s'écartent avec douloureuse révolte de la communauté chrétienne et des sacrements, ce qui les mène souvent à l'écartement de Dieu. Il faut aussi penser à ceux qui convaincus d'agir de la seule manière possible à leurs forces, finissent par perdre toute confiance dans une Eglise excessivement rigoureuse et peu maternel.

Suggestion pour finir le paragraphe. « Le regard de ce Concile se tourne aussi, avec grand compassion à ces couples, qui avec des difficultés, presque insurmontables, se considèrent incapables d'atteindre la perfection de vie que se sont imaginées, et à ceux qui, écartés, par les mêmes difficultés, du Pain de la Vie, qui les soutiendrait dans l'exercice de leurs responsabilités conjugales ».

La condamnation de l'euthanasie semble implicite au 2e paragraphe. Il serait utile d'ajouter une petite note sur le cas des enfants anormaux, mettant l'accent sur le respect que doit l'humanité à l'origine de la vie. Ce problème, toutefois, n'appartient à la seule responsabilité des parents, mais concerne aussi à la générosité de toute la société.

Heureusement, dans le paragraphe 3e, on ne renouvelle pas les condamnations faites avant par le Magistère. Il y a une ouverture pour des nouvelles solutions, et pour accueillir les contributions et de la Théologie et de la science, dans la grave et difficile recherche des manifestations de la volonté de Dieu. Il est très important laisser le chemin ouvert au progrès qui, certes, aura lieu les ans prochains.

* * *

Schema XIII, nuntium Concilii mundo, ad totam humanitatem destinatur. Hoc nuntium prae se habet credentes in Christo Iesu ad hodiernum mundum amandum adiuvare. Etiam non christianis, bonum humanitatis provehere quaerentibus, hoc schema dirigitur ut et illi amorem illius sibimetipso vocem Filii Hominis tribuentis praesentire possint. Quanquam schema in pluribus locis excelleat, timendum est ne actualis compositio extinguat in christianis desiderium mundo serviendi et eosque qui christianismum ignorant, ad considerationem mysterii Christi non excitet.

Expositio introductiva:

I. En rationes timoris nostri: 1. Signum temporis ibi nominata non satis hodiernum motum historiae manifestant.

Nn. 4-9. In introductione generali, v. g., non sufficit *statice* contentiones homines ad invicem opponentes evocare. Sed secundum dynamismum eis proprium praesentari debentur. Revera odium et miseria in hodierno mundo dynamice augentur. Quotidie crescit numerus hominum qui fame pereunt. Quotidie horrea armorum atomicorum in universo mundo sparsa implentur. Quotidie distantia nationes divites a pauperibus separans ampliatur. Neque sufficit progressus humani generis evocare, quin evolutio societatum et motio Historiae, conscientiam hominum perturbantes, simul proclamentur.

N. 63. Lineae normativae in schemate descriptae magis ad nationes evolutas quam ad nationes progredientes attinent. Sic in capite *de familia,* quaestione de foecunditate, non sufficit sponsos de conscientia bene formata sequenda monere. Necesse est vias conscientiam multitudinum de hoc problemate efformandi indicare.

21

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Pag. 46, n. 60, lin. 20: post: obscuratur, addere: non raro sponsi coniugem non libere eligere possunt; aliquando aetate non sat matura matrimonium coacte ineunt; amor nuptialis ... *Ratio*: textus ne ignoret diversa mala quae adhuc in nonnullis regionibus matrimonium afficiunt.

Lin. 25: legere: famili*ae*.

Pag. 47, n. 61, lin. 9: pro: communitate, melius: societate. *Ratio*: inquantum institutum naturale habetur coram societate politica; inquantum sacramentum coram societate supernaturali, scilicet Ecclesia.

Lin. 26 ad lin. 3, pag. 48: Eadem dicantur modo simpliciori ita ut omnes fideles facile textum legere possint.

Pag. 48, lin. 15: post: ponatur, legere: cum societas domestica natura prior sit, civilis societas, quae tunc ... *Ratio*: sic exprimitur ratio obiectiva quare societas civilis familiam revereri debet.

N. 62, linn. 37-38: legere: Amor ille fide ratus, inter prospera et adversa indissolubiliter fidelis, a Christo insuper peculiari modo sanctificatur. *Ratio*: quia etiam ubi deest sacramentum, vi naturae, iste amor debet esse fidelis.

Pag. 50, n. 64, lin. 25: pro: faciliorem, legere: non rectam vel non idoneam. *Ratio*: quod est facile non est semper falsum.

Linn. 34-35: legere: Erga Magisterium, divinae Revelationis interpres, dociles ... *Ratio*: quia lux Revelationis et lux Magisterii non sunt duo fontes, dum ratio Magisterii non est nisi Revelationem interpretari.

Lin. 35: legere: de sua vita coniugali ... *Ratio*: quia principia a Magisterio dantur; voluntatem autem Dei in particulari scrutari ad iudicium prudentiae refertur.

22

EXC.MUS P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

Inter gravissimas et difficillimas quaestiones quae Unioni obstant est indissolubilitas matrimonii in casu adulterii. Illa in hoc Concilio Vaticano II eludenda non est, sed tractanda cum serena et praeiudicio libera mente ut ad aliquod compromissum veniamus, sine iactura fidei.

Multum placent quae sine offensa dissidentium continentur in cap. I, n. 10, linn. 20-38, Prima Serie. De matrimonio et familia. Sed pag. 118, n. 12, linn. 11-12, Series Prima, De Ordine Matrimonii, mihi videtur tollendam esse sententiam Pii XI (in notis, n. 36), declarantem de praxi et non de dogmate Ecclesiae latinae; a verbis istis (excepto tamen et semper ...) usque ad finem. Si, ut decet, aliqua conciliatio cum dissidentibus prospectanda est, donec quaestio agitatur, melius est stare prudentiae et modestiae Patrum Concilii Tridentini (Can. 7, Sessio 24).

Propono etiam ut in cap. I, pag. 128, post par. 12, adiungatur hic paragraphus: periculum superpopulationis et famis non est parvi ducendum. Certo non desunt efficacia media adhibenda, a viris scientiae cultoribus et populi rectoribus proposita, ut quae Divina Providentia sufficienter hominibus praebet maiori industria accrescant bona naturae, et aequiori modo partiantur. Sed a Deo et ab Ecclesia vetitur usus nefandus impediendi vitam prolis. Ad tuendam vitam hominis in terra et ad iustitiam socialem instaurandam, praecipuum medium erit observantia legis divinae et usus matrimonii secundum leges continentiae christianae cum fiducia providentis Dei.

De quaestione divortii. Rogo RR. Patres ut sequentes animadversiones meas cum patientia et benignitate considerare velint.

In Ecclesia latina. Doctrina Ecclesiae latinae de indissolubilitate absoluta matrimonii est certa et fidei proxima; sed non est de Fide Divina aut Ecclesiastica.

Illa fundatur super textus Novi Testamenti (*Marc.* 10, 11; *Luc.* 16, 10; *1 Cor.* 7, 11; *Rom.* 7, 2-3); et super interpretationem Patrum latinorum necnon praxim Ecclesiae latinae. Attamen non existit definitio dogmatica directa indissolubilitatis matrimonii absolutae.

Concilium Lugdunense II (1274) et Concilium Florentinum mentionem non fecerunt de divortio. Post Florentinum vero Eugenius IV, in professione fidei ad Armenos, declaravit Ecclesiam Catholicam admittere separationem tori et non divortium in casu adulterii.

In Concilio Tridentino multi Patres voluerunt haereticam declarandam esse doctrinam Graecorum, attamen post longas discussiones et post interventionem Cardinalis Landi, Archiepiscopi Cretensis, et instantiam Legatorum Venetiae pro Graecis unitis qui doctrinam dissidentium sequebantur, ne illi

a Romana Ecclesia discedant, maioritas patrum, duodecim exceptis, mitiorem declarationem ab Episcopo Segovensi propositam acceperunt, in qua definitur *directe* inerrantia Ecclesiae Latinae circa suam doctrinam. Omnes aliae declarationes interpositae non sunt materia definitionis directae, sed *indirectae*. Ergo videri possunt ut leges disciplinares reformabiles (cf. D.T.C., Vacant, 50, col. 503, *Adultère;* et Can. 7, 24 Trid.).

Post Tridentinum. Gregorius XIII (1576) in Professione Fidei Graecis imposita non facit mentionem de indissolubilitate matrimonii sed tantum quaerit adhaesionem declarationibus Concilii Tridentini. Clemens VIII (1595) praecepit strictiorem disciplinam. Urbanus VIII (1606) in Professione Fidei ad Orientales, solam separationem tori legitimam declarat. Item Benedictus XIV (1 mart. 1743) eandem declarationem confirmat.

Manifestum est RR. Pontifices cum aliqua prudentia et non sine haesitatione Orientales ad doctrinam Ecclesiae Latinae adducendos laborasse ne causa Unionis impossibilis evadat.

Ecclesiae dissidentes. Graeci et Protestantes, vero, quamvis nullam habeant definitionem dogmaticam de solutione vinculi propter adulterium, ab antiquo tamen illam doctrinam ad rem tuto deduxerunt. Ipsi admittunt ut sonant duo textus S. Matthaei (5, 31), in oratione montana, et *Mat.* 19, 9, sine comparatione cum aliis locis Evangelii. In Ecclesia Orientali vix quatuor invenies doctores indissolubilitatem absolutam docentes: Hermas, S. Iustinus, Athenagoras, Clemens Alex.; e contra, S. Basilius, S. Epiphanus, Asterius, Amaseus, Theodoretus et multi alii admittunt divortium propter adulterium. Solus Gregorius Naziancenus loquitur de separatione tori. Ecclesiae Orientales in praxi admittit divortium. Clerus et populus vix huic disciplinae renuntiare intendunt.

Discussio. Opportunum ergo erit attentius excutere argumenta ab utraque parte asserta. Prima series (Marci, Lucae, Pauli) prohibet repudium, sed nihil declarant circa rationem agendi vitam in posterum ab innocentibus coniugibus iniuste derelictis.

Textus S. Matthaei sunt authentici. In oratione montana Christus proclamat codicem novae legis perfectionis in quo tamen « dimissio fornicationis causa » non prohibetur (*Mat.* 5, 31). Eadem doctrina item, in secundo loco 19, 9, declaratur. S. Matthaeus in sua catechesi ad Hebraeos insistere debebat erroribus communibus eorum qui abutebantur libello repudii. Isti insidiose interrogabant Christum qui respondit eis repudium non esse licitum nisi ob fornicationem et non in alteris casibus. Sic Christus matrimonium adducebat ad perfectionem statu priori maiorem. Quando dicit: Quos Deus iunxit homo non separet, vetat divortium per mutuum aut per unicum partium consensum, aut per perfidiam et iniustum unius partis discessum. Sed non video quomodo his verbis prohiberetur actio iudicialis Ecclesiae quae potest iudicare de validitate et stabilitate matrimonii quando exstat adulterium affectatum

et diuturnum. Tunc, quid adveniet parti iniuste laesae? Christus tunc repudium concedit ut ius tueatur ac pars derelicta a peccato liberetur.

Sed dices Matthaeum solum hanc doctrinam declarasse. Respondeo, multa alia dicta et facta Christi ab uno solo Evangelista relata non reiicimus, sed acceptamus; e. g. « Tu es Petrus » ex Matthaeo solum; « Confirma fratres tuos », ex Luca (22, 32) solum. Instabis: Textus Matthaei est obscurus: vi dialecticae ab aliis locis Scripturae elucidatur et eis oppositus esse statim videtur; mihi videtur oppositionem non afferre sed complementum indulgentiae et iustitiae erga consortem et filios iniuste derelictos, quorum misera sors in posterum non statuitur in aliis locis N. T. Matthaeus etiam indissolubilitatem admittit « nisi ob fornicationem ».

Si vobis nova videtur haec mea Matthaei textus interpretatio, non ideo erit dedignanda; nam textui ut sonat conformis est; nullum dogma sed tantum praxim latinum oppugnat, nec infinitae misericordiae Christi indigna dici potest. Si quid boni continet id utile fore puto ut aliquod compromissum tentemus cum dissidentibus, si Unionem fovere desideramus et praecavere catholicorum ad dissidentes Praesules recursus ut facilius divortium obtineant quod apud nos vetitum remanebit. Haud per hoc, quovis divortio attendendum est, ne porta ad licentiam aperiatur; sed tantum benigne accipiendus est casus iniustae discessionis unius partis perfidiae post debitas interpellationes. Status miseri consortis et prolis derelictae compassione dignus est. Pars innocens a peccato liberabitur; dum e contra culpabilis poenam et culpam portabit in adulterio peracto, cum inhabilitate ad novam unionem contrahendam aut sanandam. Memores sint rigidi iurisperiti consensum non facere matrimonium sine voto communis vitae inseparabilis ducendae. Consensus est de praesenti; votum de futuro, et per fidelitatem coniugalem in posterum servandam, num in momentaneo consensu dato verum et firmum fuit in posterum etiam demonstrari debet non verbis sed factis. Insuper, si ob defectum formae canonicae ab homine impositae, declarari licet nullitatem quanto magis ob adulterium affectatum a Deo vetitum quod a consensu nec vero nec firmo provenit! His dictis ad conclusionem veniamus:

Conclusio et propositio. 1. Rogandi sunt Patres Commissionis Biblicae ut velint, si possibile est, declarare iuxta normas scientiae exegeseos modernae, genuinam significationem textus Sancti Matthaei (Fornicatio? Concubinatus? Adulterium? Separatio tori? Solutio vinculi?). Si interpretatio Graecorum sit omnino rejicienda et illa sola Latinorum admittenda. Haec declaratio est maximi momenti.

2. Rogandus est Secretariatus pro Unione ut a dissidentibus praesulis quaerere velit quid sentiant nunc de divortio. Si textus Matthaei solus valet et alii textus N. T. paralleli postponendi sunt aut quo sensu interpretandi.

3. Rogandi sunt Patres Commissionis Iuris Canonici, ut ad instar aliarum causarum iudicialium, admittatur in praxi, instantia nullitatis ob iniustum et affectatum discessum aut adulterium, a parte innocente allata, debitis interpositis interpellationibus, sine felici exitu.

Si dissidentes ad doctrinam catholicam accedunt, tunc progressiva conciliatio possibilis foret.

Si dissidentes autem, doctrinam de divortio renuntiare nolunt, potius quam omnino operam Unionis inchoatam frangere quam forsan nunquam rursus iterare licebit, melius est ad compromissum propositum in ordine disciplinae convenire, salva ratione dogmatica.

Reverendissimi Patres, ego, prae oculis habens misericordiam Dei qui toleravit Prophetarum polygamiam et libellum repudii, Christumque Samaritanam, Magdalenam et mulierem adulteram absolventem; necnon muneris pastoralis zelo et animarum salutis ac hodie Unionis necessariae fovendae motus, ut minuantur in mundo scandala et peccata, cum spe consolationis et tutionis derelictorum et afflictorum; sine timore fovendi licentiam maiorem illa qua societas moderna laborat sub strictiore disciplina, propono hanc declarationem quam multi infelices exspectant temporibus nostris:

« Matrimonium est quaedam participatio amoris et potentiae Dei creatoris, et simul signum dilectionis Christi cum sua Ecclesia. Illud imponit homini munera nobilissima sed gravissima in coniugio indissolubili adimplenda, quae cum gratia divina perfici possunt. At quum magna sit fragilitas et inconstantia humana, ad vitanda mala quae a divortio proveniunt, Christus Ecclesiae suae dedit potestatem iudicandi de validitate et de stabilitate coniugalis unionis ut gravioribus familiae malis mederetur ».

Si placet, haec propositio in capitulo de Ecclesia Orientali, aut alibi, in Matrimonio et familia, inseriri poterit.

* * *

Supplementum super nullitate ob divortium ad unionem cum Ecclesia Orientali fovendam.

Matrimonium ratum et consummatum praxi Ecclesiae latinae est indissolubile. Quapropter Ecclesia non dissolvit vinculum, sed potest diiudicare utrum consensus validus fuerit ad efformandum vinculum indissolubile. Tunc indirecte et retroactive declarare potest, in casu, matrimonium irritum fuisse a principio ob defectum veri consensus matrimonialis. Pari modo agit Ecclesia in omnibus casibus in nullitate et etiam in « sanatione in radice » sensu contrario.

Nec obstat can. 5, Sess. XXIV Conc. Trid. in quo declaratur: Si quis dixerit, propter haeresim aut molestiam cohabitationis aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, A. S.

Nam in hoc canone propter Ecclesiam Orientalem et textus Matthaei, cautissime omissa est a Patribus mentio de adulterio affectato et firmo. Ideo, nihil obstat dogmatice quominus Ecclesia diiudicet utrum, non ex quolibet adulterio, sed tantum ob adulterium affectatum et firmum, consensum prius datum non fuerit irritum in posterum, et ideo invalidum ad creandum vinculum indissolubile. Unde nullitas ob adulterium declarari licebit ob deficientiam veri consensus.

Eo modo, cum hac praxi disciplinari accedere possumus ad dissidentes 1) sine detrimento doctrinae; 2) sine periculo licentiae favendae; quia non quodlibet adulterium, per se et immediate vinculum solvet, sed tantum illud affectatum, post sententiam iudicialem. Pars rea semper culpam et poenam portare et adultera manere debet. Nec dicas, tunc decretum nullitatis claudicat. Quid inde? Haec opinio quae favet eodem modo et innocenti et reo non est aequa; ideo est revisenda.

Alioquin, tandem, Supremae Auctoritatis est condere nova impedimenta dirimentia et impedientia statuere (C.I.C., can. 1038), aut illa abrogare ac illis derogare (C.I.C., can. 1040). Adulterium affectatum et diuturnum potest novum impedimentum dirimens nuncupare.

Reverendissimi Patres, ad unionem fovendam, non est legitima conciliatio quae non sit tentanda, sine detrimento fidei.

Quum ab omnibus haec Unio optata sit, et omnes laici etiam exspectent aliquam mutationem in legislatione ecclesiastica qua sors puerorum et consortis innocentis iniuste derelictae melioretur, hanc novam disciplinarem dispositionem super divortio ut restaurationem iustitiae et tuitionem dignitatis humanae, omnes infelices consortes et omnes dissidentes grato animo recipient.

* * *

C.I.C. cann. 1082-1086: de consensu matrimoniali. Consensus facit matrimonium. Theologi et iurisperiti quam maxime attendunt huic consensui qui est « de praesenti » et non satis, tamen, salva reverentia, promissioni essentiali quam continere debet (cann. 1081-1083, 1086), et quae est « de futuro » et nisi decursu temporis in posterum verificari potest. Adulterium, non ex fragilitate humana ortum, sed affectatum et diuturnum diruit vitam communem simul et promissionem factam eam ducendi. Illud est retractatio practica consensus et demonstrat prius promissum verbis factum, nec verum nec firmum fuisse. Ne dicatur consensum coexistere posse « cum intentione non implendi ». Haec subtilitas non mihi videtur esse psychologice possibilis, quia hic non excluditur aliquod secundarium, sed materia essentialis. Adulterio separatur quos Deus iunxerat. Iuxta S. Basilium illud est « mors moralis » matrimonii. Pars rea portare debet culpam et poenam ac adultera semper maneat (*Mat.* 19, 9). Sed quomodo veritas et firmitas promissi verificari possit? Per experientiam respondeo, et non tantum per momentaneum consensum.

Quapropter, ad diiudicandum de validitate consensus, verba consensus quae momento enuntiatur non sufficiunt et propono, meo humili sensu, ut post can. 1086, par. 2 adiungantur ista verba: « Ad diiudicandum de validitate consensus attendendum est etiam praesentionibus deductis factis et dictis antecedentibus, concomitantibus aut subsequentibus matrimonium ».

Aliunde, iam in art. 174 *Instructionis* haec adiunctio continetur. At, rigidi iurisperiti, eorum praxi iudiciariae submissi, non admittunt nisi dicta praenuptalia!

Quare haec restrictio arbitrario imposita? Naturaliter, ut decretum nullitatis difficilior evadat. Actor consideratur semper ut reus et mendax etiam quando facta clamant contra partem ream et culpabilem.

Optandum est ut articulus *Instructionis* in Codice inveniatur, et in defectu plenae probationis facta et dicta matrimonium antecedentia et praesertim concomitantia et subsequentia vim probativam habeant.

23

Exc.mus P. D. GERARDUS HENRICUS DE VET
Episcopus Bredanus

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis, parte secunda,* sequentia proponere velim.

Relate ad cap. I: De dignitate matrimonii et familiae fovenda. In n. 64, post laudationem omnium parentum qui, secundum conscientiam obiective normatam et cum confidentia in Deo providente, forti animo prolem suscipiunt, eadem consideratio cum speciali mentione reassumitur relate ad familiam prolis numerosioris. Intentio huius optime intelligitur, sed de facto est quaedam dictio tautologica. Quam ob rem melius videtur, ut post generalem laudationem insistatur in ius et *libertatem* conscientiae illorum parentum qui (secundum normas datas in schemate) e quadam abundanti confidentia in Deo prolem numerosiorem suscipere volunt, et dicatur fas non esse quod hi parentes ex hac parte ab aliis vel a communitate vituperantur.

24

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

In schemate optime agitur de dignitate matrimonii et familiae fovenda: Principia ibi enunciata ab omnibus admitti debent.

In mundo tamen huius temporis principia moralia non semper ab omnibus recte intelliguntur et ad praxim ducuntur: Ideoque dum de matrimonii fecunditate agitur, practica principiorum applicatio videtur quam maxime necessaria esse.

Fecunditas est facultas quae tum viro tum mulieri datur; est facultas quae naturae humanae inhaeret ac, uti ceterae facultates v. g. intelligendi, volendi, videndi, audiendi, etc., non solum magni facienda est, sed nullo modo supprimi nec suspendi potest.

Sane potestne homo suam facultatem intelligendi, videndi, audiendi, etc. totaliter vel etiam ad tempus tantum supprimere vel suspendere, nisi in casu gravi pro salute totius corporis? Ergo a pari non licet supprimere vel suspen-

dere facultatem fecunditatis nisi in casu gravis nocumenti totius corporis alicuius viri vel mulieris.

Haec practica et immediata conclusio principiorum enunciatorum in schemate a multis hodie negatur: Ergo nisi Concilium apertis verbis de illis decernat, mundus nos contrarium adprobare putabit.

Bonum humanitatis ac praecipue catholicorum et christianorum postulat ut Concilium hanc doctrinam emphatice profiteatur et doceat.

25

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

In genere. Adhaereo eis quae dicta sunt in aula die 29 septembris 1965 ab em.mo D. card. Léger, praesertim in sequentibus:

1. Primo loco necesse est ut clare dicatur Matrimonium « communitatis amoris et vitae esse ».

2. Eae locutiones vitentur in quibus appareat tantummodo esse Matrimonium simplicem modum ad prolem procreandam (quae procreatio etiam sine amore dari potest).

3. In quantum possibile sit tonus exhortativus vitetur.

4. Modo claro dicatur filios seu prolem fructum amoris esse.

In particulari. N. 60: Sine dubio multo abbreviari potest.

N. 61: pag. 47, lin. 30: locutio: « ... obviam venit ... » mutetur. *Ratio*: quamvis biblica, incomprehensibilis est.

N. 62: pag. 48, linn. 26-27: locutio: « Hunc amorem ... » omittatur. *Ratio*: repetitio est.

Pag. 49, linn. 7-13: comma « Ordo socialis postulat ... condere possint » mutandum est. *Ratio*: hoc quidem, ut in textu iacet, tam certum non est, siquidem sicut ipsa experientia docet non semper responsabilitas et praesertim *libertas* in electione status datur in familiis « vere unitis ».

N. 61, pag. 47, lin. 17: « (amor coniugalis) ... extra legitimam unionem existere nequit » hoc non esse absolute verum experientia constat. Ergo comma supprimendum.

Ib., lin. 18: institutum matrimonii, non ordinetur ad solam procreationem et educationem prolis. Phrasis ambigua est, et quasi duplici intentione servit. Corrigatur in sensu interventionis em.mi card. Léger.

Inter loca Scripturae, nota 2 adducta, citari oportet Canticum Canticorum.

N. 62, pag. 48, linn. 34-41: propria ratio actus coniugalis melius exprimatur, ut actus *in se* vere humanus et nobilis, ne phrasis « modo vere humano perpetrati » nimis momentosa in contextu appareat.

N. 62, pag. 49, linn. 3-23: sensus huius paragraphi in contextu non

bene apparet. Aliqua hoc loco dicenda essent de valore sexualitatis in vita coniugali, cum de actu coniugali agatur in paragrapho praecedenti.

N. 63, pag. 49, linn. 26-29: versus amor coniugalis etc. non solum extendit ut coniuges forti animo dispositi sint ad suscipiendam prolem, sed etiam ad perfectionem personalem (cf. n. 62, pag. 48, linn. 22-25) cum sibi ipsi possit esse finis.

N. 64, pag. 50, lin. 25: « solutio facilior » non statim apparet qualis sit: ideo haec phrasis anxietatibus ansam praebet, praesertim postquam linn. 15-24 sat bene de difficultate abrumpendi vitam coniugalem locutum est.

Animadversio generalis: totum caput rescribendum erit ita ut *a*) principia clare percipiantur, et quidem non ambiguo modo exponantur; *b*) melius servetur ordo materiae et proportio partium; *c*) in conspectu habeatur quod ad omnes gentes dirigitur non ad solos catholicos: ergo aliqua de sensu et valore vitae sexualis, plura de unione viri et mulieris, etc. dicenda certe sunt.

26

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FERREIRA ARREOLA
Episcopus Texcocensis

Etiamsi haud semel in aula dictum est a Patribus quod schema nostrum nullum dubium praestare debet ad hoc ut possit male interpretari ita ut coniuges falso putent quod bene procedunt quando prolem devitant timore angustiae oeconomicae; tamen cum in n. 63 lin. 41 asseratur: « suum esse prolis numerum ... determinare », audeo postulare quod alio modo exponatur eadem idea, nempe, quod non est in arbitrio alicuius potestatis humanae determinare filiorum numerum pro unaquaque familia, sed in Providentia Creatoris qui vitam humanam multiplicat mediante matrimonio.

Fortasse idea clarior apparet dicendo: « Sciant coniuges, in familia condenda etc. ... necnon prolis numerum esse secundum Dei dona verique amoris indicationem. Qua in re iugi vigilantia, etc. ».

Auferatur ergo « suum esse prolis numerum determinare ».

27

Exc.mus P. D. HENRICUS FORER
Episcopus tit. Memphitanus, aux. Bauzanensis Brixinensis

Schema multa optime de capitulo et argumento delicato et difficile exponit, sed disputatio heri interrupta non plene satisfecit. Liceat mihi quasdam breves animadversiones humiliter proponere.

1. « Finis primarius » matrimonii est prolis procreatio et educatio. Haec sententia immutabiliter valet, sed intelligenda est — mihi videtur— ex parte

Dei, qui Creator sapiens hominibus *possibilitatem* et instrumentum procreationis dare voluit, quando « fecit hominem masculum et feminam » et matrimonium instituit. Nec omne masculum et omnis femina obligantur (finis primarius) ad procreandum se praestare, nec omne matrimonium. Bene facit schema, finem primarium in mente Dei, pro institutione matrimonii in genere non urgere pro omnia et singula matrimonia in concreto, id quod factum est in praeterito, sed in lucem ponit finem immediatum et subiectivum et in omni casu actuandum, id est: vitae et amoris unitatem; quod S. Thomas (Summ. Theol. III, p. XXIX, Qu.) sic formulat: « Forma matrimonii consistit in quadam indivisibili coniunctione animorum, per quam unus coniugum indivisibili alteri fidem servare tenetur ». Hunc spiritum veri amoris extollere nostris hisce diebus valde utile et pastorale mihi videtur, quia amor et reverentia fundamentum unionis sunt.

2. N. 63. His praemissis liceat mihi observare, textum plus minimalismum filiorum excusare quam amorem naturalem et inclinationem erga filios ostendere, mihi videtur. Praxis de die in diem magis diffusa est hodierno tempore, 1 aut 2 filios saltem habere, etiam ex parte sponsorum, qui optima salute gaudent et bonis temporalibus ditati sunt, ut omnibus sufficienter patet.

Non invenio in textu verbum, quod disapprobet clare hanc perniciosam praxim (aut « modam ») ex habitu « terrenismi » et spiritu materialismi orta. Forsitan verba « ... mere eroticam ... egoistice ... » alludere intendunt, sed non satis plagam indicant et deplorant. Est aliqua paupertas aut sterilitas familiarum haec fuga filiorum, quaedam denaturatio sensus naturalis amoris filiorum, qui in omnibus creaturis (animalibus etc.) invenitur.

Felicitas amoris inter sponsos optima res est, sed non in se claudatur nec est finis pro seipso in statu viae huius vitae, sed maiora indicat et postulat. Sed « generositas » (quod vocabulum saepius invenitur in textu) interpretari poterit tamquam aliquid « supererogatorium » ad normam non pertinens, sed ad illos paucos exceptionaliter spectat, qui etiam in Providentia divina confidunt. Ceteris autem minimalismi indulgere licebit.

Haec erronea interpretatio a multis probabiliter facienda adhuc foveri videtur per adfirmationem: « suum esse (sponsorum), numerum prolis determinare », quae sententia nimis audax est (pag. 49, lin. 41), etiam si per verba: « secundum Dei dona verique amoris indicationem » moderatur. Sed hoc aliquid indeterminatum est, et ideo periculosum est, hoc *ius* sponsorum solemniter proclamare. Hominem nimis in altum ponit et subiectivismum conscientiae aut rationalismum mentis fovet. Sponsi nempe elementa non habent et capaces non sunt, sibi « iudicium efformare » (pag. 50, lin. 1) quot filii habendi sint. Cognoscunt circiter momentum actuale, sed futura praevidere non competit semper hominibus. Casus evenire poterit, ut tertius aut septimus filius consolatio aut salvatio familiae aut honor Ecclesiae fiet, id quod sponsi vix suo tempore praevidere poterant, sed quod Deus scit. Deus autem lumen non dat sponsis super numerum filiorum in concreto.

Formulatio praedicta « suum esse determinare » sonat nimis subiective

et absolute et illum altum sensum fidei non satis exprimit, qui in proverbio invenitur: « L'uomo propone e Dio dispone ». Sponsi rationabiliter conditiones vitae et temporis respicere possunt (et propter eas quidem excusati erunt) immo certi iuvenes melius a matrimonio se abstineant propter debilitatem salutis corporis aut mentis. Conditiones oeconomicae nimis extolluntur (pag. 50, lin. 3 et lin. 16). Pro repetitione melius ponatur monitum, ut iuvenes oeconomiam faciant in praeparatione matrimonii.

Formulatio ergo « suum esse determinare » (expressio nimis dura invenitur etiam in traductione italica) moderari aut mitigari debet, secundum meum iudicium, ut aliquo modo in translatione germanica invenitur, sed non satis. Et sic habebitur coniunctio logica cum capitulo sequenti: « Deus Dominus vitae », quod intelligitur in sensu lato et universali.

Quoad praxim exaggeratae limitationis prolis, si constanter fieret, quis nos assicurabit, ne perniciosa damna sequantur, e. g. morbus sterilitatis, ita ut populi nunc voluntarie prolem nolentes (non intro in quaestionem, quomodo?) in saeculis futuris perituros iri seipsos damnant? Nonne iam alia « damna civilisationis » (e. g. in lactatione etc.) iam inveniuntur?

Ecclesia, Mater et Magistra amorem naturalem in filios extollat, et Deum ostendat, qui creavit vitam, Christum qui dilexit pueros, matris felicitatem et gaudium (« quia natus est homo in mundo » *Io.* 16, 21) quae est « sicut vitis abundans », filios ut « divitiae » et thesaurum spirituale, patris magnam dignitatem, quae appellatio pulcherrima Caritatem erga omnes filios et imaginem Dei Patris significat, « ex quo omnis paternitas in caelo et in terra ... » (*Eph.* 3, 15).

In tentationem sponsi catholici ne cadant, nimis influxum patiri a difficultatibus momenti praesentis, aut mentalitati materialistico se accommodare, sed in sublimationem sacrificii firmiter credant et ad « praesentiam Ecclesiae in mundo huius et futuri temporis » etiam per filios contribuiscant.

Vocabulum « sacrificium » tantummodo in cap. n. 62, pag 49, lin. 2 dum de amore coniugum inter se agitur, et non amplius in n. 63, ubi de procreatione et educatione agitur. Idem dicatur de vocabulo « oratio » quae, fervens et instans, simul cum habitu exspectationis adventus Domini, dum veniet ad nuptias, tamquam adiutorium et medium indispensabile virtutis et gratiae in n. 64 optime inseriri poterit, ut indicet christianis et non-christianis cum visione fidei et auxilio Dei possibile esse, casti connubii exigentiis satisfacere et libertatem interiorem servare ut ait S. Paulus: « Qui nubunt sint tamquam non nubentes ... » (*1 Cor.* 7, 29).

N.B. 1. Sunt non pauci homines, etiam christiani (testis fui interlocutionis in « ferrovia »), qui unitatem et indissolubilitatem matrimonii ad naturam hominis pertinere non putant, etiamsi pro « credentibus » concedunt tamquam bonum et possibile, quia ministri communitatum religiosarum possibilitatem haberent, suos gregarios sufficienti fanatismi implere, ut talem vitae rigorositatem (per se ad naturam humanam non pertinentem) accipiant et observent. Ceteri vero, qui non sunt « credentes » etiam mediis superna-

turalibus carent, et propterea etiam auctoritas civilis unitatem et indissolubilitatem imponere nequit. Num hi et sic cogitantes lucidam responsionem invenient in hoc schema?

N.B. 2. Matres in aliqua occupatione « professionali » extra domum detentae pro tempore licentiam obtinent, sed statuto die ad laborem redire debent, nisi semel pro semper occupationem amittere volunt. Tales « dies » non paucam anxietatem et gravamen causant; hoc mihi videtur esse signum *carentiae sensus socialis erga munus maternitatis* (in aliquibus regionibus plus quam in aliis). Optima res esset, si matres post interruptionem etiam diversorum annorum, cum filii infantiam iam pertransierint, ad suas occupationes redire possent. In programmatione urbium aut in aedificatione domorum vix considerantur infantes. Familiae cum filiis in diversoriis (Hotel) et in domibus privatis saepe saepius non recipiuntur, ad humiliationem et despectum eorum.

Conclusio. 1. Possibile essetne, expressius verbum facere ad defendendam dignitatem maternitatis et familiarum cum filiis in societate civili huius temporis, id est expressius quam in solis tribus lineis pag. 48, n. 61, linn. 15-19? Parentes et familiae valde gratae erunt propter hanc vocem Concilii! Cur non adloquitur in hoc contextu etiam « auctoritas civilis » quoad legiferationem (« Familienpolitik »). Non est tractatio de matrimonio in genere, et ideo schema tangere potest etiam problemata practica et plagas concretas mundi huius temporis.

2. In praesenti momento historiae Ecclesiae, quae est historia amoris et caritatis (Paulus VI) bene facit textus schematis, matrimonii fundamentum amoris in lucem ponere, qui verus amor a Deo procedit et ad Deum deducere debet.

3. Mitigetur aliqua phrasis ut supra propositum est circa n. 63 de determinatione numeri filiorum, praxim actualem fere communem deplorans, et — exceptis casibus particularibus — pro omnibus in genere (quod valet pro christianis in specie) naturalem inclinationem et amorem in filios atque felicitatem familiae extollendo, textum schematis integretur. Sensum familiae excitare (speciatim pro aliquibus populis) pastoraliter necesse esset.

4. Visio fidei, exspectatio eschatologica et oratio adhuc fortius indicentur, id est conditio sine qua non ...

5. Deleantur (aut mutentur) linn. 21-23, n. 64, pag. 50.

28

Exc.mus P. D. IOANNES GRAN
Episcopus Osloensis

N. 61 (pag. 47, lin. 17). Verum non est amorem coniugalem generosum et conscium extra legitimam unionem existere non posse. Multae uniones, quamvis « illegitimae » quod leges Ecclesiae attinet, puta post alterutrius di-

vortium civile, super verum coniugalem amorem fundantur. Aut verba « quemadmodum... nequit » deleantur aut verius sententia formuletur.

N. 61 (pag. 48, lin. 1). Sane labor domesticus matris honorandus est. Sed honor optimus in hoc consistit ut vir, inveteratis praesumptionibus in plerisque societatibus non obstantibus, partes etiam habeat in domestico onere. Hoc requirit mulieris dignitas ut persona humana et eius multiformis competentia in mundo huius temporis. Ne loquatur igitur de laboris domestici dignitate nisi simul affirmetur tam virum quam mulierem partes in eo habere, diverse quidem sed iuste.

In genere: hoc cap. I partis II non mulieris promotionem satis commendat et consequenter parvum adiutorium familiis huius temporis praebet. Multo magis instandum est de mulieris promotione.

N. 63 (pag. 49, linn. 39-42). Parentes catholici certe didicerunt sibi non licere ad arbitrium suum procedere, sed plerique nesciunt se conscientia regi debere necnon suum esse prolis numerum determinare. Verius dicetur: Sciunt coniuges, in familia condenda et ducenda, non ad arbitrium suum procedere sibi licere. Sciant etiam conscientia se regi debere quae legi Dei etc. ...

29

Exc.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. null. Acrensis et Puruensis

N. 60, linn. 18-23: conspectus rerum quae matrimonium et familiam in mundo hodierno respiciunt vel incompletus est vel non satis clarus. Cur, loco dictionum « fallacibus formis », « erotismo », « hedonismum », « egoismum », non ponuntur dictiones perspicuae, quae hodierna mala dilucide, et pro omnibus etiam rudibus, ut constitutionem *pastoralem* decet, exprimant? Cur ergo, clare, non fit sermo de libero amore, de inhonesto et praepropero nupturientium (fidanzati che si comportano come sposi) se gerendi modo, de nimia nuptiarum retardatione, de nuptiarum contractione ob motiva inhonesta aut mere caduca, de inhonesto coniugum inter se sese gerendi modo, de vulgatissimo more amantem vel amantes praeter proprium coniugem possidendi, de matrimonialis vinculi disruptione vel de facto vel etiam de iure per adprobatum lege civili divortium, deque tandem ipsa polygamia.

Haec igitur, et alia quoque fortassis, clare, licet presse, recolenda et comploranda sunt, ut universi homines, ac maxime christifideles, sciant quid Ecclesia mater reprobet atque prae viribus avertenda cupiat.

Ideoque, ut Constitutio fiat non mere doctrinalis sed et vere pastoralis, numerus iste 60 profunde recognoscendus atque aptandus videtur, iuxta praedicta vel alio meliori modo.

N. 61. Numerus iste continet gravissimas assertiones, sed expositas modo qui neminem convincit: exprimuntur enim stylo descriptivo, Sacris Conciliis prorsus inconsueto.

Concilia enim (cf. Trid. de praesentia reali etc.) semper se exprimunt *clarissime indicatis suis fontibus*: perpetua Ecclesiae fides, sensus, sententia; Sacra Scriptura Veteris et Novi Testamenti, et imprimis Evangelium et Paulus; Sacrarum Liturgiarum Orientis et Occidentis concordia (cf. Con. *Sacramentum Ordinis*); Sanctorum Patrum vel universorum sanctorum Patrum consensus; Sancti Spiritus in dies suggerentis actio (cf. Trid. de praes. reali, de Comm. sub utraque etc.); ipsaque humana ratio (cf. Trid. de Satisfactione).

Hic, econtra, gravissimae affirmationes, *de quibus fere universi homines dubitant vel eas prorsus reiciunt,* ponuntur descriptivo modo, absque omni ad fontes validissimos recursu, ideoque absque omni arte et spe convincendi homines ipsosque fideles.

Inter veritates gravissimas quae hic descriptive et satis involute atque « vaporose » exhibentur, numerantur: divina matrimonii origo, nuptiarum unitas, matrimonii indissolubilitas, sacralitas superaddita per sacramentalitatem.

Quae omnia sunt difficillima probatu et intellectu, sive in se sive ob difficultatum practicarum et denegationum doctrinalium ubique grassantium congeriem atque colluviem.

Et Concilium, in Pastorali constitutione, ea deberet tantum descriptive enumerare?

Numerus iste, ergo bene deberet iterum perpendi et totaliter aptari ut fiat theoretice et practice ad animos illustrandos vel etiam pro posse convincendos aptus.

Hoc ut obtineatur, clare *et distincte* exprimi debet quid Deus, incarnatio, cruenta redemptio, ipsa Christi actio (sermo, voluntas, etc.), ipsa Ecclesia ad matrimonium eiusque dotes, fines, iura, officia etc. contulerit, et iugiter conferat.

Secus, fideles clariora efficacioraque inquirent et invenient in Leonianis Pianisque Encyclicis Litteris.

N. 62. Hoc loco, de amore coniugali sermo est *unice* ut de amore *consequente* ad nuptias, licet habeatur fugacissima allusio ad castum amorem inter nupturientes (« casto amore sponsalia... foveant »).

Econtra iam ille antiquus *Catechismus Romanus* (!), aiente nostrae iuventutis magno Pontifice Pio XI (in: *Casti Connubii*), edixerat quod *amor « etiam primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si* tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed *latius* ut totius vitae communio, consuetudo, societas accipitur » (cf. DENZ. noviss., n. 3707).[1]

Et de facto, si nos omnes pastores interrogamus duos iuvenes: « Carissimi, cur ad nuptias convolare cupitis? », respondebunt: « Quia nos magno

---

[1] Sicque Amor explicat etiam matrimonium, sicut et omnia. Cf. C. M. BERTI, *Methodologiae theologicae elementa,* Romae Desclée, 1955, pp. 13-17.

mutuo amore diligimus ». Et iterum si nos illos interrogamus: « Sed, postea, quid erit? ». Possent respondere: « Nos, adiuvante Deo, mutuo nos amabimus in perpetuum, amore magno et pleno: amore spiritali, nos invicem sanctificantes, amore psychico, idem simul volentes; amore etiam physico, unum efficientes, ut Dei cooperatores effecti e nobis oriatur nova vita, scilicet filiorum honor et gaudium et corona ». Haec, certe, non erunt exactissima verba quae ex ipsorum labiis fluent, at certe hic erit intimus eorum sensus.

N. 63. In hoc modernae constitutionis pastoralis numero, ne verbum quidem fit de amore sumpto ut ad n. 62 diximus, ac de amoris speciebus, et ut ita dicam *de amore regulante et regulato.*

In quocumque enim divino matrimonio, et maxime divino-christiano, triplicem praestat distinguere, claritatis et efficaciae gratia, amorem, seu eius speciem et gradum: *amorem spiritualem,* orientem scil. ex Dei gratia, ex vera fide etc.; *amorem psychicum,* orientem scil. ex illuminata intellegentia et ordinata voluntate; *amorem physicum,* orientem scil. ex desiderio et facto mutuae unionis corporalis.

Planum est autem inter hos triplices amores, seu inter has triplices amoris species seu gradus, spiritualem esse nullimode regulabilem sed primum regulantem; psychicum esse et regulatum et alterum regulantem; physicum esse tantummodo regulatum seu regulationi subiiciendum. Etenim: *amor spiritualis,* quo adiuvante gratia Dei coniuges, viribus omnibus unitis, Deum, Christum, Ecclesiam diligunt, ac seipsos mutuo amant et perficere conantur, *nulla regulatione subicitur* aut subici valet, sed in indefinitum potest et debet succrescere, donec in aeternum exardescat in Caelis: *amor psychicus,* autem, quo illustrante intellectu et statuente voluntate idem sentiunt et volunt, *regulatione indiget, ab amore spirituali* praestita, ut nil sentiant et velint contra sed ut omnia sentiant et velint iuxta Divinam Voluntatem, vel etiam iuxta Christi Ecclesiaeque placita; *amor physicus,* tandem, quo coniuges ad intimam nedum spiritualem et psychicam sed praecise et corporalem unionem rapiuntur, *regulatione indiget,* et validissima quidem atque incessabili, *ab amore* scil. *spirituali simul et psychico,* gratiae Dei nempe et intellectus omnia ponderantis et voluntatis ordinate volentis; quae regulatio spiritualis et psychica semper quidem suadebit vel imperabit augmentum amoris spiritualis et psychici, adlaborabit ut coniuges etiam in unionis corporalis aestu nil contra Dei placitum rectamque rationem praestent, haud raro suadebit aut imperabit ut caste amorem corporalem cohibeant, vel ut nonnisi illis utantur mediis et medicamentis (etiam... pillulis!) quae naturae divinitus conditae prosunt seu illam perficiunt, nullimode quae eidem naturae obsunt seu illam pessumdant.

N. 64. Quae ibi dicuntur optima quidem sunt, at stylo potius oratorio prolata, quin pastorales exhibeantur normae vel suggestiones, ad praxim traducendae.

Etiam hic numerus ergo recognoscendus videtur, conclusiones trahendo ex iis quae de triplici amore recoluimus: tunc tantum enim coniuges Dominum

vitae venerabuntur, cum fortiter Deum, et maxime Christum Ecclesiamque ac seipsos filiosque amabunt, omniaque intellectu vere illustrato ac generosa voluntate praestabunt, nullimode caeco et veluti bestiali instinctu unice aut potissimum ducti.

Quae omnia, certe, clarissimae exstant conclusiones ex principio de triplici amore sponte dilucideque manantes.

30

Exc.mus P. D. LUDOVICUS SEVERINUS HALLER

Episcopus tit. Bethleemitanus, abb. null. S. Mauritii Agaunensis

Pag. 50, n. 63, lin. 4, post verba « Ecclesiae necessitatum » addatur: « Procreandi autem munus est simul opus naturae et conscientiae ad bonum prolis ordinatum. Ad hunc finem obtinendum foecunditatis tempora et sterilitatis tempora natura disposuit. Non solum nihil prohibet sed quandoque urget ut ad regulanda huiusmodi tempora conscientia arte utatur prout ars est instrumentum seu minister naturae ». *Ratio*: solutio quam proponimus est applicatio principii finalitatis in ipsa natura fundata. Regulatio enim foecunditatis et sterilitatis est secundum naturam. Requiritur ut parentes mediis naturae conformibus utantur ad bonum prolis obtinendum. Haec additio praeparat ea quae dicenda sunt in n. 97, pag. 77, linn. 1-7.

31

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. Cluniensis

Textus schematis in genere placet et admitti poterit, post factas praecisiones theologicas et styli correctiones, quas Patres postulant.

Redactores documenti optime meriti sunt ob ingentem laborem peractum et amplam altamque visionem, quam proponunt, rerum et problematum quibus nostra tempora agitantur. Quod si, iuxta firmiores emendationes Patrum, textum ad ulteriorem perfectionem perducere satagunt, maximum proventum et Ecclesiae et mundo hodierno procurabunt.

Placet, prout non pauci Patres acute animadverterunt, hoc tam specialis indolis documentum « Expositionem » et non « Constitutionem » vocare, ut *titulus argumento aptius respondeat.*

Peto etiam ut *versiones in linguas vulgares,* quae in aula distributae fuerunt, omni valore « officiali » destituantur, nec divulgentur per media communicationis, quia valde imperfectae et festinanter peractae videntur. Quamvis hoc iam aequivalenter significetur, cum statuitur textum latinum

esse unicum discutiendum et suffragandum, illa animadversio fieri deberet modo claro, aperto et iterato.

Sed nunc sermo est de paragraphis nn. 62, 63 et 64, quae ad quaestiones spectant cum *amore coniugali et matrimonio* connexas.

I. *Tractatio de matrimonio,* quae his numeris in schema habetur, *omnino omittenda est.* Et ratio omissionis mihi videtur obvia. Cum *Summus Pontifex iudicium sibi reservaverit* de quaestione foecunditatis matrimonialis nostris temporibus agitata, ad quam omnium expectatio convertitur, haec nostra tractatio de rebus matrimonialibus necessario debet incompleta remanere, nec sine gravi imprudentia iudicium anticipare potest de hac quaestione concreta.

Nihil proderit « paternitatem responsabilem » commendare, si nihil dicimus de mediis licitis ad hanc regulationem prolis « iuxta conscientiam recte efformatam » obtinendam. Immo hic *modus vagus et incompletus dicendi* nonnisi confusiones in mentem fidelium generabit.

Multo ergo melius et prudentius *tota de matrimonio tractatio ad magisterium pontificium deferatur,* ut Summus Pontifex rem complete et perfecte exponat.

II. Si criterium omittendi doctrinam de matrimonio non praevalet, textum oportebit aliqua emendatione et expolitione perficere. Cum hae quaestiones sint valde graves et magna exspectatione a populo accipiatur quidquid de his rebus dicitur in Concilio, sedulo vitanda est quaelibet verborum improprietas et conceptuum obscuritas.

Unde clarius et perfectius in textu explanari vellem haec praecipue quae sequuntur:

1. *N. 62,* pag. 48, lin. 25, legitur: « Hunc *amorem* Dominus, *supremo gratiae dono,* quo cristifideles *filii Dei* vocantur, ornare et elevare dignatus est ».

Sed duplicem ambiguitatem hic textus continet, quoad amorem scilicet, et quoad gratiam:

a) Etenim significare videtur quod Deus elevavit « amorem coniugalem » ad dignitatem sacramenti, cum revera non merum amorem sed « unionem vel contractum coniugalem » sanctificavit Deus per sacramentum matrimonii. Praeterea non quaevis amoris coniugalis manifestatio rationem habet sacramenti nec principium gratiae constituitur, uti e textu citato logice quis deducere posset.

b) Totus contextus respicere videtur ad *gratiam sacramentalem,* qua Dominus coniuges ornare, munire et ditare dignatus est. Sed textus loquitur de « supremo gratiae dono, quo christifideles *filii Dei* vocantur », i. e., de gratia habituali, quod valde confusum et inexactum mihi videtur. Corrigatur ergo textus schematis modo claro et theologice exacto.

2. *N. 62,* pag. 48, linn. 27-29. Legitur etiam in textu: « Talis amor... coniuges ad liberum et mutuum sui ipsius donum, *tenero affectu et opere probatum,* conducit ».

Sed haec verba *falsam amoris notionem* insinuant, in sensibus potius quam in voluntate consistentem, et inde pluribus et falsis interpretationibus viam sternunt.

Verus enim amor *non probatur* tenero affectu, quia « teneritates » etiam falsos et pravos amores comitantur. Immo etiam verus atque sincerus amor dari potest inter coniuges, qui vel propter indolem animi, propter educationem vel aetatem, vel ratione itineris aut officii (v. g. nautae, longis intervallis separantur), tali teneritate exterius opere manifestata careat, et tamen firmissimo amore copulentur.

Vera autem amoris coniugalis probatio exhibetur quando uterque coniux sacrificia et renuntiationes pro bono alterius libenter vel saltem patienter et constanter amplectitur.

In textu certe legimus « tenero affectu *et opere* probatum ». Nescio utrum in hoc verbo « opere » insinuatum quis inveniat effatum illud « probatio amoris exhibitio est operis ». Valde tamen confusa et obscura esset haec insinuatio, quam versiones in aula distributae interpretantur uti « manifestationes teneritatis ».

Textus ergo reficiatur, ita ut veram et nobilissimam amoris christiani faciem exhibeat, quae non per mollem et facilem teneritatem, sed per verum sui ipsius donum principaliter manifestatur et probatur. Audiatur hac de re vox Divini Magistri: « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis... »; audiantur et apostoli: « Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate »; et de amore coniugali: « Viri, diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam et tradidit semetipsum pro ea » (*1 Io.* 3, 18; *Eph.* 5, 25). Haec est vera amoris probatio!

3. *N. 63, de matrimonii foecunditate* agit. Cum res vere gravis et valde agitata sit atque intime connexa cum quaestione morali quam Summus Pontifex sibi reservavit, verba ita accuranda sunt, ut nonnisi caute, scienter et clare loquamur. Magni enim abusus dantur nostris temporibus.

Optime quidem principium generale statuitur: coniuges « in familia condenda et ducenda, non ad arbitrium suum procedere possunt, sed conscientia se regi debent, quae lege Dei recte informetur ».

Optime etiam coniugibus commendatur « iugis vigilantia et docilitas erga Deum ».

Sed haec criteria et consilia nihil proderunt, nisi haec duo expressis verbis addantur:

a) Quando agitur de numero filiorum determinando iuxta conscientiam, dicatur « per media moraliter licita », quia hic est nodus totius quaestionis.

b) Quando coniuges exhortantur ad conscientiam recte informandam et ad docilitatem erga legem divinam, addatur « iuxta doctrinam Magisterio Ecclesiae propositam », quia non ad scientificos nec ad particulares theologos, sed ad Magisterium Ecclesiae pertinet legem divinam authentice interpretari eamque novis hominum necessitatibus applicare.

4. *N. 64.* Textus quamdam timiditatem et incertitudinem manifestat, quando de difficultatibus coniugum loquitur (v. g. « *Non semper statim clare apparet quomodo...* componatur... »). Certe quidem difficultates permultae coniugatis assurgunt, sed etiam cur non insinuatur saltem aliqua *positiva solutio,* quae certe invenitur in Evangelio, in Magisterio Ecclesiae, in ascesi christiana pro his arduis adversisque adiunctis?

Nec dicatur quod documentum ad omnes, etiam non christianos spectat. Non enim ratio paganorum ita habenda est in Concilio, ut christianae immo et heroicae virtutes sileantur et fidelibus christianis viriliter non proponatur!

Pag. 50, lin. 34. Loco « erga Magisterium », dicatur « erga Magisterium Ecclesiae », claritatis causa.

32

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS EUGENIUS HURLEY

Archiepiscopus Durbanianus

At the end of the discussion of Part II of the Pastoral Constitution on the Church in the Modern World one is left with a feeling of profound discomfort. This seems to arise out of the following considerations:

1) In regard to Chapter I – the Dignity of Marriage and the Family, Cardinal Heenan summed the matter up very well when he said that, if the Council cannot say anything about Birth Control, it had better say nothing at all. (There is of course another problem: how long more can the Church wait for a clear statement on the subject? It is rapidly becoming a case of Lex dubia lex nulla).

2) In regard to Chapter II, The Advancement of Culture, III, Economico-Social Life, and IV, The Life of the Political Community, the speeches made in the aula indicated that the topics are too complicated to be dealt with in the space that the present Council can give to them.

It is impossible to enter into detail. Therefore one must be content with a statement of principle. But a statement of principle remains abstract and unrealistic. On the other hand, certain details, especially in economic matters, can be of vital importance and to omit mention of them is to appear ignorant of the situation. It is also a rapidly changing situation. So remarks that are pertinent to-day may be out of date in ten years time. We have only to remember how quickly the Marshall Plan transformed Europe.

In many case the Fathers who discussed economics sounded like men out of their depth, who had hastily collected a few facts and comments for the sake of taking part in the debate. They did not sound like professionals.

No one can honestly say that the debate on these three Chapters was worthy of an ecumenical council, except insofar as a call was made for a central organisation to co-ordinate Catholic endeavours in the socio-economic field.

3) The debate on Chapter V – The Community of Nations and the Building up of Peace, was much better. It brought out all that can be said at the present time in the Catholic context. But again it left one with a sense of frustration, for it gave no answer to the agonising question of nuclear armaments and the possibility of using them in "self-defence".

All this leads up to two conclusions: *a*) The draft of Part II that has just been discussed is completely unsatisfactory.

b) There is very little likelihood that it can be substantially improved. Whatever the Joint Commission adds or subtracts or amends in the light of the debate will still leave Part II an unsatisfactory document.

I, therefore, propose that this part of the Constitution be suppressed and that in its place a short chapter be added to Part I, in which brief reference be made to the five topics of Part II. This reference should not take the form of a miniature treatise that aims at giving a comprehensive description of each problem and the means of solving it. Rather the purpose of the reference should be to concentrate the attention of the Church on the problems and urge collaboration in seeking a solution.

The treatment I have in mind would amount roughly to this: Here are certain aspects of the world situation which require particular attention, here are some of the salient facts and circumstances, and here is the direction Catholic thought is taking in seeking a solution. Christians, it is our duty to get involved and do our share in achieving that solution.

33

Exc.mus P. D. GERARDUS HUYGHE

Episcopus Atrebatensis

Ces remarques constituent *la suite de celles que j'ai déjà remises au Secrétariat du Concile* sur la I partie du schéma XIII.

Je tiens à redire que *le schéma me plait beaucoup dans son ensemble* et que je me contente de proposer quelques modifications afin qu'il soit meilleur encore.

Remarques générales. a) Il faudrait mieux dire que la seconde partie du schéma présente non une doctrine valable pour tous les temps et tous les lieux, mais plutôt des *orientations* qui devront *progressivement* être *adaptées* aux diverses circonstances de temps et de lieux selon l'évolution des structures économiques et sociales.

b) Dans sa rédaction actuelle, la seconde partie du schéma XIII ressemble trop à un *traité de morale.* C'est une longue énumération de principes et d'applications, de droits et de devoirs, de permissions et d'interdictions en un langage souvent juridique, alors qu'elle devrait être un *Evangile,* une

Bonne Nouvelle qui, en termes simples et bibliques, invite les hommes de notre temps à entrer en dialogue les uns avec les autres.

Cela suppose que l'on n'ait pas peur d'aller au fond des problèmes et d'engager la responsabilité de l'Eglise sur certaines causes fondamentales des souffrances des hommes. Cela suppose que l'on déclare que la mission de l'Eglise et la mission grave de chaque chrétien consistent à partager la vie et le travail du monde, à communier par choix et préference aux immenses détresses du monde et aux justes combats qui se livrent dans le monde.

Chapitre I (de la II partie du schéma XIII). N. 63, 3 alinéa. Il faudrait que le texte du schéma dise bien clairement qu'une Commission étudie sérieusement le problème de la régulation des naissances (étant donné les hésitations des spécialistes, l'Eglise ne peut se prononcer qu'avec prudence) et que le Concile fait confiance à cette Commission et au Pape.

Si cela n'est pas dit, les déclarations très générales du schéma XIII apparaîtront comme une « fuite » du problème.

34

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH IRIARTE
Episcopus Reconquistensis

N. 62, lin. 35: « Actus proinde ... *honesti sunt et* ... » prorsus tollantur. *Ratio*: absonum et ridiculum videtur Concilium hic coniuges edocere de honestate actus matrimonialis!

35

Exc.mus P. D. IOANNES KULIK
Episcopus tit. Rhandensis, aux. Lodzensis

Quae in n. 63 proposita approbantes, nostro munere pastorali fungentes velimus modo brevi ac synthetico illustrare discussionem, quae fit in ephemeridibus et periodicis acatholicis atque sic dictis catholicis materialismo dialectico faventibus.

Qua in re toto animo adhaerentes rectae ac prudenti sententiae Beatissimi Patris, peculiari decreto problema tractaturi, opportunum tamen censemus animadversiones infra allatas proponere, quarum vis approbativa absque dubio apparet. Et ideo animadversiones haec novae et probabili redactioni huius Constitutionis pastoralis quodammodo utiles esse possunt.

Explicatio quoad distinctionem inter *physiologicam regulationem conceptionis* (methodus Ogino - Holt) et omnes alias *methodos anteconceptionales cum pilulis per os sumendis non exceptis.*

1. In casu usus matrimonii tempore naturalis (biologicae) fecunditatis et sterilitatis in periodo mulieris restat conservata structura attractionis sexualis.

Abstinentia ab usu matrimonii tempore fecunditatis iustis de causis idem est ac respectare legem naturalem. His in casibus coniuges agnoscunt et non reiciunt principalem functionem impulsus sexualis, qualis est transmissio vitae. Omnes methodi conceptionem praecaventes destruunt structuram impulsus sexualis, functionem fecunditatis excludunt et ab exclusione huius functionis fecunditatis vitam coniugalem pendere faciunt. Methodus « rythmi » in praxi firmat nexum inter vitam sexualem et fecunditatem. Methodi anticonceptionales conscientiam huius connexionis excludunt.

2. Argumentatio, quae vult amovere essentialem et absolutam differentiam inter physiologicam regulationem et anticonceptionalem methodum his rationibus niti conatur:

a) Deest stricta definitio conceptus « naturalitatis ». Propterea loquendum est non de lege naturali, sed de lege biologica (reapse verba haec sunt synonyma).

b) Suggestio methodum « rythmi » identicam esse cum biologismo. Biologismus vero non respectat leges biologicas.

c) Minus recta invocatio principiorum personalismi. Si personalismus esset solummodo ad violandas leges biologicas haberemus quandam incomprehensionem et simplex mendacium. Non licet ob personalismum amovere ex matrimonio spiritum mutui sacrificii.

3. Argumentatio positiva pro methodo « rythmi ». Usus huius methodi tendit ad augendum amorem coniugalem, transferendo valorem eius ex vita biologica in vitam internam (ex amore concupiscentiae in amorem amicitiae). Periodus fecunditatis non consistit in perfida privatione naturalis habilitatis sed in fidelitate legi. Submissio legi consistit in respectu facultatis transmittendi vitam.

4. Usus pilularum ovulationem reddit difficiliorem et causat periodum sine ovulatione. Talis status pathologicus censendus est. Apparet in organismo feminae tempore climacterii (insufficiens formatio cycli, status morbidi characteris hormonalis, signa senescendi et insufficiens capacitas spherae sexualis), pubertatis propter debilitatem generalem, status morbidi psychici et diuturnae infirmitates. Sterilitatem, quae est effectus talium cyclorum ovulatione carentium, medicina ut pathologicam censet, independenter utrum sit pro femina commoda vel non. Processus hic consequenter ducit ad cessationem menstruationis. Medicinae vero est morbos curare non autem status pathologicos efformare. Difficile est etiam in lumine medicinae ut bonum agnoscere usum pilularum ad praecavendam conceptionem, a fortiori autem respectu habito motivorum ethicae.

36

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainananensis

Dictum est quod matrimonium rationem suam habet in dignitate personae humanae. Hoc quidem verum est. Sed dici etiam debet matrimonium rationem suam habere de dignitate humana in ordine ad speciem humanam. Nam persona humana in se nec metaphysice nec physice requirit matrimonium ad suam perfectionem. Omnis individuus in se est perfectus etiam sine matrimonio; ita caelebs, homo vel virgo, est perfectus in sua persona. Matrimonium exsistit pro hominibus in ordine ad speciem humanam. Coniunctio viri et mulieris in matrimonio non est coniunctio animalis, sed humana et consequenter rationem suam de dignitate personae haurire debet. Homo ratione et libertate gaudet; propterea matrimonium rationem habere debet de libero consensu et de amore coniugali. Actus coniugalis exercetur a coniugibus ad procreandas proles et ad fovendam coniunctionem voluntatis. Igitur matrimonium separari quidem non potest a dignitate humana, sed neque separari potest ab ordine ad speciem humanam.

37

EXC.MUS P. D. CAROLUS MACCARI
Episcopus Montis Regalis in Pedemonte

Loquor de cap. I partis II, nempe de dignitate matrimonii et familiae fovenda.

Quod huius quaestionis momentum sit maximum atque inter omnes in nostro schemate quaestiones pertractatas exspectatissimum ab opinione publica, non est qui dubitet. Respondetne huic momento et exspectationi expositio doctrinae perquam vigilans omnisque confusionis vel ambiguitatis expers? Non videtur.

Iuxta documenti qualificationem (Constit. « pastoralis ») et explicationem in adnexa Relatione (pag. 89), scopus constitutionis « non est directe doctrinam praebere, sed potius eius applicationes ad condiciones nostri temporis necnon consectaria pastoralia ostendere et inculcare ». Schema, igitur, etiam in capite de quo agimus, non deberet novam doctrinam vel saltem doctrinam inter auctores disceptatam proponere, sed certam et inconcussam in magisterio Ecclesiae condicionibus coniugii huius temporis applicare. E contra, humili mea sententia, doctrina matrimonialis, hucusque ab Ecclesiae magisterio firmiter solemniterque proposita atque universaliter recepta, quoad punctum fundamentale immutari videtur. Revera:

a) De bonis matrimonii propriis — scil. de prole, fide et sacramento —

iuxta classicam doctrinam S. Augustini per saecula in Ecclesia receptam, in schemate mentio vaga et marginalis fit.

b) Loco universalis terminologiae de « finibus » matrimonii, semper in documentis magisterii adhibitae, fere unice (mentio in n. 61, lin. 12, insufficiens apparet) sermo fit de « amore coniugali », in quo primaria ratio coniugii statuitur saltem de facto, contra ea quae a Sancta Sede declarata sunt et pluries a Pio XII confirmata.

Ad doctrinam de « amore coniugali » in specie quod attinet — quam schema suam facit et qua mensura facit —, ea non plene, saltem non clare, servare videtur vim finis primarii matrimonii. Quae enim in textu habentur de amore coniugali — quamvis saepe confusa et incerta appareant — dicerentur quasi absorbere in hoc amore eidemque subordinare omnia alia bona matrimonii.

Nemo utique dubitat de vitali functione amoris coniugalis in christiano coniugio: hic amor « omnia coniugalis vitae officia pervadit et quendam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis ». Haec verba Pii XI in celeberrimis Litteris Enc. « Casti Connubii » — quae pressius et utilius a compilatoribus schematis prae oculis habendae erant — admittunt quidem amorem coniugalem habere in matrimonio christiano aliquam « primariam causam et rationem », sed tantummodo — et hoc sedulo est notandum — relate ad matrimonium late consideratum: ad matrimonium scil. — cito verba eiusdem Pii XI — non ut est « institutum ad prolem rite procreandam educandamque », sed ut est « totius vitae communio, consuetudo, societas ». Schema e contra, hanc essentialem distinctionem ignorans, ad amorem coniugalem adsignat non quendam « principatum nobilitatis » sed, ut ita dicam, verum principatum constitutivum: ita quidem ut principio in eisdem Litteris Enc. enunciato totamque materiam coniugalem hucusque informanti — nempe « primum inter matrimonii bona locum tenet proles » — hoc alterum esset substituendum, nempe « primum inter matrimonii bona locum tenet amor coniugalis ».

Si elementa hinc inde sparsa colligantur circa amoris coniugalis vim in christiano matrimonio, habetur « impressio » alicuius favoris erga thesim asserentem coniugii rationem essentialem, et quidem primariam, reponendam esse in complemento et personali coniugum perfectione. Huiusmodi autem doctrina a magisterio ecclesiastico, non multis abhinc annis, reprobata est tanquam « grave inversione dell'ordine dei valori e dei fini posti dallo stesso Creatore ». Sunt verba Pii XII, qui ordinem valorum in matrimonio ita concise definit: « Il matrimonio, come istituzione naturale, in virtù della volontà del Creatore non ha come fine primario e intimo il perfezionamento degli sposi, ma la procreazione e la educazione della nuova vita » (Discorso alle Ostetriche, 29 ott. 1951). Quodsi schema nostrum amorem coniugalem hoc sensu acceptum excludere intendit, clare et inaequivocabiliter dicat.

Principatus, qui in matrimonio amori coniugali agnoscitur, practice influere videtur in determinandis principiis fecunditatem coniugalem mode-

rantibus, de quibus in n. 63. Fecunditas enim matrimonialis, et ipsa, rationem ultimam deducit, non amplius ex obiectiva natura coniugii, primario instituti a Creatore ad prolem rite procreandam atque educandam, sed ex indole matrimonii *et simul* coniugalis amoris (ut explicite asseritur in pag. 49, linn. 24-25). Sequitur inde principium generale, pluries in hac aula crisi subiectum (in eadem pagina, linn. 39-42 enunciatum), iuxta quod « prudenti iudicio » coniugum relinquitur determinatio numeri filiorum. Hoc autem criterium — quod venit sub nomine « paternitatis responsabilis » — etsi limitibus circumscriptum, nonne viam aperire poterit interpretationi nimis subiectivae atque edonisticae officiorum suorum ex parte coniugum? Textus utique sublineat conscientiam coniugum lege Dei recte informandam esse, sed qualis est haec Dei lex tuta ac firmissima, si non amplius valere diceretur sollemne principium, iuxta quod « primum inter matrimonii bona locum tenet proles »?

Venerabiles Patres! Haec dubia, vobis sincere exposita, animum profunde angustiant. Ad ea, quantum possibile est, solvenda enixe rogo, ut integrum caput de dignitate matrimonii et familiae fovenda refundatur sub luce Ecclesiae magisterii; quodsi hoc fieri non possit, tota haec materia — iuxta ea quae iam dixit em.mus card. Heenan — e schema nostro expuncta ad Summum Pontificem remittatur.

[*Subsignaverunt etiam*] G. de Proença Sigaud, arch. Adamantinus; A. M. Carli, ep. Signinus; P. M. Perantoni, arch. Lancianensis; M. Lefebvre, sup. gen. Cong. Spir. S.; G. Motolese, arch. Tarentinus; P. Carta, arch. Sassari; C. Mingo, arch. Monreale; P. Ngo-Dinh-Thuc, arch. Hueensis; J. Perris, arch. Naxos; A. Castelli, arch. tit. Rusio; M. Federici, arch. Santa Severina; X. Zufi, arch. tit. Serrensis; M. Garcović, arch. Zadar; B. Musto, ep. Aquino, Sora, Pontecorvo; A. Koraiche, arch. Saida Maron.; A. de Castro Mayer, ep. Campos; C. Alvim, arch. Lourenço Marques; Demetrius, ep. Ciudad Rodrigo; J. Nepoti Fus, ep. tit. Elo; F. Erviti, praef. ap. Sahara Spagn. et Ifni; J. Giordani, praef. ap. La Paz in Calif.; A. Marena, ep. Ruvo et Bitonto; A. D'Arco, ep. Castellamare di Stabia; V. Dondeo, ep. Orvieto; H. R. Compagnone, ep. Anagni; A. de Almeida Moraes, arch. Niteròi; J. B. Piasentini, ep. Chioggia; T. Benedetti, ep. Lodi.

38

Exc.mus P. D. LUDOVICUS MANRESA FORMOSA
Episcopus Quezaltenango

Caput de dignitate matrimonii et familiae, nisi integrum schema de Ecclesia in mundo supprimatur, nobis retinendum videtur, propter duas praesertim rationes: Prima, ne suppressio inserviat ad augendam confusionem et incertitudinem opinionis publicae, etiam inter catholicos; altera, ne Ecclesia videatur incerta circa doctrinam traditionalem in quibusdam quae hac occasione reaffirmari possunt et debent.

Immo, in hoc capite non modo merentur laudem multae correctiones a Commissione inductae, quae claritati et perfectioni textus notabiliter conferunt, verum etiam in particulari placet attentio concessa momento et significationi amoris in societate coniugali, eamque vere utilem existimamus tum ad conceptionem matrimonii magis completam in ordine doctrinali, tum ad pastoralem actionem mentalitati hodiernae utilius aptandam.

Sane hunc amorem in considerando matrimonio Ecclesia nunquam plane praetermisit; et Pius XI alte de eo praedicavit quod « omnia coniugalis vitae officia pervadit, et quendam tenet in christiano coniugio principatum nobilitatis » (Enc. *Casti connubii, A.A.S.* 22, 1930, 547-48). Verum est hunc amorem consideratum fuisse magis sub aspectu morali et spirituali; sed schema nostrum considerationi psychologico-biologicae sufficientem, et fortasse nimiam, partem nunc concedit. Profecto, optandum fuisset ut redactores magis ad exigentias morales istius amoris pro relationibus interpersonalibus coniugum attendissent, remittendo insistentiam circa necessitatem expressionis eiusdem carnalis.

Omissis minoribus observationibus quaedam nobis denuntianda visa sunt, quorum emendatio condicionem sine qua non ad approbationem schematis facimus. Praemittimus displicentiam nostram propter quandam sive ambiguitatem sive quasi studiosam reticentiam, Concilio impropriam, in quibusdam suspectis rationibus moralibus alias non denuntiandis alias indirecte vel negative sustentandis. Hoc facto, nostra optata ad tria capita reducimus.

1. Ambiguitas vel incertitudo, aliquando fortasse mere grammaticalis, tollatur in sequentibus: pag. 47, n. 61, linn. 10-11, vinculum sacrum ne videatur aliqua ratione non tantum *e solo singulorum arbitrio* pendere, sed neque ex utroque. Ibid. linn. 38-39 attendatur animadversio iam facta in quantum agitur de acquirenda perfectione humanae personae *gradatim* in exercendo munere coniugali, nam illud « gradatim » confusionem gignere potest. Pag. 50, n. 64, linn. 21-24 non supponatur modo tam generali *abruptionem vitae coniugalis,* id est, actuum matrimonialium secundum contextum, bonum fidei et prolis in discrimen vocare; hoc a Concilio proclamari non est opportunum; in se quoque verum non est. Profecto talis vita coniugalis intima sine spiritu christiano non evitat multa divortia; dum continentia diuturna ex motivis conscientiae observata plures coniuges intime unit. Ibid. lin. 36 voluntatis divinae significatio circa ordinationem vitae coniugalis ne reponatur in *harmonia donorum,* quae, in ambiente hodierno falsissimae interpretationi saltem occasionem praebet apud plebem.

2. Petimus ut in pag. 47, n. 61, linn. 23-25, pro fundanda unitate et indissolubilitate matrimonii, simul cum indole amoris coniugalis, traditionale argumentum prolis suscipiendae et educandae explicite commemoretur. In pag. 50, n. 64, linn. 18-21 non affirmetur difficultas cognoscendi quomodo componitur germani amoris cultus cum longiori abstinentia ab usu coniugii, quia secundum doctrinam catholicam difficultas *in cognitione* nulla est pro coniugibus ad ordinem moralem et ad disciplinam morum attentis. Ibid.

linn. 29-31 conformetur accuratius notio abortus cum doctrina traditionali, ut ab aliis indicatum est; et similiter in pag. 107 ad (F) non agatur de sterilizatione iniusta, sed de directa vel contraceptiva.

3. Instantissime postulamus ut Concilium evitet quamlibet occasionem favoris hodiernae confusioni idearum et inconsiderationi erga Magisterium Ecclesiae. Ideoque:

a) Non dicatur pag. 50, lin. 29 quod « vita *iam concepta* maxima cura tuenda est », quasi de vita secundum cursum naturalem concipienda non sit quaestio moralis gravissima, cui a Romano Pontifice declarandae Concilium non debet negativa cooperatione cum opinione vulgi difficultatem creare.

b) Explicita et clarissima formula reaffirmetur alicubi, v. g. in ultima linea pag. 50, facultatem humanam generandi, vel clarius actuationem facultatis sexualis in coniugio « secundum germanam dignitatem humanam » non ordinari nisi perficiatur secundum solemnissimam declarationem Pii XI in Encyclica *Casti connubii* (*A.A.S.* 22, 1930, 560), a Pio XII firmiter renovatam (*A.A.S.* 43, 1951, 843), quae ab anno 1816 ad Encyclicam *Casti connubii* saltem quinquies et decies ab organis doctrinalibus Sanctae Sedis proclamata fuerat, et ab universo episcopatu Germaniae anno millesimo nongentesimo decimo tertio; Galliae, anno millesimo nongentesimo decimo nono; Belgii, anno millesimo nongentesimo vigesimo; Angliae, anno millesimo nongentesimo trigesimo; Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, anno millesimo nongentesimo vigesimo plena convictione sustentata fuit. Si talis positio doctrinalis in Concilio quasi dissimuletur, timendum ne Magisterium authenticum de sua vi remittat.

c) Denique eadem explicita et perspicua declaratione affirmetur in loco opportuno structuram amoris coniugalis absolute exigere ut in eo praeparando et exsequendo ordinem naturae revereatur nihil de industria operando ad eiusdem virtutem naturalem frustrandam.

[*Subscripserunt etiam*] X. Thoyer, arch. tit. Odesso; A. De Rosario, arch. Zamboanga; F. Melendro, arch. Anking; Ludovicus, arch. tit. Sion; H. Correa Yepes, praef. ap. Mitu; E. Tato, ep. tit. Cardicio; E. Vallejo, praef. ap. Tierradentro; G. Villa Gaviria, ep. Barranquilla; G. Escobar Vélez, ep. Antioquia; G. Posada, vic. ap. Istmina; J. Pimiento, ep. Garzón-Neiva; A. Cuniberti, vic. ap. Florencia; A. Muñoz, arch. Nueva Pamplona; V. Roig y Villalba, vic. ap. Valledupar; E. Tagle, ep. Valparaiso; G. Layek, arch. Allepensis Armenorum; G. de Proença Sigaud, arch. Diamantina; C. Luna, ep. Zacapa; J. Lopez, arch. Cartagena; B. Arrango, ep. Barranca Bermeja; A. Ocampo, arch. Tunja; M. Builes, ep. S. Rosae de Osos; A. Castro, ep. Palmira; C. Crous, vic. ap. Sibundoy; J. Coronado, praef. ap. Ariari; M. Solà, ep. tit. Colofone; A. Medina y Medina, ep. Monteria; A. Duque Villegas, arch. Manizales; A. Alvarez, ep. Pereira; J. Franco Arango, ep. Duitama; P. Rivera Mejía, ep. Socorro y San Gil; H. Rueda, ep. Bacaramanga; J. Giraldo, ep. Pasto; A. Rubio Diaz, ep. Sonsón; Abilius, ep. Calahorra; Angelus, ep. Orense; J. Lecuona, ep. tit. Vagada; Felix, ep. Jaèn; Laureanus, ep. Siguenza-Guadalajara; Secundus, arch. Burgos; J. Souto, ep. Palencia; Aurelius, ep. Lerida; Alfonso, ep.

Almeria; Raymundus, ep. Urgel; Innocentius, ep. Cuenca; Eduardus, ep. Zamora; Daniel, ep. Segovia; A. Granados, aux. Toledo; Antonius, ep. Islas Canarias; Raphael, ep. Mallorca; Santos, ep. Avila; Demetrius, ep. Ciudad Rodrigo; F. Peralta, ep. Vitoria; J. A. Martinez, ep. Tacámbaro; S. Martinez Aguirre, vic. ap. Tarahumara; J. Navarrete, arch. Hermosillo; Fidelis, ep. Chilapa; E. Corripio, ep. Tampico; J. Alba Palacios, ep. Tehuantepec; A. Szymanski, ep. S. Andrés Tuxtla; M. García, ep. Mazatlan; P. Grau, ep. tit. Pella; E. Lopez, arch. Jalapa; F. Ferreira, ep. Texcoco; A. Mena, arch. tit. Siniti.

39

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 48, lin. 5. Compleatur hoc modo: « Gratae etiam mentis affectu, pietate, fiducia atque oboedientia beneficiis parentum respondebunt ... ». *Ratio* est quia oboedientiam inculcare vel maxime necessarium est nostris temporibus, ut saepissime in suis allocutionibus admonuit SS. Pater Paulus VI.

Pag. 50, linn. 40-43. Haec alinea integra supprimenda est. Nam ea quae ibi dicuntur valde vaga sunt et attingunt res quas non oportet ut a Concilio ita sine utilitate et sine vera necessitate insinuentur.

40

Exc.mus P. D. CAESARIUS ANTONIUS MOSQUERA CORRAL
Archiepiscopus Guayaquilensis

Infrascripti Patres conciliares rogant te humanissime ut velis subsequens votum circa caput I secundae partis schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* inter ea includere quae Patres in praesenti disceptatione protulerunt, ut commissio in suo labore novae redactionis adiuvetur. Numerus interventionum in aula non permittebat ut sermone publico exprimeretur.

Caput de dignitate matrimonii et familiae fovenda magnae spectationis esse pro universa Ecclesia bene novimus; sed adsunt adiuncta peculiaria ob quae hoc argumentum singularis et gravissimi momenti est pro Ecclesiis Americae Latinae.

Ideo, nostri officii esse censemus quaedam puncta proponere quae, etsi in aula conciliari commemorata fuerunt, nondum in ea luce sunt posita, quae in re tam gravi necessaria videtur.

In primis volumus ut clare constet nos sincere aestimare laborem redactorum schematis. In hoc capite non modo merentur laudem multae correctiones a commissione inductae, quae claritati et perfectioni textus notabiliter conferunt, verum etiam in particulari placet attentio concessa momento et si-

gnificationi amoris in societate coniugali; eamque vere utilem existimamus, tum ad conceptionem matrimonii magis completam in ordine doctrinali, tum ad pastoralem actionem mentalitati hodiernae utilius aptandam.

Sed id quod pro nobis in hoc capite motivum constituit non parvae sollicitudinis ést defectus congruentiae inter quaedam eius asserta doctrinalia et principia qua magisterium ordinarium Ecclesiae tradidit anteactis saeculis usque ad Pium XII.

Doctrina de amore coniugali in schemate, non modo non est elaborata sub luce doctrinae theologicae, quae nervum constituit Litt. Encycl. *Casti Connubii,* sed adest studiosa quaedam reticentia circa principia quae ibi et in aliis documentis traduntur, sat sollemniter, tamquam authentica interpretatio ipsius legis naturalis.

Si textus, ut iacet, approbatur, concludent multi mutationem tacitam doctrinae Magisterii ordinarii in re ad mores spectante a Concilio admissam esse. Hoc vero nobis videtur omnino vitari debere. Semper in Constitutionibus et Decretis approbandis, omni cura et attentione quaesivimus ut in primis clare et aperte constaret de congruentia doctrinarum quas probamus cum doctrina quam Magisterium ordinarium constanter tradidit, munere suo fungens iuxta mandatum Domini. Iure meritoque haec eadem norma in hoc capite schematis est exigenda.

Ideo petimus ut textus n. 64 in linn. 32 s. ita compleatur: « Coniuges, vitae ministri Deique cooperatores, spiritu generoso imbuti, quo in adimplendo suo munere sacrificia non aspernantur, leges vitae coniugalis pie custodiant, ab iis refugiendo actibus quibus eius exercitium de industria hominum naturali sua vitae procreandae vi destitueretur ».

Rationes huius voti sunt: 1. Inclusio huius pericopis est necessaria ut nullum dubium sit de congruentia doctrinae schematis cum doctrina a magisterio ordinario in hac re adeo explicite tradita ut interpretatio authentica legis naturalis. 2. Complet et perficit doctrinam quam schema tradit circa veram significationem amoris coniugalis.

Contra traditionalem conceptionem theologicam de matrimonii natura et usu arguitur quod finem primarium, vi cuius ex semetipso actus coniugalis ordinatur ad prolem procreandam, ita seiunxerit ab amore mutuo personali, ut fere reducatur matrimonium ad institutum procreationis.

Doctrina traditionalis sic accepta nequit profecto satisfacere; sed nunc periculum novum adest in eo consistens quod amor coniugum, sic extollatur tanquam valor summus foederis coniugalis, ut ex semetipso honestum reddere possit actum quo coniuges donatione mutua et plena inter se uniuntur, etsi de industria eum sua vi naturali procreandi destituant. Ita haec conceptio dissolvit opposito sensu illos fines actus matrimonialis, quos indissolubili et intrinseca unitate coniunctos concipere debemus. Hac via, ut nobis videtur, nequit haberi verus progressus in doctrina theologica et morali circa matrimonii naturam et usum.

Analysis de structura essentiali ipsius amoris coniugalis, optima elementa continet quae revera pleniori luce ostendunt quae sit vera natura matrimonii in quantum est institutum a Creatore conditum ad manifestationem suae gloriae; sed haec analysis — nostro humili iudicio — tunc tantum hac certa luce gaudet, cum non dissolvit id quod in natura a Deo condita est interne indivisum: amor sc. coniugalis et ordinatio ad prolis generationem. Si utrumque elementum essentiale servatur in sua naturali unitate, honestas actus matrimonialis omni luce clarescit; si separantur, omnia ruunt.

Ideo, insistimus in congruentia plena quam redactio definitiva textus habere debet cum doctrina magisterii constanter tradita circa finem primarium matrimonii, cui novum elementum doctrinale desumptum ex natura amoris coniugalis non opponitur, si bene aestimetur quam profunda sit naturalis unitas inter ipsum et finem procreationis. Ita hoc novum elementum complere et perficere potest doctrinam Magisterii Ecclesiae in documentis bene notis expressam, sed non eam mutare ne tacite quidem et veluti subreptitie.

[*Subscripserunt etiam*] P. Muñoz Vega, coad. Quito; E. Serrano, arch. Cuenca; S. Haro, ep. Ibarra; A. Barbisotti, vic. ap. Esmeraldas.

41

Exc.mus P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Pag. 47, lin. 19, post vocabulum « prolis » inseratur verbum « primarie », iuxta constantem traditionem Ecclesiae, Encyclicas Pontificias et sanam theologiam.

Quidquid sit enim de quaestione circa *numerum* prolis, oportet omnino hanc fundamentalem et primariam orientationem matrimonii contra opiniones extravagantes explicite indicare.

Pag. 49, lin. 30: post vocabulum « prolem » inseratur verbum « primarie » propter rationes supra allatas.

Pag. 49, lin. 41: loco verborum « recte informetur » ponantur verba « recte informari debet » ut obligatio semper agendi iuxta legem divinam magis strenue urgeatur.

Pag. 49, lin. 42: post verbum « determinare » statim haec addantur: « semper tamen iuxta legem divinam ». *Ratio*: Non obstantibus iis quae dicuntur in lin. 41 de recta conscientia, aliqui possint concludere quod numerus prolis relinquatur soli arbitrio coniugum. Quod nefandum esset.

Non debemus in hac re locum ambigendi admittere.

42

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Inter causas familiae degradationis, mihi videtur adiungenda in n. 60, et aliqua alia, ut despectum legis mortificationis, defectum parentum et magistrorum vigilantiae, pornographicum societatis modernae ambitum.

a) Iam apud multos, etiam christianos, vox « mortificatio » quasi non apparet, et disciplina vitae cultui personalitatis locum cedere videtur, dum e contra in dominio exercitationis physicae (sport) valde exaltatur. Certum est omnem activitatem humanam amoris spiritu animari debere; attamen cum homo anima et corpore constet, necesse est ut utrumque legi abnegationis et alicuius privationis subiiciatur ad caritatem conservandam et promovendam.

b) Iuvenes experientia expertes, ad curiositatem et audaciam propensi, in dominiis culturae et vitae moralis religiosaeque, parentum et magistrorum adiutorio egent. Saepe saepius, hi formationi filiorum intellectuali magis attenti, moralem et religiosam parvi pendunt, aut propter negligentiam aut despectum, aut egoismum (timent enim ne filiorum educatio suam libertatem distractionis tollat) aut propter inferioritatis complexum (ipsi enim non sunt modernae generationis). Unde parentes vigilantiam discretam ac prudentem neglegentes, filios sinunt legere libros nocivos, assistere lascivis repraesentationibus, cum malis sociis amicitia coniungi.

c) Lucri spiritus et falsa demagogia mundum invadunt: non quae sunt utilia et bona quaeruntur, sed quae passiones excitantur et divitiae augentur. Perdifficile est omnes iuvenes praesertim contra cursum rerum incedere.

In voto est ut in n. 60 aliquae aliae causae defectionis familiae numerentur ut parentum attentio maior attrahatur et in n. 62, in fine, addatur aliquid de obligatione societati civili incumbente purgandi publicitatem socialem.

43

EXC.MUS P. D. RENATUS IOSEPH PIÉRARD
Episcopus Catalaunensis

Articulus ille 63 generaliter valde placet ut verus, fervidus, a sponsis feliciter recipiendus. Attamen:

1. Alinea secunda, pag. 49, lin. 35. Ut in abstractis non stemus, oportet aliqua exempla fecunditatis spiritualis afferre: « ... ad multiformem fecunditatem spiritualem invitat, ut servitia proximorum, vel societatis, vel Ecclesiae ».

2. Eadem pag. 49, linn. 36-38. Declaratio de aequali dignitate cum mulieris tum viri non convenit in hoc articulo « de fecunditate », sed potius

in art. 61 vel 62. Sed in prima parte schematis iam declaratum est principium aequalitatis personalis utriusque sexus.

3. Pag. 50, lin. 5. Proponimus: « Ita fideles qui procreandi et educandi munere, generoso et christiano modo funguntur, divinum consilium implentes, Creatorem glorificant et in Christo proficiunt ». Redactio huius sententiae in schemate (seipsosque in Christo perficiunt) sapit aliquem ... pelagianismum! et redactio proposita facilior et alacrior apparet.

« Coniuges omnes... (sine mutatione) ... revera merentur ».

Lin. 9. « Quos inter peculiari modo honorandi sunt (loco memorandi) qui, divinae Providentiae fortius confidentes (additur " fortius ": Providentia enim confidentia non reservatur solis numerosis familiis), prudenti communique consilio, magno animo prolem congruenter educandam etiam numerosiorem suscipiunt ». Et cadunt sine damno ultima verba « Qui omnes ... etc. » pag. 50, linn. 12-14.

In fine art. 63, introducere optamus aliquas lineas ex art. 61 et 62 translatas, cum levibus emendationibus. Agitur enim in his lineis de fecunditate, non procreationis, sed educationis.

Ex art. 61, pag. 47, linn. 42-43, pag. 48, linn. 1-3. « Ambo autem coniuges, dignitate ac munere paternitatis et maternitatis ornati, educationis officium diligenter adimplebunt, et laborem domesticum matris, cuius amantissima cura liberi, praesertim parvuli, naturaliter indigent, spernere non sinent, sed magni aestimabunt, etsi multae feminae actuositatem " professionalem " tanquam participationem vitae socialis legitime ferunt ». Tum munus « amborum », tum sollicitudo erga « parvulos » observationes sunt cuiusdam auditoris laici. Cum prudentia loquendum est de « actuositate professionali » matris, quia, in mundo hodierno, multae feminae hanc actuositatem de facto postulant.

Ex art. 62, pag. 49, linn. 7-23. « Omnibus procuretur bonum quo, in familia vere unita nati, ibi enutriantur atque educentur, ita ut liberi, ad aetatem adultam provecti, plena officii sui conscientia (*responsabilité*) vocationem suam spiritualem et temporalem sequi ac vitae statum eligere valeant, in quo, suo tempore, si nuptiis iunguntur, familiam propriam, sanam quidem et prosperam, condere possint » (usque ad finem paragraphi sine mutatione).

Ab initio septem verba, ut ratio infirma, omittuntur.

Verbum « vocationem » germanice vel anglice sensus diversos sonat: sic adiectivis explicatur.

Verba « sanam quidem et prosperam » lineas 12 et 13 schematis contrahunt.

[*Subscripserunt etiam*] *Cf. pag. 167.*

44

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

N. 63. Deleantur illa verba « dignoscentes temporum et status vitae conditiones tum paedagogicas tum oeconomicas ». *Ratio*: quia peioris conditionis fierent coniuges pauperes prae divitibus, etiam in usu matrimonii et anxietates non paucas producerent in eorum conscientiis.

45

EXC.MUS P. D. EDWINUS PINTO
Episcopus Ahmedabadensis

Status socialis et familiaris mulierum promovendus

Ut bonum mulierum ipsarum totiusque societatis tam humanae quam christianae plene promoveatur, praecipue in re matrimoniali et familiari, valde optandum est ut aequalitas iurium humanorum sexuum eorumque status socialis necnon sexus feminei dignitas specialis ab omnibus agnoscatur. Quamobrem nihil praetermittatur, praesertim in illis regionibus ubi inferioritas status socialis mulierum clare patet, ut illis, positis ponendis, eadem iura ac viris in foro humano, familiari, civili et politico concedantur. Talis status mulierum promotio ad confirmandum amorem coniugalem ideoque ipsam societatem coniugalem ubi opus est maxime conferet. Illi igitur imprimis qui in scholis Catholicis cuiusvis gradus in supra dictis regionibus in educanda iuventute adlaborant, sedulo curent ut principium aequalitatis humanae sexuum non tantum theoretice sed etiam practice unacum honorem peculiarem sexui femineo tribuendum inculcent. Qui vero educationi puellarum praesunt, ut alumnas suas ad earum munera adimplenda tam civilia quam politica, praesertim autem familiaria recte praeparentur invigilent. Haud enim dubitari potest ut mater primam curam propriae familiae expendere debet, in cuius gubernatione cum viro, familiae capiti naturali, associatur.

* * *

In the first chapter of Part II of Schema XIII there seems to be a lacuna which many of us bishops from Asia and Africa would be happy if it is attended to.

From the discussions in the Council the general view of the Council Fathers is that specific mention should be made that procreation and conjugal love should together and equally constitute the foundation of marriage. This is quite comprehensable in the West. But we feel that it may not be so in the East and Africa, where there has been centuries old tradition that

the woman is definitely the subordinate partner in marriage, in fact, sometimes a little more than that of a servant. Although in some countries this is changing, one still finds this mentality among the less educated people, even among Catholics. As women who are still in the subordinate position constitute a large percentage of the population of the world, we wonder whether some words cannot be introduced into the Schema to the effect that the Church exhorts the faithful in a very special way to recognize that the status of the woman in marriage is as important as that of the man: obedient, but never servile to her husband; and that the Church, in order that conjugal love may be truly fostered, should emphasize that it views with disfavor such practices as the arrangement of marriages without the consent of both partners. And furthermore that everything should be done to further the education of women (and their husbands) so that the love between husband and wife may flourish on the spiritual and intellectual as well as the physical level.

To illustrate this idea further we attach herewith a text in Latin and we would be grateful if some of the ideas mentioned herein are incorporated into the Schema.

46

EXC.MUS P. D. IOSEPH RAPHAEL PULIDO MENDEZ

Archiepiscopus tit. Cyrrhensis, coad. c.i.s. Emeritensis in Venezuela

N.B. Generaliora quaedam. Caput prout iacet exspectationem hominum nostri temporis decipere potest, propterea quod sub silentio ducat quaenam media ad « paternitatem responsabilem » honesta sint vel inhonesta (cogita v. g. de pillulis). Cum vero Romanus Pontifex quaestionem sibi commissionique speciali reservasset, nonne oporteret ut Concilium et humiliter responsum deprecaretur et, donec responsum habeatur, de re matrimoniali taceret?

Item, profundior de matrimonio enucleatio theologica desideratur, et quidem ex Fontibus. In hoc sensu, aliquid — valde generale — invenitur sub n. 11 (pag. 13, linn. 15-19) loquendo de homine ut est imago Dei; et etiam aliquid amplius — valde dilutum — sub nn. 61-63 (pag. 47-50).

Numquid fas est de matrimonio loqui quin *Eph.* 5, 22-33 proferatur? Prorsus dilutissime schema hanc pericopam clavim evocat (n. 61, pag. 47, linn. 26-33; et in nota 7, n. 62, pag. 48, lin. 21).

Itidem, oporteret aliquantulam ampliorem claritatem afferre circa problema sexualitatis et foecunditatis. Pulchra dicuntur sub nn. 61-63 (pag. 47-50), sed insufficientia.

Hac in re liceat mihi aliquam orientationem suggerere:

Initium capiatur a *Gen.* 1, 27 (argumentum innitum apud schema n. 11, pag. 13, linn. 15-19): « Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos ». Exinde colligitur Deum auctorem esse distinctionis sexuum, et sexum pertinere ad homi-

nem quatenus imaginem Dei (qui est Amor: *1 Io.* 4, 16). Unio igitur sexualis coniugum, est expressio imaginis Dei-Amoris.

Deus vult unionem sexualem in ordine ad propagationem humanae speciei (*Gen.* 1, 28: « Crescite et multiplicamini, et replete terram... »), quod etiam pertinet ad hominem ut imaginem Dei (*Gen.* 5, 1 ss.: « In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum; masculum et feminam creavit eos [et sequitur enumeratio generationis Adae] »).

In *Gen.* 2, insistentia ponitur non tam in fine procreativo quam in fine personali distinctionis sexuum (*Gen.* 2, 18-24: « Faciamus ei adiutorium simile sibi. ... Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea. ... Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una »).

Exinde, gressus fieri potest ad *Eph.* 5, 22-33, praeprimis instando in eo quod unio coniugum est imago (impletio?) unionis Christi cum Ecclesia (*Eph.* 5, 32).

Sub hoc lumine, penitius deteguntur tum fines et bona tum proprietates matrimonii: Nonne vinculo amoris Christus et Ecclesia unum sunt? Nonne ex amore procedit quidquid Christus pro Ecclesia et Ecclesia pro Christo agunt? Numquid cogitari potest Christum aliae Ecclesiae unitum, vel Ecclesiam a Christo separatam? Quae de Christo et Ecclesia dicuntur, plena paritate Paulus dicit de coniugis...

N. 61, pag. 47, lin. 11. Substituatur « hominum » loco « singulorum ». *Ratio*: Textus cum dicit sacrum matrimonii vinculum « non amplius e solo *singulorum* arbitrio pendet », suggerere videtur vinculum pendere ab arbitrio aliorum, v. g. Status.

N. 61, pag. 47, lin. 17. Omittatur: « quemadmodum extra legitimam unionem existere nequit ». *Ratio*: experientia teste, hoc falsum est.

N. 61, pag. 47, lin. 33. Post « diligunt », addatur: « sacramentum enim totam coniugum vitam pervadit ». *Ratio*: ut ad sacramentum in facto esse seu ad permanentiam sacramenti matrimonii, mens coniugum dirigatur.

N. 61, pag. 47, lin. 34. Deleatur: « qui etiam virgines colit ». *Ratio*: nihil conferens ad rem, talis allusio « canit extra chorum ».

N. 61, pag. 48, lin. 3. Addatur: « Aequalis quoque dignitas personalis cum mulieris tum viri, in mutua atque plena dilectione agnoscenda, unitatem matrimonii a Domino confirmatam luculentius patefacit » (Translatio ex n. 63, pag. 49, linn. 36-38). *Ratio*: est locus magis logicus.

N. 63, pag. 49, linn. 36-38. Transferatur ab « Aequalis quoque... » usque ad « luculentius patefacit », in n. 61, pag. 48, lin. 3. *Ratio*: logice ibi proprium locum habet.

N. 63, pag. 50, lin. 12. Loco « Qui omnes », dicatur: « Tum isti, tum illi ». *Ratio*: non bene perspicitur ad quosnam referatur illud « Qui omnes »: utrum videlicet ad illos qui « prolem... numerosiorem suscipiunt » (linn. 9-11), an etiam ad « coniuges omnes qui... muneri sibi a Deo commisso satisfaciunt » (linn. 7-9).

47

EXC.MUS P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villanovensis, aux. Pineroliensis

1. In certi punti pare sussistere l'equivoco sul termine « amore » che passa dal significato di dono di sé all'altro al significato di dono sessuale. Per i cristiani l'amore è 1) la ricerca del bene dell'altro anche con sacrificio proprio; 2) anzi la ricerca del bene soprannaturale e non semplicemente del piacere. Solo a questa condizione si può dire che il matrimonio significa e riproduce l'amore di Cristo per la Chiesa.

2. Non si parla affatto di onanismo. Forse il tema verrà trattato dalla Commissione Pontificia. È bene su tutto il tema della famiglia richiedere subito un dialogo fra questa commissione e la commissione mista per lo schema 13, al fine di avere una esposizione completa e armonica di tutta la dottrina cristiana, fatta al momento opportuno.

3. Un amico lettore e consigliere mi ha manifestato la seguente impressione: alla stesura dello schema pare soggiacere un pericoloso fondo psicanalitico.

48

EXC.MUS P. D. MARCELLUS RIOPEL

Episcopus tit. Neocaesariensis in Syria, aux. Rhedonensis

Articulus ille 64 generaliter placet, quia Ecclesiae summam doctrinae praebet; attamen, utiliter accipere aliquot complementa possit et in clariore ordine composita esse.

1. Pag. 50, lin. 15. Convenit quamdam difficultatem in dies frequentiorem in huius temporis mundo evocare, quae est coniugum separatio. Inde: « S. Synodus novit incommodo coniugum per maius minusque tempus, sive opificii causa, sive per bellorum effectus, sive propter alias rationes seiunctorum; novit etiam ipsos cohabitantes saepe multis... ».

2. Pag. 50, lin. 17. Inter adiectiva « oeconomicis » et « socialibus-psychologicis », addere: « physiologicis »; quia coniuges saepe et gravis difficultatis causa valetudinis incommoda praeferunt.

3. Pag. 50, lin. 18. Loco: « permanentibus », melius videamus: « non sufficienter superatis »; quia realitas sic verius significatur.

4. Pag. 50, lin. 3, in initio, post: « Coniuges, vitae ministri Deique cooperatores », introducere: « amore tum mutuo tum erga filios fulti, continentia a B. Paulo commendata (*1 Cor.* 7-8) ad tempus quandoque utentes... »; quia his verbis revocatur quomodo in corde suo coniuges ad recte agendum su-

stentari possint simulque revocatur moralis valor liberae ad tempus continentiae.

5. Eadem pagina: Ut eadem tertia alinea sequentem finem habeat optamus: « Ad quam voluntatem divinam in ipsa natura clarius detegendam et penitus perspiciendam, S. Synodus cohortatur peritos scientiarum biologicarum, psychologicarum, medicalium, socialiumque ut cum theologis et ipsis coniugatis adlaborent », quia hoc scripto clare exponitur voluntatem Dei in natura ipsa partim significatam esse ac in ea quaerendam; quia etiam investigationes peritorum coniugumque communes fortius commendantur.

6. Eadem pagina, lin. 40: Ad quartam alineam faciendam, proponimus: « Facultas humana generandi... plenamque ubertatem suam attingere, necnon opinioni publicae magnam germanam amoris coniugalis aestimationem inculcare valeat », quia ultima huius scripti pars melius in hoc loco convenit quam in pag. 49, linn. 3 et 4.

7. Pag. 51. Item, convenienter quinta alinea adveniat effecta ex ultima alinea art. 60, pag. 47. « Christifideles, praesens tempus redimentes atque aeterna a mutabilibus formis discernentes, bona familiae, tum propriae vitae testimonio tum concordi actione cum hominibus bonae voluntatis, diligenter promoveant, et sic, interceptis difficultatibus, providebunt familiae necessitatibus et commodis, quae novis temporibus conveniunt », quia haec verba ad vitam in familiae sinu protegendam attinent.

8. Pag. 51. Item etiam, sexta alinea efficiatur ultima alinea art. 61, pag. 48. « Parentum ius procreandi prolem eamque educandi, prae ceteris in religione, secundum propriae conscientiae praecepta, omnino in tuto ponatur. Civilis autem societas, quae tunc floret cum ipsa floret familia, sanctuarium familiae omni quo possit modo revereatur atque inviolatum servet, necnon prosperitati omnique incremento societatis domesticae faveat ». Eadem ratione ac supra.

9. Pag. ultima huius articuli. Ille articulus utile terminetur revocatione doctrinae de familiali apostolatu conciliaris. Unde: « Variis supradictis modis familiae christianae, pro sua parte eas efficient apostolatus formas, quas laicis commendavit S. Synodus tum in « Constitutione de Ecclesia » Christi, tum in decreto « de apostolatu laicorum ». Et, secundum Dei voluntatem, homines, ad Eius imaginem facti et in vero ordine personarum constituti ut Christum, vitae principium sequantur in sacrificiis et gaudiis vocationis suae, meliores fient testes illius mysterii amoris, quod Dominus morte et resurrectione sua in mundo revelavit ».

[*Subscripserunt etiam*] *Cf. pag. 167.*

49

EXC.MUS P. D. DINUS ALOISIUS ROMOLO

Episcopus Pisciensis

Quod ad matrimonium et familiam attinet, mihi opportunum videtur mentionem fieri in schemate nostro de filiis adoptivis, ubi loquitur de coniugibus sine prole.

Quae mentio duplici fini esset: sive ad obtinendas a reipublicae moderatoribus faciliores et simpliciores leges super adoptione, sive ad hortandos coniuges renuentes ut filios adoptent.

Alicubi, namque, leges de pueris adoptandis tot scatent difficultatibus ut ab hoc incepto ipsos coniuges arceant. Neque desunt qui, licet carentes prole unum vel plures filios alere possint, adoptare tamen nolint egoistico spiritu imbuti.

Mentio ideo de nobilitate et utilitate sociali adoptionis efficax evaderet pro utroque casu.

Magis quam nunquam aetate nostra plene vindicatur humana dignitas illa quae pro nonnullis personarum coetibus usque nunc aut negligebatur aut saltem minoris faciebatur. E quibus coetibus sunt pueri et maiori aetate non pollentes.

Nostrorum siquidem temporum peculiaris elucet nota qua dignitas personae humanae puero vel ab incunabulis plene agnoscitur. Eius enim humana persona, quo magis formanda et fovenda est, eo magis tutela, amore, adsistentia et protectione indiget. Quae omnia connectuntur cum incremento scientiarum medicinae, psychologiae, paedagogiae, sociologiae, etc. ...

Inter graviora testimonia de iuribus infantium ac minorum aetate, haec praesertim recolenda sunt:

1. Declaratio super puerorum iuribus quam unanimi voto Nationum Coadunatarum Coetus, qui O.N.U. dicitur, die 20 novembris 1959 approbavit.

2. Litterae Encyclicae *Pacem in terris*.

3. Charta socialis Europaea.

4. Congressus internationalis de puerorum iuribus, quem indixit sic appellatum « Bureau International Catholique de l'Enfance » et « Office International de l'Enseignement Catholique » (Beryti, 16-23 aprilis 1963).

5. Congressus Internationalis « Perspectives chrétiennes sur l'adoption » indictus a « Bureau International Catholique de l'Enfance » habitus Luxemburgi diebus 1-3 novembris 1963.

Ceterum, naturalis familia immediate patet tamquam medium princeps et numquam substituendum pro sana et normali educatione physica, psychica, intellectuali, morali, spirituali et sociali sive infantis, sive pueri, sive adolescentis. Infans, enim, iam ab ipsis vitae primordiis indiget constanti et ama-

bili cura quam ei praebet mater vel qui eius vices gerit. Quod ad rem attinet physicam, psychicam, intellectualem, moralem, spiritualem et socialem, pessimi noscuntur effectus qui proveniunt e carentia maternae curae, vel e subitanea receptione puerorum, quamvis ad breve tempus, in aliquod asylum aut brephotrophium. Reapse, vel optimum ex huiusmodi institutis numquam substituere potest communem familiam, praecipue cum puer tenerae aetatis adhuc est.

Qui effectus denuo insurgent cum adoleverit. Difficile nempe boni erunt genitores qui ab infantia, pueritia, adolescentia vitam degere coacti sunt extra familiam, sine amore et protectione suorum parentum tam legitimorum quam adoptivorum. Iuxta censum hodiernum in catalogo potius delinquentium et meretricium numerantur saepe qui sine familia adoleverunt aut a familia derelicti sunt.

Quocirca, si opportunum visum fuerit, humiliter propono ut in n. 60 praesentis schematis, aut alio numero primi capituli huius secundae partis, haec vel similia verba inserantur: « Auspicandum est ut leges minoribus aetate faveant qui, carentes familia vel derelicti, facilius recipi possint intra sana septa familiaria per adoptionem; itemque ut societas civilis et reipublicae moderatores animi sensus praecipue conferant ad hoc problema verae caritatis et humanae pietatis.

50

Exc.mus P. D. LADISLAUS RUBIN

Episcopus tit. Sertensis, aux. Gnesnensis

Proponitur collocare in schemate: *de Ecclesia in mundo huius temporis* post n. 64, cap. II: De dignitate integritateque hominis ab exitio per alcoholum aliaque toxica inducto defendenda.

I. *Plaga alcoholismi.* In nostris temporibus plaga alcoholismi in mundo sine dubio malitia sua effectibusque multa bella aliasque calamitates superavit. Secundum computationem O.N.U. vivunt nunc in orbe terrarum circa 2% (2 per centum) infelices alcoholici, quod aequat summam 60.000.000 (sexagies millena milia) hominum, qui gradatim ad interitum sui corporis et animae ruunt.

Quilibet eorum miseram reddit suam familiam, uxorem et liberos, qui saepissime in magna egestate et desperatione viventes, per ardentes lacrimas frustra petunt expectantque auxilium. Inter liberos potatorum vivunt nunc in mundo permulti debiles et complete imbecilles in numero supra 30.000.000 (tricies millena milia), qui etiam nec precari neque conqueri possunt, sunt tamen homines.

Ex alcoholo profluunt maxima ex parte, ut experientia quotidiana docet, causae criminales. In publicis iudiciis recensentur crimina in numero 50-80%

(per centum) cum usu potus alcoholici peracta. Ruina sanitatis corporis, perversio psychica et moralis, temporalis et aeterna tam multorum pernicies en horribiles effectus, qui voce magna clamant ad omnes homines bonae voluntatis, ut huic profluvio alcoholismi omni modo sese opponere satagant.

Concilium Vaticanum II non potest silentio praeterire tam nocivum et periculosum vulnus praesertim hodierni hominis. Attentos ergo debet facere ad hanc perniciosam pestem et hortare omnes tum in religionibus tum in civilibus negotiis versantes, quibus dignitas, sanitas et integritas generis humani cordi est, ut huic exitio humanitatis sese opponere cum effectu sciant. Insuper Concilium vult monstrare vias, quibus progrediendum est ad hanc universalem cladem debellandam.

II. *Veritas de alcoholo in memoriam revocanda.* Iuxta certas probatasque inquisitiones doctrinales scimus, alcoholum simul venenum et narcoticum esse. Qua venenum hominem eum utentem gradatim absumit et vitam eius notabiliter abbreviat. Qua narcoticum reddit hominem violentum, insanum et torpidum. Potator inter pocula non sentit dolorem intoxicationis, immo illusus narcotico, credit, crescere eius vim, sapientiam, bonitatem, dum revera omnia totaliter inverse procedunt.

Alcoholismus creat periculum humanitati ex eo, quod quaevis inordinata potatio alcoholi est imprimis toxicatio et corruptio systematis nervorum, isque violentissime incurrit in s. d. loca « minoris resistentiae », scil. in tenerrimos plexus nervorum, praesertim in cerebrum, inficit sperma humanum et alia debiliora organa. Singulae cellulae nervosae per alcoholum resolvuntur et suffocantur. Earum loco increscit s. d. glia, seu quaedam maltha organica, quae numquam adimplebit munus cellulae nervosae vivae.

Gradatim extinguuntur functiones psychicae, quod causatur a successiva corrosione gyrorum cerebri.

Hoc modo generatim reassumpto alcoholismus patrat damnum cumulative non solum in systemate nervoso sed etiam in iecore, renibus, corde etc. Eiusmodi corrosiones ex alcoholo inductae saepissime sunt insanabiles. Quo tenerior est organismus bibentis eo magis nocet ei potus inebriativus. Infantes inebriabuntur iam hac minutissima quantitate alcoholi, quae in ubera matris lactantis vel in uterum per sanguinem matris gestantis prolem inducitur.

Periculum imminet ex magnitudine intoxicationis alcoholicae, quae dimetitur hodie non quantitate ingurgitati liquoris, sed ex relativa praesentia alcoholi in sanguine hominis. E. g. parva quantitas 10 cm^3 alcoholi, quae in sanguinem dirigentis vehiculum mechanicum inducta fuerit, sic notabiliter minuit celeritatem et acumen eius mentis, ut data occasione difficultatis in via, idoneus efficitur conterere currum cum vita sua et omnium comitantium.

Specialiter docti in hac re medici non sunt ausi stabilire tam parvam portionem potus alcoholici, quae nemini noceret.

Per crebram potationem adducitur homo ad periculosam et saepissime insanabilem consuetudinem bibendi, quae torquet illum indomita fame potus alcoholici. Haec fames in specialibus nosocomiis curata aliquantum sedari,

sed nunquam extingui potest. Ideo numerosi sanati alcoholici tam facile recidivi fiunt.

Intoxicationes alcoholicae parentum transeunt in eorum liberos in forma diversissimarum mutilationum tam in corpore quam in mente usque ad quartam progeniem.

III. *Quid in hac re faciendum?* 1. Alcoholum est toxicum speciale: nocet et interficit hominem, attamen inadvertenter et cum voluptate ei illata. Inde habetur fallacia opinionum subiectivarum et propagationis narcoticae eorum, qui per miseriam humanam ditescere contendunt. Periculosa est inebriativa potatio, sed periculosior in hac materia ignorantia non solum apud notorios potatores, sed etiam apud doctos, quae cum omni vi expugnanda est.

2. Sparguntur tunc impune opiniones nocivae tum homini individuo tum societati; ad has finiendas constituantur in Seminariis Dioecesanis, Universitatibus et praesertim in Universitatibus Scientiae Medicae cathedrae alcohologiae, quae rem scientifice tractent, eamque tum iis, qui studiis dant operam, tum in popularibus conferentiis et expositionibus multitudini declarent, doceantque simul omnia opportuna remedia ad vitandum malum alcoholismi adhibere.

3. Pastoralis Ecclesiae in hac re expositio eo tendat, ut sciant omnes: abusum potus et narcoticorum, qui qualicumque modo physice, psychice et moraliter homini nocent, vitare necesse est. Omnes conatus societatum associationumque antialcoholicarum, quae iam multum in elapsis annis in expugnatione alcoholismi fecerunt, non esse intermittendos, sed omnibus mediis promovendos abstinentiamque in educatione, praesertim iuventutis, propagandam.

4. Potestas Civilis debet specialia Instituta fundare ad praecavendos et sanandos in eis homines miseria alcoholismi afflictos.

5. Actio caritativa Ecclesiae catholicae debet praecipua largitate sua adiuvare familias liberosque ex matrimoniis alcoholicorum natos.

6. Potestatis Civilis est productionem et venditionem alcoholi in omnibus eius formis certis legibus definire sanctionesque necessarias adhibere, quae usum eius limitent et difficiliorem reddant, ne productio alcoholi privatis libere relinquatur. Neve etiam Civitas ipsa ex productione alcoholi monopolium creat ad capienda pecunia destinatum. Tales enim quaestus ex sustentata hoc modo misera fame potus alcoholici collecti ad bonum commune non conducunt.

7. In praxi pastorali laudanda est abstinentia, quae ut magna virtus christiana colatur et propagetur.

8. Christifideles debent plus orare, praesertim in certis temporibus, e. g. tempore Quadragesimae, pro expiatione et conversione potatorum, ut mundus sobrior fieret.

51

EXC.MUS P. D. PAULUS RUSCH
Episcopus Oenipontanus

In hoc capitulo multoties dictum est, non distingui inter finem primarium et secundarium matrimonii, quod tamen necessarium sit.

Textus maneat, sicuti est. *Ratio*: in hisce complicatissimis rebus Commissioni Papali via reservanda est libera, ut in nostris condicionibus omnino novis solutio inveniri possit.

De cetero accedo his, quae exc.mus D. Reuss, ep. aux. Moguntiacus, tamquam emendationes proposuit.

52

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SAMORÉ
Archiepiscopus tit. Ternobenus

Addatur quod lege divina vir constituitur caput familiae (*Eph.* 5, 22). Inseratur clare doctrina traditionalis de finibus matrimonii.

Proponatur, praeterea, doctrina catholica de onanismo, sterilizatione eugenica et contraceptione; melius esset hoc capitulum omnino supprimere quam de vitiis silere!

53

EXC.MUS P. D. ANDREAS SANA
Episcopus Akrensis Chaldaeorum

A propos du premier chapitre de la seconde Partie, où il s'agit de « La dignité du mariage et de famille », je parle de l'indissolubilité du mariage. Je m'empresse de dire que je ne veux pas porter atteinte à cette indissolubilité.

A vrai dire l'indissolubilité du mariage crée parfois de très grandes difficultés dans la vie familiale. Cependant ses avantages, on ne peut le nier, sont beaucoup plus que ses inconvénients.

En Orient il y a un cas, qui ne se présente guère en Occident: c'est l'apostasie d'une des deux parties. Les cas ne sont pas rares en orient, où un des époux quitte, non seulement l'autre époux, mais aussi la religion chrétienne; et adhère à une autre religion. En d'autres termes: il apostasie; puis, il se remarie dans sa nouvelle religion. En ce cas que fera-t-elle la partie chrétienne? Sera-t-elle condamnée à passer le reste de sa vie, célibataire, elle qui n'est pas appelée à cet état? En fait, très rares sont les cas où la partie chrétienne se résigne et reste dans la loi. Le plus souvent, ou même presque toujours, la partie catholique abandonnée passe à une autre Eglise chrétienne

orthodoxe, qui lui permet de se remarier. Et si elle hésite devant ce pas si difficile, du moins, elle passe sa vie dans le désordre et la débauche.

Il me semble que le cas d'apostasie entre dans le privilège Paulin. Rappelons le texte de St. Paul dans Première Epitre aux Corinthiens Ch. VII 12-16: « Si un frère a une femme non croyante qui consente à cohabiter avec lui, qu'il ne la renvoie pas. Une femme a-t-elle un mari non croyant qui consente à cohabiter avec elle, qu'elle ne renvoie pas son mari ..., mais si la partie non croyante veut se séparer, qu'elle se sépare; en pareil cas le frère ou la sœur ne sont pas liés... Dieu vous a appelés à vivre en paix. Et que sais-tu femme si tu sauveras ton mari? Et que sais-tu mari, si tu sauveras ta femme? ».

Il est vrai che l'Eglise Catholique n'a fait entrer jusqu'à présent dans le Privilège Paulin que le cas d'un chrétien de naissance; et celà, parce que, quand se formèrent la théologie et l'exégèse catholiques, l'Eglise catholique était presque exclusivement en occident, où cette sorte de cas n'était pas à envisager. Par contre en orient où vivaient les Eglises Orthodoxes parmi les non croyants, il fut donné à cette difficulté une réponse affermative.

Analysons brièvement le texte précité de St. Paul, et nous verrons qu'il s'applique aussi à notre cas d'apostasie. En effet, la « Partie non croyante » de St. Paul signifie: qui n'a pas la foi chrétienne. Par ailleurs que signifie le terme « apostat »? Celui ci n'est-il pas celui qui a renié sa foi chrétienne? Et celà non seulement théoriquement, mais en fait; puisqu'il abandonne le christianisme avec ses dogmes, sa loi et ses œuvres et il adhère à une autre religion dont il croit aux dogmes et accomplit la loi et les œuvres. L'apostat devient donc vraiment la partie non croyante. Il est vrai qu'il a toujours le caractère baptismal, qui est indélébile. Mais en fait, n'ayant plus, ni la foi chrétienne ni les œuvres chrétiennes reste-t-il encore chrétien? Et peut-il encore être appelé chrétien?

La différence entre l'apostat et la « Partie non croyante » de St. Paul est que: l'apostat est un non croyant, qui était un certain temps croyant; tandis que la Partie non croyante de St. Paul a été toujours non croyante. Et encore celà est une interprétation, parce qu'on ne voit pas comment cette nuance serait impliquée dans le texte de St. Paul. S'il y a donc une différence, c'est la question du temps, i. e.: depuis quand la partie est non croyante; et encore si cela peut être prouvé. Est-il raisonnable d'écarter cette difficulté du Privilège Paulin à cause de la question « Quand à commencé la non croyance? ».

Maintenant, voyons les causes qui ont porté St. Paul à faire ce Privilège. L'Apôtre en cite deux, la première, la Paix familiale: « Dieu vous a appelés à vivre en paix ». Et la seconde, le salut de la partie non croyante: « Et que sais-tu femme si tu sauveras ton mari? Et que sais-tu mari, si tu sauveras ta femme ».

Quant à la première cause, i. e. la paix familiale; quelle paix reste-t-il à la malheureuse partie chrétienne abandonnée? Pourra-t-elle vivre dorénavant en paix dans la situation où elle se trouve? La paix pour elle serait apportée

par le déliement de cet époux-monstre auquel elle se voit liée par la loi et pour toute sa vie. La paix lui serait complétée par un nouveau foyer qu'elle pourrait former.

Et quant à la seconde cause, i. e. le salut de la partie non croyante, je dis, non seulement la partie croyante ne peut avoir aucune influence de salut sur la partie non croyante, qu'elle ne peut plus atteindre, mais elle risque fort, elle-même, de se damner dans la situation illogique et tragique où elle se voit abandonnée.

Je demande donc que ce Sacro-Saint Concile Oecuménique Vatican II revise l'attitude de l'Eglise Catholique à l'égard de la partie chrétienne dont l'époux apostasie, et que l'Eglise considère son cas appartenant au Privilège Paulin.

54

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

In n. 61, ubi sermo est de matrimonio, oportet ut lucide exhibeantur etiam virtutes consortium coniugale foventes, uti humilitas, patientia, mansuetudo, spiritus sacrificii cum reliquis.

In n. 63 sermo noster dirigitur ad omnes homines et cum dicimus ad coniuges spectare « prolis numerum secundum Dei dona verique amoris indicationem determinare », datis ideis vigentibus, periculum exsurgit ne omnes obliviscantur cautelas quibus superius doctrina munitur. Inculcetur illam prolis determinationem debere fieri quin violetur lex christiani coniugii, ut Dei voluntas in omnibus adimpleatur.

55

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Ad nn. 60 ad 64. Ce chapitre sur le mariage, au milieu des autres, détonne et provoque déception. Manifestement sa rédaction est embarrassée. Le passage le plus significatif de cet embarras est le paragraphe central du n. 62, pag. 48, lin. 37 à pag. 49, lin. 2.

Ne semble t-il pas résulter de cette présentation du mariage chrétien, au monde d'aujourd'hui, qu'il ne serait accessible qu'à des hommes et à des femmes ayant atteint une vertu exceptionnelle, et la préservant chaque jour avec le secours indispensable des grâces divines quotidiennes qu'ils doivent obtenir par leur prière?

Il pourrait donc sembler qu'il y a d'une part les chrétiens pleinement

fidèles pour lesquels le mariage « chrétien » est l'institution requise, et d'autre part la grande masse des autres pour lesquels alors il devrait donc exister une institution mieux adaptée à la vertu moyenne et à la morale commune ...

N'en revient-on pas, à la conception d'un petit troupeau privilégié à préserver et à sanctifier ... en renonçant à parler pour tous, et à offrir au monde d'aujourd'hui tel qu'il est réellement, une morale, une conception de vie, des institutions, qui peuvent rencontrer au moins une large adhésion de principe?

Il est trop évident que la conception chrétienne du mariage exige pour être vraiment vécue, la foi, la prière, la grâce. Mais n'en est-il pas ainsi de la conception chrétienne du travail, de la propriété, des rapports de classe, de l'autorité publique, de la paix etc. ...? Cependant au lieu de dire: la conception chrétienne du travail (par exemple) exige une vertu peu commune qui ne peut être que le fait des chrétiens fidèles appuyés par la prière et la grâce, et il y aurait donc d'une part les travailleurs chrétiens fidèles, d'autre part la masse des travailleurs.

Vous dites communément: la conception du travail qui est celle de l'Eglise est proposée à tous les hommes et à toutes les sociétés, en ajoutant ensuite: de cette conception du travail qui est celle de l'Eglise, les travailleurs et les patrons catholiques doivent donner partout le meilleur exemple ...

Serait-il impossible de procéder de même, en ce qui concerne le mariage? Autrement dit de présenter la conception chrétienne du mariage, comme répondant aux vrais besoins de toutes les personnes et de toutes les sociétés, en ajoutant: de cette conception générale du mariage que l'Eglise propose à tous les hommes et à toutes les sociétés, les catholiques devront et pourront donner le meilleur exemple.

Sans doute en résulterait-il ensuite, lorsqu'il s'agira d'aborder les difficultés morales, juridiques, sociales — posées par l'institution sainte du mariage dans le monde d'aujourd'hui, une approche différente des interdits moraux et des dispositions législatives qui peuvent s'imposer ou être acceptées ici ou là. Mais n'est-ce pas en définitive ce dont il s'agira, si l'Eglise et les Catholiques veulent non pas s'isoler mais offrir leur doctrine et leur morale au monde d'aujourd'hui ...

Il est à craindre que le Chapitre I ne déçoive tous ceux qui attendent en une matière si délicate mais si essentielle — autre chose qu'une simple réaffirmation des principes traditionnels de l'Eglise sur l'indissolubilité absolue du mariage, et son ordonancement principalement en vue de la procréation et de l'éducation des enfants ...

Ce chapitre ne paraît pas de nature à amorcer un dialogue, ni à souligner des points de convergence avec d'autres. Au contraire il semble vouloir affirmer qu'il y a là un domaine privilégié réservé aux seuls chrétiens, et qu'il leur faudrait entourer de barrières pour l'isoler et les préserver de la morale commune des hommes de bonne volonté qui peuvent exister hors de l'Eglise dans le monde d'aujourd'hui. Pourquoi faire de ce chapitre, et de lui seul,

essentiellement et seulement un rappel rigoureux des principes et une exhortation adressée aux fidèles? — plutôt qu'un énoncé d'institutions, de règles morales, d'orientations générales — qui peuvent rencontrer l'adhésion commune (comme il en est dans les chapitres suivants)?

56

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER

Episcopus Purwokertensis

Scimus omnes nos, in mundo huius temporis, parentes fere omnes praepediri difficultatibus in generando et educando prolem propter difficultatem « super-populationis » in fere omni parte mundi.

Schema iam progressit in praxi-pastorali catholico, nunc suadendo sic dictam « planned parenthood », sed media ad practicandam planificationem in generando, sicut methodus cyclorum, vel temperaturi, vel pillolus, non sunt ita securi et etiam a medicis propter rationes psychologicas et biologicas dissuaduntur.

Propter enuntiatum-auctoritativam in Encyclica « Casti Connubii » fere omnes nos Patres inhibiti sunt, aperire mentem, super medium contra-ceptivum-mechanicum, in processu commeatu sexualis, sed crisis-conscientiarum et praxis illegalis multorum fidelium, me urgent ad publice re-evaluendum theoriam et praxim hucusque in Ecclesia valentem, hac in re.

Silentium-reverentiale, in facie crisis-conscientiarum, mihi non permissibile apparet, quare « non possum, non loqui », sed semper paratus ad me subiciendum auctoritati-competenti, dubio-soluto.

Inde, statuo quod in mundo christiano catholico adest « dubium-practicum » de moralitate et liceitate usus « mediorum-mechanicorum contraceptivorum » in certis circumstantiis et cum rationabilibus-causis sicuti sunt « Indicatio medicalis, socialis, psychologica, oeconomica ».

A Concilio petitur solutio-auctoritativa, licetne an non? Textus schematis, quaestio evadit, dicendo in nn. 63 et 64 quod parentes ex una parte numerum prolis determinare valent, conscientia sua bene formata et *ex lege Dei informata,* et iterum alio in loco quod coniuges « legi divinae inhaerentes » ... etc. Sed praecise in hoc est dubium practicum parentum, quid sit de facto « Lex divina hac in re »?, et est etiam difficultas confessorum.

Quia schema in pag. 50, lin. 25 dicit, quod sunt qui his difficultatibus solutionem faciliorem temere afferunt, mihi liceat cum omni humilitate, quasdam considerationes proferre, qui meo iudicio quamquam certe non definitive vel perfecte (non sum Doctor iuris), tamen satis persuasive ostendunt, theoriam et praxim hucusque valentem re-evaluandas esse.

1. S. Scriptura: Mihi et aliis mecum videtur, quod unilateraliter insistitur in textu Geneseos capitis primi versus 28 « masculum et feminam creavit eos.

Benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam ... ».

Cum notus exegeta Renckens notat, quod et in ordine « temporis quam intentionis » primo loco insistendum est in textu Capitis 2 versu 18 ss. « Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi » et v. 22 « et aedificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, ... quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una ».

Concludit exegeta: Creatio feminae in intentione Dei est « adiutorium praestare viro in comeatu humano, intima unio sexuum quae se manifestat in unione carnis " amore incarnato " », *post hoc* venit « mandatum » de procreatione generis, usque terram sit « plenam ». (Notitia mea « terra nunc relative iam plena apparet ».)

Concludunt viri illi: Finis primarius matrimonii, ex intentione Creatoris est in hoc, quod vir et mulier sint sibimetipsis in mutuum adiutorium quotidianum, se amando ad modum sexuum etiam « in carne » soli etiam amoris-causa, quod autem functio procreationis nunquam excludi valet a contractu-matrimoniali quamquam non in singulis actis sexualibus aut attingitur aut etiam intenditur, propter rationes graves et moraliter i. e. humaniter, sufficientes.

Et accedo ad conclusionem talem.

2. *Natura rei*: Dicitur quod actus sexualis completus vel copula, numquam frustrari licet a fine suo naturali, quod est possibilitas-procreationis.

Responditur quod in ipso processu naturali, ab ipsa natura milliones ex seminibus intrantibus frustrantur a sua fine naturali, et pereunt, obiecto non obtento, et ideo ipse actus non fit illicitus humaniter.

Responditur secundo: quod finis actus sexualis-completi, non tantum est in functione generifica, sed primarie in signo et testimonio amoris-humanae ut dicitur in Genesi cap. 2 v. 24 et ideo negatur praesuppositum et consequentiam, vel melius forsan dicitur: finis biologicus actus copulationis non obtenetur, ex intentione agentis, licite tamen si cum rationibus gravis et sufficientibus; finis humanus actus copulationis obtenetur, nempe amando, si vero non amando est velut bestialitas et actus inhumanus, ergo peccatum.

3. *Auctoritas Ecclesiastica*: Novimus quod praxis-confessionalis et pastoralis, et enuntiationes auctoritativae Magisterii, contradicunt contraceptionem mechanicam (cf. *Casti Connubii*); sed etiam novimus quod doctrina ecclesiae etiam in Encyclicis promulgata, quadam evolutione homogenea subiecta est, sicut patet ex evolutione-homogenea de « Virtute cardinali Iustitiae » in Encyclicis Socialibus « *Rerum Novarum, Quadragesimo Anno* et *Mater et Magistra* ».

Sic mihi absurdum aut inhonestum non patet, si etiam in sexualibus, obtentis novis factis et conscientiis in re biologica, psychologica et sociali, doctrina ecclesiae se evolveret, adimplendo ea quae antea minus notae erant non solvendo tantum.

4. *Conclusio praevisoria*: Ex supra valde succincte dictis, mihi apparet quod Synodus noster, propter conscientiam agitatam fidelium, dubium-practicum hac in re una vel altera via solvi debet, enuntiando quod ecclesia theoriam et praxim de vita matrimoniali et sexuali re-evaluabit, et in suo tempore regulas practicas enuntiabit.

Pro tempore unusquisque sequatur dictamen conscientiae suae, meliore modo quam par est formata, et pro diversis circumstantiis evolutionis culturae populorum et nationum a conferentiis nationalibus episcoporum directivis-moralibus adiuta.

Ne Christus iterum dicit de nobis pastoribus Novi Testamenti, quod olim dicebat de quibusdam Pharisaeis et Scribis, quod alligamus onera gravia et importabilia, et imponimus in humeros hominum, digito autem nostro nolumus ea movere.

Est propositum plane inorthodoxum, sed non possum non loqui in circumstantiis istis.

57

EXC.MUS P. D. ERNESTUS SENA DE OLIVEIRA
Episcopus Conimbricensis

N. 63. Si dicitur tantum sicut legitur in praedicto numero linn. 39-41: « coniuges... suum esse prolis numerum... determinare... communi consilio atque conatu... prudens iudicium sibi efformabunt intendentes salutem mentis ac corporis, dignoscentes temporum et status vitae conditiones tum paedagogicas tum oeconomicas ac denique rationem servantes boni ipsius familiae, societatis temporalis et Ecclesiae necessitatum », meo humili iudicio latae fores apertae manerent ad abusus.

Certum est quod sub eodem numero lin. 39 clare affirmatur: « Sciunt — melius mihi videtur *sciant* — coniuges in familia condenda et ducenda non ad arbitrium suum procedere sibi licere sed conscientia se regi debere quae lege Dei informetur... ».

Item clare dicitur linn. 42-43: « Qua in re iugi vigilantia et docilitate erga Deum ».

Sed etiam cum his omnibus cautelis, mea humili sententia, non sufficienter portae clauduntur ad plurimos abusus vitandos.

His dictis, mihi videtur tutius esse verbis illis « ... necnon suum esse prolis numerum determinare » haec verba vel alia similia addere: ... dummodo nihil faciant quod si contra naturam et nulla media adhibeant legi Dei contraria.

58

EXC.MUS P. D. IOSEPH STIMPFLE
Episcopus Augustanus Vindelicorum

Constitutio pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* tractat quidem quaestiones de matrimonio et de familia, sed de industria videtur evitare definitivam solutionem tantopere exspectatam problematis centralis, num scilicet liceat positive impedire in actu coniugali foecundationem. Textus enim propositus obiter tantum et per transennam eos alloquitur, « qui his difficultatibus solutionem faciliorem afferunt » (pag. 50, lin. 25).

Homines huius temporis legentes ista aut concludent Concilium Oecumenicum recessisse a doctrina traditionali, ab Encyclica *Casti Connubii* Pii XI, a verbis Pii XII, iamiam licere omnia, aut idem Concilium tandem in re matrimoniali iudicia reliquisse arbitrio atque conscientiae hominum: id quod Pastores Ecclesiae certe admittere nequeunt territi sequelis infinitis atque funestis.

Quae cum ita sint, propono, ut integra materia matrimonialis (et si placet problema belli atomici) eliminata a constitutione pastorali transmittatur Summo Pontifici, ut consulens peritissimos quosque, audiens etiam « Synodum Episcoporum » non nisi re omni ex parte perspecta — exemplum secutus Concilii Tridentini — suo tempore edat documentum maturum atque definitivum.

Magno enim damno esset Ecclesiae, si nunc in solemni consessu res difficillimas modo nimis levi quasi percurrentes responsum daremus mere provisorium, iam post paucos annos corrigendum vel retrahendum, perdentes ita radicitus fiduciam christifidelium.

Obsequendum ergo videtur consiliis ab A. R. P. Generali Societatis Iesu Arrupe expositis: conditiones sociales sunt quam accuratissime explorandae et analysi rerum instituta omnium terrarum fidelibus et pastoribus imponantur mandata clara, adaptata, fundata.

59

EXC.MUS P. D. IOSEPH STROBA
Episcopus tit. Aradiensis, aux. Gnesnensis

I. In n. 61 pag. 47, linn. 26-44 et pag. 48, linn. 1-13 demonstrantur effectus praesentiae Christi in sacramento matrimonii pro coniugibus et membris familiae christianae. Videtur mihi, auctores schematis prae oculis non tam matrimonium in mundo huius temporis habuisse, quod, uti experientia docet, praeter vim sacramenti in vita cotidiana dramaticis contentionibus abundare, sed quam potius matrimonium ideale in quo gratia Dei semper et sine impedimentis finem suum attingit. Talis demonstratio effectuum gratiae

sacramentalis censeo dialogum cum mundo hodierno faciliorem vix reddere, sed coniuges, qui in vita sua aliter effectus sacramenti experiuntur, potest taedio afficere.

Propterea opportunum mihi videtur, hoc loco in memoriam revocare fragilitatem hominis, quae ex peccato originali et peccatis actualibus oritur et necessitatem cooperandi cum gratia Dei.

Tunc idea matrimonii in schemate proposita coniugibus christianis uti magnum munus proprium vitae apparebit nec non aerumniis in matrimoniis spem quandam evocabit.

II. In n. 61, pag. 48, linn. 13-18 ius parentum ad prolem educandam, prae ceteris in religione, merito sublineatum est, quia hodiernis temporibus saepe negatur. Attamen omnes scimus, parentes ex diversis causis, de quibus in aula iam dictum est, saepe saepius ius suum nostris temporibus exercere neglexerunt.

Propterea necessarium mihi videtur in schemate officium parentum prolem educandi, prae ceteris in religione, in memoriam revocare.

III. In n. 62, schema dicit de amore coniugali et de necessitate eius elaborandi ex parte coniugum et hac in re educandi iuvenes. Verba haec adultos spectant. Attamen experientia docet iuvenes nostri aevi sensu omnino critico erga parentes ac educatores suos affectos esse.

Cum vero praeparatio iuventutis ad amorem coniugalem res permagni momenti sit, videtur mihi opportunum esse ut schema supradictum hac in re immediate sese ad homines iuvenes dirigat.

60

Exc.mus P. D. AEMILIUS TAGLE COVARRUBIAS

Archiepiscopus-episcopus Vallis Paradisi

a) N. 61, pag. 47, lin. 7, post « a Creatore condita » aggregetur « ut unam et indissolubilem ».

b) Pag. 47, lin. 11, post « quod vinculum sacrum non amplius e solo singulorum arbitrio » aggregetur « aut humana potestate ».

c) Pag. 47, lin. 23, post « Quae intima unio » aggregetur « ex institutione divina » et ex ipsa...

d) Pag. 48, lin. 24, loco « Ille amor utpote actus eminens et humanus », dicatur « vere humanus ».

e) N. 63, pag. 49, lin. 42, dicatur « secundum Dei dona verique amoris indicationem *per medios licitos* determinare »

f) N. 64, pag. 50, linn. 18-21, tollantur quia conscientiae cristianae clare apparet.

g) N. 64, pag. 50, linn. 21-24, tollatur quia non expedit ut ita dicat Concilium.

h) N. 64, pag. 50, lin. 25, loco « solutionem faciliorem », dicatur « illicita ».

i) N. 64, pag. 50, lin. 29. Antes de la frase « Vita igitur in utero iam concepta maxima cura tuenda est » se diga: « Existe el deber de la concepción de la vida según el orden natural, así como de la conservación de la vida ya concebida ».

61

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

I. Scopus schematis, afferendi mundo hodierno et suis structuris nuntium evangelicum, est omnibus laudibus dignus. Schema, praeterea, non pauca continet quae huic fini vere deserviunt.

Tamen liceat opinari textum quam multis non satisfacturum in mundo, cui dirigitur; et non magnam utilitatem esse allaturum. Potius quam laetitiam et solamen deceptionem producet multis alia spectantibus, immo et maerorem.

Eis, qui nomine catholico gloriantur et viris timoratis aliarum religionum, textus valde probabiliter nimis vacuus sensu supernaturali videbitur, et plus aequo in rebus mundanis, quae Deus disputationi hominum reliquit, sese immiscens. Tradens etiam doctrinas, quae vel non sufficienter maturarunt, vel non satis conformes Magisterio Ecclesiae, vel mutationibus sunt obnoxiae constanter. Tandem parum aptum ad actuales confusiones depellendas.

II. *Ad magis particularia.* Prima pars est obscura, impraecisa, nimia continens non satis connexa, neque inter se, neque cum illis quae in secunda parte traduntur. Propterea, ut iam dictum est in aula, oporteret, putamus, totaliter esse reficiendam.

Cap. I partis II, satius foret omittere et illam materiam relinquere S. Pontifici, qui significavit de illa iudicaturus et locuturus, si expediat, audita commissione mundiali virorum et mulierum ab ipso convocata. Nam quod mundus spectat de hac re matrimoniali, est praecise quod sibi reservavit R. Pontifex. De aliis nec curant homines, neque de his indigent.

Proponimus suprema delineamenta huius schematis reficiendi.

Pars I: proponantur principia generalia christiana in quibus innitantur solutiones ad problemata de quibus in secunda parte.

Huiusmodi principia haec esse possent:

1. Deus est pater omnium hominum, qui per gratiam in adoptione filiorum Dei nos constituit, et ad participanda bona divina caelestia et aeterna in regno Patris. Non abs re esset hic exponere doctrinam catholicam gratiae sanctificantis et sublimem dignitatem, quam homo per donum gratiae consequitur.

2. Ex praecedenti sequitur omnes homines fratres in Deo esse, et ut tales sese diligere debent sincero amore. Hoc ansam praebet exponendi praeceptum caritatis Christi et ad caritatem veram et practicam erga omnes homines provocandi. Haec doctrina christiana maximi ab omnibus aestimatur, et ut principium singulare relationum humanarum proponi debet.

3. Dignitas naturalis hominis etiam commemoranda est, ratione naturae intellectualis qua capax est ad libertatem exercendam seu ad dominium suorum actuum et ordinationem suae vitae, ad scientias et culturam excolendas. Capax est etiam ad elevationem ad ordinem supernaturalem et dona divina participanda.

Ad lumen istarum veritatum debent solvi problemata quae in secunda parte proponuntur per modum consectarii.

Pars II: 1. Agendum est speciatim de atheismo, communismo et materialismo, utpote maxime oppositi Deo et hominis bono.

2. De immoralitate, qua dignitas humana naturalis et supernaturalis pessumdatur.

3. De discriminatione omni vitanda, utpote opposita fraternitati universali.

4. Bellum ut horribile fratricidium damnandum.

5. Appetitus inordinatus divitiarum vel dominationis est respuendus utpote causa praecipua paupertatis et bellorum.

6. Aequa bonorum distributio inter individua et inter populos, salvo ordine et legitimo incentivo ad laborem, procuranda est.

7. Cultura et bona spiritualia etiam naturalia maximi aestimanda et promovenda sunt, quae etiam ad caelestia perducunt.

8. Politica christiana populorum veram dignitatem hominis et rectam libertatem provocans, procuranda est.

9. Ut individua, pariter nationes amicabili foedere consocientur et mutuo se adiuvent, ut vera et stabilis pax regnet in mundo, et felicitas et fruitio bonorum in terris possibilis, ad omnes extendatur. Ad hoc obtinendum non parum conferre posset auctoritas mundialis vere efficax, quae indolem particularem populorum non destruat, sed potius vereatur.

62

Exc.mus P. D. LUDOVICUS IOANNES TOMÉ
Episcopus Mercedensis

N. 61, lin. 40. Ita textus augeatur ut etiam dicat: « ... accedunt. Ad roborandum sensum Dei in sinu familiae maxime confert illa oratio qua omnia sua membra insimul in fide et caritate Deum colunt et Eius uberrimas benedictiones impetrant. Unde per ipsos etc. ».

[*Subscripsit etiam*] F. Vicentin, arch. Corrientes.

63

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS TRAPÉ
Prior generalis O.S.A.

Pars secunda schematis, quod iterum examini Concilii subicitur, laudem meretur non modicam tum ob intentum quem sibi proponit tum ob ingentes labores quos ad illud apparandum pertulit commissio, cui gratias debemus et ex corde reddimus.

Liceat tamen aliqua animadvertere, quae utilia esse possint ad ipsum schema perficiendum; duo praesertim, quorum alterum pertinet ad suprema doctrinae catholicae principia unde conclusiones defluunt ad diversa problemata solvenda necessariae, alterum vero ad praesentiam mali in mundo, cuius consideratio omitti non potest ne ipsa problemata solvenda male solvantur.

Quantum ad primum. Nihil est quod magis urgeat quam gravissima familiae humanae problemata pertractare eaque pro posse solvere, ut Ecclesiae filii sciant quomodo se gerant, qui vero extra Ecclesiam sunt discant quae sit eius doctrina quaeque eiusdem agendi ratio.

Unde est quod Ecclesia suae doctrinae principia proferre debeat, quae utpote aeterna perverti aut mutari non possunt, licet profundius intelligi possint, ut proficiente fidei intelligentia — utor verbis Summi Pontificis Pauli VI in Litt. Encycl. *Mysterium fidei* nuperrime editis — « ut proficiente fidei intelligentia maneat fidei immutabilis veritas ». Hoc autem exigit ut eadem fidei principia, licet breviter, clare tamen recolantur, unde appareat Ecclesiam catholicam nova problemata, quae progrediente scientia et humanae culturae apparatu proponuntur, solvere non ex opportunitate temporis, ut quidam calumniantur, neque doctrinam mutuando ex humanismo quodam laico, ut alii volunt; sed ex principiis divinae Revelationis, et quidem non eadem principia flectendo ad hominum vitia, sed vitia hominum corrigere satagendo ad rectitudinem principiorum.

Porro in schemate deficere videtur clara, licet concisa, expositio principiorum quibus solutiones ipsae reguntur. V. g. quae in capite primo ubi de dignitate matrimonii et familiae fovenda agitur, de amore coniugali et de « ascesi » christiana coniugum dicuntur pulchra quidem sunt, sed deest, quantum existimo, sufficiens expositio: *a*) de matrimonii finibus; *b*) de lege Dei qua coniugum conscientia in familia condenda et ducenda informari debeat; *c*) de natura humana peccati vulnere sauciata et concupiscentiis obnoxia, quae gratia divina sanetur oportet.

Nemo dicat haec principia esse a problematibus quae in schemate pertractantur remota, nam: primo, solutiones problematum ex his principiis deduci debent, nisi totum aedificium super labile fundamentum phaenomenologismi astruere velimus; secundo, de his ipsis principiis difficultates et dubia moventur.

Non est qui ignoret auctores illos qui novo modo de morali matrimoniali loquuntur saepe recurrere ad novam anthropologiam, quam dicunt existentialem, ut inde suas conclusiones deducant.

Nunc autem id quod fideles, apud quos novae doctrinae vel nova solutionum conamina sparguntur, scire volunt est utrum ea quae intrinsece mala esse, quia iure naturali prohibita, tam saepe pastores Ecclesiae dixerunt re vera intrinsece mala sint et prohibita; utrum anthropologia supernaturalis, quae in documentis ecclesiasticis continetur adhuc valida sit an derelinquenda.

Porro si haec dubia dissipare, si has difficultates solvere immaturum forte iudicatur, opportunum videtur totam quaestionem, quae inde pendet, tractandam omittere.

Quantum ad secundum. Explicitius instandum videtur in doctrina mali proponenda et secundum principia fidei catholicae dilucidanda, ut in problematibus solvendis sanum i. e. supernaturale aequilibrium inveniamus inter pessimismum et exaggeratum optimismum.

Mali enim quaestio non solum circa problema atheismi, ut sapienter notatum est, influxum exercet, sed etiam circa alia problemata quae in schemate tractantur: de familia, de re oeconomica, de pace.

64

Exc.mus P. D. MICHAEL VIAL
Episcopus Nivernensis

Pag. 47, lin. 8, inserantur illae propositiones: 61. Communitas coniugalis ... irrevocabili consensu personali instauratur. Pro suo momento, ab illa deliberata voluntate quae par est procedat sponsio matrimonialis, ut sit actus re vera humanus. Ideoque spondentes contra metum gravem iniuste incussum et calliditatem vel sollertiam ad decipiendum exhibitam efficacissime protegantur. Ita actus humanus ... *Rationes* insertionis:

1. Ut in lucem ponantur aliquae exigentiae congruae praeparationis nubendorum ad matrimonium et haec ratio est pastoralis.

2. Ut rectitudo et libertas consensus matrimonialis normis circumstantiis hodiernis vere accommodatis efficaciter tegantur.

3. Equidem de coactione non infligenda a parentibus vel tutoribus, pag. 49, linn. 17-20 schema loquitur. Coactio tamen provenire potest ab aliis personis ac parentibus vel tutoribus, v. g., non raro ab altero sponso infligitur ad matrimonium obtinendum. Ideoque monitio magis generalis necessaria videtur.

[*Subscripserunt etiam*] M. Maziers, aux. Lyon; G. Béjot, ep. tit. Cassandria; J. Patria, ep. Périgueux.

65

REV.MUS P. D. ATHANASIUS WELYKYJ

Superior generalis Ord. Bas. S. Iosaphat

Pag. 47, lin. 37. Omittatur dictio « veluti », quia non agitur de quodam « quasi » sacramento, sed, ni fallimur, de uno ex septem, quae profitetur Ecclesia catholica.

Pag. 48, linn. 6, 7, 10. Ponatur in praesenti indicativo, seu in forma praesenti narrativa: ideo « respond*ent* » (lin. 6), « assist*unt* » (lin. 7), « patefa*cit* » (lin. 10). *Ratio*: sunt consectaria quasi naturalia, et proinde non subiacent voluntati.

Pag. 48, lin. 14. Addatur: « ... secundum *legem Dei ad* propriae conscientiae praecepta ... ». *Ratio*: ut aliqua norma obiectiva etiam indicetur, ne in subiectivis maneamus; ius enim hoc ex voluntate est Dei, non ex sola hominis propria conscientia.

Pag. 48, lin. 26. Dicatur: « ... *suae* gratiae dono » loco « supremo gratiae dono ». *Ratio*: quia non recte intelligitur et nescio an non applicatur matrimonio qualificatio « supremi » doni, quod esset nimium.

Pag. 48, lin. 37. Compleatur textus: « ... significant *ac* fovent *et consilium Dei Creatoris humanum genus spectans explent* ». Amor ille ... *Ratio*: indicandus est hic profundissimus sensus matrimonii eiusque actuum.

Pag. 49, lin. 34. Mutetur: « ... matrimonium *finem suum* fundamentalem », loco « vim suam ». *Ratio*: quidquid sit, ex sterilitate naturali matrimonium revera e vi sua remittere aliquid nemo negare valet, finem tamen non amittit.

Pag. 50, linn. 26-27. Addatur adiectivum: « ... officium *gravissimum* atque munus ... ». *Ratio*: nunquam satis erit hanc rem inculcare et quidem verbis etiam vehementissimis, quae gravitatem demonstrarent quasi ad oculum homini distracto temporum nostrorum.

66

EXC.MUS P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Caput in genere est nimis verbosum, nimis caliginosum. Describit amorem sine sacrificio, disciplina, lege Dei et Ecclesiae.

N. 60: etiam divortium, filiorum derelictio, sterilizatio, contraceptio mentionem habeantur.

N. 60, pag. 46, lin. 31: gratis asseritur et triumphalismo sapit.

N. 62, pag. 48, linn. 19-25: haec verba citari possunt uti in favorem usus sexus ante matrimonium.

N. 63, pag. 49, lin. 42: omnino necesse est in hoc loco habere obligationem sequendi legem Dei et Ecclesiae. Haec omissio est valde periculosa.

N. 64, pag. 50, lin. 36: haec clausula, in sententia maximi momenti, non est clara. Quid de facto significant verba « quae ... manifestatur »? Quare haec doctrina in verbis nebulosis praesentatur? Cur non clare dicitur contraceptionem non permitti?

67

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

1. Caput « De Matrimonio et Familia » *non videtur omnino adaequatum sub aspectu pastorali.* Nec enim apparent in ipso omnia ista difficilia quaesita, quae ex parte hominum in matrimonio viventium nobis — qui utique pastores sumus — occurrunt, nec ad ipsa conamur respondere. *Non agitur de corpore doctrinae, sed de modo loquendi.* Modus enim loquendi in hac re rationem dialogi exprimere debet. Ad dialogum pertinet respondere quaesitis, respondere autem non hoc sensu tantum, ut ostendatur principium, i. e. doctrina, sed etiam, ut ostendatur ratio vel argumentum, in quo principium innititur. Talis modus loquendi proinde videtur esse necessarius, quia quaesita quoad matrimonium non solum sunt quaesita indolis moralis, sed etiam personam humanam attingunt in sua exsistentia quam maxime concreta, et in sua vocatione quam maxime personali. Oportet ergo *dialogum instituere non cum matrimonio in abstracto, sed quasi cum illis omnibus matrimoniis,* quarum sollicitudo pastoralis nobis inest, i. e. cum matrimoniis in Ecclesia et in mundo, quia matrimonium ut Sacramentum Ecclesiae sacramentum naturae praesupponit.

2. Circa problemata moralia matrimonii multae exstiterunt tempore Concilii opiniones et suggestiones. In istis opinionibus hoc unum potest esse praecipue periculosum ex parte moralitatis, quod solutio in problemate quam maxime personali et simul naturali modo potius artificiali exspectatur. Quaestio est de usu matrimonii. In usu matrimonii etenim unio personarum, mariti scil. et uxoris, *tunc modo revera personali perficitur, quando simul ordinis naturae respectum uterque habeat.* Ut ergo haec ambo, i. e. unio revera personalis et respectus ordinis naturae, actu sint, *opus est verae virtutis.* Haec est virtus caritatis, quae continentiam et debitam teneritatem in se connectitur. Numquam autem ipsa cognitio regularum naturalis foecunditatis nec etiam reflexuum, qui ad vitam sexualem pertinent, creabit perfectum in sensu morali usum matrimonii sine proportionato exercitio virtutum. Cognitio ista affert possibilitatem talis usus matrimonii, qui deliberatus vel conscientiosus vocari potest, qui etiam *quam maxime correspondet personae humanae dignitati.* Oportet exprimere votum scientificum, de quo em.mus card. Suenens locutus est. Scientia faciliorem reddit virtutem, si tamen in virtutem incorporetur.

3. Sumus in Concilio ut pastores animarum. Oportet nobis matrimoniis intra et extra Ecclesiam colloqui modo et lingua pastorali. Scimus — tamquam pastores — difficultates diversi ordinis, quae vitae maritali propriae sunt — prout scivit iam S. Paulus Apostolus (*Ep. ad Cor. I*). Profiteamur plenam significationem vitae matrimonialis eiusque sacram indolem ex gratia Sacramenti provenientem. Profiteamur etiam illam solidarietatem, quae in populo Dei, in familia humana, nos cum omnibus, qui in matrimonio vivunt, coniungit. *Responsabilitas, quae illis incumbit, est responsabilitas fundamentalis* quoad vitam et dignitatem personae humanae. Matrimonium enim et familia constituit illum *ambitum proprium, in quo persona humana diligitur.* Est schola dilectionis et caritatis. Oportet, ut isti dilectio et caritas — non tantum doctrina — ex parte Concilii ostendatur. Et in spiritu caritatis pastoralis invocemus etiam nominatim omnes istas vires ordinis naturalis et supernaturalis, quae viris et uxoribus in matrimonio praesto sunt. Ad nos pertinet explicare, *quomodo bonus usus matrimonii* correspondet bono usui intellectus, voluntatis et cordis, quomodo etiam *correspondet bono* usui gratiae sacramentalis. Saepe saepius fratres nostros et sorores in matrimonio invadit quaedam desperatio ex parte difficultatum moralium, qui statui eorum propriae sunt, unde etiam fides debilitatur saltem in praxi. Oportet, ut tamquam effectus capitis « De Matrimonio et Familia » haec ambo consolidentur: fides et spes.

68

PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES

N. 61, lin. 40: « ... accedunt. Ad roborandum sensum Dei in sinu familiae maxime confert illa oratio qua omnia sua membra insimul in fide et caritate Deum colunt et eius uberrimas benedictiones impetrant. Unde per ipsos... ».

[*Subsignaverunt*] J. card. Câmara, arch. Rio de Janeiro; J. card. Garibi, arch. Guadalajara; J. Pernicone, aux. New York; J. Byrne, arch. Dubuque; H. Thiandoum, arch. Dakar; G. Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa; M. Lemieux, arch. Ottawa; J. Bassoul, arch. Homs; P. Dalmais, arch. Fort Lamy.

69

PLURES EXC.MI EPISCOPI MEXICI

Schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* multa praeclara continet etiam in discusso cap. I partis II de dignitate matrimonii, sed sincere et audacter fatendum est idem essentialiter imperfectum, immo truncum esse ita ut multos decipere possit.

Quod homines nostro tempore praesertim exspectant a Concilio est sine

dubio clara doctrina de positione Ecclesiae respectu divortii perfecti et praesertim de restrictione filiorum in procreatione. Iam vero schema pulchra et vera affirmat de amore christiano, de unione coniugum, etc. etc., sed de quaestionibus gravioribus aut nimis per transennam agit, v. g. « indissolubilem eorum unitatem urget » (n. 61, lin. 25) aut simpliciter silet.

Iam ubique sparsum est a prelo unum ex PP. legitimum affirmasse divortium perfectum et legitimas novas nuptias in Oriente christiano... nullis distinctionibus adhibitis! Gravius erit altum silentium de restrictione natalitatis cum schema nihil indicet de rationibus cur non agat de hac quaestione et ridiculum est existimare omnes scire hoc problema reservatum esse Summo Pontifici, cum etiam sint episcopi qui in eorum dioecesibus affirmaverint Concilium certe de hac quaestione acturum. Altum silentium Concilii consequenter multi interpretabuntur de prudenti et tacita admissione onanismi coniugalis iuxta notum illud « Qui tacet consentire videtur ».

Unde, sicut iam nonnulli PP. aperte dixerunt, praesertim card. Heenan, subsignati attente postulamus ut Concilium aut nihil dicat de hac re aut aperte affirmet rem esse Summo Pontifici commissam.

[*Subsignaverunt*] S. Alcaraz, ep. Matamoros; E. Corripio, ep. Tampico; F. Cortés, ep. Chilapa; J. G. Padilla Lozano, ep. Vera Cruz; J. a. J. Tirado, ep. Ciudad Victoria; B. Carrasco, ep. Huejutla; F. Romo, ep. Torreón; A. Guizar, ep. Saltillo; A. Szymanski, ep. S. Andrés Tuxtla; J. Alba Palacios, ep. Tehuantepec; V. Alvarez Tena, ep. Apatzingan; C. Quintero Arce, ep. Ciudad Valles; J. Sepulveda, ep. Tuxtla Gutierrez; I. Arroyo, ep. Tux Pan; J. de J. Sahagún, ep. Tula; A. Sánchez, ep. Papantla.

70

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE ORIENTALIS

Circa totam hanc partem II maior sentitur difficultas: In prooemio spes excitatur schema afferre velle solutionem — in quantum fieri potest — problematum maxime urgentium huius temporis, vel responsum datum iri ad profundiores hominum quaestiones. At singula capita spem hanc gradu sat diverso implent.

Pag. 46 et seq.: De dignitate matrimonii et familiae fovenda. Caput hoc bonos aspectus circa matrimonium et familiam affert, at — quia problema centrale homines matrimonio iunctos et familias hodie premens, speciali Commissioni Pontificiae reservatum est — totum Caput ex aliquo defectu essentiali laborat. Ideo studendum est ut, ante finem sessionis IV, Commissio Pontificia resultata suae investigationis proponat, ut textui conciliari inseri possint.

[*Subscripserunt*] A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; G. del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; F. Mazzieri, ep. Ndolaensis; T. O'Shea, ep. Livingstonensis; F. Courtemanche, ep. Fort Jameson; A. Fürstenberg, ep. Abercornensis; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; J. Corboy, ep. Monze; C. Chabukasansha, ep. Kasamaensis; N. Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; R. Hillerich, praef. ap. Solwezi.

CONGREGATIO GENERALIS CXLI

4 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXLI

4 octobris 1965

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER, ep. tit. Prienensis, aux. Parisiensis, *Ss. Concilii subsecretarius*:

Missa S. Francisci cantatur ab exc.mo D. Cyro Silvestri, ep. Fulginatensi, prope Assisium.

Evangelium inthronizat rev.mus D. Clementinus da Vlissingen, Minister Generalis Fratrum Minorum Capuccinorum.

Cantus ad introitum et post epistolam concinuntur a schola; antiphonae ad offertorium et ad communionem: nn. 64 et 65; cantus ordinarii: nn. 75 ac sequentibus; *Credo*: n. 83; *oratio fidelium*: textus proprius distributus, melodia n. 87.

Fratres venerabiles, dum Summus Pontifex ad domum Nationum advolat, oremus pro eo atque cum eo. Utinam pacem in mundo huius temporis obtineat Franciscus pauper, humilis et pacificus!

[*Post Missam*]

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *Ss. Concilii subsecretarius*:

Venerabiles Patres, moderabitur hanc 141 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In hac congregatione, prosequitur disceptatio capp. II et III partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis.*

Ad cap. II verbo uti petierunt exc.mi ac rev.mi DD. Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis in Hispania; Augustinus Frotz, ep. aux. Coloniensis in Germania; Otto Spülbeck, ep. Misnensis in Germania; Petrus Veuillot, arch. coad. Parisiensis in Gallia; Elias Zoghby, vicarius patriarchalis Melchitarum in Aegypto.

Deinde fit transitus ad cap. III, circa quod verbo uti petierunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Siri, arch. Ianuensis in Italia; Beniaminus de Arriba, arch. Tarraconensis in Hispania; Paulus Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia; Ioseph Maria Bueno, arch. Hispalensis in Hispania.

Etiam petierunt exc.mi ac rev.mi DD. Eduardus Swanstrom, ep. aux.

Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis; Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Mar Gregorios Thangalathil, arch. Trivandrensis in India; Angelus Fernandes, arch. coad. Delhiensis in India; Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia; Villelmus Wheeler, ep. aux. Medioburgensis in Anglia; Villelmus Höffner, ep. Monasteriensis in Germania; Gerardus M. Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis in Canada; Secundus García De Sierra, arch. Burgensis in Hispania; Geraldus Mahon, sup. gen. Societatis S. Ioseph de Mill Hill; Carolus M. Himmer, ep. Tornacensis in Belgio; Emmanuel Larraín, ep. Talcensis in Chilia; Bernardinus Echeverría, ep. Ambatensis in Aequatore; Antonius Añoveros, ep. Gadicensis in Hispania; Carolus Parteli, ep. Tacuarembianus in Uruguay; Marius Castellano, arch. Senensis in Italia; et Albertus de Vito, ep. Lucknovensis in India.

Communico vobis, venerabiles Patres, inopinatum et piissimum obitum, sabbato elapso, exc.mi ac rev.mi D. Iacobi Navagh, ep. Patersonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis. Exsequiae celebrabuntur hodie in ecclesia romana S. Suzannae, hora 16, seu quarta post meridiem.

Etiam communico vobis piissimum obitum in Tosamaganga, in Tanzania, exc.mi ac rev.mi D. Attilii Beltramino, ep. Iringaënsis in Tanzania. Oremus pro eis.

Em.mus P. D. ACHILLEUS card. LIÉNART: *De profundis clamavi ad te, Domine...*

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis,* cap. II partis II)

1

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ
Archiepiscopus Matritensis-Complutensis

Venerabiles Patres,

Attente perlecto cap. II, « De cultus humani progressu rite promovendo », non possum quin vehementer doleam de eius frustratione, nam, etsi in intentione laudabile appareat propositum componendi culturam cum humanismo christiano, in exsecutione, i. e. in redactione, humiliter dicam, fortuna commissionem non semper, immo raro iuvit ...[1]

Humanus cultus, et eo magis progressus illius, ambivalens est: potest,

enim, homines ad Deum appropinquare, potest et homines a Deo divellere. Inevitabilis haec ambivalentia pro singulis hominibus, evitari potest pro communitate hominum si opportune ostendatur hominibus consilium Dei super cultus humani progressum. Illud, nempe, consilium quod nobis nosse datum est Revelatione et historia, quod hominis vitam illuminat, quod hominum aspirationes culturales replet.

Cultura opus hominis est et in ea evolvenda ac perficienda principaliores partes agit homo. Sed prima causa humanae culturae Deus Creator est, qui hominem ditavit intellectu, affectivitate, sensibus, manibus, in quibus omnes culturae fontes sunt.

Dei Creatoris consilium primo significatum apparet in Genesi ...[2] quando mandatum dedit hominibus de subiicienda et replenda terra et de dominandis universis animantibus. Cum Genesi concordant alii multi textus Sacrae Scripturae quorum unus saltem Sapientiae hic memorari liceat: « Deus patrum meorum... qui... sapientia tua constituisti hominem ut dominaretur creaturae quae a te facta est, ut disponat orbem terrarum in aequitate et iustitia » ...[3]

Dominari creaturis et orbem terrarum disponere in aequitate et iustitia unquam homo non potuisset nisi intelligentia et manibus fabrilibus praeditus non fuisset, nam permultae sunt creaturae quae vi sua, magnitudine sua et armis offensionis et defensionis suis hominem superant. Dum sapiens homo suis potentiis spiritualibus quaerit et invenit relationes et causas et leges nonnullarum creaturarum et quorumdam eventuum, ceterae creaturae legem sequuntur suorum caecorum instinctuum et orbis terrarum legibus physicis praestabilitis necessario subiicitur. Scire, tamen, quod Deus « omnia in mensura et numero et pondere disposuit » ...[4] non sufficit ut homo dominetur creaturis. Ibi, certe, in prima et, si vultis, infima prima cognitione rerum creatarum cultura hominum initium habuit. Sed post inventas saltem quasdam causas et rationes creaturarum, homo recordatus est manuum suarum et factus est multiformiter faber, i. e., technicus ut in ipso Genesi ...[5] videre possumus.

Non singulis hominibus, sed humano generi mandatum dominandi datum est et sceptrum dominationis dabitur. Hominum genus nonnisi lente et laboriose iter culturae et technicarum artium fecit, ideo et praecipue quia creaturarum rebellio consecuta est rebellionem humani peccati originalis. Sed ab homine primitivo praetechnico usque ad hominem supertechnicum hodiernum indesinens progressus culturae patet. Separatio et incommunicatio hominum causa etiam dicenda est illius lentitudinis, necnon diversificationis culturarum.

Progressus culturae technicae, qui eo maior est quo magis vires naturae creatae discooperiuntur et quo magis Dei insuperabilis ars technica

imitatur, attulit hodierno nostro tempori illam quam dicimus societatem et culturam multitudinum necnon socializationem eiusdem culturae, quae ut unum e signis temporum habenda est et ad christianam efformationem hominum magni aestimanda.

Aliquid adhuc et maximi momenti addendum puto necessarium: Non solum Deus Creator sed etiam Deus hominum Redemptor partes potiores habet in progressu humanae culturae: fructus et splendor Redemptionis ad ceteras creaturas extenditur quippe quae ad hominem ordinatae sunt: oeconomia Redemptionis assumit et in integrum reddit omnia humana elementa et omnes creaturas ad gloriam Dei et salutem hominis. Redemptio non eliminat rebelliones sed vim praebet homini ut rebellionibus dominetur. « Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc » ...[6], nam « revelationem filiorum Dei exspectat » ...[7] donec in dispensatione plenitudinis temporum instaurentur omnia in Christo sive quae in caelis, sive quae in terra sunt ...[8]

Denique, Redemptor Christus, nobis statuendo praeceptum maximum caritatis, functionem socialem simul statuit tum culturae spiritualis, tum culturae technicae. Omnia, enim, bona hominibus inservire debent et inter homines aequo gradu distribui oportet.

Sic concepta cultura humana, et humanismo christiano insignita et impregnata apparebit; et diversificatas culturas nunc vigentes sine violentia integrare in gloriam Dei et utilitatem hominis poterit; et iura obligationesque christianorum facile monstrabit; et suam sociologicam rupturam cum Deo et cum Ecclesia haud difficile impediet.

Post lineamenta huiusmodi vix indicata, conclusio per se fluit: opportunum esset totum cap. II ab imis iterum redigere ut humana cultura ad suum contextum, i. e., ad humanismum christianum redintegretur iuxta Dei Creatoris et Redemptoris consilium, nisi magis aulae conciliari placeat cap. II et totam II partem schematis ad commissionem postconciliarem amandare quia non decet Concilium de tanto themate tantillum documentum edere. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Videmur quandoque articulum legere pauci momenti; quandoque ut in III sectione programma et exhortationem non tam dignam Concilii quam ephemeridis cuiuscumque. [2] 1, 28. [3] (*Sap.* 9, 1-3). [4] (*Sap.* 11, 21). [5] (cf. 4, 20-22). [6] (*Rom.* 9, 22). [7] (*Rom.* 9, 19). [8] (cf. *Eph.* 1, 10).

2

EXC.MUS P. D. AUGUSTINUS FROTZ
Episcopus tit. Coradenus, aux. Coloniensis

Venerabiles Patres,

Ad n. 67 cap. II duas animadversiones breviter proponere intendo.

I. Textus schematis pleno iure cultus humani progressum pro omnibus hominibus postulat, quia hic non tantum saluti singulorum hominum et totius societatis servire potest, sed etiam signum est oboedientiae erga Deum Creatorem et Spiritum Evangelii Redemptoris nostri.

Textus tamquam auctores et artifices superioris cultus humani indicat « homines cuiusvis coetus vel nationis, dignitate humana et spirituali et sociali » praeditos. Sed hoc loco elementum essentiale, saltem humili meo iudicio, in textu adhuc desideratur: In processu enim evolutionis cultus humani homo non simpliciter ut homo agit, sed in concreto semper ut vir vel ut mulier.

Haec distinctio etiam quoad cultus humani progressum tanto pondere est et tam fundamentalis momenti, ut hic explicite nominari deberet. Deus enim creavit hominem virum et mulierem, et evolutionem indolis uniuscuiusque sexus propriae intendens, dedit eis totam creaturam visibilem tanquam signum sui amoris, ut eam communi labore ad finem suum praevisum recte dirigerent.

Deficientia autem vel influxus minus evolutae facultatis unius vel alterius sexus hunc finem a Deo intentum maculat vel etiam impossibilem reddit.

Sane [1] non loquimur ergo de quadam emancipatione *mulieris,* [2] quod male sonat et veritati non plene congruit, sed curam nostram sinceram exhibemus de recto ordine servando, in consiliis divinis fundato.

Non sufficit *aequalitatem* dignitatis viri et mulieris et aequale ius eorum ad cultum humanum assequendum statuere, sed pari modo necesse est, ut *diversitatem* indolis utriusque sexus in processu educationis et cultus humani promotionis plene agnoscamus. Sunt hodie rationes permultae, quae nos ad hanc considerationem cogunt. Si aequalitas viri et mulieris nimis extollitur et diversitas eorum negligitur, « nivellatio » quaedam sexuum exoritur, quae evolutionem indolis propriae viri et mulieris diminuit. Hoc factum hodie iam ut novum periculum pro cultu humano evolvendo observandum est.

Non ergo est unica quaestio, num mulier aequalitate dignitatis ac proinde aequalitate iuris cum viro gaudeat an non, sed quaeritur insu-

per, num mulieres indolem suam propriam et bene et specifice evolutam in toto ambitu hodiernae vitae exercere possint et revera exerceant.

Certe momentum fundamentale huius considerationis nondum a mundo moderno bene attenditur, Ecclesia non excepta. Proinde in nostro schemate pars mulieris speciali modo extollenda esset. *Et* [3] textus schematis ergo hoc modo forte emendandus esset, ut diceretur, viros et mulieres simul esse auctores progressus cultus humani cum uniuscuiusque sexus facultatibus bene et specifice evolutis.

II. Auctores ergo cultus humani progressus sunt viri et mulieres, matrimonio coniuncti vel non. *Et* [4] verum est, quod viri et mulieres uti caelibes viventes, saepe conditionibus melioribus gaudent, ut tempus suum et vires plus quam alii evolutioni cultus humani devovere possint et hac de causa pars eorum in cultus humani progressu evolvendo non parvi aestimanda est. Experientia, praeprimis Ecclesiae, nos docet, caelibatum viri vel mulieris etiam quoad cultum humanum promovendum, nullo modo deficientiam aliquam secum ferre debere, sed e contrario magnum auxilium praebere posse, praesertim si caelibatus hic ex superiore motivo, i. e. ex caritate erga Deum et homines libere eligitur.

Proinde hi viri et hae mulieres, sive in statu laicali, sive in statu sacerdotali vel religioso degentes, magna aestimatione digni sunt. *Quod* [5] factum ipsum autem etiam in dialogo cum mundo hodierno non parvi momenti est, de quo tacere non liceret. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

3

Exc.mus P. D. OTHO SPÜLBECK
Episcopus Misnensis

Venerabiles Patres,

Cap. II nostri schematis laudabili optimismo in campo scientifico imbutum revera novam viam aperit dialogo theologiae cum scientiis modernis, imprimis cum scientiis naturalibus et artibus technicis. Patet, auctores schematis noviter confecti vota Patrum sessione III prolata sedulo considerasse eaque pro posse implevisse. Omnibus membris commissionis mixtae pro ...[1] diligenti necnon accurato labore ex laeto corde gratias ago. Anxietas superata est: incipiat dialogus hilari animo!

Attamen ne in difficillimis et gravissimis quaestionibus ex incertitudine vel negligentia methodi solutiones obumbrentur necnon forsitan fal-

sificentur, liceat mihi methodum necessariam illustrare et a methodo apud nos saepius adhibita distinguere.

Exemplum sit interpretatio et applicatio textus insignis S. Pauli in eius epistula ad Romanos, cap. I, vers. 20. In illo textu apostolus contestatur inexcusabilitatem eorum qui Deum non cognoverant. Insistit apostolus: Potuerunt certe Deum cognoscere, quia invisibilia Dei a creatione mundi per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur. Veritas verbi S. Pauli semper et ubique vita hominum adprobatur, sed quaerendum est, utrum sit regula et methodus pro indagationibus scientiarum naturalium, an sit argumentum pro hominibus, qui creaturam non modo scientifico hodierno, sed modo concreto contemplant. Mihi videtur apud nos saepe saepius textus interpretari acsi methodum scientificam respiceret. Quae interpretatio impedimentum non parvum peritis constitueret.

Verum est, Concilium Vaticanum I declaravisse: Deus ex creatura mundi certe cognosci potest. Sed animadvertendum est, cognitionem mundi concretam cum scientia reflexa rerum naturalium non simpliciter identificari posse. Respiciatur methodus scientiae rerum naturalium et elucescit, quod textus nostri schematis modificationem requirit.

In mundo huius temporis scientia rerum naturalium imbuta est spiritu cartesiano, i. e. mathematico: contemplatio et interpretatio mundi hoc spiritu imbuta acquirit cognitiones secundum mensuram et numeros et pondus. Nos autem scimus ad naturam totaliter describendam et ulterius intelligendam alias quoque methodos requiri, quas autem hodierna rerum naturalium scientia abstrahendo non applicat, ne dicam earum oblita est. Modus mere mathematice et mechanistice cogitandi non indagat profunditatem rerum metaphysicam nec causas effectibus plene proportionatas; non inquirit v. g. in contingentiam et finalitatem rerum. Homo scientificus nostri temporis methodo cartesiana tam assuevit, ut facultas suae rationis respectu ad realitatem metaphysicam et realitatem fidei quasi morbo affecta diminuta esse videatur.

...[2] Qui homo scientificus suis investigationibus innisus eadem probationis vi sive ad existentiam Dei sive ad aeternitatem materiae inducitur. Mundus mathematizatus revera ex intimo ambivalens utrique interpretationi patet. Hominis scientifici autem est, quam interpretationem eligit: electio eius semper a decisionibus aliunde sumptis dependet. Contemplatio scientifica mundi eum non coget, nec Deum profiteri nec Deum negare.

Theologus autem quaerens dialogum cum mundo exacte cognoscat facta et conclusiones hodiernae rerum naturalium scientiae, quae ansam praebent et ad realitatem metaphysicam intelligendam et ad ulteriorem fidei praeparationem fovendam et ad fidem ipsam roborandam.

Astronomia v. g. hodie conatur evolutionem Universi scientifice illustrare et in hoc conamine loquitur de eventibus antifortuitis seu — ut dicam germanice — « Anti-Zufall ». Sunt eventus, qui nec fortuito nec legibus naturae declarari possunt, sed contra omnem computationem probabilitatum fiunt. Computationes horum eventuum iterum atque iterum factis confutantur. Ecce pro dialogo ansa ad philosophicas investigationes contingentiae et ad considerationes theologicas!

Biologia nostri temporis conatur evolutionem vitae illustrare et in conamine utitur verbo « Orthogenesis », quod verbum et quam ideam evolutionis finalisticae Teilhard de Chardin semper strenue et cum successu defendebat. Quae orthogenesis est evolutio genetica ad finem concretum praeordinata; etiam a materialistis ut cardo omnium problematum evolutionis agnoscitur ...[3]

Ecce alia ansa ad quaesitum colloquium! ...[4]

Hoc modo, immo: hoc modo tantum, praeiudicium superari potest: scientiam rerum naturalium debere infidelem esse. Pleno iure homo fidelis ratiocinia et aprioristica et falsa reicit, acsi scientia fidei opponatur. Ex altera parte fidelis non utatur argumentis in favorem fidei, quin eorum valorem scientificum caute perpendat. Tunc ipsa scientia rerum naturalium libenter accipit exploratorem et vere scientificum et vere fidelem.

Conclusionem cum emendationibus pro textu schematis scriptis dabo secretariatui Concilii.[5] Gratias.

In textu scripto tradito: [1] hoc. [2] Homo talem methodum unilateralem adhibens partem tantum creationis considerat, quae creatio autem — taliter restricta — se ostendit et perspicibilis et intelligibilis et sine Deo interpretabilis. [3] (vide Prof. HEBERER, *Studium generale* 1956, Seite 182). [4] Vir scientificus et vir theologus dialogizantes invicem adiuvare valent ad melius cognoscendum, quomodo creatura etiamsi mathematice consideretur, sine metaphysicis principiis in toto concipi nequit, et natura matematizata ex se viam ad inveniendum Deum non praecludit: viam de qua tractandum et investigandum non ad scientiam rerum naturalium sed ad theologiam spectat. [5] Conclusio: Propono ut schema in sequentibus partibus modificetur: 1. Explanatio relationis inter cognitionem theologicam et indagationem scientiae rerum naturalium ex prima parte schematis (ex n. 40 pag. 32, inciso 2 et 3) in secundam partem (n. 74) transferatur. 2. Quid nimis occulte et implicite de quibusdam animi habitibus a sana scientifica indagatione alienis (n. 40, lin. 23 ss.) exponitur, clarius — et si opportunum videtur, explicita mentione Galilei facta — formuletur et inseratur in n. 74 lin. 11, post verbum « possunt ». 3. Inseratur in n. 74 (pag. 57, lin. 15) post verba « technicorum artibus »: « Necnon cum reflexa cognitione ac proportionata cautaque applicatione diversarum methodorum investigationis et descriptionis ». 4. Inseratur in n. 74 (pag. 57, linn. 27-28) post verbum « postulant »: « servatis semper limitibus utriusque investigationis propriis ».

4

Exc.mus P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. c.i.s. Parisiensis

Venerabiles Patres,

In cap. II ...[1] multa *iam* [2] dicta sunt de Scientia hodierna. Sed textus qui ad Scientiam pertinent, nimiam moderationem prae se ferunt. Nunquam enim in eis clare advocatur Scientia, cum eius miri progressus sint unum ex maioribus aetatis nostrae eventis cumque hominum multitudines simul de benefactis eius laetentur, ampliores progressus exoptent ac tremenda consequentia timeant. Certo hoc caput cultores scientiarum decipiet, qui verba Concilii de tam gravi argumento studiose expectant.

1. Ecclesia, in mundo huius temporis, non solum declarare debet menti scientificae non opponi; non tantum gloriari de Scientia a clericis laicisque per longum tempus servata, non adversantibus quibusdam erroribus, quos agnoscit ac dolet; non tantum multos scientiarum cultores inter filios suos numerari gaudere. Necesse est etiam Ecclesiam hodie Scientiam salutare, modo positivo, secundum altam et plenam eius dignitatem, sicut pluries fecit in memorandis allocutionibus Pius XII.

Plane Scientia laudetur de notione in dies ampliore et profundiore quam affert circa maiestatem legum quibus regitur Universum, nostram hoc modo contemplationem locupletans et canticum laudis enutriens quod creatura ad Creatorem effert. Si revera duo sunt ordines distincti cognitionis, ordo scil. fidei et ordo rationis, uterque cum libertate et humilitate, cum patientia et amore, ad Veritatem tendit secundum proprium modum: itaque gressus scientificus cum itinere religioso, etiam si ab eo distinguendus sit, plene congruit.

In hoc Concilio vigesimi saeculi, debet etiam Ecclesia obsequium praebere Scientiae ob opus quod efficit liberationis et progressus humanitatis. Technicis enim artibus, ...[3] quaedam ex millenaribus hominis optatis efficiuntur: nempe quod sit in dies tutior a calamitatibus, quod divitias terrae suas faciat, quod vere fieri possit membrum communitatis populorum etiam remotissimorum, quod denique ex terrestri carcere evadat ... Cum Scientia et per Scientiam, homo hodiernus mirabiliter illustrat Creatoris mandatum subiiciendi terram!

Insuper, egentium populorum explendo necessitates atque sublevando miserias, Scientiarum cultores operi iustitiae et amoris in mundo inserviunt. Quicumque autem contra ignorantiam, dolorem et divisionem hominum pugnant, quae omnia primi peccati sunt consequentiae, eos

Ecclesia Christi, Operi Redemptionis inter homines inserviens, honorat semper atque laudat.

2. Sed Concilium intendere debet etiam ad statum moralem Scientiae.

Nos omnes pericula, quae Scientiarum cognitio prae se fert, iam scimus. Tentatio est securitatis intellectualis et potentiae, tentatio philosophica ad hoc tendens ut in religionem quamdam Scientia erigatur, tentatio materialismi et rationalismi, quae in fallacem pessimumque errorem inducit credendo legitima esse, immo necessaria progressui Scientiae, postulata atheismi.

In ordine practico, item scimus quomodo artes technicae saepe saepius cum bonis materialibus spiritualia hominibus non attulerint et quemdam atheismum practicum faverint.

Sed superatis huiusmodi tentationibus, ...[4] ecce surgit hodie angor quidam ex ipso miro progressu Scientiae. Liceat mihi hunc angorem paucis verbis describere.

Imprimis angor est quasi physicus prae exiguitate et fragilitate hominis in immensitate Universi, quod erga vitam inhospitale est.

Angor est praesertim ethicus prae ambivalentia potentiae quam hominibus praebet Scientia. Responsabilitatis sensus in dies excitatur in anima eorum qui Scientias artesque technicas colunt, necnon timor illius libertatis quae ad summum principium non referatur. Inventio ad inventionem provocat et nemo scit quo vadat Scientia semper ad altiora propulsa. Hodie in controversiam vocatur, apud lucidissimos scientiarum cultores, finalitas eorum navitatis.

Si nunc ...[5] modum quo cap. II schematis nostri scribitur, nobis videtur schema cum optimismo Scientiae iam praeterito concurrere et huic angori Scientiae hodiernae nequaquam aptari.

Angor quidem cultoris scientiarum convenit cum anxietate universorum hominum prae amplitudine optionum quae aetati nostrae impositae sunt: huiusmodi optiones vere in discrimen vocant ipsius humanae speciei fatum. In ipso autem viro scientiarum studiis addicto ...[6] tragoedia mundi acutissima conscientia vivitur. Plus et melius quam alii homines, audit in orbe terrarum quemdam clamorem vel vindicationem ipsius Vitae, quae vult vivere cum in periculo versetur modo tremendo nunquam in humana historia cognito. Concilium non potest non vindicare Vitae iura, quia vita est primum omnium bonorum et prima universalitas, *sicut dixit Beatissimus Pontifex noster.*[7]

Conclusio. Debet ergo Concilium, in hoc capite, tum advocare Scientiam cum amore et reverentia; tum agnoscere valores quibus inservit ...[8] et gratias agere pro necessitatibus hominum quas iam explevit; tum asserere quod Scientia libertati humanae ponit unum ex maioribus aetatis

nostrae problematibus: problema nempe recti usus potentiae quam Scientia quasi sine limitibus praebet hominibus huius temporis; ...[9] tum denique scientiarum cultores hortari ad agnoscendum ultimum finem ad quem Scientia vocatur, gloriam Dei enarrando. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quod de cultus humani progressu rite promovendo inscribitur. [2] deest. [3] quae sunt quasi filiae illius Scientiae. [4] quae in scientiarum historia ut « pueriles morbi » forsitan habendae sunt. [5] inspicimus. [6] qui est aliquomodo demiurgus. [7] vita quae inter bona huius mundi ipsam pacem superat. [8] vitam scil. et veritatem. [9] tum sollemniter profiteri reverentiam habendam erga vitam et imprimis vitam hominis.

5

Exc.mus P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis, vic. patr. Melchitarum in Aegypto

Venerabiles Patres,

Cum aliquae publicationes ampliores dimensiones dedisse videantur ultimae meae interventioni in Concilio, cuius in orbem terrarum fecerunt exire sonum, de particulari nempe casu, frequenti et miserando, coniugis innocentis derelicti ab altero, loquendi iterum in aula facultatem petii, non mutandi vel corrigendi causa earum quae dixi, sed ut ipsa clarius appareant.

Breviter in memoriam revoco quod sequitur: 1. Finem stricte pastoralem interveniendo habuit, ut inveniatur nempe solutio quaedam problematis crucialis tot iuvenum sponsorum, sive virorum sive mulierum, qui ad solitudinem damnantur, sine ulla propria culpa.

2. Clare affirmavi immutabile principium indissolubilitatis matrimonii, et expresse *verbo divortii usus non sum,* sicut immerito fecerunt auctores nonnullorum articulorum in ephemeridibus. Etenim, apud catholicos verbum illud impugnare videtur principium immutabile indissolubilitatis. Propterea, dolendum est ephemerides hac voce usas fuisse.

3. In traditione Ecclesiarum Orientalis et Occidentalis, adeo profunde inseritur indissolubilitas, tum apud catholicos, tum apud orthodoxos, ut haec, nullo modo, in dubium vocari posset in conciliari interventione. Traditio enim orthodoxa semper matrimonium ut indissolubile habuit, hac indissolubilitate scil. qua uniuntur Christus sponsus et Ecclesia sponsa: quae unio typum est monogamiae sacramentalis christianorum. Divortium apud orthodoxos nihil aliud est quam dispensatio concessa coniugi innocenti in certis casibus determinatis, et quidem pro

ratione pastorali, in virtute, uti dicitur apud illos, principii « oeconomiae » quod concessionem sive dispensationem significat. Quae dispensatio nullo modo indissolubilitatis principium attingit. Immo, ad hoc salvandum, orthodoxi utuntur « oeconomia », sicut dispensationes a matrimonio valido ab Ecclesia catholica, ratione privilegii petrini conceduntur. Non loquimur de abusibus quae semper adesse possunt, sed nullo modo immutat realitatem theologicam.

4. Illud quod suggerere volui, nihil aliud est quam dispensatio in favorem coniugis innocentis, salva voluntate Christi statuentis indissolubilitatem matrimonii. Ad interpretationem orientalem traditionalem textus Matthaei ...[1], unice consideravi possibilitatem addendi motivis dispensationum, iam admissis apud catholicos, illud fornicationis, cum definitivo secessu ab altero coniuge, ut evanescat periculum perditionis quod semper super fidelem coniugem appenditur. Neque talis dispensatio in dubium afferret matrimonii indissolubilitatem.

5. Non reputavi absonum hoc proponere, attenta doctrina sanctorum Patrum Doctorumque Orientalis Ecclesiae, qui temere accusarentur motivis politicis nimisque humanis cedisse, dum verba Domini interpretati sunt illo modo.

6. Hanc fidelitatem absolutam Orientis et Occidentis erga principium indissolubilitatis matrimonii, Romana Ecclesia semper considerans, tum tempore quo unitae erant Ecclesiae istae, tum post separationem, numquam legitimitatem Orientalis disciplinae in favorem novarum nuptiarum coniugis innocentis derelicti Romana Ecclesia numquam impugnavit.

Conclusio. Hic est sensus, ergo, haec est summa meae ultimae interventionis in Concilio. Adest problema exegeticum, canonicum et pastorale quod despiciendum non est. De opportunitate adiungendi novam rationem dispensationis aliis iam ab ipsa recepti, virtute privilegii petrini, Ecclesiae est iudicare. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cap. 5 et 19).

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BETTAZZI
Episcopus tit. Thagastensis, aux. Bononiensis

Venerabiles Patres,

Liceat unum adhuc addere circa culturam, de qua tam nobilia dicta sunt, praesertim relate ad n. 74, immo ad mentem totius capitis.

Optime et iure merito Ecclesia acceptat pluralismum uti dicunt culturarum: fortiter ergo est insistendum in hoc ut ita dicam consectario Incarnationis: Evangelii vis fermentare debet omnes homines, prout revera sunt. Hoc tamen quod apprime valet pro pluralismo ut ita dicam spatiali, applicandum videtur etiam pluralismo temporali, ita ut non solum omnes populorum culturae hoc fermento permeari possint, sed omnes populorum aetates.

Liceat referre votum quorumdam philosophorum catholicorum, occidentalium quidem, quod Ecclesia, in dignoscendo mundo huius temporis et errores praecavens et bona confirmans, velit quidem alte proclamare veritates quibus neglectis sapiens quilibet christianus dici nequeat, uti sunt Dei transcendentia, omnesque valores absoluti — tum ontologici, tum morales — inde profluentes, dignitas personae eiusque libertas, necnon essentialitas communitatis; quibus tamen affirmatis aperte simul agnoscat divitias quoque mentalitatis, ut ita dicam, nostrorum temporum, quae fortasse non magis est remota a salute quam saltem tardivus rationalismus quidam scholasticus.

Certo certius diligens inquisitio et accurata explicatio quae nunc fiunt realitatis naturalis, etiam in campo anthropologico et psychologico, necnon vigilans attentio ad mundum personalem eumque in sua realitate existentiali et historica, non solum mirabilia Dei singulariter illustrat, sed, ut est *plenior* [1] synthesis realitatis creatae, initium fit et argumentum ditioris analogiae, viam ergo sternit mentis ascensioni, necnon praeambulum constituit melioris intelligentiae ipsius doni salutis quod est donum historicum, ad mensuram hominis; similiter, valores humani in dies patentes faciliorem et efficaciorem reddunt dialogum cum omnibus hominibus.

Cogitemus etiam de valore subiectivitatis qui, ubi non exaggeretur ad absolutum immanentismum quidem, in lucem *tamen* [2] ponit alterum polum totius dialogi, fontem ipsam speculationis, ergo elementum primum cuiuscumque visionis obiectivae.

Sic ipsa problematicitas, ut aiunt, ubi non deveniat ad aprioristicam exclusionem veritatis absolutae, praeclare exprimere potest radicalem disproportionem inter intellectum quaerentem et illimitatam quamdam virtualitatem realitatis: fortasse moderni publicani propinquiores sunt ad salutem quam anteriores pharisaei in sua possessione securi. Etiam in hac regione valet dictum apostoli: Omnia probate, quod bonum est tenete.

Utique unus est Deus, una realitas, una ratio hominis, melius unus hominis intellectus: et hanc profundam unitatem generis humani Ecclesia etiam intellectum nobilitando alet, quasi praeambulum ad pacem

universalem; sed unitas veritatis in varietate perspectivarum apparet, quae ab uno Verbo Dei tandem aliquando perfecte unificari possunt et debent. Et haec est, ni fallor, vera ratio obsequendi Summis Pontificibus, nobis commendantibus ut S. Thomae principia et methodum sequamur: principia quidem Doctor communis ex traditione hausit mirumque in modum illustravit; methodus verum — opinor — non tam in aridis technicismis consistit, sed tum in aestimatione intellectus humani, tum in studio et adhaesione mentalitati nostrorum temporum et locorum; sic ipse S. Thomas, traditionis quidem insectator et Sacrarum Scripturarum, in quibus commentandis optima sua dixit, coaevis tamen visus est novitatis amator, non sine periculo damnationis, ut omnes Christo lucrifaceret.

Serene dicamus philosophis nostris S. Thomam quem honorare debemus, non esse necessario Thomam thomistarum, etiam antiquiorum: charisma quod ipse habuit in discipulos omnes fortasse non transiit. Ipse ergo quaerendus, ipse imitandus, praesertim ut vir quidem Scripturarum amans et mundi sui temporis.

Liceat in hac aula iterum recolere exemplum Rosmini, vere Thomae addictissimi, sed et sui temporis vere amatoris et inquisitoris, qui certo certius non paucos, sui et posterorum temporum, homines Christo lucrifecit.

Quae omnia congruere videntur cum his quae a non paucis Patribus iam in genere de schema dicta sunt: scil. ab Ecclesia homines non exspectare solutiones peculiares, sed potius praesentationem valorum qui illos adiuvent in hac vita humana securius et nobilius ducenda. De libertate agentes celebrandi fuerunt valores humilitatis; de matrimonio, opus fortitudinis; de rebus oeconomicis et in pluribus aliis, efficaciam cuiusdam *rerum* [3] contemptus: necessitas ergo oboedientiae, castitatis, paupertatis in lucem ponenda est non solum in vita et in exemplo (et in schemate!) religiosorum, sed et omnium christianorum praecise etiam ut auxilium hoc modo feramus hominibus huius temporis ad eorum vitam humanam rite et efficacius ducendam; sic pro sapientibus christianis primum ac praecipuum sit, sub luce Magisterii, amor Scripturarum et amor mundi in aperto colloquio.

Haec fuit, ni fallor, inspiratio nativa huius schematis, haec est spes atque exspectatio omnium hominum quam Ioannes XXIII aluit, quamque Papa noster Paulus tam mirifice ampliavit fideles omnes cum et in ipsa Ecclesia ad dialogum invitans.

Quae autem hac de causa de Papa Ioanne honorificando, quem omnes homines bonae voluntatis Patrem et Magistrum affectu amplexati sint, necnon de eius nomine in hoc significante schemate significanter comme-

morando, sicuti iam anno elapso nomine plus quam septuaginta Patrum, sic nunc iterum plurima scriptis tradam. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] complenior. [2] deest. [3] animi.

Textus additus:

Anno elapso revera nomine plus quam 70 Patrum petiturus eram ut ipse Ioannes a Concilio, utique non sine Romano Pontifice, in catalogum Sanctorum poneretur; quod absonum non videbatur tum quia antiquissimam traditionem redintegrantes proclamationis synodalis (rationibus in ipsa interventione diffuse expositis) virum extollissemus cuius sanctitatis omnes documenta norunt tum in Diario exstantibus tum in miraculosa illa mentium et cordium convergentia, in eius beata morte peculiariter probata, qua omnes homines, cuiuscumque culturae et religionis illum salutaverunt ut patrem et magistrum.

A publica petitione abstinuimus sub cautione quod illius nomen in hoc schemate positum fuisset; quod non videntes iterum audemus petere ut nomen Ioannis in nostro schemate posito non tantum nos praebeat eius Successoris obsequentes, cum inde ab initio sui Pontificatus Papa noster Paulus ab Ioannis vestigiis veluti profectus suum splendidum faciat iter lucis et pacis in terris, sed omnes homines securos et felices faciat quod spem ipsam qua Ecclesia ut mater et magistra omnibus effulserit, episcopi verbo et opere alant et confirment.

Moderator: Transitus fit ad cap. III, scil. « De vita oeconomica et sociali ».

7

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis in Italia

Venerabiles Patres,

...[1] In hoc cap. III « *De vita oeconomica et sociali* »[2] sunt plura vere bona et laudabilia.

Tamen hoc attendendum est: non est prudens in documento conciliari loqui vel nimis vel nimis definitive de his quae pluribus mutationibus technicis obnoxia sunt. Hae mutationes possent intra decem vel viginti annos inopportuna et etiam desueta reddere quae nunc dicuntur, si non agimus tantum de principiis quae immutabilia sunt.

Reapse omnes convenimus in desiderando ordine sociali et oeconomico per veram promotionem ad meliorem statum eorum qui nunc minora sortiuntur necnon in desiderando promotionem ad pleniore bonum humanae personae sive morale sive materiale. Desideratur ut sermo fiat etiam de capacitate et responsabilitate cuiusvis *hominis*[3] necnon de sociali

necessitate thesaurizandi ad futura bona producenda. Qui student his rebus possunt plura dicere quam nos, qui non tenentur affirmare quae etiam in posterum valebunt, sed sufficit ut dicant quae nunc valent contingenter. ...[4] Res sociales nunquam concipiendae sunt modo unilaterali, sed *saltem in hac sede modo tantum obiectivo.*[5]

Hoc sensu, *ad aliqua particularia devenio.*[6]

1. Quae dicuntur pag. 61, n. 77, linn. 19-26 modo generaliori tantum deberent dici, affirmando scil. simpliciter: quam plures esse promovendos ad participationem rerum gerendarum in vita sociali et oeconomica. Etenim hic plures quaestiones technicae tanguntur.

2. In n. 79, pag. 62, sermo fit de labore humano et quidem optime. At tacetur de aliis elementis quae necessario agunt in productione oeconomicarum rerum. Quod videtur inconveniens, nam veritas non tantum inficitur ex errore sed etiam ex silentio.

3. Participatio multorum et etiam omnium in administratione rerum oeconomicarum gerendarum potest equidem desiderari, dummodo sit salva libertas incoeptus, et *rationabilis*[7] atque humana ordinatio societatis. Sed in hoc habentur aspectus technici, respectu quorum, nondum semper apparet ex experientia quaenam sit potior methodus servanda. Relinquamus ergo incerta disputationi aliorum.

4. Pag. 64, n. 81, linn. 9-12, non videntur adamussim referri ea quae de primigenia destinatione universali bonorum materialium in anteactis Documentis Pontificum dicuntur. Censeo etiam minima esse in documento conciliari attendenda.

5. In integro n. 83 (pag. 65) de politica oeconomica circa fundorum divisionem talia dicuntur, quae suspicionem ingerunt textum nullimode attendisse ad continuum fluxum et perennem mutationem oeconomicam circa proprietatem agrorum, de quibus certe desideratur aequa divisio, qui tamen saepe postulat, ut quaestosae arti adaequari possit, magnam saltem relative portionem terrae vel associationem multorum.

Haec, quae dixi, sunt omnino exempli gratia. In hoc capite — *concludo*[8] —, ne nimis progrediatur — dum principia affirmantur — ad ea quae, etiam si sunt bona quandoque, tamen ad technicam definitionem et ad disputationem hominum melius relinquenda sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ago tantum de cap. III, parte II, scil. « de vita oeconomica et sociali. [2] deest. [3] deest. [4] Et addo:. [5] tantum modo obiectivo. [6] censeo aliqua vel magis complete, vel cautius esse in hoc capite exprimenda. Aliqua exempla addo. [7] rationalis. [8] deest.

8

EM.MUS P. D. BENIAMINUS CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Venerabiles Patres Conciliares,

Parcite mihi, aliqua breviter dicturo circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* si quaedam repetere audeo quae iam in hac aula dixi.

Loquor nempe de gravissimo problemate nostri temporis: iustitiae, scil., in relationibus inter laboratores, maxime manuales, et proprietarios negotiorum; i. e. de iustitia sociali strictiori sensu.

In secunda sessione huius Concilii dixi mihi non placere denominationem « Ecclesia pauperum » nisi in hoc sensu: Ecclesia Christi est Ecclesia pauperum ad hoc ut pauperes non sint in quantum possibile; inter praecipua enim munera Ecclesiae est promotio pauperum ad digniorem et humaniorem statum oeconomicum et socialem.

Nunc autem quaero: doctrina socialis Ecclesiae, doctrina certo pulcherrima, vere divina; doctrina amoris et fraternitatis; doctrina unionis omnium hominum in Deo Patre, « Pater noster qui es in caelis ... »; num haec doctrina in praxim deducta est, quoad problema de quo agitur, non iam gradu perfecto sed nec modo exspectabili?

Responsionem, quae aliunde ob oculos omnium est, potestis legere initio pag. 7 nostri schematis ubi dicitur: « Numquam genus humanum tantis divitiis, facultatibus, potentiis oeconomicis abundavit, dum tamen ingens pars incolarum orbis fame torquetur, etc. ... ». Ibidem loquitur de viribus in mundo hodierno tam graviter inter se pugnantibus, dum novum bellum cuncta usque ad ima destruere minatur. Item pag. 60, linn. 11-20, sermo est de vitae ...[1] incremento quod loco differentias sociales mitigandi nimis saepe in earum exasperationem vertitur, vel etiam alicubi in regressum conditionis socialis debilium et in despectum pauperum.

Certum est hic agi de mundo in genere. Sed num ab hac accusatione excluditur populus Dei, i. e., hodiernus mundus christianus? Fatendum non deesse progressum in pluribus; nec negari possunt innumera Ecclesiae opera in ordine sociali, tum iustitiae tum caritatis. Sed quousque Evangelii doctrina, ubi vera solutio est huius quaestionis, in praxim est deducta?

Talis doctrina ab Ecclesia splendide in lucem fuit posita ex quo dicta « quaestio socialis » exorta est, praesertim in mundo laborali. Testes

sunt encyclicae dictae sociales maxime a temporibus Leonis XIII. Sed deest praxis, saltem ut tempora exigunt.

Christus coepit facere et docere. Et non est in alio aliquo salus. Communismus non fuit, nec est, nec esse potest solutio quia negat praecipuos valores personae humanae; immo fere dici potest quod hominem ignorat. Ego autem dico: communismus, qui non ut vindicatio socialis pauperum natus est, sed ut systema philosophicum materialismo atheistico favens, non erit solutio, sed potest esse flagellum et totius humanitatis ruina propter eos qui doctrinam Evangelii neglexerunt.

Igitur Ecclesia doctrinam praedicat; applicatio vero doctrinae non ad Ecclesiam pertinet sed ad proprietarios — de quibus in schemate — (sive singulos, sive coetus aut collectivitates, sive ad ipsam civitatem ubi bonum commune id postulat), et pariter ad eos qui etsi non sint proprietarii, de rebus oeconomicis actu disponunt, ut ibidem dicitur.

Quid ergo Ecclesia quoad praxim? Non de legibus civilibus decernere habet, v. g. de consociationibus operariorum, de operistitio, etc., sed verbo et exemplo iustitiam socialem instare, institutiones sociales fovere aut etiam creare, etc.

Denique iterum iterumque postulare audeo — quod iam feci in secunda sessione — ut inter dicasteria Romanae Curiae, Officium quoddam instituatur cui cura sit diffundendi et in praxim deducendi doctrinam socialem Evangelii. Officia diversa instituta sunt ut Secretariatus pro fovendo dialogo cum coetibus acatholicorum et alius pro non christianis. Utilissimum fore puto speciale Officium rebus socialibus praepositum.

Saltem suadere audeo ut inter quaestiones quae in adunationibus novae et opportunissimae Synodi Episcoporum tractabuntur, numquam haec de iustitia sociali oblivioni detur.

Iesus Christus nos adiuvet et Maria Mater Ecclesiae! Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] oeconomicae.

9

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Patres,

Ad cap. III « De vita oeconomica-sociali », quasdam afferre liceat animadversiones.

Non raro Ecclesia inculpatur quod nimis sero suam, erga res oeco-

nomico-sociales, doctrinam protulerit, quum iam aliae doctrinae, praesertim marxistarum, mundum pervaserant. Optandum est ne in idem incidamus. Mundus huius temporis, post aliquot annos, iam non « huius temporis » sed « anteacti temporis » erit. Profundae quidem et celeres mutationes ad universum orbem extenduntur, ita ut quae hodie in more sunt cras obsolescent. Doctrina vero Ecclesiae, licet has concretas mutationes respiciat, iis non alligatur, nec mutabili et vario hominum iudicio de iisdem submittitur; sed principia in rerum natura et in Evangelio fundata proferens, illuminare valet quotquot mutationes superveniant, quotquot opinabilia iudicia de iisdem tam apud hodiernos quam apud crastinos vigeant.

Iamvero, aestimatio quam schema nostrum de hodiernis conditionibus oeconomicis exhibet, nimis, ut puto, mente liberalismi individualistici et capitalismi hodie in mundo occidentali vigente imbuitur, nec satis advertit ad mentem collectivismi in re oeconomico-sociali, vigentem in sat magna mundi parte, non exclusis populis occidentalibus. Quum vero criteria illa occidentalia ullo modo definitiva dicenda sint, periculum subest ne post aliquod tempus doctrina conciliaris obsoleta et procrastinata evadat.

Ad concretas animadversiones quod attinet:

1. Ad n. 75: Inter aspectus vitae oeconomicae hodiernae, vere adspectabilis est organizatio productionis collectivae, de qua tamen nihil dicitur et plures exspectant ut mens Ecclesiae de hoc facto exponatur. Equidem in n. 77 error arguitur doctrinarum quae iura fundamentalia personae humanae et coetuum postponunt « organizationi productionis collectivae ». Caute omnino haec verba adhibita apparent. Ast desideratur amplior declaratio, si nempe aliquando vel alicubi productio collectiva aptior videatur ad ordinatam, sufficientem et magis oeconomicam productionem obtinendam, quousque reapse extendantur illa « fundamentalia iura » personae et coetuum, quae dicuntur non postponenda.

2. In n. 76, iure agitur de iis quae incremento productionis favent, sed tantum consideratur aspectus technicus, quin memoretur aliud elementum, sociale nempe, i. e. *iusta et humana distributio proventuum,* sine qua productio non vertitur in servitio hominum, sed in privilegio paucorum et in exasperatione differentiarum socialium ...[1]

3. Maximi momenti in re oeconomica est idea quae in n. 80 apparet, nempe ratio magis humana et christiana concipiendi incepta ut communitates personarum quae, bona, peritiam technicam et laborem adpor-

tantes in commune opus productionis, illud gerunt et proventus participant pro rata adportationis, et quidem repraesentativo modo. Ad mentem capitalismi liberalis, inceptum praecipue consistit in summa capitali, bonis producendis destinata, iuxta legem: maximo lucro, minimis expensis, inter quas labor humanus. Exinde est quod interesse capitalis contrarium sit interesse laboratorum; hi ut sese defendant coguntur in potentissimis consociationibus coadunari, et armis efficacibus operistitii uti. Ast nemo non videt quod ita intestinum bellum inducitur sive in ipso inceptu sive in politica communitate, et iustificatur principium marxismi de lucta inter ordines seu classes sociales.

Schema magis insistere deberet in hac nova et christiana ratione concipiendi incepta, unde evacuaretur necessitas condendi consociationes classistas, quae tandem aliquando fiunt instrumenta oppressionis in communitatem, et confugiendi ad operistitium, vel etiam ad « lock-out », quod est ratio violenta defensionis adversus oppressionem capitalis aut adversus exigentias laboratorum.

In societate politica, iuste ordinata, nemo ius suum defendere cogitur proprio marte etiam vi adhibita, sed organa sive arbitratus sive iurisdictionalia exsistere debent quae iura sua unicuique tribuant. Ius ergo consociationes classistas condendi et operistitium adhibendi ad interesse laborantium defendendum est triste et dolendum ius, quod tantum agnosci potest quamdiu sive incepta sive ipsa communitas politica non ad humanas et iustas normas ordinata sint. Utrumque autem semper subordinandum est iustae et pacificae conviventiae ...[2]. Periculum est ne aliquibus videatur quod schema ansam dat fautoribus luctae socialis et operistitii. Credo ergo quod illa verba de consociationibus laborantium et de operistitio *melius* [3] expungenda essent *a schemate*.[4]

4. Doctrina contenta in nn. 81 et 83 ...[5] etiam videtur nimis alligata hodiernae conditioni, quae nequaquam iure naturali exigitur, sed iure tantum historico et gentium, quod variare potest et de facto mutatum fuit iam in aliquibus populis. Doctrina de proprietate privata bonorum, saltem eorum quae ad bona producenda ordinantur, non est alligata doctrinae catholicae, et uti in anteriore schemate dicebatur ...[6] « distributionem bonorum sapientiae hominum, et populorum institutis, Deum reliquisse ». Optime quidem schema nostrum loquitur de destinatione bonorum terrestrium ad utilitatem omnium; doctrina vero de accessione ad proprietatem et dominium bonorum et de latifundiis, recognoscenda est, ita ut etiam possibilem proprietatem communem comprehendat, nec ad privatam proprietatem, etiam agrorum, adstringatur.

De cetero plura et quidem optima exprimuntur in hoc schematis

capite quae oeconomiam humanam ad sensum christianum ordinant. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] regressu condicionis debilium et despectu pauperum. [2] communitatis. [3] deest. [4] deest. [5] de proprietate privata. [6] (pag. 40).

10

EXC.MUS P. D. EDUARDUS SWANSTROM
Episcopus tit. Arbensis, aux. Neo-Eboracensis

Venerabiles Patres,

In schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* res illa gravissima quae velut ignis conscientias omnium accendit, quaestio nimirum de fame, pestilentia, ignorantia, et ceteris miseriis quibus tot populi in orbe terrarum laborant, admirandum in modum tractatur, id quod praecipue apparet in cap. III, in par. 81, 84 et 85, atque in cap. V, in par. 93, 94 et 95.

In his locis schema primum affirmat perspicuam et in dies crescentem discrepantiam opum inter opulentiores et egentiores civitates exstare. Deinde illa praecepta iustitiae describit quae ad illam quaestionem accommodanda sunt. Postremo dicit opulentiores civitates egentioribus debere subvenire. Hisce omnibus prorsus assentior.

Mihi autem maximae curae est quibus modis haec praeclarissima doctrina de communi omnium hominum bono et de sociali inter civitates iustitia ad effectum sit adducenda, idque ob duas causas.

Haec est prima causa. Haec doctrina Ecclesiae de sociali et oeconomica iustitia inter omnes humani generis populos, quamquam orta est ex amore Christi erga pauperes, multis tamen christifidelibus nova atque mira videtur, praesertim si omnium sat bonorum ipsi habent. Magna ergo quaedam abyssus intercedit non solum inter opulentiores et egentiores civitates sed etiam inter praecepta mente accepta et re ...[1] usurpanda, inter scil. verba et acta nostra.

Haec est altera causa. Ex quo tempore res novae machinalium industriarum sunt coeptae, ex eo Sancta Mater Ecclesia, Summo Pontifice Leone XIII in primis ducente, causam proletariae plebis propugnabat et filiis suis mandabat ut praecepta socialis iustitiae caritatisque intra suos cuiusque civitatis fines exercerent. Quodsi nunc haec iustitia et caritas totam omnium gentium familiam amplectura est, si quidem transcensura est fines et claustra stirpis civilisque cultus qui conscientias civium cuius-

que civitatis circumscribunt, tunc hoc mandatum et officium christianum christianis profundius est comprehendendum.

Propter has causas in concreto censeo ut Ecclesia diutinum et multiforme programma educationis, exhortationis et moralis auctoritatis suscipiat quo omnes christifideles omnesque homines bonae voluntatis egestatem populorum vivide comprehendant et perfectius curent atque iustitia inter civitates progressusque rerum oeconomicarum omni ex parte promoveantur.

Quoniam egestas tot populorum genus humanum maxime vexabit in proximum saltem decennium, in remediis adhibendis quae in hoc schemate iam bene sunt adumbrata, idcirco opus erit nobis ea diuturna atque robusta perseverantia quae profluit ex sincera ac tenaci veritatum adhaesione ...[2]

Ideo insuper censeo ut Secretariatus Ecclesiasticus constituatur qui curet ut haec diutina incepta educationis, incitamenti, motivationis et moralis auctoritatis provehantur.

Paucis mensibus hoc Concilium dimittetur. Verum cura nostra egentiorum civitatum mundi, enuntiata toties in hac maxima aula a coetu episcoporum, duce Sanctissimo Patre, Summo Ecclesiae Pastore, ubique terrarum docendo et exhortando non desistere praedicari debet. Haec praedicatio munus erit huius Secretariatus, qui negotia sua forsitan sub permanente Concilio Episcoporum delectorum a Summo Pontifice sit gessurus.

Hoc munus Secretariatus nullo modo erit obstaculo sed potius incremento operibus socialis auxilii atque progressus quae episcopi cuiusque civitatis per suos coetus aliaque instituta ecclesiastica prosequuntur. Horum coetuum et institutorum est pecunias colligere quibus egentibus succurrant in operibus specificis beneficentiae. E contra novi Secretariatus erit, ut iterum dicam, docere et exhortari.

Ad haec proposita exsequenda, Patres conciliares, reverenter rogo ut sequentia schemati addantur. In cap. V ad finem par. 95 hic sequens paragraphus addatur: « Ut Populus Dei et quidem omnia membra hominum familiae iugiter perpendant miseram maioris partis filiorum Dei condicionem, ut etiam amor Christi erga pauperes eiusque iustitia opportune, *inopportune* [3] praedicetur, haec Synodus Sacra rogat ut Secretariatus Apostolicae Sedis constituatur ad iustitiam inter civitates omnes promovendam atque progressum oeconomicum fovendum. Eadem Synodus urget ut coetus episcoporum cuiusque civitatis, ordines religiosorum, et alii idonei coetus, etiam ex laicis solis constantes, apta media instituant quibus voces egentium totius mundi ubicumque fieri potest corda mentesque omnium commoveant. Quos conatus autem educationis et exhor-

tationis coniunctim gerant cum seiunctis fratribus nostris, cum coetibus ceteris religiosis, cumque omnibus hominibus bonae voluntatis ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] ipsa. [2] Hanc firmam adhaesionem nos vero, ut populus Dei, adipisci debemus atque communicare cum omnibus hominibus bonae voluntatis, potissimum ex civitatibus opulentioribus. His factis, cives opulentiorum civitatum magis volent cupiditatem refrenare, taxas necessarias ad consilia subsidii et mutuorum prosequenda impendere, omniaque mutare mutanda ut iustitia ubique terrarum floreat et egentiores civitates rem oeconomicam meliorem facere valeant. [3] importune.

11

Exc.mus P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Venerabiles Patres,

Maximi momenti est, ut in hoc capite « De vita oeconomica-sociali » large audiantur periti in scientiis socialibus et oeconomicis. Ideo textum de novo examinavi cum compluribus ex eis. Hoc examine facto quasdam emendationes proponere velim:

1. Quaedam elementa textus non sufficienter respondere videntur realitati concretae, v. g.:

a) Notae characteristicae oeconomiae modernae non clare apparent. Non adaequate enumerantur ea quae positive dicenda sunt, e. g. quid praestent in hodierna oeconomia ingenium et industria ducentium; neque quae negativa sunt, e. g. imbutio vitae personalis ac socialis multorum spiritu quodam oeconomistico, cui omnia, etiam sacratissima, venalia fiunt.

b) Quae dicuntur de agricultura, non correspondere videntur condicioni eius in maiore parte mundi.

c) Accentus, qui in textu ponuntur de politica monetaria, unilaterales esse videntur.

2. Quaedam asserta textus nimis ad particularia descendere videntur. Periculum est, ne ita res tractentur technicae, quae competentiam Concilii excedunt, vel quae in diversis regionibus modo omnino diverso solvi possunt et debent. Exemplo sint, quae dicuntur de planificatione investitionum, vel de institutis quam citissime condendis ad ordinanda negotia internationalia; quae dicuntur denique de operistitio (vulgo Streik).

3. Quaedam puncta textus non adaptata videntur eis, quae a Magi-

sterio Ecclesiastico in doctrina sociali ultimis annis proposita sunt. Haec exempla nominare velim:

a) Destinatio metaiuridica bonorum materialium ad usum communem ex una parte, et institutum iuridicum proprietatis privatae eiusque indoles essentialiter socialis ex altera parte.

b) Doctrina socialis Ecclesiae postulat quam largam distributionem proprietatis privatae, non quidem reprobat ingentes divitias qua tales neque differentias etiam magnas divitiarum inter homines — quod schema insinuare videtur —, sed violationes iustitiae et caritatis socialis, quae tam facile cum hoc facto iunguntur. Solutio huius problematis falso exspectaretur a mera distributione magnarum divitiarum. Hoc enim progressum oeconomicum a nobis desideratum difficiliorem reddere posset.

c) Quae de participatione in inceptis et in universa dispositione rei oeconomicae dicuntur, revisione indigent. Melius destinguendum est inter participationem in negotiis personalibus et socialibus decidendis et in negotiis oeconomicis. Melius distinguendum est inter responsabilitates, quae incumbunt proprietati, intellectui, operae, sicut iam optime monuit Pius Papa XII. Alia omnino principia regere videntur participationem in ipsis inceptis et in institutis superioris ordinis. Evitandae videntur ordinationes, quibus nimis influxus attribuitur organisationibus potentibus extra ipsum inceptum.

d) Conceptus laboris in n. 79 non univocus est. Hinc totus numerus desiderata claritate caret.

Ad totum caput hoc adnotare liceat. Uti iam dictum est in disputatione generali ab em.mo card. Döpfner et aliis Patribus, praeiacens redactio textus urgente tempore ita confecta est, ut non sufficienter omnia subici potuerint examini peritorum tam in scientiis oeconomico-socialibus quam in doctrina sociali Ecclesiae. Hoc in definitiva elaboratione textus quam amplissime suppleri deberet.

Reliquas propositiones practicas in scriptis tradam Secretariatui. Gratias.

Animadversiones additae:

1. N. 75, pag. 60, linn. 5-6: omittatur « Ex altera parte ». *Ratio*: vera oppositio membrorum non invenitur.

2. Pag. 60, lin. 7: post « commutandis » addatur « ex humano ingenio atque industria resultans ». *Ratio*: sic iam in initio huius capitis clarius delineatur indoles humana oeconomiae.

3. Pag. 60, lin. 7: post « oeconomiam » deleantur verba « aptum effecerunt instrumentum » et eorum loco dicatur « instrumentum effecerunt de se aptum ». *Ratio*: oeconomia hodierna *theoretice* tantum est instrumentum aptum, *practice non,* quod etiam in textu sequenti exprimitur.

4. Pag. 60, linn. 8-9: phrasis « Tanta beneficia... sunt » ponatur in numero singulari: « Tant*um* benefic*ium*... *est* ».

5. Pag. 60, lin. 11: post phrasim « Non... inquietudinis » haec addantur: « Homo, praesertim in nationibus oeconomice progressis, re oeconomica quasi dominari videtur, in quantum tota eius vita personalis ac socialis spiritu quodam oeconomistico imbuitur cui omnia, vel sacratissima, venalia fiunt. Hinc est quod loco relationum vere personalium inter homines ac coetus sociales vel etiam nationes res et calculus eos potius ab invicem separant. Haec est causa plurimarum perturbationum quae hodie deplorantur ». Et prosequitur textus prout in schemate iacet, addito post « Eo » verbo « enim ». *Ratio*: hoc modo profundius attingi videntur radices humanae perturbationum in vita oeconomico-sociali.

6. Pag. 60, lin. 20: post « agendi » addatur: « Quae omnia haud raro sub praetextu falsi conceptus libertatis oeconomicae iustificari conantur, ac si existeret libertas a responsabilitate totaliter praescindens ». *Ratio*: ex se patet.

7. Pag. 60, linn. 21-24: loco eorum quae ibi dicuntur a « Similes »... usque ad... « oppositio etiam », haec proponuntur: « Quamvis graves *defectus aequilibrii oeconomici ac socialis advertantur* inter homines ac diversos coetus necnon *inter regiones unius eiusdemque nationis, oppositio tamen...* ».* *Ratio*: hic nondum in particularia descendendum videtur, cum ea quae hic dicuntur de defectibus aequilibrii inter agriculturam etc., pag. 61 et ss., ubi de « ingentibus differentiis oeconomico-socialibus » sermo fit, accuratius tractantur.

8. Pag. 61, sect. I: titulus sectionis primae sic mutandus videtur: « De evolutione oeconomica ». *Ratio*: notio « progressio » male intellegi potest in sensu « progressus » (progrès, progresso). Revera autem in textu sequenti schematis multa de incremento oeconomiae et artis technicae dicuntur, quae certo certius quidem evolutionem, non autem semper verum progressum constituunt.

9. N. 76, pag. 61, linn. 7-8: post « humano modo agenda est » haec addantur: « Progressus enim oeconomicus nullo modo cum mero incremento bonorum materialium confundi potest ac debet. Eo enim ipso tempore quo e. g. homines in nationibus oeconomice progressis ad libitum quasi bona materialia a quaestuosis artibus (industrie) producta sibi comparare valent, in vanum saepe saepius inquirunt personas quae sibi servitia ad degendam vitam homine dignam praestent, uti sunt servitia domestica vel maxime servitia misericordiae, prout hominibus aetate provectis vel infirmitate detentis et in nosocomiis degentibus praestanda sunt. Aliter iudicandum est de nationibus oeconomice minus progressis, ubi vel bona exteriora hominibus necessaria saepe desunt. *Lex* ergo oeconomiae *fundamentalis...* ». *Ratio*: si haec non adduntur, iste « modus humanus » pura « formula vacua » vel merus topus phraseologicus manere videtur.

10. Pag. 61, lin. 14: loco « normis » potius dicendum videtur « legibus ». *Ratio*: notio « norma » secundum mentem scientiarum socialium hodiernarum generatim « iudicium valoris » implicat, ut dicunt, dum hic de facto agatur de legibus, quae characterem mere technicum vel « functionalem » prae se ferunt.

11. N. 77. Pag. 61, lin. 17: iterum sermo fiat de « evolutione » et non de « progressione » et sic porro in textu sequenti. *Ratio*: vide supra sub animadv. 8.

12. Pag. 61, lin. 20: deleatur « peritorum ». *Ratio*: re enim vera tantum-

* Sublineantur in his animadversionibus eae locutiones quae ex schemate verbotenus retentae sunt.

modo periti de re tam difficili qualis est res oeconomica competenter iudicare valent. Non peritia de se est periculosa, sed abusus peritiae praesertim in coniunctione cum potentatu oeconomico et (vel) politico.

13. Pag. 61, lin. 20: post « coetuum » addatur « nimio potentatu oeconomico pollentium vel ». *Ratio*: videtur esse perfectio textus utilis.

14. Pag. 61, linn. 32-36: loco eorum quae in schemate praeiacente dicuntur, haec proponenda videntur: « *Meminerint ceterum cives* se pro suo quisque statu atque intellectuali formatione *ad* verum *progressum propriae communitatis conferre* debere, valorum ordine sedule observato. Praesertim in nationibus adhuc in evolutione versantibus, *ubi omnes opes urgenter adhibendae sunt, bonum commune* in discrimen vocant ii qui opes suas infructuose retinent vel, quod adhuc peius est, *patriam suam subsidiis materialibus privant* ea in proprium commodum extra confinia propriae nationis collocando. Quae valent mutatis mutandis etiam de viribus intellectualibus ac moralibus quibus natio aliqua pollent ». *Ratio*: textus prout iacet nimio progressismo oeconomistico ansam praebere potest, in quantum omnes activitates et aspirationes « omnium civium » progressui propriae communitatis subordinare videtur. Quae vero in lin. 35 de « iure migrationis » dicuntur, in hoc contextu omittenda videntur, quia migratio huiusmodi praesertim pro nationibus adhuc progredientibus saepissime non significat privationem virium, sed potius verum commodum constituit.

15. N. 78, pag. 62, linn. 3-5: loco phrasis « Eodem... collocentur » haec de agricultura proponuntur: « *Eodem modo* particularibus *agriculturae difficultatibus providendum est,* semper tamen prae oculis habitis concretis rerum adiunctis tum quoad structuram totius oeconomiae in aliqua communitate politica vigentem tum quoad necessarias evolutiones atque innovationes in ipsa agricultura et, quantum fieri potest, ab ipsis ruricolis perpetrandas ». *Ratio*: quae in textu schematis de agricultura dicuntur, facile male intelligi possunt eo modo, ac si numerus ruricolarum hodie existens nullo modo mutari posset, qui numerus vero est factum historicum et contingens. Hic est modus cogitandi societati atque oeconomiae staticae, qualis v. g. Medio Aevo habebatur, quidem congruens, nullo modo autem oeconomiae in tali evolutione et mobilitate versanti, qualis hodie conspicitur et de qua Concilium agere intendit. Hinc est quod vel nulla de agricultura dicenda sunt vel ad magis particularia descendendum est. Si secundum non placet, primum adhuc minus placere videtur.

16. Pag. 62, lin. 18: post « favere » addendum videtur: « Iamvero providendum est, ut potius occasiones operam praestandi subministrentur hominibus in suis propriis patriis quam ut homines ad illas occasiones alibi inquirendas cogantur ». *Ratio*: non homines rebus, sed res hominibus subordinandae sunt. Quod melius correspondet principiis anthropologiae christianae.

17. Pag. 62, lin. 20: loco « labor sufficiens et unicuique conveniens » haec proponuntur: « occasiones operam praestandi et, quantum possibile est, *unicuique convenientes* ». *Ratio*: hoc distinctius rem a schemate intentam exprimere videtur.

18. N. 79, pag. 62, lin. 25: titulus n. 79 sic mutandus videtur: « *De labore* professionali *eiusque conditionibus atque de otio* ». *Ratio*: ea quae in textu sequenti dicuntur, partim de omni activitate humana valent, partim de activitate oeconomica ac professionali tantum. Iamvero in hoc capite non de quacumque activitate humana agitur, sed de illa quae respicit vitam oeconomicam et socialem, hinc de labore professionali.

19. Pag. 62, linn. 25-39: loco textus « Labor... excolendi » in his lineis enuntiati hic novus textus proponitur: « *Labor* professionalis, sive proprio Marte ac periculo, sive sub consilio ac ductu alterius suscipiatur, *bonis exterioribus est anteferendus quippe quae* potius *rationem instrumentorum habent. Procedit enim... submittit.* Exinde patet, salva vocatione quorundam ad vitam unice contemplationi rerum divinarum dedicandam, unumquemque *vires* suas *corporales* atque intellectuales praesertim per laborem professionalem exercere adstringi. Talis obligatio necessario implicat *ius ad laborem* praestandum. Quapropter *societas* civilis tenetur, quoad eius fieri potest, curare ut occasiones operam praestandi pro quam plurimis civibus habeantur. Quod saepe obtineri nequit nisi pluribus nationibus in campo oeconomico cooperantibus. Hinc talis cooperatio non ex rationibus mere politicis aestimanda est, sed requiritur ad satisfaciendum iuribus fundamentalibus hominum ». *Ratio*: patet ex eis quae supra sub animadv. 18 dicta sunt. Insuper textus hic propositus in comparatione cum textu, prout in schemate iacet, in tantum mutandus et quasi mitigandus videbatur, in quantum non de iuribus hominum loqui possumus quin eo ipso de omnibus iuribus necessario correspondentibus limitibus sermo fiat. Nam, ut S. Thomas recte monet, ius non concipi potest nisi in sua habitudine « ad alterum », id est in hoc casu, ad bonum commune. Totum hoc caput tertium, et idem valere videtur aliquomodo de toto schemate, dubio ansam praebet, ac si iura hominum nimis ad mentem Iuris Romani, id est modo individualistico concipiantur, quod ceteroquin contradicere videtur intentioni sociali ac « collectivisticae » alias in schemate saepius expressae.

20. Pag. 63, lin. 2: post « redigantur » addenda videtur haec phrasis: « Falaciter quidam hac in re de sic dictis necessitatibus vel "legibus" oeconomicis loquuntur quippe quae non habent nisi rationem eorum quae sunt ad finem, id est instrumentalem et technicam. Iamvero labor humanus non est merum instrumentum technicum ad instar aliarum rerum quae in processu oeconomico adhibentur ». *Ratio*: « Oeconomismus » qui dicitur, omnia sub sic dictis « legibus » oeconomicis subsumere conatur, indole humana oeconomiae posthabita.

21. Pag. 63, lin. 10: post « valent » haec addenda videntur: « Numquam tamen oblivioni dari debet quod finis vitae humanae, quamdiu in hoc saeculo versamur, non positus est in quam maximo et semper augendo tempore a laboris onere libero, sed praesertim in ipso labore professionali fideliter praestando ». *Ratio*: haec dicenda videntur contra crescentem devalorisationem laboris et extollentiam tamporis a laboris onere liberi in nationibus quibusdam oeconomice progressis.

22. N. 80, pag. 63, linn. 11-12: titulus n. 80 sic mutandus videtur: « De moderandis officinis deque *rei oeconomicae universae dispositione* ». *Ratio*: si textus immediate incipit cum « participatione », nimis unilateralis esse videtur, cum nihil dicat de munere et officio eorum qui proprio Marte ac periculo officinas moderantur. Hoc esset ex diametro oppositum toti traditioni doctrinae socialis Ecclesiae. Et deleantur ea quae in titulo « de conflictibus in labore » dicuntur, et quidem propter rationes inferius afferendas.

23. Pag. 63, linn. 12-26: loco eorum quae in his lineis dicuntur, haec proponuntur: « Neminem latet quam magnas partes in evolutione oeconomica nationum ditiorum habuerit atque habeat activitas et responsabilitas eorum qui proprio Marte ac periculo officinas moderantur. Iamvero *proprietarii* (*sive singuli etc. ...*) *et pariter ii qui, etsi non sunt proprietarii, de rebus oeconomicis actu disponunt,*

numquam se gerere debent ut domini imperiosi: sors enim et prosperitas officinae non minus ab iis pendet qui in ipsis operam praestant quam ab illis qui eas dirigunt. In quorumcumque vero manibus fortuna officinarum posita est ii profecto necesse est partes habeant non tantummodo in fructibus earum fruendis, sed etiam progressive in deliberandis earum negotiis, quoad eius fieri potest pro diversis rerum adiunctis. Suam distinctam responsabilitatem habent proprietas, intellectus (management), opera. Imprimis cavendum erit ne participatio formis nimis collectivis et et anonymis in actum deducatur, non in commodum operariorum, sed in detrimentum libertatis et boni communis. Ratio praeterea habenda est diversitatis inter societates anonymas quae dicuntur et eas officinas, quae privative auctoritate ipsius rerum proprietarii diriguntur. *Saepius tamen cum... apte exponant. Ratio*: problemata quae in textu de moderatione officinarum deque participatione operariorum in earum gestione attinguntur, multo difficiliora sunt quam ut tam paucis verbis absolvi possent prout fit in textu praeiacente.

Vita oeconomica praesertim in nationibus oeconomice progressis paucis officinis maximi ponderis quasi dominari videtur, quae saepe vel quasi semper in forma iuridica societatum anonymarum ut dicunt erectae sunt et in quibus alii sunt qui proprietate rerum (capitale) pollent, alii qui de rebus actu disponunt. Quod officinas has praegrandes attinet, omni nisu adlaborandum erit ut proprietates rerum in dies magis ac magis largo modo distribuantur, ne cumulatio rerum in paucis manibus nimio potentatui oeconomico et politico ansam praebeat. Oblivioni autem dari non potest neque debet ingens multitudo officinarum minoris quidem ponderis et momenti oeconomici, utputa earum praesertim quae arte fabrili exercentur, quae privata auctoritate ipsius rerum proprietarii diriguntur et in bonum libertatis tutela potius necnon adiumento indigent. Valde deplorandum est momentum et munus oeconomicum eorum qui personali nisu atque onere necnon periculo officinas moderantur, in societate hodierna saepe saepius non sufficienter aestimari, haud raro propter falsas quasdam « ideologias ». Neque lucrum quod in officinis bene dispositis oritur est aliquid de se malum vel inhonestum, cum e contra sit vis movens totius progressionis oeconomicae, atque eousque est bonum et honestum inquantum ulteriori progressioni inservit. Aliter iudicandum est de haud raro maximis proventibus quae pro futilibus et saepe dubii valoris activitatibus recipiuntur.

24. Pag. 63, lin. 36, ad pag. 64, lin. 4: quae in his lineis de operistitio dicuntur, melius omittantur, quia problemata tam difficilia et diversa sunt in toto mundo, ut paucis verbis nil utile dici posse videatur.

25. N. 81, pag. 64, linn. 12-15: post « queant prodesse » haec addenda resp. mutanda videntur: « Modus hodiernis conditionibus magis congruens hoc praestandi primarie in eo consistit, quod procurantur debitae occasiones operam praestandi, ut ita quam plurimi *sibi suisque familiis* digne valeant comparare partem bonorum sufficientem. Cum autem semper pauperes ac debiles inter nos habebimus, firma manebit doctrina *Patrum Doctorumque Ecclesiae* possidentes ad miseros *sublevandos obligari* ». *Ratio*: textus prout iacet ansam praebere potest opinioni hodie magna ex parte obsoletae, ac si sors pauperum atque egentium primarie per distributionem divitiarum mitigari posset, dum econtra per fructificationem divitiarum in ipso processu oeconomico multo securius ac citius meliorari potest.

26. Pag. 64, linn. 14-15: deleantur verba « ex superfluis suis ». *Ratio*: hic modus loquendi sapit mentem cogitandi Antiqui et Medii Aevi potius. « Superfluum » supponit id relate ad quod aliquid est superfluum, quod non potest esse nisi firma

et stabilis conditio socialis, qualis e. g. in societate feudalistica vigebat. Hodierni homines in societate valde mobili et evolutoria viventes hunc modum loquendi et cogitandi non iam intellegunt.

27. Pag. 64, linn. 15-16: phrasis « Qui autem... procurent » delenda videtur. *Ratio*: quamvis principium ibi enuntiatum *metaiuridice,* id est ethice sine dubio verum sit, iure merito quaeri potest an sit prudens atque opportunum illud in schemate paucis verbis exprimere, cum homines, qui hunc modum cogitandi nesciunt, id faciliter male intellegere queant. Talia potius relinqui debent doctrinae pastorali cotidianae.

28. N. 82, pag. 64, lin. 32: loco tituli « De pecuniarum collocationibus » melius dicatur « *De* bonorum *collocationibus* ». *Ratio*: hoc melius congruit rei quam exprimere vult schema necnon iis quae in textu immediate sequenti dicuntur.

29. Pag. 64, linn. 35-36: loco « Qui directionem... in se suscipiunt » dicatur: « Quicum de his *collocationibus et ordinatione vitae oeconomicae* decernunt, sive singuli sive coetus sive Respublica... ». *Ratio*: textus praeiacens intellectui nimis centralistico ac dirigistico in ordinanda vita oeconomica favere videtur.

30. Pag. 64, lin. 41, ad pag. 65, lin. 3: loco eorum quae in his lineis dicuntur, haec proponuntur: « *Vita oeconomica et socialis* in plurimis nationibus pecunia tamquam vi movente quasi totaliter regitur. Quare non tantum prosperitas sed praesertim etiam liberum ac frequens inter homines et nationes commercium oeconomicum necessario pendent a vere sana re monetaria, id est a pecunia valore stabili praedita. Quicumque ergo, sive singuli sive coetus sociales sive etiam Respublica, suo modo agendi pecuniae valorem sub quovis praetextu in discrimen vocant, graviter offendunt contra bonum commune non tantum propriae nationis sed etiam aliarum nationum. Immo oeconomice debiles, sive singuli sive nationes, praeprimis detrimentum ex diminutione valoris pecuniae iniuste patiuntur ». *Ratio*: quae in textu de re monetaria dicuntur, nimis unilaterialia esse videntur et insuper quaestionem iustitiae nullo verbo attingunt.

31. N. 83, pag. 65, lin. 4: loco tituli n. 83 impositi hic novus titulus proponitur: « De naturali hominis super res terrenas *dominio deque eius accessione ad proprietatem earum, et de latifundiis* ». *Ratio*: salvo dominio supremo et radicali ipsius Dei omnium rerum Conditoris — homo *qua persona* est naturalis dominus rerum terrenarum. Hoc est factum, ut ita dicamus, *metaiuridicum* in ipsa natura personali hominis fundatum. Iamvero proprietas rerum est forma concreta qua certae res terrenae determinato subiecto vinciuntur. Hoc pertinet ad ordinem *iuridicum,* qui utique non est ordo mere positivisticus, sed in dominio naturali hominis modo enuntiato radicem ac fundamentum habet. Hinc est quod inter dominium naturale hominis super res terrenas eiusque accessione ad earum proprietatem sedule distinguendum videtur ne confusio fiat.

32. Pag. 65, linn. 5-10: quae in animadversione 31 dicta sunt, novam redactionem textus prout in linn. 5-10 iacet, requirunt, hoc fere modo: « Sub dominio supremo ipsius Dei omnium rerum Conditoris, homo naturale dominium habet super res terrenas, quae ei inserviunt et in quas personam suam quasi dilatat eis sigillum suae mentis imprimendo. Iamvero ut homo in societate cum aliis hominibus modo vere humano id est libero vitam degere possit, necesse est *ut faveatur* eius possibilitati *accedendi* ad partem determinatam bonorum terrenorum sibi propriam. Quod praesertim valet pro homine quatenus suae familiae curam habet ». *Ratio*: patet ex eis quae in « Ratione » ad animadv. 31 dicta sunt.

33. Pag. 65, lin. 16: prosequitur sine intermissione textus prout lin. 16 iacet, hoc modo: « *Proprietas* enim *privata...* ».

34. Pag. 65, lin. 16: omittatur « aut dominium » propter rationes superius allatas (animadv. 31).

35. Pag. 65, lin. 20: verbis ultimis lin. 20 expressis haec addantur: « Unde fit quod in Rebuspublicis, ubi proprietates privatae minuuntur, etiam libertates civiles in discrimen vocantur ». *Ratio*: argumentum ad hominem.

36. Pag. 65, linn. 10-11: nunc denique sequantur ea quae in lin. 10-11 dicta sunt: « *Formae proprietatis... variantur* ». *Ratio*: sic melius servari videtur ordo logicus totius commatis.

37. Pag. 65, lin. 10: omittatur « talis dominii », semper propter rationes superius (animadv. 31) allatas.

38. Pag. 65, linn. 12-13: phrasis in his lineis enuntiata melius sic sonabit: « Omnes autem hae *formae,* non obstantibus *fundis socialibus, iuribus et ministeriis a societate procuratis* atque, in quantum bonum commune id postulat, procurandis, *fons manent securitatis non parvi pendendus* ». *Ratio*: verba « Utraque autem forma » in contextu sensum non habent. Fundi sociales non in eadem linea ponendi videntur cum proprietate privata.

39. Pag. 65, linn. 27-28: loco eorum quae in his lineis dicta sunt, haec proponuntur: « *Omni autem privatae proprietati privatae* indoles *socialis* essentialis est, ut communi bonorum destinationi superius inculcatae inservire possit ». *Ratio*: « Munus sociale » in textu schematis enuntiatum, quamvis « intrinsecum » dicatur, tamquam aliquid ipsi proprietati extrinsecum et superadditum intellegi potest. Formula proposita sensum qui intenditur melius exprimere valet.

40. Pag. 65, linn. 29-34: loco eorum quae ibi dicuntur, haec proponuntur: « *Hac* indole *neglecta,* proprietas *multoties occasio cupiditatum et gravium perturbationum fieri potest* ita ut ab eius impugnatoribus saepe iure merito in discrimen vocari videatur ». *Ratio*: ea quae a lin. 30 (« veluti quaestus » etc.) usque ad lin. 34 (« societatem laedunt ») dicuntur, delenda videntur, quia nimis ad particularia descendunt et insuper sensus qui intenditur etiam sine his intelligi potest.

41. Pag. 65, linn. 35-41: loco eorum quae in his lineis a verbis « In pluribus... » usque ad « ... vel decentem habitationem » dicuntur, haec proponenda videntur et quidem addenda sine intermissione ad textum immediate antecedentem: « Quod quidem speciatim prae oculis habendum est *in pluribus regionibus oeconomice minus progressis,* ubi *fundi rustici magni vel etiam latissimi existunt mediocriter exculti* atque aliquoties etiam *sine ulla cultura manentes, dum maior pars populi terris caret vel minima tantum extensione agri gaudet, atque ex altera parte incrementum fructificationis agrorum evidenter urgens apparet. Non raro ii qui a dominis horum magnorum fundorum ad laborem conducuntur* vel etiam ii qui partem illorum fundorum titulo locationis sibi traditam proprio Marte ac periculo colunt, stipendium vel proventum *homine indignum recipiunt vel decentem habitationem...* ». *Ratio*: in latifundiis non tantummodo interest sors eorum qui ad laborem conducuntur, sed etiam eorum, qui partem illorum magnorum fundorum titulo locationis sibi traditam proprio Marte colunt. Conditiones talis locationis saepissime iniustae sunt.

42. Pag. 66, lin. 7: post « debent » haec dicenda videntur: « res ac *servitia* pro incipiendo opere *necessaria* ». *Ratio*: est aliqua completio textus.

43. Pag. 66, linn. 9-11: loco phrasis his lineis enuntiatae haec proponuntur: « *Si* et in quantum *bonum commune* postulat ut *proprietas adimatur, compensatio ex aequitate aestimanda est, omnibus adiunctis* mature *perpensis* ». *Ratio*: tale pretium venale vel fori de quo sermo fit quasi numquam existit, quia latifundia in mercatu generatim nec offeruntur nec emuntur.

44. Pag. 66, lin. 14: post « ... subduntur » addendum videtur: « Quod maximi momenti est pro mundo hodierno ubi relationes oeconomicae ac sociales inter varias nationes in dies magis ac magis densiores fiunt. Ideo verbum Apostoli secundum quem si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra (cf. *Ep. ad Cor.* I, 12, 26) analogo modo etiam ad relationes inter populos vigentes applicari potest ». *Ratio*: necessitas iustitiae in negotiis internationalibus servandae hoc modo magis urgeri videtur.

45. Pag. 66, linn. 14-16: phrasis hic enuntiata « Eo modo... pertineant » vel omittatur vel saltem cautius proponatur. *Ratio*: omnes quidem concordes sumus pauperes et egentiores efficaciter adiuvari debere, sed hoc primarie non fit per imminutionem ingentium differentiarum. Haec enim imminutio consistere posset in mera distributione plus minus aequali paupertatis, dum e contra pauperes et egentiores ditiores fieri debeant. Non vero ditiores fiunt eo quod opitulentiores pauperiores fiunt. Regiones Italiae meridionalis (« il mezzogiorno ») efficaciter oeconomice evolvi non possunt eo quod regiones septemtrionales pauperiores fiunt et sic « differentiae » minuuntur, sed potius eo quod adhuc ditiores fiunt. Principium aequalitatis est saepe principium invidiae, quae occidit omnes vires creativas, ut recte monuit Berdjajev. Totum caput tertium partis secundae schematis pervadit aliqua « theologia » vel potius « ideologia distributionis », quamvis neminem latere deberet optimam distributionem supponere optimam productionem ut conditionem sine qua non. Punctum sane debile huius capitis est, quod divitiae imprimis tamquam divitiae feudales et luxui inservientes considerantur, dum e contra maximae divitiae praesertim in nationibus oeconomice progressis non luxui, sed productioni et inde incremento et progressui oeconomiae inserviunt. Hinc phrasis in linn. 14-16 enuntiata potius omittenda vel saltem cautius proponenda est.

46. Pag. 66, linn. 16-17: textus sic prosequatur: « Bonum universale totius mundi postulat ut *potentiores nationes earumque cives ab omni cupiditate se abstineant* ». *Ratio*: sic melior fit coniunctio cum textu antecedente, prout in animadv. 44 propositus est.

47. Pag. 66, linn. 19-20: phrasis ibi enuntiata sic mutetur: « *Instituta apta ordinent negotia internationalia et compensent defectus qui ex...* ». Et prosequatur textus prout in schemate iacet. *Ratio*: melius est ut *bona* instituta condantur quam ut « quam citissime » condantur.

48. Pag. 66, lin. 20: loco « effectus » ponatur « defectus ». *Ratio*: generatim non effectus, sed defectus compensantur.

49. Pag. 66, lin. 24: post ultimam phrasim haec addantur: « Haec subsidia sine iniustificata ambitione politica offerri debent, ne nationes iuniores quae nuper dominationem colonialem evaserunt et sui iuris factae sunt, novae formae "neocolonialismi" priore adhuc deteriori ac detestabiliori subiungantur. ».

50. N. 85, pag. 66, linn. 25-35 et passim: piae adhortationes secundam partem schematis plus minus pervadentes textui potius ab extra impositae videntur et nimium « moralismum » sapiunt, qui mundo huius temporis taedium causare potest.

12

Exc.mus P. D. GREGORIUS VARGHESE THANGALATHIL
Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

Venerabiles Patres,

Mihi valde placet optimismus vere christianus quo schema de rebus socialibus agit. Laudo etiam sollicitudinem pastoralem qua schema clare indicat saltem campos praecipuos vitae oeconomicae: sive industriam et agriculturam, sive collocationem pecuniae et moderationem rei nummariae etc., ubi christiani et alii homines sinceri qui ordinationem vitae oeconomicae in se suscipiunt bono communi efficaciter prospicere possunt. Non enim sufficiunt omnino generalia praecepta ut: bonum fac et malum vita, vel iustus esto et non iniustus. Ecclesia debet conscientias dirigere in concretis circumstantiis mundi huius temporis.

Quoad vitam oeconomicam-socialem tria notare velim quibus in mea humili sententia, schema perfici debet.

I – In cap. III schematis ubi de vita oeconomica-sociali agitur, nec una habetur citatio ex Sacra Scriptura. Vitam autem fidelium christianorum ita inter res materiales posita est ut ex maxima parte in earum usu consumatur. Insuper ipsi vocati sunt praecise ut per earum usum suam salutem aeternam operentur; pauperes qui saepissime oneribus opprimuntur quibus vires humanae impares sunt suam sortem in spiritu fidei et in patientia ferendo et divites quibus abundantia rerum non raro creat pericula salutis aeternae in spiritu paupertatis et cum moderamine eis utendo et aliorum necessitati consulendo. Valde ergo opportunum — immo necessarium est — ut eis detur sufficiens doctrina ex ipsissimis verbis Christi, qui copiosa et pretiosissima in hac re pronuntiare dignatus est, et aliunde ex Verbo Dei.

II – Ubi agitur de opportunis adiumentis pauperibus praebendis, saepe schema loquitur ac si hoc esset tantum una ex necessitatibus huius temporis aeque ac promotio culturae vel artis. Sermo est ibi de « scandalo vitando », de « pace praeservanda » etc.

Item, quidam Patres locuti sunt in hac aula quod Concilium tantum de rebus spiritualibus et non de hac re tam mundana agere debet ne humanismo indulgere, capitalismum fovere, novam turrim Babylonicam aedificare videatur. Haec omnia intelligi possunt quia illi qui hoc modo loquuntur forsan directe non habuerunt experientiam pastoralem in regionibus ubi miseria grassatur. Re autem vera, materia de qua hic agitur, Concilio sollicitudini esse debet quam maximae. Permulti homi-

nes in tali conditione physica hodie versantur ut Evangelio auscultare et vitam vere spiritualem ducere vix capaces sint. Immo miseria in qua vivunt est eis vix non semper proxima occasio peccati.

Hi homines adiuvari debent non tantum ne divites Christiani per luxuriam suam scandalum dent aliis, non tantum ut pax mundi conservetur sed dico, venerabiles Patres, illi efficaciter adiuvari debent praesertim ut habeant tales conditiones vitae ut rebus spiritualibus vacare et vere filii Dei fieri possint.

Hic etiam sollicite considerari debet quod quaedam nationes propter carentiam subsidii quo urgentissime indigent ad remedia desperata confugiunt uti sunt abortium, infanticidium et huiusmodi. Forsan illi qui his adiuvare potuerunt et tempore opportuno non adiuvaverunt, de horum culpa omnino immunes esse non possunt.

Ceterum, teste historia, si non omnes plures saltem ex nationibus nunc in necessitate positis, ad opulentiam quae in mundo hodierno de facto exsistit, saltem indirecte sed efficaciter contribuerunt. Non tantum ex caritate sed ex iustitia ipsae nationes adiuvari debent.

Conclusio: momentum morale et spirituale cooperationis oeconomicae et subsidii clare declaretur.

III – Schema agit de demographia et nimio incremento populationis in quibusdam regionibus mundi, sed, cur nescio, solutionem omnino evidentem enuntiare non ausum est. Hoc problema solvi non potest tantum per augmentum productionis technicae nec tantum per curam migrantium operariorum sicut innuitur in schemate. Altera ex parte Concilium de minutiis et valde concretis decernere non oportet. Sed principium saltem enuntiari debet quod: Iustitia postulat ut ubi necessitas id requirit, debita distributio populorum per superficies terrae, non impediatur ratione stirpis vel coloris vel huiusmodi. Ipsa enim terra sicut et bona alia terrestria omnibus hominibus communis hereditas a Deo largita est. Peritis et competentibus hominibus relinquatur modus quo hoc principium in praxim deducatur.

Conclusio finalis. *Ut iam dictum est,*[1] in votis est ut instituatur apud Sanctam Sedem organum technicis et competentibus hominibus praesertim laicis consistens cuius erit inter alia: 1) efficacem cooperationem oeconomicam inter nationes promovere praesertim homines instruendo de eius possibilitate et mediis opportunis; 2) ruricolis qui debiliorem constituunt partem societatis oeconomicae, iustitiam vindicare; 3) immigrationi, ubi haec necesse est, consulere et omnimodam discriminationem ex medio tollere. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Animadversiones additae:

In nn. 75 et 78 sermo est de agricolis, sed tantum per transennam. Fusius tractetur de agricolis saltem eo modo ac in Encyclica *Mater et Magistra.* Ostendatur: 1. Excellentia agriculturae ut est typus vitae et necessitas eam praeservandi et promovendi.

2. Eius debilitas vis-à-vis industria ut est typus oeconomicus et necessitas eam adiuvandi.

Ratio: 1. Absolute loquendo valde maior pars operariorum in mundo etiam hodie sunt agricolae e. g. in India tantum sunt 400.000.000 agricolae.

2. Agricultura est typus vitae qui modo spontaneo homines ducit ad communionem cum natura et eius Supremo Auctore, et apta est ut sit antidotum pro disaequilibrio in mundo hodierno, quod ex exaggerata industrializatione sequitur et causat depersonalizationem aliasque aerumnas acerbissimas (vide *Mater et Magistra*): « Verumtamen persuasum est Nobis, cum de re rustica agatur, auctores principesque sive rei oeconomicae augendae, sive animi cultus provehendi, sive socialium rationum promovendarum eosdem esse homines, quorum intersit, ipsos videlicet agricolas. Quibus sane perspectum cognitumque esse debet, quem laborem sustineant, eum esse honestissimum; quod in amplissimo quasi mundi templo suscipitur; quod saepius arboribus et animantibus impertitur, quorum vita, veluti infinitam quaedam significans, certisque astricta legibus, plurima habet ad Deum Creatorem et Providum invitamenta. ...

Idem praeterea labor sua ornatur dignitate, ... Neque hoc satis; etenim huic laborum generi sua inest nobilitas, quippe quod ab agricolis postulet ut cursum temporum acrius intellegant, eique sese facilius adiungant; ut sedatius quae futura sunt expectent; ut momentum et gravitatem officii sui existiment; ut alacritatis voluntatem resumant, et novas semper experiantur » (*A.A.S.,* vol. LIII, n. 8, pp. 436-437).

3. Agricolae saepe non habent media pecuniaria debitae collocationis.

4. Utuntur plerumque mediis obsoletis.

5. Sunt fere ubique disorganizati et ideo incapaces sua vindicandi iura.

Schema autem in his omnibus aspectibus tantummodo operarios industriales respicit quod valde iniustum est.

13

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Praesides et Moderatores, venerabiles Fratres,

Locutio fit nomine conferentiae episcoporum Indiae, immo plus quam 100 Patrum ex variis mundi partibus, ex Asia, Africa, Europa, America Latina, Canada, etc. Nomina adnexa sunt huic textui.

Documentum pastorale *de Ecclesia in mundo huius temporis* complementum essentiale constitutionis *de Ecclesia* constituit. *Sed brevitatis gratia introductionem omitto.*[1]

Loquentes ...[2] de mundo nostri temporis, ne decipiamus nosmetipsos: multo enim maior pars generis humani aetatis nostrae ad mundum qui vocatur « tertium » pertinet; constituitur populis qui intensas transformationes subeunt, sed qui interim magna ex parte misera paupertate detinentur; multi enim sub conditionibus homini indignis vivunt, quae a hominum communitate tolerari non debent. De his conditionibus saepe fit sermo in textu, e. g., quando de libertate humana agitur, ubi clare admittitur quod « humana libertas debilior fit et quasi extinguitur ubi homo in extremam incidit egestatem » ...[3], ita ut dignitatem personae humanae exhibere iam non possit. Tamen, nobis videtur has et similes locutiones in schemate hic et illic sparsas (maxime etiam ubi de ordine sociali et oeconomico agitur ...[4]) vix adaequate conditionem nostrae aetatis exprimere. Hinc perspectiva, realitatibus mundi hodierni conformis, in documento non clare apparet. Concilium hac de re magna auctoritate gaudet, et magna cum urgentia loqui debet. Agitur enim non de aliquo parvo coetu hominum, sed, uti iam dixi, de maiori parte generis humani, et ideo, de urgentissima obligatione Ecclesiae. Haec est enim occasio, forsitan unica et quam maxime opportuna, quam totis viribus amplecti debemus.

Hinc duo petere liceat: 1. Ut locus aliquis seu paragraphus introducatur in schema, qui urgentiam et extensionem problematis nostri clare exhibeat: scil. — *quod iam dixi* [5] — magnam partem sub conditionibus vivere in quibus vita *homines* [6] decens, immo vita vere humana, impossibilis est ...[7]

2. Ut gressus aliquis determinatus ad hoc problema solvendum proponatur. Patet Concilium de mediis concretis in problemate tam universali et multiformi solvendo agere non posse. Potest vero, et debet, formationem proponere gremii postconciliaris, quo media concreta tempore suo proponantur et modo opportuno exsecutioni tradantur. Debet enim haec voluntas Ecclesiae et promptitudo, quae nunc Synodum hanc animat, etiam post Concilii recessum perdurare, et aliquatenus organisationi Ecclesiae incorporari.

Rationes tale gremium postconciliare constituendi hae sunt: *ecce quinque* [8]: 1. Necessarium videtur ...[9] ut voluntas Ecclesiae et promptitudo pro hominibus laborandi, qui sub conditionibus indignis vivunt, qui fame et egestate indigna premuntur, qui vitam vere humanam degere non valent, effective in organisatione ecclesiastica exprimatur. Haec voluntas Ecclesiae quae in schemate exprimitur, efficaciter in actum traduci debet, et quidem permanenter: « Misereor super turbam ».

2. Talis commissionis erit doctrinam de progressu humano semper docere. Periculum enim est ne conceptus veri progressus humani pes-

sumdaretur, et de progressu mere materiali, et de incremento alicuius partis societatis humanae commodi intelligatur. Intelligi vero debet progressus verus ut intimior universaliorque inter homines communio, ut universalior omnium hominum in bonis culturae et oeconomiae participatio, ut conditionis omnium hominum ad talem statum elevatio, in quo vitam dignam, hominemque Dei imaginem decentem, degere valeant.

3. Similiter, commissio haec effective providere poterit et deberet ut opera pro indigentibus (underprivileged) ad fines rectos et positivos dirigatur. Sunt enim qui, potius quam illos qui actu vivunt, in vita sociali, oeconomica et culturali adiuvent, nimis in mundi populatione restringenda praeoccupantur.

4. Item adlaborare deberet haec commissio, ut quae a christianis et non-christianis opera praestatur, motivo recto et modo recto praestetur. Motivo recto: e caritate sincera procedere debet, e sensu genuino solidarietatis, e voluntate cum aliis in bonis huius mundi communicandi, non vero ex amore proprio velato, qui progressum et influxum proprium quaerit. Modo recto: ita enim praestanda est, ut non solum systema aliquod oeconomicum constituatur, sed ut homines ipsi iuventur et eleventur, ut progressus eorum culturae propriae et ordini sociali consonus sit. In praesentiarum, deficere videtur integratio inter auxilia a nationibus et coetibus praestita et traditiones culturales et religiosas populorum, saltem in quibusdam mundi *partibus*.[10] Breviter: in omni auxilio praestando non res et ordo materialis primario intendantur, sed ipse homo, qui iuvandus et elevandus est.

Quae sequuntur praesertim magno gaudio dico hac historica die[11]: Saepe asseritur paupertatem in qua maior pars generis humani versatur, gravesque iniustitias atque inaequalitates tum oeconomicas tum sociales inter mundi nationes, obstaculum praecipuum constituere ad pacem assequendam et firmandam. Propterea, divitiae mundi, inventiones modernae scientificae, conatusque hominum meliores, ad obstacula illa removenda ordinari deberent, ut sic etiam ad pacis fundamenta firmiter stabilienda conferant. Hodie, e contra, dum maior pars generis humani necessariis caret, vires hominum atque ingenium, *quantitas*[12] ingentes divitiarum mundi, atque recursuum naturalium (resources), praecipue ad semper perfectiora et potentiora armamenta producenda usurpantur, quia, uti dicitur, in conditionibus hodiernis si pacem volumus, bellum parare debemus.

Ecclesia, mediante institutione organi postconciliaris ad iustitiam internationalem et omnium populorum integram humanamque evolutionem promovendam, suo influxu atque auctoritate morali uti deberet ut gra-

datim structurae politicae, sociales et oeconomicae omnium nationum, non ad bellum — nequidem defensivum — sed ad veram et stabilem pacem parandam, orientententur. Non tantum caritas, sed iustitia socialis postulat ut divitiae mundi non ad armamenta producenda adhibeantur, sed ut novae methodi agros colendi inveniantur, ut novi fontes ciborum explorentur, ut commercium internationale normis iustis regatur, et tandem aliquando ut tota humanitas, et non iam parva minoritas, bonis ad corporis et spiritus progressum necessariis, gaudeat.

Tres alias rationes cur expedit ut talis commissio postconciliaris constituatur, scriptis tradam ...[13]

Enixe peto, venerabiles Patres, ut haec constitutio ita conficiatur ut talis actio Ecclesiae instituatur, ut omnes homines, etiam mundi tertii, vere sollicitudinem Ecclesiae sentiant, et in ea eam caritatem percipiant, qua Christus salutem nobis hominibus attulit. Voluit enim Christus hanc suam sollicitudinem mundo perenniter praesentem esse per Ecclesiam suam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Non enim sufficit ut Ecclesia, hoc in Concilio, de seipsa, de sua natura et suo mysterio, de propria vita et structura reflectat. Est enim essentialiter missa in mundum. Mittitur a Christo ut suam missionem salvificam in mundum et pro mundo continuet et perficiat. Cogitando ergo de mundo nostri temporis, revera de missione ipsius Ecclesiae cogitamus, et ita opus centrale huius Concilii peragimus. [2] vero. [3] (n. 32). [4] nn. 79-85. [5] deest. [6] hominem. [7] In eodem loco textus obligatio urgens omnium christianorum, immo omnium hominum, clare proclametur, ut collata ope cooperentur ad condiciones eorum meliores faciendas, vitaeque humanae digniores reddendas. Agitur revera de obligatione collectiva omnium hominum, in generis humani solidarietate fundata. [8] deest. [9] (uti iam dixi). [10] regionibus. [11] 5. [12] quantitates. [13] secretariatui.

[*Subsignaverunt etiam*] M. Baudoux, arch. S. Boniface; W. Power, ap. Antigonish; A. Decosse, ep. Gravelbourg; A. Hacault, aux. S. Boniface; W. Doyle, ep. Nelson; R. De Roo, ep. Victoria Ins. Vancouver; F. X. Fenech, ep. Jhansi; Andrew, ep. Poona; M. Arattukulam; P. Pereira; L. Picachy; L. G. Pereira; M. Potanamuzhi; J. Parecattil; L. Selvanaden, ep. Salem; D. Swamidoss Pillai, ep. Vellore; W. Bouter; B. D'Souza; A. Padiyara; A. D'Souza; P. Kerketta; U. McGarry; F. Muthappa; R. Sundaram; J. Fernandez, ep. Quilon; Th. Agniswami, ep. Kottar; A. Yeddanapally, ep. Bellary; E. D'Souza, arch. Bhopal; J. Evangelisti, ep. Meerut; L. D'Mello, ep. Ajmer-Jaipur; St. Tigga, ep. Raigarh-Ambikapur; R. D'Mello, ep. Allahabad; H. Westermann, ep. Sambalpur; A. Wildermuth, ep. Patna; A. Patroni, ep. Calicut; St. Ferrando, ep. Shillong; F. Rebello, aux. Goa; L. Tigga, ep. Dumka; G. Thangalatil, arch. Trivandrum; E. Benjamin, ep. Darjeeling; S. Vallopilly, ep. Tellicherry; G. Darmajuwana, arch. Semarang; R. Bergamini, ep. Padang; N. Geise, ep. Bogor; H. Tillemans, vic. ap. Merauke; R. Staverman, vic. ap. Sukarnapura; A. Sol, ep. Amboina; A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; N. Schnei-

ders, arch. Makassar; Ph. Broers, ep. Caravelas; Q. Schmitz, ep. Teófilo Otoni; C. Schmitt, ep. Dourados; C. Kramer, ep. Luan; Q. Pessers, praef. ap. Kiangchow; J. Mocellini, ep. Comacchio; G. Sillekens, ep. Ketapang; A. van den Hurk, arch. Medan; P. Grimm, ep. Tsinchow; J. Soudant, ep. Palembang; N. van der Westen, ep. Pangkal-Pinang; F. Simons, ep. Indore; N. Verhoeven, ep. Manado; G. Demarteau, ep. Bandjarmasin; P. Sani; J. M. McCarthy, arch. Kaduna, A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; D. A. Layek, arch. Alep. Syrorum; J. Fresno L., ep. Copiapo; A. Salinas, ep. Linares; M. Larrain, ep. Talca; E. Tagle, arch. Valparaiso; J. Santos, ep. Valdivia; Fr. Valenzuela, ep. Antofagasta; F. Urritia, ep. San Felipe; E. Vicuña, ep. Chillan; G. Hartl, vic. ap. Araucanía; Vl. Boric, ep. Punta Arenas; R. Salas, prael. Arica; A. Durán, ep. S. Carlos de Ancud; J. Valle, aux. Iquique; J. Manrique Hurtado, ep. Oruro; J. Sauvage, ep. Annecy; A. Etges, ep. Santa Cruz do Sul; J. Buckley, sup. gen. Maristi; V. Reed, ep. Oklahoma; C. Buswell, ep. Pueblo; L. Nagae, ep. Urawa; Mauro, ep. Salamanca; R. Gonzalez Moralejo, aux. Valencia; W. Battù Wichrowski, ep. tit. Filbes; J. Shannon, aux. St. Paul; M. Legarra, prael. Bocas del Toro; P. Hoang, ep. Taejeon; J. Hayes, aux. Halifax; C. Vogel, ep. Salina; N. Hayes, prael. Sicuani; G. Arinze, ep. tit. Fissianensis, coad. Onitsha; R. Blanchette, aux. Joliet; A. Watson, aux. Erie; B. Alix, aux. Le Mans; R. Gallangher, ep. Lafayette in Indiana; F. Greteman, aux. Sioux City; F. Schmidt, vic. ap. Mendi.

Animadversiones additae:

Aliae rationes quae formationem alicuius organi post-conciliaris postulare videntur: 1. Quia Ecclesia semper praesto esse debet circa dialogum cum mundo evolvente et quia res de quibus sermo fit in Constitutione adhuc maturius considerari debent in annis futuris.

2. Saepe asseritur in textu nos in doctrina solummodo tradenda, sistere non debemus, sed requiri insuper ut modo pastorali, et quantum ad nos pertineat, transitus in actionem practicam fiat: elenchus talium textum adnectitur.

3. Ut, si ei placuerit, praesto sit Summo Pontifici, aliquod adiutorium per modum studii circa res huiusmodi quas Ipse Synodi Episcopali disceptanda forsitan traderet.

In n. 39 solum de victoriis supra mundum physicum sermo fieri videtur. Nonne et victoriae in campo sociali necnon internationali mentione dignae sunt?

In n. 40 quando de relatione inter fidem et scientiam in textu fit locutio, perspectiva non satis positiva emergi videtur. Nonne verum est quod problemata principalia huius temporis moralia sunt, sicut illud pacis et iustitiae socialis; et nonne aequum verum esse videtur quod scientiae hodiernae collaborationem cum religione et moralitate postulant, potiusquam ei impugnent?

Ad n. 60. Omnino in luce magis poni debet quod status oeconomicus ingentis numeri familiarum in mundo vitam familialem humanae naturae consentaneam perdifficilem, si non impossibilem, reddit. Hoc autem non est solummodo quia numerus familiarum in mundo crevit, sed propter statum fere permanentem paupertatis in quo laborant et in quo continuare permittuntur. Accedit quod pauperes isti subiiciuntur influxui (pressures) magna ex parte propagatorum sic dictae "Family planning" et influxui comitatur massa pecuniae et, ut omnes sciunt, « pecunia loquitur ».

N. 75: Oeconomia hodierna nonne plus minusve bello adnectitur vel program-

mati ei inservienti? Si hoc verum sit, hoc in descriptione initiali commemorandum esse videtur. Omissio perspectivam schematis in hac parte afficit.

Plus insistendum esse videtur in recognoscendis structuris oeconomicis hodiernis.

* * *

Prooemium. Pag. 5, lin. 20: « Cunctis exponere cupit, quomodo Populi Dei, Ecclesiae videlicet, praesentiam ac navitatem in mundo hodierno concipiat ».

Pag. 6, n. 3, lin. 9: « Hominis enim persona salvanda humanaque societas instauranda est ».

Pag. 6, n. 3, lin. 20: « ... ut salvaret, non iudicaret, ut ministraret, non ut sibi ministretur ».

Pars I. Pag. 12, n. 10, lin. 9: « .... quod facere non poterit sine incessante nisu et novis inquisitionibus magnanimiter suscipiendis ».

Pag. 12, n. 10, lin. 13: « ... colligere debebit, intellectum et spiritum inventionis, omnes tum mentis tum cordis facultates, omnes denique scientiae disciplinas ».

Pars I, cap. II. Pag. 23, n. 27, lin. 25: « Garrire circa dignitatem personae humanae non sufficit: quid in vitae usu a nobis exigat investigandum est ».

Pag. 27, n. 33, lin. 3: « Sunt enim qui largas generosasque opiniones profitentur, ita tamen reapse vivunt ac si nullam de necessitatibus societatum curam habeant ».

Pag. 27, n. 34, lin. 23: « ... diligenter ad ampliorem animi culturam sunt educandi, adhibitis ingentibus subsidiis quae hodie toti generi humano praesto sunt ».

Cap. III. Pag. 34, n. 43, lin. 9: « Unde christiani inhaesitanter oppignorare se debent ad meliorem ordinem socialem promovendum ».

Cap. IV. Pag. 42, n. 54, lin. 24: « ... sed hoc ita praestare ut eodem nuntio imbuatur vita "concreta" fidelium, ratione habita particularis condicionis atque vitae... ».

Pars II, cap. V. Pag. 75, n. 95, lin. 30: « Quare necessarium est ut ii qui per seipsos nationibus destitutis inservire volunt, per instituta idonea apte formentur ».

Pag. 76, n. 96, lin. 12: « Considerata hac extrema rerum gravitate, novo ordine componendae sunt actiones oeconomicae et instituta structurarum socialia, idque sine mora aggrediendum ».

Pag. 80, n. 102, lin. 40: « ... in sinu communitatis gentium omnino praesens sit Ecclesia, tam per suas institutiones officiales quam per plenam ac sinceram cooperationem omnium christianorum... ».

14

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ
Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Fratres in Christo carissimi,

Imprimis laudare velim schema totum, praesertim secundam eius partem, et super omnia cap. III de quo pauca submisse dicturus sum. Laudo novas atque sublimes ideas quae in cap. III inveniuntur, quae novae ideae signum sunt Ecclesiam esse semper vivam et capacem sese adaptandi novis conditionibus vitae hominis et societatis humanae. Hoc Concilium non est « cadavericum » sicut quidam scripserunt quando congregati prima vice sumus in hac aula conciliari, sed corpus vivum animatum Spiritu Sancto, quod corpus, etsi cum magno labore et non sine cruce, mundo viam salutis certam demonstrat et demonstrabit.

Non possumus revera loqui hominibus nostri temporis lingua quadam obsoleta et inintelligibili. Accommodatio necessaria est, *etiam in rebus oeconomicis,*[1] etsi, ut omnes nos admittimus, non solum in ghetto et in catacumbis modernis, sed etiam in cruce et in sepulchro usque in diem ultimi iudicii remanere debemus priusquam iota unum aut unum apex *ex*[2] illis principiis aeternis, quae nobis tradita sunt, derelinquamus.

Sed saepe saepius non est tam facile distinguere elementum divinum ab elemento humano, elementum immutabile a mutabili in Ecclesia. Hoc bene vidimus in hac nostra discussione. Et quia res de quibus caput hoc et in genere schema tractant permultae sunt et gravissimae et nostrae solutiones adhuc *non bene maturae,*[3] ego humillime proponere audeo, ut hoc cap. III et maior pars totius schematis remittatur ad novum Synodum Episcoporum, qui poterit de istis rebus mature et in pace cogitare et forsan, si amantissimo Sancto Patri nostro placuerit, poterit agere, prima vice, cum praerogativis conciliaribus, quae possibilitas praevidetur in Motu proprio *Apostolica sollicitudo.* Tali modo Synodus Episcoporum optimum initium *sumeret.*[4]

Praeterea mihi videntur hoc tertium caput et alia quaedam capita maturitatem et dynamismum, ut ita dicam, documentorum pontificalium iam exsistentium, e. g. *Mater et Magistra, Pacem in terris, Humani generis,* saepe non attingere.

Liceat mihi duo tantum exempla afferre, et cetera *permulta*[5] ex prima et secunda parte secretariae tradere.

1. In n. 80, pag. 63 s., minus dicitur de participatione « sociorum operis » quam dictum est in aliis documentis Magisterii Ecclesiae, e. g.

Mater et magistra. *Quod de hoc dictum est mihi non videtur sufficere.*[6] Nisi enim socii operis seu operarii aliquo modo evadant quoque proprietarii operis, omnes reformae structurales inefficaces manebunt. Etiamsi operarii forte maiorem retributionem accipiant in aliquo systemate oeconomico, ipsi tamen contenti non erunt etiam cum maioribus retributionibus pro eorum labore. Ipsi nempe proprietarii non vero venditores proprii laboris esse volunt. Hodie operarii conscii magis magisque fiunt laborem humanum constituere partem personae humanae. At persona humana neque vendi neque emi potest. Omnis venditio et emptio laboris *in hodierno statu oeconomico et hodierno statu culturae*[7] est species servitutis.

Haec idea sublimis revera innuitur in capite, sed timide, etsi evolutio modernae societatis in hoc sensu progreditur, et quidem etiam in illo systemate, quod erga dignitatem personae humanae dicitur non esse tam sensibile sicut nos i. e. in marxismo.

Nostrum tamen non est, Fratres in Christo, promovere luctam classium, ut haec iura operariorum vindicemus. Et hunc defectum esse satis gravem huius capitis puto, quod luctam classium nempe illicitam non declarat, etsi hodie inveniuntur, proh dolor! etiam inter nostros sacerdotes, qui talem ideam antievangelicam propugnant et in praxim deducunt.

Secundum exemplum.[8] Observari potest defectus recursus ad legem naturalem, tamquam ad radicem et fontem veri et recti, etiam in campo *oeconomico et*[9] internationali. Sed mihi videtur schema abhorrere ab essentiis et naturis, i. e. a metaphysica. Attamen, etsi in hoc nostro documento non debemus et non possumus methodice uti scholastico modo loquendi, tamen saltem parum salis metaphysicae schemati valde prodesset. Nam tandem aliquando realitas rerum, etiam materialium, sine metaphysica, explicari non potest nec ad certitudinem pervenire possumus mera methodo positiva et exsistentiali. Etiam hic puto humiliter nos debere nova cum veteris *permiscere.*[10]

Itaque verum est dicere iustitiam et caritatem esse fundamentales virtutes sociales, sed non est totaliter verum dicere in iis virtutibus exsistere radicem et fontem ethicae internationalis *et socialis.*[11] Nam virtutes sunt valores ornantes subiectum, virtutum autem norma est profundior ipsis virtutibus: est nempe ipsa natura humana. Traditionalis ergo doctrina exprimitur ita ut dicatur legem naturalem esse radicem et fontem ethicae *socialis et*[12] internationalis, *sicut bene docuit Pius XII.*[13]

Conclusio. Omnibus ergo perpensis, summa cum humilitate et etiam cum aliqua timiditate ...[14], propono ut hoc Concilium faciat aliquas litteras synodales seu nuntium de pace ad mundum universum, in quo

nuntio habebitur tantummodo illa materia quae maturior esse videtur, *e. g. assumpta ex cap. IV primae partis et V secundae partis,*[15] et reliqua *ut*[16] Synodo Episcoporum tradentur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ab. [3] immaturae. [4] haberet. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] 2. In n. 92, pag. 73, praesertim pag. 74, linn. 1-2. [9] deest. [10] permisceri. [11] deest. [12] deest. [13] (cf. e. g. allocutionem Pii XII de die 13-10-1955, ubi dicit ex lege naturali derivari omnes normas essendi, agendi, omnia officia etc.). 3. Ad n. 97, pag. 76, lin. 28, humiliter observo redactores schematis denuo ibi insistere in conscientia subiectiva parentum quoad numerum prolis, nihil de lege naturae dicendo, ne verbum faciendo de peccatis contra naturam in matrimonio. Mihi videtur, ut sincere loquar, iste locus et loci paralleli, personalismo paululum exaggerato indulgere. Ideo adhaereo illis Patribus qui doctrinam de matrimonio et de problemate demographico profundiori crisi subiecerunt. [14] semper paratus suffragium maioritatis laete accipere. [15] deest. [16] deest.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH HÖFFNER

Episcopus Monasteriensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 80 episcoporum linguae germanicae. Quoad indolem generalem cap. III tria animadverto:

1. Quae in hoc capite de vita oeconomica-sociali exponuntur, maturitatem *et*[1] claritatem non attingunt, quae tres illas Litteras Encyclicas *Rerum novarum, Quadragesimo anno, Mater et Magistra* insignes reddiderunt. Nova non dicuntur. Varia autem de agricultura, de politica monetaria ...[2], de iure ad laborem *et aliis,*[3] modo nimis generali affirmantur, ita ut opinionibus erroneis ansa detur.

2. Multa in cap. III emphatice postulantur, quin concreta media ad haec postulata realizanda indicentur. Iterum et iterum hae formulae optativae inveniuntur: « Oportet », « debet », « nitendum est », « providendum est », « curandum est », « praebendum est », « concedendum est », « favendum est », « procurandum est », « vitandum est », etc. In vita oeconomica-sociali, quae concreta et realistica est, tales piae exhortationes non multum iuvant, quia problemata simplificant et moralismum sapiunt ...[4]

3. Ideologia quaedam nimis optimistica progressus ad meliorem et optimum statum rei oeconomicae hoc caput aliquatenus inficere videtur,

ac si status rei oeconomicae aequus, perfectus, optimus ubique terrarum obtineri possit, dummodo homines sincere hoc velint. Progressionem *oeconomicam* [5] ad « salutem mundi conferre » (pag. 66 ...[6]) falso affirmatur. Disparitates et imperfectiones et *etiam* [7] iniuriae ex vita oeconomica totaliter exstirpare aeque impossibile est ac eradicatio peccati ex mundo; nam « mundus totus in maligno positus est » ...[8]

Ad singula huius capitis haec animadverto [9]: 1. In schemate proprietas privata ut necessaria « ad personalem et familiarem autonomiam » ...[10] describitur. Hoc verum est. Attamen deest animadversio magni momenti: proprietatem nempe privatam elementum essentiale totius ordinis oeconomici ...[11] esse, quia competentias oeconomicas *distribuet,*[12] dum capitalismus statalis totam potentiam oeconomicam in manu paucorum conglobat, ita ut tota vita socialis, politica, culturalis, religiosa dictaturae subiugetur.

2. ...[13] In schemate divitiae feudales et steriles, *et luxui* [14] servientes ab illis divitiis non distinguuntur, quae ...[15] ad sic dictas « investitiones » destinantur. De his *investitionibus* [16] in Litteris *Quadragesimo anno* haec legimus: « Largiores autem impendere proventus, ut quaestuosae operae commoditas abunde fiat, ...[17] illustre ...[18] opus virtutis magnificentiae » censendum est ...[19]. Miseria in regionibus minus progressis non *distributione inopiae sed novis* [20] investitionibus tolli debet.

3. Schema veram functionem eorum, ...[21] quos industriae moderatores vel « imprenditores » nominamus, non recte circumscribit. *Tum* dynamica evolutio vitae oeconomicae, *tum* actuosa, responsabilis, pacifica cooperatio cum operariis magnopere ab his viris dependet, qui saepissime non ipsi possessores officinarum sunt, sed munere funguntur, *tum* operam, *tum* capitale ad collatam efficientiam consociare ...[22]. Simplex oppositio inter « capitalistas » et « proletarios » concretis condicionibus societatis modernae non iam correspondet.

4. Schema postulat, ut operarii « modis apte ordinandis, negotia inceptuum eorumque administrationem ...[23] et fructus » participent ...[24]. Attamen deest animadversio Litterarum *Mater et Magistra,* in officinis ex una parte dignitati et responsabilitati operariorum consulendum esse, ex altera autem parte etiam « necessariam efficientemque sui regiminis unitatem » tuendam esse ....[25]

5. Conditiones oeconomicae-sociales omnino diversae in civitatibus oeconomice progressis et in aliis adhuc progredientibus in schemate in unum coniciuntur, quod confusionibus ansam dat. Sic, e. g., operarii in societatibus progressis nec miseri sunt nec sui iuris invalidi, et paternalisticam protectionem ex parte moderatorum officinarum reiciunt.

6. Conceptus laboris in schemate ambiguus est. Schema supponere videtur laborem in societate moderna idem esse ac *productionem* ...[26], dum numerus eorum, qui *sic dicta*[27] « servitia » exercent (in commercio, in administrationibus etc.) de die in diem crescit. In pag. 62 ...[28], multa *de labore*[29] dicuntur, quae de omni actu humano in gratia facto, e. g. etiam de pia meditatione et de morbo patienter tolerato, valent. Cautius praeterea dicendum videtur ...[30] de methodis oeconomici laboris contra dignitatem hominis offendentibus ...[31]. *Et*[32] adnotandum est non tantum in labore fructuoso, sed etiam in « servitiis » necessitates personae et « rhythmum » hominis respiciendum esse.

Et 7. et ultimo. Quaedam asserta, nimis ad particularia descendentia, competentiam Concilii excedere videntur. Inter ea recensenda sunt, quae de planificatione collocationum ...[33] dicuntur et quae de institutis ad ordinanda negotia internationalia postulantur ...[34]. Haec omnia neque ex fide neque ex iure naturae derivari possunt.

Concludo: cap. III funditus reformandum esse. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sobrietatem. [2] de iure operistitii, de congestione operariorum. [3] indistincte et. [4] qui hominibus nostri temporis potius taedio est. [5] oeconomicam-socialem. [6] lin. 28. [7] deest. [8] (*1 Io.* 5, 19). [9] Ad singula haec animadvertenda sunt. [10] (pag. 65, lin. 17). [11] et socialis. [12] inter multos homines distribuit, distinguit, circumscribit. [13] Doctrina socialis Ecclesiae magnas divitias qua tales non reprobat, sed solummodo quatenus concrete contra iustitiam et caritatem socialem offendunt. [14] luxui et inanibus sumptibus. [15] ad bonorum collocationes et ad laborem quaestuosum procurandum. [16] ultimis divitiis. [17] modo ea opera ad bona vere utilia comparanda insumatur. [18] ac temporum necessitatibus apprime aptum. [19] (*Quadragesimo Anno,* n. 51). [20] distributionibus sed. [21] qui societatibus bonis creandis vel privatis vel publicis praesunt, et. [22] (*Quadragesimo Anno,* n. 53). [23] (gestion). [24] (pag. 63, linn. 18-20). [25] (*Mater et Magistra,* n. 98). [26] (62, lin. 28: « naturam sigillo signat »; pag. 62, lin. 32: « creationis divinae sociam operam praebere »; pag. 63, lin. 2: « processus laboris fructuosi »). [27] deest. [28] (linn. 32-33). [29] deest. [30] (pag. 62, lin. 39 - pag. 63, lin. 5). [31] Nam difficile esse videtur ex divina revelatione vel ex iure naturae probare, quod v. g. labor monotonus dignitatem hominis violat. [32] Praeterea. [33] (pag. 64, linn. 32-40). [34] (pag. 66, linn. 19-21).

Animadversiones additae:

Quaedam minoris momenti addenda sunt:

1. Pag. 60, linn. 9-10: hae lineae omitti possunt, quia per se patent.

2. Pag. 61, lin. 14: loco « normis » dicatur « legibus » quia sociologia moderna « normis » potius sensum moralem tribuit.

3. Pag. 62, lin. 4: dicatur: « ... ne ruricolae, ut saepius tum in societatibus oeconomice progressis, tum in progredientibus accidit, in statum oeconomicum et culturalem inferioris ordinis collocentur.

4. Repetitio vitanda est v. g. quoad « laborem sufficientem » pag. 62, lin. 20 et pag. 62, lin. 37.

5. Quem obligat « ius strictum » de quo pag. 64, lin. 12 sermo est?

6. Pag. 66, lin. 11: addatur: Sancta Synodus valde deplorat quod in quibusdam regionibus ruricolae expropriati et in « collectiva » (Kolchos) pressi sunt.

Nomina Patrum conciliarium linguae Germanicae, qui interfuerunt Conventui die 27 m. septembris 1965 habito:

Bengsch, arch., ep. Berolinen.; Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Bokenfohr, ep. Kimberleyen.; Bolte, ep. Fulden.; Borne, abbas praeses Congr. Beuronen. O.S.B.; Brezanóczy, admin. apost. Agrien.; Buchholz, praef. apost. Shihtsienen.; Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen.; Cleven, ep. aux. Colonien.; Cobben, ep. Helsinkien.; Cserháti, admin. apost. Quinque Ecclesien.; card. Döpfner, archiep. Monacen. et Frisingen.; Etspüler, prael. null. Banguenden.; card. Frings, archiep. Colonien.; Gnädinger, ep. aux. Friburgen.; Graber, ep. Ratisbonen.; Gran, ep. Osloën,; Grimm, ep. Zinceuven, et adm. apost. Sibolgaen.; Haering, ep. Scioceuven.; Hengsbach, ep. Essendien.; Hiltl, ep. aux. Ratisbonen.; Hintringer, praef. apost. Khiamuszen.; Hoeck, abbas praeses Congr. Bavaricae O.S.B.; Hoehne, vic. apost. Rabaulen.; Hoeffner, ep. Monasterien.; Hofmann, ep. coad. Passavien.; Jaeger card., archiep. Paderbornen.; Janssen, ep. Hildesheien.; Kaiser, prael. null. Caravelien.; Kampe, ep. aux. in dioec. Limburgen.; Kelleter, ep. Bethlehemn.; Kempf, ep. aux. Herbipolen.; Koberger, sup. gen. Congr. Lat. Austria Klosterneuburg Vindobonen.; Koestner, ep. Gurcen.; Koenner, ep. tit. Modrenus; Koppmann, vic. ap. Vindhoeken.; Laszlo, ep. Sideropolitan.; Lenhardt, ep. aux. Bambergen.; Leiprecht, ep. Rottenburgen.; Macheiner, ep. aux. Salisburgen.; Mangers, ep. tit. Afufenien.; Musty, ep. aux. Namurcen.; Nierhoff, ep. Floresten.; Pachowiak, ep. aux. Hildesheien.; Pietsch, ep. aux. Secovien.; Przyklenk, ep. Januarien.; Reiterer, ep. Lydenburgen.; Reuss, ep. aux. in dioec. Moguntin.; Rintelen, ep. aux. Paderbornen.; Riha, abbas praeses Congr. Austria O.S.B.; Rohracher, archiep. Salisburgen.; Rosenhammer, vic. apost. Chiquitosen.; von Rudloff, ep. aux. Osnabrugen.; Rusch, admin. apost. Oenipontan.; Schick, ep. aux. Fulden.; Schmitt, ep. Bulanaien.; Schräder, ep. aux. Osnabrugen.; Schoiswohl, ep. Secovien.; Schroeffer, ep. Eystetten.; Schütte, sup. gen. S.V.D.; Sedlmeier, ep. aux. Rottenburgen.; Senner, ep. Cochabamben.; Spülbeck, ep. Missnen.; Stein, ep. aux. Treviren.; Stimpfle, ep. Augustan. Vindel.; von Streng, ep. Herbipolen.; Theissing, ep. aux. Berolinen.; Tenhumberg, ep. aux. Monasterien.; Tschudy, abbas null. Einsiedlen.; Verschuren, ep. coad. Helsinkien.; Verwoort, ep. tit. Baricen.; Volk, ep. Moguntin.; Wechner, ep. aux. et Vic. Gen. in dioec. Oenipontan.; Wehr, ep. Treviren.; Weigl, ep. Ikelaën.; Weinbacher, ep. aux. et vic. gen. Vindobonen.; Westerman, ep. Sambalpuren.; Zak, ep. S. Hippolyti; Zauner, ep. Lincien.; Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.

16

EXC.MUS P. D. GERARDUS M. CODERRE
Episcopus S. Ioannis Quebecensis

Animadversio ad n. 75 cap. III sub titulo « Quidam aspectus vitae oeconomicae hodiernae ». Nomine plurium episcoporum Canadensium et aliquorum e diversis nationibus loquor.

Cap. III partis II schematis longe ac late loquitur de vita oeconomica-sociali. Mentem Ecclesiae in hac materia vult exprimere. Immo schema intendit Ecclesiam, ex perceptione et intelligentia realitatis mundi in quo vivimus, totam humanitatem inducere ad actionem quae proposito divino insimul et exigentiis missionis generis humani correspondeat.

Procul dubio, ut hunc finem (qui maximi momenti hodie videtur) attingat, oporteret textum nostrum *propheticum* esse, saltem eo sensu quod tractatio rei tam intime permeantis vitam concretam hominum, radicari debeat in motu ipso progressus actualis mundi. Non pertinet ad hoc Concilium statuere de conditionibus temporis peracti: ex altera parte, impossibile est in hoc campo theoriam universalem formulare unica luce experientiae praeteritae. Realitas oeconomica-socialis quam maxime fluens est, in perpetua evolutione, semper formas novas inveniens ac producens ita ut formae actuales iam in se ferunt principium eorum quasi decrescentiae. Constitutio nostra, si vult pastoralis esse, *ad futurum* et non *ad praeteritum* adspiciat oportet: iam de ipso futuro cogitando, quod hodie sub oculis nostris paulatim in dies nascitur; proferendo in istas contemporaneas generationes lumen Evangelii ut clare percipiant significationem eius; tandem proponendo hominibus, qui talis mutationis fautores sunt, Verbum Dei ad revelandum sensum et legem missionis eorum.

Hoc cap. III periti in re oeconomica-sociali attente consideraverunt et eorum iudicium indulgens non fuit. *Opinantur plures oeconomistae* textum illum conciliarem nimis sollicitum esse de typo societatis oeconomicae iamiam in via exstinctionis; opinantur etiam textum non satis considerare crisim societatis hodiernae et fermenta transformationis in ea iam profunde agentia; censent denique textum ignorare mechanismos institutionales iam exsistentes, qui societatem hodiernam in statum futurum iam introducunt. In redactione actuali, constitutio nostra illis peritis videtur realismo graviter carere nec satis lucide conditionem authenticam societatis humanae actualis intelligere. Plus enim quam antea haec societas periodum mutationis radicalis nunc experitur. Sumus in conditione quam specialistae *periodum post-industrialem* vocant cum omnibus notis propriis istius momenti typici et unici evolutionis hominum. Prae-

sens societas iam sibi gradatim creat institutiones novas suo statui novo congruentes. De ista fermentatione profunda deberet constitutio curare, nam sors proxime futura humanitatis ab eadem pendet.

Proinde, *primo,* hoc cap. III, cuius momentum patet, de legibus vitae oeconomicae, de necessitate iustitiae, de iusta distributione bonorum, de relationibus inter divites et pauperes, loqui debet sed consideratio sua esse non potest modo mere abstracto elaborata vel modo nimis tributario situationi quae tempore revolutionis industrialis praevaluit et iam valorem suum in dies amittit.

Secundo. In genere, optandum est ut principia capitis vere hodiernam situationem historiae hominum et praesertim motum praesentem ad futurum respiciant: non quidem specifica et analytica, sed generica et synthetica claritate.

In specie, curandum est ne textus minus consideret elementa quae revera sunt praecipua in ordine sociali, v. g.: munus Civitatis in planificatione sociali; organizatio communis vitae commoditatis; aequa distributio laborum ac vacationum seu feriarum; nonnulli et varii non statales organismi cooperationis: diversa servitia socialia apta ad periodum postindustrialem.

Consequenter, viri rebus technicis dediti et omnes qui societatem futuram construunt solummodo si loquatur vocabula illorum nuntium Ecclesiae poterunt accipere. Breviter, si volumus textum vocem Concilii pro die hodierno exprimere et iuvare Ecclesiam ut ipsa conscia fiat de problematibus concretis huius temporis, mihi et multis Patribus necessarium videtur hoc momentosum caput in melius profunde redigere, secus Ecclesia non satis competenter ac pertinenter loqueretur, et spiritum servitii, quod exigit Evangelium, mundo non satis clare manifestaret. Dixi. Gratias.

17

Exc.mus P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MÉNDEZ
Archiepiscopus Burgensis

Venerabiles Patres,

Plura laudanda exstant in hoc capite, maxime frequens inspiratio in documentis socialibus Romanorum Pontificum, animus amplus quo intricatissimae quaestiones de re oeconomico-sociali aggrediuntur nec non vehemens desiderium superandi realitatem actualem ac perveniendi ad idealem situationem aequae ponderationis personae humanae eiusque laboris.

Hac de causa *alicuius* [1] momenti reputo emendationes quas proponere

auderem, ad hoc ut, in quantum possibile sit, perficiatur tum doctrina tum modus eam exponendi prout Concilium decet.

Prae primis notare velim criterium quod semper in his rebus altum praevalere debet. Iuxta principia recte statuta in I parte huius schematis, cap. IV, « unicus finis propter quem (Ecclesia) vivit est Christi propositum exsequi » ...[2]; ideo « Christus ... Ecclesiae suae nullum mandatum concredidit nullumque finem assignavit, qui ad ordinem politicum, oeconomicum, socialem spectaret. Finis quem ei praefixit ordinis religiosi est » (n. 51). Et in prooemio huius II partis adiungitur intentio: « ut circa singula clarescant principia et lumina a Christo manantia » (n. 59).

Iam vero, valde dubitare possemus utrum missio religiosa Ecclesiae et lux principiorum a Christo manantium sese extendant ad quasdam concretas doctrinas huius capitis, siquidem sub aspectu technico inter peritos disputantur, ut e. g., quae in schemate innuuntur aut dicuntur de libertate oeconomica, de operistitio, aut de pecuniarum collocationibus.

Certe, spiritus evangelicus alienus non esse debet a qualibet activitate humanae vitae. Hoc autem Ecclesia non obtinet sese immiscendo in problematibus quae directe civitati competunt, sed potius homines imbuendo responsabilitate christiana, ut in omnibus principia evangelica ad praxim deducant. Nam, cum circumstantiae tam diversae inveniantur nec possint saepe eodem modo eadem principia sub aspectu technico in omnibus regionibus applicari, Concilium, ad nimis concreta descendendo, eo ipso influxum Evangelii limitaret. Immo, fundamentum praeberet ad hoc ut Ecclesia accusetur de invasione sphaerae mere oeconomicae, *aut fortasse de suggerentia determinatae politicae oeconomicae formae.*[3]

Schema plura praesupponit quae tantummodo quibusdam populis sunt aptata et proinde remanent pro aliis vel mere utopica vel minus apta. Attentis vero legibus historicis progressus socialis, videntur etiam absque sufficienti prudentia dicta, ita ut ansam praebere possint aliquando violentae eversioni ordinis stabiliti, quin obtineatur desideratus progressus, qui non repente ubique instaurari potest, sed de gressu ad gressum et iuxta media *quae realiter habentur.*[4]

Aliunde etiam sufficiens aequilibrium deficere videtur in doctrina proposita, eo quod fere tantum de iuribus operariorum sermo sit; *quae quidem iura, licet totis viribus urgeantur, cum officiis correlativis componi debent.*[5]

De operistitio, alii Patres luculenter iam locuti sunt, quibus adhaereo, praecipue iis quae a cardinale Bueno y Monreal hac in congregatione dicta fuerunt. Liceat tantummodo brevissime memorari gravia mala quae operistitium semper involvit: condiciones requisitae ad eius liceitatem

non facili modo dari; consuetas esse eius implicationes politicas [6]; immo pro quibusdam systematibus operistitium nihil aliud est quam instrumentum ad pugnam inter « classes » sociales fovendam. Semel obliterato principio « non sunt facienda mala ut eveniant bona », etiam *de iure belli loqui possunt.*[7] Iam vero, recursus ad violentiam pro solvendis conflictibus *socialibus* [8] arguit tum primitivismum quemdam tum insufficientiam systematis politico-oeconomici. Oporteret proinde Concilium non descendere ad haec concreta, sed omnes hortari ut spiritu iustitiae ac caritatis problemata humano modo solvant.

Addendum etiam est documentum conciliare obligationem in conscientia catholicis imponere; ideo doctrinae non tales esse possunt quae sub aspectu technico definitive acquisitae non sint.

Insuper, ...[9] quaelibet forma demagogica debet *vitari* [10]; a qua textus huius capitis non videtur omnino alienus.

Denique iterum iterumque meminisse oportebit Ecclesiam « propositum Christi exsequi » ...[11]. Christus vero tentatus fuit a diabolo ad hoc ut a missione sua supernaturali averteretur et ad temporalia induceretur ... [12]. Etiam nostris diebus Ecclesia experiri potest tentationem « panis », facilitatis et politicae. Nonne eodem vigore ac Christus exspectationi quorumdam, fere tantum temporalia petentium, respondere debet *Concilium iisdem verbis quibus Christus usus est ad diaboli tentationem ultimo repellendam?* [13] *Fortassis nostris diebus periculum adsit indirecte fovendi falsam exspectationem messianicam, quae temporalia petens animos imbuit dimidii mundi partis et plures etiam catholicos videtur allicere.*

Schema huic falsae exspectationi indulgere non debet ne mundus hodiernus denuo nobis proponat prementem interrogationem: « Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel? ».[14]

Conclusio: Totum hoc caput ita redigatur ut clara et inconcussa principia, certo a doctrina Christi manantia, enuncientur. Christiani et omnes homines bonae voluntatis alliciantur ut ea in praxim deducant, ducti ...[15] virtutibus a Pio XI in Litteris Encyclicis *Quadragesimo anno* memoratis: sociali iustitia et caritate sociali ...[16], et attentis circumstantiis. Vitentur autem implicationes concretae Ecclesiae ut talis in quaestionibus mere technicis quae civitati terrenae competunt ...[17]. *Alta radix omnium problematum potius attendatur, docente Leone XIII.*

Audeo — parcite mihi — rogare Patribus ut Concilium de his rebus caute agat atque prudenter procedat.[18] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] maioris utilitatis ac. [2] (n. 49). [3] deest. [4] realiter possessa. [5] omitti non deberent etiam officia correlativa. [6] San-

ciri videtur operistitium, quin nominentur gravia mala quae, dicente Leone XIII, frequenter involvit, ut violentiae et tumultus, nec conditiones requisitae ad eius liceitatem, quae rarissime verificantur; nec denunciantur, sicut oportet, eius consuetae implicationes politicae. [7] bellum iustificari possit. [8] deest. [9] pro omnibus. [10] esse vitanda. [11] (n. 49). [12] (cf. *Mt.* 4, 1-11). [13] Vade, Satana? (*Mt.* 4, 10). [14] deest. [15] duabus. [16] (D. 3741). [17] Homines efformemus vere christianos et cetera adiicientur nobis. [18] deest.

Moderator: Proxima Congregatio erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. ACHILLES card. LIÉNART: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

(partem II, cap. II)

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS *

(partem II, cap. II)

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Pag. 52, lin. 10. « Communes condiciones vivendi »: (pro gall. styles de vie divers): non est clarum; fortasse dicatur simpliciter « condiciones vivendi » vel melius « modi vivendi ».

« Diversae formae componendi bona vitae » (pro gall. « Echelles des valeurs »): forte melius dicitur « diversi modi diiudicandi vitae valores ».

Pag. 52, lin. 11. « Ex traditis institutis » (pro gall. « usages »): dicatur potius « ex moribus ».

Pag. 52, lin. 13. « Consortionis ratio » (pro gall. « milieu »): melius adhibetur vox iam aliquomodo in usu « medium ambiens ».

Pag. 52, lin. 27. « Cultus ingenii rationem » expressio minime clara; secundum gallicum fortasse simpliciter dicendum est « culturam magis universalem ».

Pag. 52, lin. 31. Loco « maioris *ponderis* » dicatur « maius munus, id est officia secumfert ».

Pag. 53, lin. 6. « Pervia patet »: expressio non clara: melius dicatur « hodie accessus ad bona cultus humani ita patet, ut hic semper magis disseminetur ».

Pag. 53, lin. 7. Quid significat expressio « comperitur »? vel dicatur « notum est quidem », vel secundum gall. « accidit quidem ».

Pag. 53, lin. 9. « Novam rerum concinentiam »: forte melius « novarum rerum concentum »; « concinentia » non est vox latina.

Pag. 53, linn. 17 s. « Ad integrum ... perficiendum »: melius secundum gall. « ad efformandum typum hominis aequiore ratione dispositum et magis completum ».

Pag. 53, lin. 22. « Ad humanismum *quemdam* ... ».

Pag. 53, lin. 25. « Nemo non videt ... vocari »: melius « Nemo non videt, quantopere omnes, et praecipue christifideles, vocentur, ut fraterne cum tota familia humana uniti nova haec munera strenue adimpleant ».

Pag. 53, lin. 29. « Ea quae sursum sunt *quidem* quaerere ».

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt.

Pag. 53, linn. 31 s. « Adlaborandi ... mundi ... configurandi »: melius « laborandi in mundo aedificando et modo magis humano ordinando ».

Pag. 53, lin. 32. « E contra », gall. « au contraire », latine melius redditur « immo ».

Pag. 53, lin. 33. « Attingunt »: probabiliter textus supponit subiectum lin. 28 « christifideles »; in hoc casu dicendum esset « attingere vel invenire possunt »; sed cum hoc subiectum nimis distet, melius dicitur cum gall. « inveniuntur » scil. incitamenta et adiumenta. An illud « attingunt » idem est ac « conferunt »?

Pag. 53, lin. 35. « *Quo* cultus humanus »: si vox « quo » refertur ad vocem « sensum », dicendum esset potius « vi cuius ».

Pag. 53, lin. 37. « Technicae *rationis* »: cum vox « technica » hodie ex plurimo usu clara sit, vox « rationis » omitti potest, unde textus clarior evadit.

Pag« 53, lin. 38. « ... atque artis ... ut fructum afferat ... habitaculum fiat »: mentio artis in terra excolenda non statim clara est; ex sequentibus apparet opus manuum hominis (lin. 37) referri ad fructum, quem terra ferre debet, artem vero ad terram dignum hominis habitaculum efficiendam; unde fortasse iuvaret duas res separare et dicere: « cum enim homo ... ope technicae terram laborat, ut fructum afferat eamque ope artis excolit, ut dignum hominis habitaculum fiat, ipse consilium Dei ... ».

Pag. 54, lin. 1. « Magnum Christi mandatum »: de *quonam* mandato agitur? De illo verbo Domini: « Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister ... » (*Mt.* 20, 26-28) (Confer etiam *Gal.* 5, 13 « per caritatem spiritus servite invicem ») vel de magno mandato caritatis?

Pag. 54, lin. 5. Quid est « artis disciplina »? fortasse: « ... artis *ramos* ».

Pag. 54, lin. 12. « Immo *addito* impulsu ... ».

Pag. 54, lin. 13. « Ad omnia salvanda »: forte dicendum est potius « ad *omnes* salvandos » nam Novum Testamentum vix umquam de salute omnium *rerum* loquitur: (*Col.* 1, 20 « per eum conciliare omnia ... » vix de rebus intellegi potest).

Pag. 54, lin. 18. Corrigatur mendum typographicum « aestimet ».

Pag. 54, lin. 19. « Hae *tamen* »: melius « nihilominus hae disciplinae ».

Pag. 54, lin. 20. « Eum ad Deum aptius perducere possunt »: expressio nimis brevis et parum apta; dicatur « ad Deum viis magis aptis attingendum iuvare possunt ».

Pag. 54, lin. 23. « Animi recessus »: secundum contextum et secundum gall. melius « profunda sui proprii esse » (vel: profunda suae naturae), nam non agitur tantum de animo sed de *toto* esse hominis.

Pag. 54, lin. 27. « Inde a primordiis »: si agitur de primis initiis revelationis, melius dicitur « inde ab initiis »; secus si agitur de primordiis historiae generis humani (quod non videtur obtinere).

Pag. 54, lin. 31. Quid est « cultus ingenii »? Si agitur simpliciter de cultura, adhibeatur haec vox.

Pag. 54, linn. 31 ss. « Instrumentum ... consignatum ... intelligendi ...

explicandi »: melius dicatur « instrumentum *ad* nuntium sibi *concreditum* altius intelligendum et investigandum ... » (vel « instrumentum cuius ope nuntium ... altius intellegere investigare etc. ... valet »).

Pag. 54, lin. 36. Ordo verborum sic mutetur: « At simul Ecclesia, *cum* ad omnes populos ... missa sit ... ».

Pag. 54, lin. 37. « Nulli antiquae aut novae consuetudini »: vox « consuetudo » potius singulas consuetudines denotat; insuper attendatur differentia a textu Gallico qui tam de vitae genere quam de moribus agit; unde dicatur: « nulli vitae rationi, nullis moribus sive antiquis sive recentioribus ... ».

Pag. 54, lin. 38. « Suae *propriae* traditioni »; quaeritur tamen, quid sit haec « traditio propria Ecclesiae ». Nam praecise per communionem cum variis culturis variae traditiones creantur; ergo vel dicatur suae traditioni *dogmaticae,* vel melius « doctrinae a Christo sibi concreditae ... ».

Pag. 54, lin. 40. « Ditesc*unt* » (sunt enim duo subjecta!).

Pag. 54, lin. 41. « Bonum nuntium »: ordinarie vox graeca « evangelium » latine « laetus nuntius » vertitur; sed non est cur non adhibeatur verbum iam usitatum latinum « Evangelium ».

Pag. 54, lin. 42. « Minaci »: haec vox probabiliter exprimere deberet hanc seductionem semper imminere; dicatur forte « quae semper imminet ».

Pag. 55, lin. 1. « Animi ornamenta dotesque » (pro gall. « qualités et traditions » quod omnino melius contextui quadrat); dicatur ergo « dotes spirituales traditionesque ».

Pag. 55, lin. 3. Omittatur citatio *Eph.* 1, 10, quippe quae non sit ad rem; in textu ad Ephesios enim agitur de omnibus rebus « in Christo *in*staurandis », id est sub Christo Capite unificandis, non de iis *re*staurandis.

« Evangelium reapse in aedificationem praedicatur » (gall. « constructeur ») melius et clarius: « sic praedicatio Evangelii vere et proprie aedificat ».

Pag. 55, lin. 8. « Animi cultum » pro voce « cultura »; notandum ante omnia hic et in sequentibus pro idea culturae omnino varias expressiones, easque non semper claras, adhiberi, unde textus certe adhuc difficilior redditur. Iamvero si pag. 55 lin. 35 dici potest « vita culturalis » (pag. 56 lin. 14 « vitae suae culturalis »), non apparet cur non possit adhiberi simpliciter vox « cultura », quae certo ab omnibus intellegetur; quidquid sit, saltem semper eadem expressio adhibenda est (idem dicatur de pag. 55 lin. 20). Hoc eo magis urget quia expressio « animi cultus » post paucas lineas (lin. 11) vere de animo excolendo dicitur.

Pag. 55, lin. 10. « ... referendam »: secundum contextum est nimis vagum et secundum gall. melius dicitur « subordinandam ».

Pag. 55, lin. 13. « ... *faciendi* iudicium » melius « efformandi ».

Pag. 55, linn. 14 s. « ... ad sigillum *proprie* humanum ... *etsi* non sine labore ».

Pag. 55, lin. 22. « Sui iuris agendi facultate »: melius « su*o* iur*e* agendi facultate ».

Pag. 55, linn. 23 ss. « Servatis ... boni communis »: forte melius invertitur « inviolabilitate, intra fines boni communis, servatis iuribus singulorum ac societatum, tam particularium, quam societatis integrae ».

Pag. 55, lin. 26. Omitte vocem « libenter »; nulla enim apparet ratio cur ipsa ponatur.

Pag. 55, lin. 30. Hic melius repetitur subiectum: « quare *S. Synodus* iustam hanc libertatem ... ».

Pag. 55, lin. 34. « Sed *potius* condiciones ».

Pag. 55, lin. 35. « Praeprimis instandum est »: melius « diligenter (vel enixe) curandum est ».

Pag. 55, lin. 36. « ... Ne civilis cultus ... cogatur »: forte melius « ne civilis cultus cogatur, proprio fine neglecto, potestatibus politicis vel oeconomicis servire ».

Pag. 56, linn. 2-5. Plura corrigenda vel clarius exprimenda occurrunt: « ius *omnis personae humanae* ad humanum civilemque cultum, *eiusdem* personae dignitati *congruum, excluso quolibet* discrimine *ob* stirpem, sexum, nationem vel socialem condicionem, ubique terrarum agnoscatur et ad effectum deducatur. Ideo sufficiens *eiusdem* cultus bonorum copia omnibus providenda est, praesertim *illius* cultus, quem ... ».

Pag. 56, linn. 11 s. « Emergant, tum suo ingenio ... consentanea »: melius « officia accedere possint, quae et eorum ingenio et peritiae, quam sibi ipsi acquisiverunt, consentanea sint ».

Pag. 56, lin. 13. Loco « cuiuscumque » videtur debere dici « uniuscuiusque » (di *ogni* popolo, *non* di qualsiasi popolo).

Pag. 56, lin. 14. « Suis dotibus atque a maioribus traditis memoriis », forte melius « eorum dotibus et traditionibus » (non intellegitur cur vox tam communis « traditio » tribus vocibus describatur).

Pag. 56, lin. 17. Loco « *res* speciali ... » dicatur « *Quod* speciali ... ».

Pag. 56, lin. 18. Post « valet » melius incipiat, secundum gall. et secundum contextum nova sententia et quidem sic: « Unde illis tales *laboris* condiciones praebendae sunt, quae eorum cultum humanum non praepediant sed potius promoveant ». (Hoc est enim consequentia ex sententia praecedenti). (Loco amplae descriptionis « operam suam praestandi » dicatur simpliciter « laboris »).

Pag. 56, linn. 21 s. Incisum « morali ordine communique utilitate servatis » ponatur ante incisum « verum inquirere », secus textus ita intellegi potest ac si inquisitio veri non subsit ordini morali.

Pag. 56, linn. 22 ss. « Opinionem suam declarare ... certior fiat »: plura hic corrigenda occurrunt; dicatur: « opinionem suam *exprimere* et *diffundere* atque artem *quam libuerit* colere, ac denique *secundum* veritatem de publicis eventibus certior *fieri* ».

Pag. 56, linn. 30 s. « Universalem intellegentiam ... sapientiam »: melius « mentis habitum omnino universalem (Confer. gall. ouverture universelle) et veram sapientiam humanam ».

Pag. 56, lin. 33. « Rectum rerum ordinem » secundum gall. et contextum exactius « *verum* rerum *sensum detegunt* ».

Pag. 56, lin. 35. « ... transfunduntur » melius « imprimuntur ».

Pag. 56, lin. 37. « ... praebentur *a* nostri temporis condicionibus ».

Linn. 37 ss. « Cum ... laboris spatio »: melius « cum ob imminutam laboris durationem ».

Pag. 56, linn. 38 s. « In dies augescant ... opportunitates »: magis praecise et melius « in dies pro multis augeantur opportunitates sese excolendi ».

2

EM.MUS P. D. LAURENTIUS CARD. JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Partis II cap. II de culturae humanae rite promovendo progressu agens quosdam huius progressus principia in nn. 69-71 illustrat. Hac in parte deest huius progressus dimensio proprie historica, quia etiam in prima huius schematis parte vix tangitur. Hic aspectus historicus eo magis desideratur, quo homines nostrae aetatis imbuuntur hac historice cogitandi forma.

Pulchre in n. 69 schema nostrum demonstrat hominis ingenium eiusque operositatem intellectum et bonitatem divinam participare et imitari, attamen hic aspectus ut ita dicam « verticalis », de quo iam Plato disseruit, necessario per aspectum « horizontalem », i. e. historicum, compleatur oportet. Etenim progressus culturae evolvitur in quadam serie temporis momentorum, quibus omnis effectus operationis humanae iugiter immutatur et explicatur et in futuros effectus tendit. Quisnam autem est terminus, ad quem tendit haec explicationis cursus? Multi homines nostrae aetatis quendam statum absolutae felicitatis mere intramundanum appetunt, quo omnia hominis desideria veluti in paradiso terrestri adimpleantur, et cum civilisationis et culturae progressus nostris diebus quasi in infinitum perfici videatur, quendam eschatologismum intramundanum profitentur. Christiani autem, etsi omnibus viribus suis progressum humanae culturae promovent, sciunt et profitentur eum non in infinitum procedere, quia cursus temporum tendit in finem adventus secundi gloriosi Domini Iesu Christi, qui omnia in deditionem suam subigat et ineffabili modo novum caelum novamque terram adducet. Deus etenim, qui solus sine tempore exsistit, mundum ita una cum tempore creavit, ut essentialiter sit temporalis et ad finem temporum tendens. Insuper revelatio divina nos docet historiam huius mundi una cum progressu culturae humanae in finem tendere eschatologicum. Hoc sensu adesse festinant ultima tempora, et illa evolutio culturae terrestris a Deo volita una cum historia salutis et iniquitatis in unum atque eundem terminum tendit, qui apparebit in secundo Domini nostri adventu.

Praeterea: schema nostrum saepius et pulchre de explicatione personae humanae labore et opere loquitur, sed etiam haec sententia compleatur oportet

per aspectum historicum et finalem. In omnibus enim operationibus suis, quibus sese explicat et personaliter perficit, homo de facto — etsi inscius — necessario in suum finem temporalem tendit et ad eum appropinquat. Hic finis temporalis hominis in statu isto est sua ipsius mors, quae tamen in Christo est transitus ad finem ultimum, scil. perfectionem finalem in ipso Deo. Structura essendi dynamica hominis, a Deo creante volita et in operatione humanae personae necessario elucens, duplicem ergo habet aspectum: explicationem personalem et tendentiam in finem ultimum. Hi duo aspectus ita inter se connectuntur, ut persona humana secundum ordinationem Dei laborando et progrediendo se perficere oporteat respectu sui finis ultimi, quia unusquisque in ultimo die a Christo iudicabitur secundum quod eius mandatum servaverit sese in servitium fratrum impendendi.

Ideo propono, ut in n. 69 expressis verbis exspectationi mere intramundanae multorum respondeatur per sententiam, quae hodierno modo sentiendi et cogitandi indolem historicam sapiens adaptata est. Insuper aspectus supra descriptus iterum in schemate eluceat oportet, praesertim in expositione introductiva, ut optimismus simplex iugiter evitetur.

N. 69 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* in hanc fere formam mutetur: « 69. [*De cultu humano sub lumine fidei*]. Christifideles, in unum Populum Dei congregati, ad civitatem caelestem peregrinantes et scientes vanitati creatura subiecta esse (cf. *Rm* 8, 20), quia " caelum et terra transibunt " et " dissolvenda " sunt (*Mt* 24, 35; *2 Petr* 3, 11), novum caelum et novam terram exspectant (*2 Petr* 3, 13), quo tamen nequaquam minuitur ... [ut in textu, pag. 53, lin. 30] ... initio temporum hominibus patefactum, exsequitur [*ibid.*, lin. 40]. Temporum cursus non autem solummodo initium sumpsit, sed etiam tendit in finem a Deo determinatum. Voluit enim Deus homines facultates suas operando et laborando explicare et perficere usque ad secundum gloriosum adventum Christi, qui omnia sibi subiecerit. Omnis ergo progressus culturae humanae exitum et finem non habet in aliquo statu perfectae felicitatis mere intramundanae, sed in adventu Domini, quo historia huius mundi terminata erit. Quare Christifideles omnibus viribus suis culturae progressui operam dantes non obliviscuntur omnem historiam huius mundi, qui insimul est historia salutis et iniquitatis, tendere in istum finem transcendentem. Sciunt insuper Christum unumquemque hominem iudicaturum secundum magnum ipsius mandatum sese impendendi in servitium fratrum ».

3

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. JOURNET

Pag. 57, linn. 4-5 sic legantur: Ex se, humanus civilisque cultus cum christiana institutione componitur, cum « etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissentio esse possit ». Nam verum vero nunquam contradicere potest. Si autem species contradictionis

oritur, hoc ex causis contingentibus, non ex ipsamet natura scientiae et doctrinae sacrae fit, vel quia « fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur » (cf. Conc. Vat. I, DENZ. 3017-1797). *Ratio*: textus nunquam distinguit inter naturam vel essentiam scientiae et doctrinae sacrae ex una parte et quid decursu historiae evenerit in relationibus hominum scientiarum cultorum et theologorum ex altera parte. Sic cum magna confusione sermo fit, permixtim tractans de rebus *de iure* et de rebus *de facto*. Nomine eorum quae de iure sunt possumus iudicare de his quae de facto evenerunt.

Linn. 6-16 sic legantur: Sic decursu temporis non raro dissentiones evenerunt, non habita sive ex parte theologorum aliquorum sive ex parte scientiarum cultorum recta ratione de utriusque disciplinae indole ac limitibus. Neque semper moralistae catholici sat accurate et celeriter ad sui temporis postulationes ac nova problemata attenderunt. Unde christianorum officium est, pari gressu, doctrinam revelatam a Magisterio Ecclesiae transmissam et expositam ex una parte, cognitionemque scientiarum necnon progressus technicarum artium ex altera parte tenere, ita ut valeant res omnes integro christiano sensu diiudicare atque interpretari. Etsi ... *Ratio*: eadem ac supra. Insuper generalisatio est contra veritatem historicam. Expressio: « modus cogitandi dogmaticus » est valde ambigua. In calumniam ipsius dogmatis verti potest, cum expressio moderna « dogmatismus » semper sensu peiorativo adhibeatur. Expressio etiam: « scientiarum progressus » est nimis simplex. Nam plerumque conflictus fuit inter doctrinam christianam et opiniones parascientificas scientiarum cultorum.

« Postulationes hominum huius temporis » non sunt semper rectae neque ideo sunt index veri.

Lin. 26, post: studeant, addere: sacra doctrina edocti lumineque Spiritus Sancti illustrati, discernere satagant quid in his sentiendi modis sit Evangelio conforme et quid non. Scientiarum recentes ... *Ratio*: dum homines sint etiam peccatores, in omni aetate sentiendi modi verum et falsum, bonum et malum implicant. *Iudicare,* non autem serviliter omni vento doctrinae acquiescere, est christiani officium et etiam dignitas.

Linn. 27-29, legatur sic: quaestiones suscitare possunt, quas philosophi christiani attente considerare ac solvere debent. Theologi, dum doctrinam incommutabilem Ecclesiae exponant atque explicent, etiam rationem habeant problematum hominum suae aetatis, ne suspicio ... *Ratio*: non omnes scientificae acquisitiones novas quaestiones suscitant. Insuper textus fideismum sapit, cum nihil dicat de philosophia christiana. At plurima problemata hodierna ad philosophiam potius quam ad theologiam, quae haec problemata mediante philosophia invenit, pertinent. « Visio hodierna mundi » est quid ambiguum, cum multa elementa huius « visionis » sine fundamento obiectivo sint. Sic quaeque aetas suam ideologiam habet, quae cum scientia et philosophia confundi nequit.

Linn. 37-42, usque ad pag. 58, lin. 4, sic legantur: Unde theologi cum

hominibus philosophiae christianae ac diversarum scientiarum studiosis cooperari studeant. Haec socia opera plurimum proderit ad hoc ut homines variis disciplinis exculti pleniorem fidei scientiam adipiscant. Similiter in institutione sacrorum ministrorum, praeparatio idonea adhibeatur, ita ut doctrina evangelica coaevis nostris clare proponatur. Immo ... *Rationes*: *a*) normae vel exhortationes relate ad theologiam ex una parte et ad philosophiam ex altera parte non possunt esse eaedem ex parte Concilii, cum philosophia sit opus culturae, theologia autem ad activitatem ecclesialem pertineat. Normae similes possunt haberi tantum pro Seminariis ubi philosophia relate ad theologiam adhibetur. Agnoscenda est philosophiae legitima autonomia, omni clericalismo reiecto. *b*) Idem munus attribuere iis qui docent in seminariis et iis qui apud universitates indagationes peragunt est sine realismo, cum scopus seminarii sit ante omnia formatio solida cleri. Insuper pauci sunt homines vere capaces recte has indagationes difficillimas peragere. *c*) Alia est doctrina, alius modus quo haec doctrina praesentatur. Insuper distinguendum est modus procedendi theologiae quae technice res formulat et expressiones paedagogicae ad pastoralem pertinentes. Doctrina non reducitur ad sermonem mutabilem. Textus omnia confundere videtur.

Linn. 10-15 denuo scribantur, realiter momentum praecellens artium ingenuarum exprimentes, dum textus propositus ignorantiam indolis artis sapiat.

4

Em.mus P. D. PAULUS PETRUS card. MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Section I. Cette première section paraît suffisante dans l'exposé qu'elle fait. Elle demanderait peut-être à être quelque peu étoffée.

Par. 65: Une remarque. L'essai rapide de description de la culture aurait gagné, me semble-t-il, à mettre dès le début la culture elle-même en rapport avec l'homme et ce qu'il représente. Une culture est nécessairement anthropologique, encore faut-il que ce soit à l'image de l'homme libre. La civilisation qui en découlerait alors porterait des traits humains. Au contraire, la civilisation sera une civilisation de fer si la culture a été fondée sur des élements inhumains.

Entreraient dans la culture les traditions et coutumes de vie, les principes qui s'en dégageraient et qui constituent le patrimoine spirituel et patriotique de la famille humaine. La philosophie viendrait après se greffer sur ces traditions et sur la littérature, expression lyrique et authentique de l'âme humaine. L'univers alors serait interprété en relation avec l'homme. En somme la première phrase du premier alinéa du par. 65 devrait être étoffée.

Par. 68: Quatre remarques. *a*) On a bien fait, dans ce par., d'attirer l'attention sur le bienfait d'une culture universelle, sur le danger de l'évacuation

de la sagesse traditionnelle. Mais l'on n'a pas fait remarquer que d'ici à ce que soit constituée la culture universelle, il y a le danger, nullement illusoire — l'histoire des siècles passés le montre suffisamment — que la culture des grandes nations supplantent, en l'étouffant, la culture des peuples jeunes ou des peuples qui étaient sous une domination étrangère.

b) Il y aurait à caractériser cette culture universelle où tous les éléments humains généraux doivent être présents, sans sacrifier purement et simplement les caractéristiques particulières, qui à cause des similitudes qui se trouvent et des influences subies ou exercées pourraient se réduire à une petite somme d'éléments à intégrer aussi dans l'ensemble.

c) De plus, pour éviter un humanisme purement terrestre, il faudrait revenir toujours aux principes spirituels qui constituent l'homme et aux vertus théologales qui le caractérisent dans son être, son opération vers l'au-delà et son désir de repos total dans la charité.

d) Enfin, il me semble nécessaire d'insister davantage sur l'*humanisme* dans cette période qui s'ouvre de développement technique. C'est peut-être là un moyen de donner à la science une figure humaine.

Section II. Cette section, me semble-t-il, laisse à désirer. Il faudrait la reconsidérer en essayant de se mettre plus pleinement dans les perspectives de la foi, de noter une fois ou l'autre l'apport de l'Eglise à la culture dans sa longue histoire, d'affirmer qu'en évangélisant, en prêchant le Christ elle donne cet « explosif » extraordinaire à toute culture, en l'animant de l'intérieur, de préciser que l'Eglise, par sa prédication nous empêche de nous arrêter à des considérations purement humaines...

Par. 69: Trois remarques. a) A la page 53 ligne 30 le mot « minuitur » est trop négatif. L'intérêt pour le Royaume de Dieu, selon d'ailleurs la doctrine de la première partie du Schema, doit créer chez les chrétiens une responsabilité de transformer le monde en lui donnant une figure humaine. Je mettrais donc: « quo tamen nequaquam minuitur, *immo augetur* momentum »...

b) Le contenu de ce par. ne répond pas au sous-titre qui l'annonce. Il reste, en effet, bien pâle. Il répondrait davantage au sous-titre suivant: la culture à la lumière de la raison droite (éclairée évidemment et toujours par la grâce).

On devrait donc envisager, dans ce par., les valeurs anthropologiques, âme de la culture, à la lumière de l'Incarnation, de l'Eglise et des sacrements qui en découlent: la nature humaine réorientée dans le sens le plus profond, la matière remise dans son rôle décrit par le premier chapitre de l'Epitre aux Romains. Tout cela doit occuper un alinéa propre qui viendrait à la page 53, ligne 37 et sq.

c) Le troisième alinéa qui parle de l'amour du vrai et du beau s'applique dans ses premières lignes au Sage tout autant qu'au Saint.

En somme, paragraphe assez timide par rapport au sous-titre qui l'annonce.

Par. 70. Ce paragraphe devrait fusionner avec le précédent dans le sens de la note précédente. Quelques mots, peut-être, sur le Christ qui, comme dit S. Irénée, en venant au monde, « attulit omnem novitatem » (un renouveau intime, profond, ontologique) seraient nécessaires.

Section III. Cette section me semble satisfaisante surtout dans les points nouveaux qu'elle apporte à la réflexion.

On devrait peut-être insinuer plus clairement que les chrétiens auront à chercher dans les cultures opposées à la leur les éléments de vérité qui s'y trouvent, ces vérités devenues folles, comme les appelle Chesterton. Cela dénotera une attitude de charité. Cela aussi supposera un sens apostolique, car il faudra humaniser et christianiser ces cultures, mais évidemment en les connaissant, non en les réduisant facilement à des catégories auxquelles les chrétiens sont habitués.

5

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Hoc caput de progressu scientiarum atque humani cultus praebet specialem praestantiam. Tales considerationes ardenter expectantur a cultoribus scientiarum et ab omnibus qui sese praeoccupant de promotione generali cunctorum hominum.

At ni fallor, talis textus remanet in quadam explicatione nimis vaga et abstracta, proinde mentes multorum forsan in suspensum relinqueret.

Circa duo puncta vellem attentionem Patrum suscipere.

I. In sectione III, n. 72, pag. 57, lin. 14, oporteret aperte declarare, quod praecise non pauci homines specialiter in scientiis dediti exoptant, scil. de obligatione in inquisitione scientifica semper observandi leges sanae deontologiae et numquam insequi investigationes, praesertim eas divulgare, contra principia ethicae, vel elementa fundamentalia vitae humanae ac boni communis. Plures in scientia periti expetunt relationes et dialogos constantes cum theologis ac philosophis. Evenit etenim quod inter quos qui in nomine doctrinae religiosae loquuntur, non pauci habent tantummodo superficiales notiones in re scientifica et technica, et ex alia parte, scientiarum cultores vellent melius ac dialectice cognoscere normas morales et verum sensum Revelationis circa res quas accurate pertractant.

II. In eadem sectione, n. 74, pag. 58, lin. 9, si optimum est ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur et suam beneficam competentiam theologis afferunt, necesse est clare revocare quod in talibus studiis omnes laici debent libenter atque exacte observare regulas doctrinales Magisterii ecclesiastici.

[*Subscripserunt etiam*] M. Darmancier, vic. ap. Wallis et Futuna; B. B. Boillon, ep. Verdun; P. Martin, vic. ap. Nouvelle Calédonie; L. Julliard, vic. ap. New Hebrides; E. Polge, aux. Avignon; P. Puech, ep. Carcassonne; R. Piérard, ep. Châlons; J. Guilhem, ep. Laval; H. Donze, ep. Tulle; A. Pioger; G. Barthe, ep. Fréjus-Toulon; St. Desmezières, ep. Beauvais; J. Hermil, aux. Autun.

* * *

Hoc caput bene spectat de progressu cultus humani. Sed infeliciter non disserit nisi de eius promotione. Immo haec promotio videtur esse circumscripta sub respectu sociali, quod sane est optimum. Est enim necessarium omnes homines paulatim gaudere maiori facilitate ad acquirendam culturam.

Sed sunt aliae quaestiones in quadam Constitutione quae vult situm Ecclesiae praebere coram hodierno mundo, quando de cultura humana agitur.

Insuper et praesertim, in hoc textu apparet quod sola cultura humanista, litteraria, artistica consideratur. Certo de scientiis passim agitur, sed insufficienter.

Atqui, quid imperat nostrum mundum hodiernum, sine scientia? In nomine inventionum scientificarum, homines nostri temporis cogitant, vitam suam ducunt et, proh! dolor, a religione sese avertunt.

Ergo, ad peritos viros scientificos qui tot labores, non sine maximo merito, perficiunt, tale caput debet specialiter sese dirigere, saltem in aliqua paragrapho praecipue praescripta. Investigationes eorum valde laudandae et cohortandae sunt.

Sed etiam oporteret, ut postulant doctiores in re scientifica, aliquam eis ethicam proponere. Non sunt rari, inter homines altae scientiae, qui cum anxietate et haesitatione pergunt quando praesertim agitur de expressione et manifestatione eorum inventionum. Ad quasdam pertinet vita ipsa hominum, sive privatim, sive collective sumpta.

Vita autem est in mundo bonum praestantissimum. Omnes quaestiones de vita superant etiam quaestiones de pace. Pax optanda est pro defensione vitarum humanarum.

Noster Pontifex, in sua mirabili allocutione coram coetu « Nations Unies », expresse dixit: « C'est avant tout de la vie de l'homme qu'il s'agit, et la vie de l'homme est sacrée ». Nemo tamen ignorat quod progressus scientiarum biologicarum non sunt sine gravibus minationibus erga conservationem integram vitae apud individuos et forsan apud societates.

Oportet ergo quod Sacrosancta Synodus significat aliquam prudentiam necessariam in divulgatione et accommodatione practica quarumdam explorationuum scientificarum.

Certo certius Patres Concilii non possunt regulas praecisas enuntiare. Sed est officii supremi Sanctae Ecclesiae declarare quod nulla inventio scientifica potest verti contra bonum commune humanitatis et contra vitam individuorum, secundum veram conscientiam ipsorum virorum scientificorum.

Nam Paulus VI concludit hanc orationem praedictam observando quod supra progressus et supra scientiam manent principia moralia et spiritualia de quibus vere et de facto pendent omnes quaestiones circa pacem et prosperitatem mundi.

Quare recognitionem atque expletionem istius cap. II instanter exopto.

6

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

De cap. II schematis, quod est in disceptatione, multa iam dicta sunt: liceat tamen mihi tres adicere breves animadversiones quae quandam anxietatem in animo meo excitant.

I. In pag. 57, linn. 39-40 legimus: « qui theologicis vel philosophicis disciplinis in Seminariis et studiorum Universitatibus incumbunt, cum hominibus aliarum scientiarum studiosis, collatis viribus atque consiliis cooperari studeant ».

In Seminariis, disciplinis theologicis et philosophicis incumbunt praesertim alumni sanctuarii, nempe qui ad sacra ministeria exercenda maturescunt. Nunc vero universa seminarii disciplina pessumdaretur si alumnis huiusmodi libertas concederetur, cum ipsis vix tempus sufficiat ad munera alumnorum seminariorum propria explenda.

Forsan schematis redactores voluerunt significare seminariorum professores; quod, si ita est, clare dicatur ne gravis ambiguitas oriatur.

II. In pag. 58, linn. 7-8 legimus: « agnoscatur fidelibus christiana libertas inquirendi, cogitandi nec non mentem suam in humilitate et fortitudine aperiendi in iis in quibus competentia gaudent ».

De libertate inquirendi et cogitandi nullam patior difficultatem; sed libertatem aperiendi mentem humiliter et fortiter existimo esse intra rectos limites continendam, ne de doctrina catholica quivis possit *palam* — nempe libris, dissertationibus typis editis — exponere quidquid cogitaverit, sine praevia recognitione et adprobatione legitimae Ecclesiae auctoritatis.

III. In eadem pag. 58, linn. 18-20 legimus: artium cultores « artem sacram excolent sub figuris quae coaevis nostris adaptarentur iuxta de cetero variarum nationum et regionum indolem, speciatim in sanctuario ... etc. ».

Nonne, ad artem sacram quod attinet, normae ab Auctoritate Ecclesiastica competenti praebendae sunt, ut exaggerationes vitentur quibus fidelium pietas deformari possit?

Animadversiones istae si dignae putantur consideratione, rogo ut prae oculis habeantur in schematis retractatione.

7

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Ad n. 65, pag. 52, lin. 5: supprimatur « secus ac bona mere materialia »; substituatur « exceptione » per « exclusione », ad textum simplificandum et clarificandum.

Ad n. 67, pag. 52, lin. 31: loco « spirituali », dicatur « personali », claritatis causa.

Ad n. 68, pag. 53, lin. 25: mutetur oratio sequenti modo: « Quibus rite perpensis, neminem fugit, minus autem christianos, omnes in una familia humana fraterne unitos ». *Ratio*: ne christiani videantur privilegiati ... et ut melius respondeat textui originali gallico.

Ad n. 69, pag. 54, lin. 7: loco « Sapientia », dicatur « Dei sapientia, quae ab aeterno cum Eo erat, cuncta componens, ludens ... », claritatis causa et ad vitandas discussiones in interpretatione.

Pag. 54, lin. 19: post « vel hominem ipsum » addatur: « aut positivas scientias vel artes technicas », ut magis explicite respondeat realitati.

Ad n. 70, pag. 54, lin. 31: loco « instrumentum », dicatur: « medium necessarium », ut sensus affirmationis evadat magis amplus.

Ad n. 71, pag. 55, lin. 20: loco « spirituali », dicatur « personali », uti iam explicavimus.

Ad n. 72, pag. 56, lin. 4: post « ... sexus, nationis » addatur « religionis », realitatis causa.

Ad n. 73, pag. 56, lin. 38: supprimantur verba « pro pluribus hominibus », quia hodie de facto non est ita pro innumeris populis tertii mundi.

Ad n. 74, pag. 58, lin. 1: loco « plurimum », dicatur « insuper », veritatis causa.

Pag. 58, lin. 2: substituatur « aptius » per « profundiori modo », veritatis causa.

Pag. 58, lin. 3: supprimatur « etiam ».

8

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Pag. 57, n. 74, linn. 6-9: ne alicui videatur nos affirmare aliquando fuisse conflictum *ex se* inter culturam ex una parte et religionem ex altera, propono illam sententiam corrigendam esse sequenti modo: « Experientia enim constat nonnullos » loco « non raro ».

9

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Pag. 53, lin. 5: loco « a pluribus sine exceptione » dicatur « ab omnibus ».

N. 69, pag. 54, lin. 20: loco « aptius perducere possunt » dicatur « aptius perducere possunt ac debent ».

N. 72, pag. 56, lin. 11: loco: « munera et officia emergent » dicatur « ad munera et officia vocentur ».

10

EXC.MUS P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Pag. 52, lin. 5: legere « ab omnibus sine exceptione », vel simpliciter dicere « a pluribus » deleta additione « sine exceptione ».

Pag. 52, linn. 23-24: phrasis non est clara: « apud collectivitatem quandam »; gallice « dans l'ensemble du genre humain »?

Pag. 54, lin. 18: aestim*e*t.

Pag. 54, lin. 31: loco « in bonis quibusdam » legere « in bonis pluribus » vel melius dicere sicuti in textu gallico « dans les richesses éparses dans chaque culture » (forsan: in bonis quae passim occurrunt in quacumque cultus ingenii forma?).

Pag. 56, lin. 37: videtur legendum esse « condiciones ».

11

EXC.MUS P. D. IULIUS VICTOR DAEM
Episcopus Antverpiensis

Vobis submittere intendo quasdam considerationes relate ad nn. 72, 73, 74 schematis *de Ecclesia in mundo* in ordine ad 1. notionem educationis in cultum humanum; 2. harmonicam compositionem cultus humani et institutionis christianae.

Ad 1. Dum Populus Dei in virtute Spiritus Christi aeterna quaerit, suas partes habet in aedificatione mundi « in dies humanius conformandi ». Haec autem aedificatio ab hominibus facienda requirit educationem ad cultum humanum authenticum tum in iuniore tum in adulta aetate.

a) Uti in schemate optime dicitur, haec educatio ad cultum humanum eo tendere debet ut ad unum reducantur institutio in variis disciplinis ac artibus et multiplex eruditio. Hac synthesi adducitur homo ad veram sapientiam quae, ut educationis fructus, apparet e modo iudicandi et loquendi, e

modo laborandi et societati inserviendi, e modo Deum honorandi et otia assumendi. Iuniores a familia et ab aliis societatibus, educationis auctoribus, earumque adiutoribus sive associationibus sive individuis adiuvantur ut maturationem personalem perficiant et cultus humani participes fiant. Peropportunum esset quaedam verba in schemate addere de educationis auctoribus qui cum familiis collaborant.

b) Quaedam verba etiam addantur de adultorum educatione ad cultum humanum. Haec educatio etiam adultos attingere debet quippe quae continua sit oportet. Adulti enim cognoscere debent mundum in quo vivunt et laborant atque examinare quomodo mundum humanius conformare possint. Cognitio autem mundi et examen de conformatione supponit informationem in dies magis completam.

Oportet adulti christiani magnopere attendant ad otia ordinanda quae in dies augescunt. Haec otia constituere debent quoddam elementum positivum et constructivum cultus humani, immo vitae ornamentum. Ad hoc opus perficiendum collaborare debent omnes educationis auctores, praesertim societates et associationes quae ad hoc ordinantur.

Ad 2. Quaestio maximi momenti hic ponitur, nempe de harmonica compositione cultus humani et christianae institutionis.

a) Dialogus qui hic inchoatur eo tendit ut apparens oppositio inter quaedam nostratum postulata et applicationem principiorum doctrinae moralis christianae. Christifideles qui dialogum cum cultu humano moderno fruentibus inire volunt pro certo in mente habeant hunc mutuum et beneficum influxum: lumine evangelii Christi cultus humanus illuminatur atque cultus humani progressus, qui hominem ad reflexionem de sensu vitae humanae inclinat, favere potest magis generosae dispositioni in ordine ad divinam revelationem.

Adulti christiani qui dialogum ineunt necessitatem institutionis christianae protractae recognoscant quae tam utilis est ad cognitionem harmoniae inter cultum humanum et doctrinam moralem christianam.

b) Sane, dialogus, de quo hic sermo est, concreditur imprimis iis qui in variis cultus humani campis eminent. Res est etiam maximi momenti pro toto Populo Dei. Interest ei ut tota veritas luceat omnibus hominibus.

Sunt autem permulti homines, et quidem christiani variis disciplinis scientificis exculti qui nonnisi doctrina christiana fruantur quam in adulescentia sua adepti sunt. Stagnatione quadam nociva affecti sunt quae non solum eorum vitam religiosam diminuit sed toti Populo Dei nocet. Si, praeter scientiam sui laboris vel manualis vel intellectualis meliorem scientiam haberent vitae et praedicationis Christi atque vitae humanae problematum evangelii lumine illuminatorum et si melius cognoscerent doctrinam principaliorum documentorum supremi Ecclesiae Magisterii, rectius iudicari possunt de multis quaestionibus in ordine ad harmoniam cultus humani et christianae institutionis. Sed multi homines, etsi vitam christianam degunt, nequidem hac quaestione maximi momenti agitantur.

Fatemur christifideles adultos non semper catechesim et praedicationem eorum psychologiae adaptatam obtinuisse neque dialogo aliisque renovatis mediis instructos esse. Sunt tamen laici qui christiana generositate impulsi, pari gressu progrediuntur in acquirendis scientiis, quarum cognitio eorum labori vel utilis vel necessaria est, ac in doctrina Christi et Ecclesiae cognoscenda. Diversa scholarum et universitatum incepta et actionis catholicae adultorum opera ad hanc harmoniam cognitionem maxime contulerunt. Utinam omnes qui pastorale munus exercere debent vel qui in variis institutionibus iuvenes et adultos ad eorum vitae laborem vel professionem praeparare satagunt hunc fere tragicum statum inspiciant! Optandum est hos omnes examen conscientiae instituturos esse de eorum influxu in mentis novitatem perficiendam.

Indifferentismus multorum excultorum christianorum ex hac disproportione inter formationem scientificam et religiosam exortus multum nocere potest instaurando dialogo cum mundo. Concilium Oecumenicum, periculorum conscium, quae ex hoc defectu profluunt et in dies magis profluere possunt, rogare posset omnes christifideles ut, suo modo, urgenti dialogo Ecclesiae cum mundo contribuant. Rogare posset praesertim illos qui in auctoritate constituti sunt et qui scientiis et artibus incumbunt: ut cognitionem suam doctrinae christianae amplificent ita ut defectus aequilibrii inter eorum scientiam religiosam et eorum cultum humanum recedat. Totus Populus Dei imprimis adulta vita religiosa ad hoc opus perficiendum conspiret!

12

Exc.mus P. D. GEORGIUS MARCUS DE OLIVEIRA
Episcopus S. Andreae in Brasilia

I. *Manque de liaison entre le rapport sur la culture et les autres textes du schéma.* Il n'y a pas de connexion entre l'image de l'homme dépeinte dans la première partie du texte sur la culture et la vie économique et sociale.

Cet isolement de la vie culturelle est inadéquate à la « mise en œuvre » efficace du sujet car il devient incompatible avec l'interdépendence, qui existe dans une société entre les moyens de création et transmission culturelle, d'un côté, et la vie économique et sociale de l'autre. Cette interdépendence est telle que l'ensemble des institutions est, à la fois, effet et cause de culture comprise comme production et prise de conscience de la réalité par l'homme.

II. *Ton juridique du texte.* Le ton général du texte est juridique. On n'y perçoit pas la présence d'un esprit évangélique comme si le message de l'Evangile était indifférent au processus éducatif dans lequel la conscience du monde et de l'homme reste divisée et sans possibilité de dialogue adulte.

En outre, on doit remarquer que tel processus est réglé, dans le texte, par les droits et les devoirs énoncés avec abstraction de la diverse répartition des biens d'après les classes et les nations.

III. *Absence de définition, emploi équivoque et statique du mot culture.* La clarté du texte est compromise par la conceptuation équivoque du mot culture, qui n'a pas une définition constante mais est employé tantôt en des expressions particulières et baroques comme « culture classique », culture scientifique, tantôt dans une acception ample et anthropologique. Le texte n'accentue pas, de manière due, les rapports du développement économique et la transformation sociale. On se tient, parfois, à la dualité de l'aspect classique et technico-scientifique de la culture, de façon contemplative, comme s'il s'agissait de quelque chose de naturel et non pas de quelque chose construite par l'homme, par des raisons de conjoncture, qui doivent être analysées en ses sources et conséquences à la lumière du dynamisme propre de l'histoire.

Le titre du n. 65 « Diversité de conditions de vie » ne correspond à une véritable description des situations dans lesquelles la culture devrait s'épanouir.

Suggestions. 1. Que « la culture et sa signification humaine » unie dans un même paragraphe les nn. 65 et 66. Qu'il soit aussi adoptée une définition de culture qui puisse être acceptée par le développement anthropologique et sociologique d'aujourd'hui.

2. On affirme au n. 67 que l'homme est artisan de la culture. En conséquence, il ne faut pas craindre ses possibilités créatrices et innovatrices. La question est donc, de se traiter de manière plus profonde et éxaminer aussi en ses conséquences.

3. La difficultés remarquée au n. 68, au sujet de l'interaction de la culture classique d'un côté, et technico-scientifique de l'autre, semble méconnaître l'ensemble de la réalité où nous vivons.

Le texte affirme que c'est dans l'homme même se fait cette intégration. Mais, comment? Souvent n'est-il pas nécessaire un très grand détachement de la part des chrétiens pour qu'ils s'ouvrent à des valeurs nouvelles et pour que laissent les pratiques d'autrefois?

4. Ainsi, au n. 68, 2 après « ... un type d'homme plus complet, et plus équilibré » on suggère: « et plus ouvert à des valeurs nouvelles, convaincus que "Tout est à nous, nous sommes au Christ et le Christ est à Dieu" (*1 Cor.* 3, 21) ».

IV. *Inadéquation aux pays en développement.* 5. Avant d'admettre que l'homme prend conscience qu'il est artisan de la propre culture, et que les biens de la culture sont aujourd'hui plus accéssibles (n. 68, 1), il faut accentuer la différence de degré de conscientisation d'après les peuples.

Tout le problème de l'éducation dans les pays en développement se résume dans le manque de « conscientisation » des masses et dans l'impossibilité du peuple d'accéder à la culture. Cette difficulté augmente quand les pays économiquement plus développés, lorsque entrent en contact avec les régions sous-développées, ne respectent point suffisamment leurs cultures.

On suggère pour le n. 71, 4 ajouter après « la vie culturelle »: « acceptant toutes les conséquences de la promotion humaine ».

6. N. 71 (à la fin) ajouter: « D'autre part, dans la mesure de leurs possibilités, de promouvoir la culture du peuple quand celui-ci ne peut pas par eux-mêmes, accéder aux biens de la culture. En plus, de rendre possible l'accès de chaque homme à la culture, il faut, encore, prendre en charge la promotion de la conscientisation des masses, dans les pays où les hommes ne sont pas encore arrivés à ce degré d'évolution, et se trouvent dans un état d'impossibilité de s'épanouir intégralement comme personnes humaines.

7. N. 72, 1: après l'expréssion « spécialement pour les chrétiens », ajouter: « Ce devoir ne peut pas être nui par l'égoïsme des groupes nationaux et internationaux qui empêchent le développement d'autres ».

8. N. 72, 1. Il ne suffit pas parler de « nécessité de la culture de façon impersonnelle ». Cf. le texte: « Il faut, donc, procurer à chacun une quantité suffisante de biens de la culture, notamment de la culture dite de base ». L'adjectif « suffisante » n'est pas acceptable.

On suggère: « Les responsables du bien commun doivent accorder à chaque homme l'accès à la culture, et avant tout, à la culture de base ».

9. N. 72, 4. Remplacer « il faut procurer » par « Les responsables du bien commun doivent proportionner des conditions... ».

V. *Manque de référence aux moyens et aux agents de l'éducation* (agents, moyens, sujets, ambiance, fin de l'éducation). La nécessaire connexion de la culture avec les institutions et conditions de vie d'une société concrète, entraîne une claire référence aux moyens et aux agents du processus de l'éducation. De tels moyens et agents sont à la fois, condition et conséquence de finalités enoncées au processus éducatif: Intégration personnelle, autant que jouissance et service, dans l'ensemble du développement collectif; formation d'une conscience de l'homme et du monde non discrétionnaire, fraternelle, efficace, créatrice et oblative. Dans le texte pratiquement on ne trouve pas une telle référence aux moyens et aux agents de l'éducation. Peut-être, telle lacune se doit à la difficulté — qu'on doit dépasser — de délimiter les responsabilités de l'Eglise, de la famille, et de l'Etat dans l'éducation.

10. Dans le n. 72, 1 il ne suffit pas de dire qu'aujourd'hui, par la première fois il est possible de libérer l'humanité de l'ignorance. Il faut dire comment la libérer; quels sont les agents d'éducation, spécialement de l'éducation de base, quels les moyens, les méthodes, etc.

11. Au n. 73, 3 à la fin ajouter: « L'éducation intégrale de l'être humain doit le préparer pour un dialogue adulte avec son prochain ».

Dans les pays en voie de développement, l'éducation doit jouer le rôle indispensable qui lui est propre dans une « éducation pour le développement ».

Dans la mesure où les hommes et les peuples déviennent adultes, un dialogue fratérnel pourra commencer entre les hommes, en vue de l'établissement d'une communauté internationale vraiment humaine.

12. Au n. 73, à la fin, ajouter: « En outre, il convient rappeler que, dans le monde pluraliste d'aujourd'hui, ils sont nombreux les agents d'éducation:

la famille, les moyens de diffusion, les modalités actuelles de l'instructions scolaires, etc. Il y a même de peuples qui ont attribué une primauté à ces facteurs secondaires de l'éducation.

Toutefois, l'Eglise Catholique rappelle que la famille est l'institution naturelle plus adaptée à l'épanouissement intégral de la personnalité humaine. Pour cette raison, c'est la famille qui doit chercher l'intégration convenable des divers agents de l'éducation, spécialement dans les étapes de l'enfance et de l'adolescence, quand l'être humain est particulièrement dépendant.

A) *L'Ecole.* Ecoles catholiques et rôle de l'Etat dans l'éducation oubliés dans le texte.

13. Dans le texte sur la culture et à plusieurs reprises dans la deuxième partie du Schème, la conception de l'état est rigide, indifférente à la diversité de la réalité de l'état dans les diverses communautés nationales d'aujourd'hui. On remarque une attitude, peut-être, soupçonneuse par rapport à l'état, hérité de la querelle du laïcisme. Pourtant, il devient de plus en plus normal le fait que c'est à l'état qu'appartient la tâche de promouvoir, spécialement en les pays sous-developpés, pas seulement l'éducation de base, mais aussi la formation technico-scientifique, liée à la promotion industrielle et à la recherche, soit par le coût de l'entreprise, soit par la centralization et par le système d'échange demandés (cités universitaires).

14. Il faut revoir aussi tout le système des écoles catholiques, dont on ne parle pas dans le texte, et dans les systèmes, celui des universités catholiques, en vue de dénoncer et empêcher le scandale permanent qui transforme la transmission de la culture dans un « marché ». Il faut revoir encore, l'habitude consistant à confier à des institutions scolaires l'exclusivité de l'enseignement religieux, pour la transmission duquel il faut créer des formes plus indépendants d'administration temporelle.

B) *La Presse.* 15. *Non référence aux moyens de communication, à la Publicité, à l'emploi de l'information.* On ne trouve dans le texte aucune préoccupation en face du phénomène de suprématie des moyens de communication publique, tels que la radio, le journal, la TV, le cinéma, dans la conductivité du processus culturel, moyens et agents modernes de la plus haute importance dans la formation des consciences et de l'opinion publique.

Peut être, on peut trouver une excuse pour cette absence dans le fait que ces moyens ont déjà été traités dans un autre schéma du Concile. Pourtant la non mention aux moyens de communication laisse trahir une certaine naïvité par rapport à la réalité mondiale du délaissement de millions de personnes en faire d'un système non contrôlé par les communautés et manipulé par des groupes économiques dont les intérêts ne coincident nécessairement pas avec le bien commun.

Le droit à l'information, garant d'un état adulte de coexistence, quand nié et difficulté, compromet la perspective du dialogue fraternel, car il crée classes particulières de citoyens historiques.

La création de nécessités artificiels, autant que la prétension à l'expression comme opinion de plusieurs communautés, points de vue élaborés préalablement d'après des intérêts de minorités, constitue une insulte à la culture et un démenti à l'expectative de construction d'un monde de paix et d'amour fraternel.

N. 72. On suggère à la fin du n. 72, ajouter à « ... de caractère publique »: « Par cette raison, c'est un dévoir à tous de créer des conditions d'existence pour une presse vraiment libre, surtout dans les pays où cela n'avine pas, soit à cause de l'abus du pouvoir politique, soit à cause de l'abus du pouvoir économique ».

VI. *Les rapports de la culture et de l'art, d'une part, et de la Théologie de l'autre, exprimés de manière inadéquate.* 16. Absence de connéxion entre culture humaine et théologie.

Exemple: Le schéma met l'accent sur l'expression: « enseignement chrétien » (n. 74), comme s'il était quelque chose de surposé à la culture, et non pas une réalité que doit surgir de la culture même, une fois qu'elle soit traversée par une foi authentique et par un évangile vivant et agissant.

On rémarque pareillement le même défaut basique au n. 70, où il est question de rapports entre les différentes cultures et l'évangile. Dans cette perpective on peut affirmer que la Théologie a été élaboré dans un contexte de civilisation occidentale, étant, par conséquence, aliénée de la réalité de beaucoup de peuples. Ainsi, il serait bien que les théologiens dans leurs élaborations, se réfèrent continuellement à la simplicité évangélique et respectent intégralement les cultures originelles.

N. 70. On suggère ajouter: « Toutefois, par sa nature même l'Eglise doit respecter la culture des peuples avec lesquels elle entre en contact, dans sa mission évangélique, acceptant les manières d'expression propres à chaque culture, soit dans la liturgie, soit en autres domaines ».

17. Suggérons que le n. 74, par. 3 soit éliminé. Justification: 1. C'est un absurde refuser l'autonomie à la culture par respect aux valeurs religieuses, spécialement après la définition de culture qu'on a donnée au début. Il constituerait même une contradiction intrinsèque au texte. 2. C'est lamentable dire que l'Eglise civilise. 3. Ce n'est pas l'endroit juste pour parler de libération de l'esclavage du péché.

18. Au n. 74 ajouter à la fin de la période: « Travaillant de part en part avec les autres hommes dans la construction de cette culture ».

Dans ce même paragraphe, remarquer l'expression « fidèles » qui doit être comprise dans les termes définis pour la constitution dogmatique « De Ecclesia ».

19. Eliminer complètement le dernier paragraphe en transformant la rédaction. *Raisons*: 1. Une certaine naïvité par rapport à la nature de l'art et de la psychologie des artistes. 2. Un certain ton pragmatique en face d'une réalité (l'art) qui revendique férocement son autonomie absolue, par rapport à n'importe quelle fin qui non soit elle même.

Composition suggérée: « La communauté chrétienne, à cause même de sa vocation, devra vouer aux artistes une sympathie particulière, respectant intégralement la liberté qu'ils revendiquent. De cette manière, lorsqu'ils sentiront l'appel du sacré, ils pourront créer des œuvres marquées par le timbre du transcendant, en employant les dons supérieurs réçus de Dieu. En réalisant ses œuvres, spécialement en construisant des temples voués au Seigneur, accordent au Peuple de Dieu la possibilité de rendre grâces au Père, de manière plus parfaite et conforme à ce Dieu, qui est la Beauté Absolue ».

Appendice. Quelques suggestions de correction de la rédaction. *Raison*: présenter une rédaction moins ambigüe et plus fidèle à la réalité traitée.

20. N. 69. On attribue à la culture une position éminente dans la vocation intégrale de l'homme.

21. N. 69, 3, au lieu de « enflammés par l'amour du Beau et du Vrai » on suggère l'adjectif « attirés ».

22. N. 69, 5, ajouter: « Pareillement l'homme peut se fermer en soi même obnubilé par une fausse perspective des chemins personnels de la création artistique ».

23. N. 71, 1. Expression peu claire. On propose l'élimination de « comme nous en faisons souvent la douloureuse expérience... » et le surcroît à la fin de la période: « Malheureusement nous constatons que souvent ce n'est pas cela qui arrive ».

24. N. 71, 2. Encore mauvaise rédaction de la période. Au lieu de: « Elle a donc droit au respect et elle jouit d'une certaine inviolabilité, étant évidemment, saufs les droits de la personne... », nous proposons: « Une fois saufs les droits de la personne et de la société (particulière ou mondiale), la culture a, donc, droit au respect et jouit d'une certaine inviolabilité, dans les limites du bien commun ».

25. N. 71. Il faut changer le titre du numéro. Nous suggérons: « Des rapports entre la culture, le développement intégral de la personne humaine et les pouvoirs publiques ».

13

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES

Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Pag. 52, n. 65, lin. 8: verba « religionem colendi » deleantur. *Ratio*: quia insinuare videntur religionem elementum culturae esse, dum religio (revelata) culturam transcendit. Caute de his rebus loquendum.

Pag. 53, n. 68, lin. 20: legere: processus, qui conceptum non rectum inducit naturae et autonomiae ordinis temporalis. *Ratio*: quia textus est ambiguus. Nam ordo temporalis distinguitur contra ordinem supernaturalem. In ordine temporali includuntur valores morales, spirituales, ordinis naturalis. Hic ordo non tantum constat elementis technicis.

Pag 53, n. 69, lin. 11: post: cultum, legere: et contemplationem elevatur. Lin. 12: post: elevatur, addere: cum desiderium Summi Boni (vel Absoluti) in corde hominis innatum sit. *Ratio*: in omnibus magnis culturis dantur testimonia huius desiderii.

Pag. 55, n. 71, lin. 35: praecisius legere: vitam culturalem debita libertate pollentem fovere.

Pag. 56, n. 72, lin. 7: legere: ignorantia a suae personalitatis perfectione et a cooperatione ... *Ratio*: aliter textus sapit utilitarismum socialem. Cultura respicit primo ius personae. Lin. 22: legere: morali ordine servato ... *Ratio*: praetextu utilitatis socialis multi dantur abusus contra libertatem. Quis erit interpres talis utilitatis?

N. 73, lin. 28: post: sataget, addere: ducentibus perenni philosophia ac theologia. *Ratio*: sunt falsae syntheses. Veritatem invenire oportet.

Pag. 57, lin. 2: addere: Praesertim novitatem impendant ne mirabilia nova media communicationis, lucri vel politicae dominationis causa, in destructionem culturae veri nominis, uti saepe accidit, vertantur. *Ratio* patet. In mundo hodierno, saepe habetur talis degradatio.

N. 74, lin. 7: legere: modum proponendi veritatem Ecclesiae. *Ratio*: non agitur de modo cogitandi, sed de modo explicandi ex natura depositi revelati promananti.

Pag. 58, lin. 14: pro: « et », ponere « , ». Lin. 15: post: valent, addere: sensumque Dei eiusque pulchritudinis suscitant. *Ratio* patet.

N. 72, pag. 55, lin. 38: legere: primum, ope mediorum vel: instrumentorum modernorum communicationis, facultas ...

Pag. 56, lin. 1, post: liberandi, addatur: ac ad veram culturam suique conscientiam et personalem autonomiam accedendi, officium ... *Ratio*: ne textus sic interpretetur ac si cultura in mera cognitione consisteret.

Lin. 7, legere: ... litterarum ignorantia responsabilisque actuositatis privatione a cooperatione ... *Ratio* eadem. Unica alphabetisatio non sufficit, immo quandoque in peiorem conditionem homines inducit.

Linn. 9-10, legere: contendendum est etiam ut ius hominum, quorum ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines accedendi ad effectum deducatur. *Ratio*: « Pacem in terris » de *iure* loquitur. Hic habetur tantum votum. « Itaque » non convenit.

Lin. 11, loco: « quoad fieri possit », legatur: secundum quod conditiones obiectivae id permittant, in humana societate ... *Ratio* eadem.

Lin. 21, legatur: postulant ut homo, cuius ius est, libere ... *Ratio* eadem. Notandum generaliter « Pacem in terris » ex obiectivo iuris naturalis fundamento procedere, dum in textu nostro tantum exhortatio generosa habeatur, quod doctrinam valde debilitat.

Lin. 24, post: certior fiat, addere: Officium quippe est eorum qui notitias divulgant, res semper obiective praesentandi, dum et ii, qui certiores fiant, iudicium suum recte efformare tenentur. *Ratio*: sic saltem alluditur ad quaestionem maximi momenti in cultura hodierna, scil. ad ethicam informationis.

Lin. 24, insuper post addendum praecedens, adhuc addere: In his promovendis collaboratio cum Fratribus christianis a nobis seiunctis valde optanda est. *Ratio*: haec collaboratio a Decreto de Oecumenismo commendatur « in remediis adhibendis contra nostrae aetatis aerumnas, cuiusmodi sunt ... analphabetismus ... » (n. 13).

* * *

Emendationes propositae, *in scriptis*, Secretariatui generali depositae a NN. SS. de Provenchères (Aix), Johan (Agen), Rougé (Nîmes), Fougerat (Grenoble), Maziers (Lyon), Bontems (Maurienne), et aliis Episcopis subsignantibus, qui hunc caput accurate observaverunt.

Multa elementa valde bona de cultu humano in hoc capite adsunt, quae nobis placuerunt. Sed problema cultus humani difficillimum est. Ideo ad perficiendum hunc textum aliquas emendationes proponimus.

N. 65, pag. 52, linn. 1-4, proponitur haec nova redactio: Vocabulum « culturae » non univoce accipitur, sed analogice. In variis tamen acceptionibus illius vocis significatur unica experientia qua, labore collectivo vel individuali, homo, transcendens condiciones vitae animalis, ad humanitatem semetipsum elevat. Aliter: « Cultura » apparet ut fructus operationis qua incessanter, decurrentibus saeculis, vi huius libertatis sibi a Deo foecundo delegatae, homo sese invenit atque plasmat.

His modis, homo paulatim omnes proprias potentialitates historice manifestat, necnon ipsum orbem terrarum humaniorem reddit. *Ratio*: etsi Concilii non sit hac in re enunciare definitionem specificam, necesse tamen est capitulum secundum procedere ex analysi facti culturae, brevi quidem, sed exacte.

N. 68, pag. 53, lin. 16: post: « alitur », proponimus addere: « alitur, speciatim cum philosophia, cuius tamen labor cogitationis de homine et mundo quam maxime necessarium est pro hominibus hodiernis. Item cultura quae oritur a traditionibus et moribus cuiusque ambitus socialis, ab experientia vitae et exercitio responsabilitatum, saepe quasi pro nihilo reputatur in comparatione culturae via instructionis acquisitae ». *Ratio*: *a*) nostris temporibus civilizationis « technicae », indigent homines intelligentia suae vitae, suae actionis et mundi in quo vivunt; non raro appetunt et quaerunt illam intelligentiam. Momentum philosophiae ergo debet indicari in hoc loco; *b*) lineae sequentes iustificantur ex momento huius formae cultus humani, quae vocari potest cultura actionis: haec forma culturae debet agnosci, in honorem esse et secundum suam valorem aestimari. In nostro loco, Concilium de hac forma culturae loqui debet et momentum eius in memoriam revocare.

N. 68, pag. 53, lin. 19: proponitur nova redactio textus: « Denique progressus novi cultus technici ad pleniorem agnitionem legitimae autonomiae ordinis temporalis. E contra idem progressus quandoque huiusmodi est, ut spirituales ... ». *Ratio*: vinculum cum textu praecedenti melius apparet.

N. 69, pag. 54, lin. 19: post: « quasi in idolum erigat » proponitur

addere: « Attamen, exacta fidelitas veritati in inquisitionibus scientificis, necessitas hodierna laborandi una cum aliis in coetibus technicis, sensus solidarietatis internationalis in investigationibus, conscientia magis magisque clara responsabilitatis peritorum erga homines serviendos et etiam protegendos, voluntas condiciones futuras hominum praeparandi, cura inserviendi promotionem eorum qui absentia responsabilitatum et paupertate cultus humani laborant, tot agnoscendae sunt ut valores positivae; gratia divina a sufficientia aliove specie peccati purificatae, possunt esse pro hominibus aliquam praeparationem ad intelligendum spiritum paupertatis, amoris et servitii Evangelii; tandem possunt gratia sanari, elevari ac informari caritate divina ab Eo qui incarnatus est ad mundum salvandum. Hae vero disciplinae, rite excultae, hominem ad Deum ... ». *Ratio*: in hoc loco, utile est ostendere quomodo qualitates communes investigationum scientificarum et condiciones hodiernae scientiae laboris de se non sunt obstacula in via ad Deum, sed possunt, gratia Dei agente, fieri praeparationes evangelicae. Ultima verba mutata sunt tantum ad correctionem styli, data additione proposita.

N. 69, pag. 54, lin. 25: proponitur addere: « Scientia de se non adducit ad fidem, quae semper est donum Dei. Sed fides hominibus dat facultatem adipiscendi sapientiam, quae, praetergrediens elementa scientiae et cultus humani, quorum valores servat, eis dat aditum ad culturam quae potest in eis divitias gratiae divinae dilatare et vocationem eorum adimplere ». *Ratio*: bonum est hic gratuitatem gratiae memorare. Insuper etiam bonum est exprimere quomodo altiorem culturam seu sapientiam hominibus magni cultus humani praeditis dat.

N. 72, pag. 55, lin. 38: proponitur addere: « Cum nunc primum, ope mediorum modernorum communicationis, facultas praebeatur ... ». *Ratio*: desumitur e momento mediorum modernorum communicationis.

N. 72, pag. 56, lin. 1: post: « miseria liberandi », addatur: « ac ad veram culturam suique conscientiam et personalem autonomiam accedendi, officium ... ». *Ratio*: textus schematis interpretetur ac si cultura in mera cognitione consisteret.

N. 72, pag. 56, lin. 7: legere: « ... litterarum ignorantia responsabilique actuositatis privatione a cooperatione ... ». *Ratio*: eadem ac supra. Unica alphabetisatio non sufficit, immo quandoque in peiorem condicionem homines inducit.

N. 72, pag. 56, linn. 9-11: legere: « Contendendum est etiam ut ius hominum, quorum ingenii vires id ferant, ad altiores studiorum ordines accedendi ad effectum deducatur; ita quidem ut iidem, secundum quod condiciones obiectivae id permittant, in humana societate ad munera, officia et servitia emergent ... ». *Ratio*: *a*) *Pacem in terris* de iure loquitur. Hic habetur tantum votum, et, aliunde, expressio « quoad fieri potest » interpretationibus nimis subiectivis ansam praebere potest; *b*) opportunum est ideam servitii hic introducere.

N. 72, pag. 56, linn. 13-20: proponitur: « Sic omnis homo et coetus

sociales cuiuscumque populi ad plenam vitae suae « culturalis » explicationem, suis dotibus atque a maioribus traditis memoriis congruum pertingere valebunt. Quibus dotibus et memoriis a maioribus traditis attendendum est in evolutione culturali regenda, ne divitiae culturales populorum imprudenti modo agendi infauste deleantur.

Hodie perspicitur quantum opus faciendum est ad talem condicionem attingendam in qua dignitas uniuscuiusque hominis in campo culturali integre agnoscatur. Ad hunc finem persequendum, laborent christiani cum omnibus hominibus bonae voluntatis, per prius animos intendentes ad cultum humanum promovendum eorum quibus maxime deest. Condiciones vitae et laboris exstant quae impediunt contentiones culturales hominum et in iis appetitionem culturae destruunt; insuper structurae societatis, quae progressum culturalem civium inhibent vel fovent, semper secundum aliquam valorum hierarchiam constituuntur: ideoque actio ad cultum humanum promovendum pro omnibus optiones fundamentales exigit tam in re oeconomica quam in re politica, tam in campo nationali quam internationali, ut infra dicitur in capitibus de his tractantibus.

Enixe insuper adlaborandum est ut omnes conscii fiant tum huius iuris, tum officii quo astringuntur sese excolendi. Res speciali ratione pro ruricolis et opificibus valet, qui, cooperantibus sincere aliis hominibus, sibi obtinere posse debent tales condiciones operam suam praestandi, quae humanum eorum cultum non praepediant sed promoveant ». *Ratio*: *a*) lin. 13: non tantum coetus sociales, sed etiam singuli homines memorari debent; *b*) lin. 15: evolutio culturalis, secundum principia huius capitis, non debet fieri cum detrimento divitiarum culturalium populorum: convenit etiam in hoc loco dicere hanc veritatem; *c*) sequentia: vanum esset de iure hominum ad cultum humanum loqui et de actione ad hoc ius in effectu perducendum, si cum aliqua amplitudine sermo non esset de condicionibus concretis hominum quoad culturam acquirendam et de profunditate actionis perficiendae ad cultum humanum pro omnibus, speciatim pauperibus, promovendum; *d*) ruricoli et opifices ipsi laborare debent ad condiciones laboris acquirendas, quae humanum eorum cultum promoveant, et non tantum ab aliis accipere eas ut donum.

N. 72, pag. 56, lin. 21: legatur: « ... quoque postulant ut homo, cuius ius est, libere ... ». *Ratio*: idem ac lin. 9. Notandum generaliter « Pacem in terris » ex obiectivo iuris naturalis fundamento procedere, dum in textu nostro tantum exhortatio generosa habeatur, quod doctrinam valde debilitat.

N. 72, pag. 56, lin. 24: post: « certior fiat », addere: « Officium quippe est eorum qui notitias divulgant, res semper obiective praesentandi, dum et ii, qui certiores fiant, iudicium suum recte efformare tenentur ». *Ratio*: sic saltem alluditur ad quaestionem maximi momenti in cultura hodierna, scilicet ad ethicam informationis.

N. 72, pag. 56, lin. 24: insuper post addendum praecedens, adhuc addere: « In his promovendis collaboratio cum fratribus christianis a nobis

seiunctis valde optanda est ». *Ratio*: haec collaboratio a Decreto de Oecumenismo commendatur.

N. 73, pag. 56, lin. 42: post: « mutua cognitione locupletantur », addere: « Par l'organisation de la vie sociale, en créant ou favorisant le développement des moyens de culture, en facilitant les échanges entre les nations, que les pouvoirs publics contribuent de plus en plus à cette éducation de tous leurs citoyens ». *Ratio*: opportunum est dicendum hoc.

N. 74, pag. 57-58: haec nova proponitur redactio: Summi momenti aestimanda est valorum authentici cultus concordia cum doctrina Christi, etsi non raro ex humanis contingentiis difficilis evadat. Inde historice explicantur tot ac tanti tragici conflictus, in quibus vel theologi infeliciter duxerunt adesse in dictis scientiarum cultorum asserta doctrinae sacrae opposita dum ibi tantummodo vigebat aspectuum diversitas, immo vero mutuum complementum, vel moralistae christiani ad problemata hucusque ignota non satis attenderunt.

Missio igitur evangelica necnon bonum communitati humanae procurandum Ecclesiam urgent, Ipsique imperant ut inter Illam et scientiarum cultores, necnon omnes quibus incumbit onus cultus humani promovendi, dialogus instituatur fraternus atque permanens.

Qui veritati quaerendae sese strenuo applicant, vel omnimodo progressui scientiarum et cultus humani satagent, patienter et magna cum abnegatione laborantes, digni sunt qui universam moveant admirationem, digni sunt qui fructus arduarum inquisitionum proponant ut illi fructus recipiantur. Ac vicissim, promotores scientiarum et cultus humani, etiam si ad fidem non accesserunt, proprium agnoscant officium audiendi Ecclesiam, et ipsam nuntium veritatis proponentem, diversae quidem originis, sed et ipsum humanum cultum certissime ditantem.

Praeprimis philosophiae christianae est sedulissime indagare in problemata quae surgunt e scientiarum inventis, theologique accipere tenentur quae in tali indagatione philosophi christiani monent.

Pariter scientiarum cultores conscii sint Ecclesiam pro magnis habere ipsorum inquisitiones atque inventa; agnoscant, insuper, Ecclesiam valere, proprio lumine, ad elucidanda tam multa quaesita quae, ultra ambitum disciplinarum scientificarum, meditationem hominis urgent.

Huiusmodi commutationes pro Ecclesia beneficae inveniuntur, cum Ecclesia omnia vera bona atque pulchra sincere adprobat. E converso scientiarum cultores rogare audet ut et ipsi magis magisque conscii sint se in usu futuro propriorum inventorum non parvam responsabilitatem incurrere. Eosdem pariter invitat ad hoc ut profundissime agnoscant intellectum humanum, etiam insignem, limitibus non carere, ac extra illius ambitum, manere quae sola vita theologalis per fidem ut vera attingit.

Scient pariter cultus promotores, in nonnullis « culturis », valores religiosos ita saepissime ipsas disciplinas mere humanas ingredi, ut, religione derelicta, illas constat radicale subisse detrimentum. Inde patet, Ecclesiam, etiam simpliciter sed et fideliter evangelizantem, iam cultui humano prodesse.

Favens libertati interiori mentium, mediante disciplina spirituali, obtinet ut homo humanior evadat, ipse quasi gustans prae omnia fructus spiritualium operum. Dialogus igitur Ecclesiam inter et cultum humanum haec obtinebit, ubi tamen pro Ecclesia christiani insimul culturae promotores immediate loquentur.

Exhinc, Ecclesia magnos existimat christifideles disciplinis scientiae et cultus addictos, et ibi enixe competentes: tum, quia ceteris hominibus, homines insimul credentes ac scientes hi manifestantur, tum quia authentica scientiae et culturae asserta Ecclesiae praebent. Manifestum est huiusmodo christifideles, ad hoc ut tale munus secure exerceant, disciplinis etiam scientiae sacrae profundissime imbuantur oportet.

Talium obligationum vere conscii, christiani laboribus humani cultus dediti fideliores doctrinae evangelicae sese volent; atque possessionem scientiarum sacrarum quaerent, quae non sit propriae humanae culturae non nimis imparem. Sic lumen fidei ac veritas revelata undequaque praesto erunt, in omnibus interpretandis, etiam sola ratione investigatis.

Illud desideratur ultimum: mutua consultatione et cooperatione, cultores scientiarum ac philosophi christiani confidenter collaborentur atque sese ad invicem adiuvent; amboque etiam theologos informent. Ita, theologi, in nuntio veritatis revelatae exponendo, quaesita et inventa recentiora, necnon modos cogitandi contemporaneos exacte capientes, hominibus praesentis aetatis, etiam alti intellectus, digne ac competenter loqui poterunt.

Praeterea, quando ut discipulis, futuris Ecclesiae ministris doctrinam tradent, ad illos pro servitio spirituali hominis hodierni praeparandos, apprime apti erunt.

Denique etiam de sic dictis artibus ingenuis parum dicendum est:

Artes quoque ingenuae a christifidelibus magni aestimentur, pro singulari valore quo hominis ditant animam: tum cognitione specifica Universi creati, quem mirabilem ostendunt trans formas exquisite oblatas; tum expressione his in formis inserta, qua propriam talem artificem mirationem significant; tum denique insigni communicatione qua ceteri homines talis perceptionis atque gaudii participes effecti ad rari pretii experientiam elevantur. Nec ignotum est quam dilucide, multipliciter ac diversimodo secundum tempora et regiones, indolem propriam hominis, eiusque conatum ad seipsum cognoscendum et perficiendum artes ingenuae saepissime edisserunt.

14

Exc.mus P. D. GERARDUS HENRICUS DE VET
Episcopus Bredanus

Nomine Conferentiae Episcoporum Neerlandicae relate ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* parte II, sequentia proponere velim.

Cap. II. In hoc capite « cultura » seu humanisatio mundi, qua perficitur

ipse homo, nimis unilateraliter consideratur ut humanisatio technica. Fere nihil habetur de humanisatione *contemplativa* mundi (v. g. per philosophiam) et *poetica,* praesertim per litteraturam omnis generis et artes pulchras. De facto tamen alimentum quotidianum culturae plurium hominum consistit in « cultura librorum » seu in lectura. In hac litteratura problemata maiora existentialia vitae humanae elucidantur, sicut sunt mors, passio, miseria, sacrificia vitae. Homines, etiam christiani, maiorem forsan reconfortationem inveniunt in hac magna litteratura, quam in expositione academica nostri schematis, quod caput separatum de his problematibus fundamentalioribus non habet. Licet structura vitae humanae *profunde* afficitur ab humanisatione technica mundi, *mens* tamen humana *intimius* afficitur ab arte illa litteraria, nutrimento quotidiano vitae multorum. Dolendum est, quod Ecclesia de illis fere nihil in hoc schemate edicit mundo.

15

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

Nn. 65-74. Nemo est qui non videat utilitatem culturae populorum et progressus humanarum artium in vita ipsius Ecclesiae et in habitudine Ecclesiae cum societate civili et cum omnibus hominibus praecipue non christianis.

Tamen compertum est quomodo facile non solum non-christiani, sed etiam fideles immo et clerici possunt in exaggerationibus valde periculosis incidere. Nostris diebus ipsi non tantum a cultu « humanismi » decipi possunt, sed amorem patriae et stirpis extollentes, culturas humanas de facto extollunt super religionem cum magno detrimento fidei et etiam propagationis Regni Dei.

Non desunt culturae et artes quae in superstitione et errore fundantur, immo superstitionem et errorem docent et exprimunt. Multi clerici istas culturas et artes ignorantes, illas supra modum extollunt et in arte et musica sacra, immo et in ipsa actione liturgica imprudenter introducunt.

Liceat mihi exemplum afferre. Imaginem acquisivi ad SS. Eucharistiam excolendam. Prope panem et calicem vitae ponitur pulcherrimus pavo (pavone) cum cauda aperta in rotulae forma. Procul dubio artista in mentem habuit operam insignem facere culturam populorum orientalium extollens. Episcopus dioecesanus, qui est Pater Conciliaris, libenter imprimatur concessit putans hoc modo culturam orientalium exaltare. Sciant tamen Patres pavonem caudam aperire et illam voluptuose ostendere ad unam inter plurimas pavones feminas (pavonesse) alliciendas. Et nos puritatem eucharisticam cum luxuria pavonis iungimus ad culturam populorum promovendam!

Et multae aliae dantur aberrationes huius generis. Sed quae dixi iam sufficiunt ut monitum in hoc capite ponatur, quod ita exprimi posset: Culturae artesque populorum fovendae sunt, tamen caute consulatur ne fundentur in superstitione vel errore vel ea exprimant quae cum fide et doctrina christiana componi nequeunt.

16

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis, ep. Squillacensis

Quaedam liceat mihi adnotare circa hoc cap. II, cuius materia maximum habet valorem in ordine theoretico et practico. Etenim quae de familia dicuntur, de vita oeconomica et sociali etc., in tantum efficaciam habent, in quantum per « culturam » — uti brevius dicitur et res bene intelligitur — omnia principia ingredi possunt in ipsam mentalitatem hominum, pensari, aptari, modificari, et dein in praxim deduci. Voluntas sequitur — modo sibi proprio, ideoque libere, — ipsum intellectum: sed si quid in intellectu et in dominio publico idearum non pervenit, remanet extra hominem et extra vitam concretam generis humani.

Tres animadversiones proponere desidero:

I – Ad n. 68, ubi sermo fit « de difficultatibus hodiernis huius muneris ». Meo quidem iudicio praestat ut indicentur in hac parte radices omnium difficultatum positas esse: ex una parte *in neglectu philosophiae,* et ex altera parte *in influxu quam maximo* quem philosophia — praecipue si est abalienata a consideratione Fidei ideoque rationi per peccatum originale obscuratae unice adhaerens — exercet in vitam, in mentalitatem et culturam hominis, etiam post saecula. Videtur opportune comparanda illi tormento bellico quod dicitur italice: « bomba a scoppio ritardato ».

Ob defectum temporis abstineo ab analysi facienda huius influxus: qui tamen quam maxime elucet in quaestione de atheismo contemporaneo, sicut qua par est competentia, egregie et synthetice huic consessui proposuit em.mus card. König.

Sed — repeto — videtur consonum analysi huius n. 68 ut res proponatur *clare* licet breviter et efficaciter.

II – Ad n. 71: « de diversis rationibus in cultus humani formis rite componendis ». Etiam in hac parte notatur defectus circa philosophiae studium ac rationem; immo videretur inter activitates hominum mundi hodierni excellere tantum progressus « in scientiis artibusque technicis ». Affirmatur quidem — circa iustam libertatem inquisitionis veritatis — distinctio inter ordinem cognitionis fidei et rationis, ad mentem Vaticani I; sed non enucleatur vis et pondus rationis in ipso ordine cognitionis rationalis.

Problema enim maximum — circa quod mentes philosophorum praesertim hodie defatigantur — est problema de transcendentia et de immanentia Dei relate ad mundum: *transcendentia,* necessario affirmanda, quae tamen videtur *directe* ducere ad *agnosticismum,* qui extenditur etiam circa ipsam existentiam Dei: et hinc postea brevis est gressus ad ipsius Dei *negationem;* et *immanentia,* quae ex parte sua videtur etiam directe ad *idealismum* sub

quacumque forma, et ad ipsum *materialismum* etiam directe ducere. Ex modo philosophice componendi has veritates — nam nos in Deo « vivimus, movemur et sumus » (cf. Act. 17, 28 in oratione S. Pauli ad Areopagum): en immanentia Dei in mundo; et tamen Deus est « supra omnes res creatas ineffabiliter excelsus » (cf. Conc. Vat. I, Sess. III de creatione): en transcendentia ipsius Dei supra mundum — omnia bona vel omnia mala derivant in ordine practico ex errore in intellectu posito (negata enim creatione, malo fato in pantheismum vel in atheismum necessario ratio humana inducitur!).

Hinc mihi videtur opportunum ut *expressius,* ad vim philosophiae in compositione culturae humanae elucidandam, de ipsa etiam in hoc numero innuatur.

III – Ad n. 74, pag. 57-58: multa bene dicuntur « de humano civilique cultu cum christiana institutione rite componendo »; sed circa ea quae philosophiam respiciunt, mihi videtur non parvus inveniri defectus.

Etenim, in pag. 57, linn. 38 s. commendatur cooperatio cum hominibus aliarum scientiarum studiosis omnibus illis « qui theologicis vel philosophicis disciplinis in seminariis et studiorum universitatibus incumbunt ». Immo in pag. 58, lin. 4 dicitur: « optandum » ut plures laici in his scientiis versentur.

Sed quaero: estne aliquid proprium et *exclusivum* cleri inquisitio philosophica?

In loco citato locus opportunus videtur ut fiat *hortatio ad omnes laicos* qui revera sint capaces, ut studiis philosophicis magnopere incumbant; et ita, plenius et tendentias philosophicas mundi hodierni cognoscere valebunt, et deviationibus et erroribus fortius et magna auctoritate resistere poterunt.

Tali modo *positive* foveretur in altissimo agmine philosophico cultus veritatis ex simplici ratione humana provenientis; et cum « verum vero contradicere nequit » bases solidae ponerentur etiam ex parte cultorum philosophiae qui sunt laici (et non laicistae!) ad verificandum assertum Concilii Vaticani I: « recta ratio fidei fundamenta demonstrat ».

17

Exc.mus P. D. ANDREAS IACOBUS FOUGERAT
Episcopus Gratianopolitanus

N. 71, pag. 55, linn. 30, 31, 32: loco « ... quare "iustam hanc libertatem agnoscens" scientiarum totiusque cultus humani legitimam autonomiam affirmat », legatur: « ... attamen, cum illa principia et illae methodi non sint eiusdem generis, in scientiis "naturae" materialis, et in scientiis "de homine" (speciatim in illis scientiis quae de sanitate, moribus et "ethica" hominis tractant), Sacra Synodus agnoscit et affirmat "iustam hanc libertatem", rite servatis natura et principiis cuiusque scientiae, et optat ut haec legitima libertas vigeat in omnibus campis cultus humani ». *Rationes*: 1. Chez les savants

d'aujourd'hui s'affirme de plus en plus la revendication de traiter des choses de « l'homme » avec la même « autonomie » de recherches et de méthodes que dans les sciences physico-chimiques.

2. A travers le monde, se répand de plus en plus une mentalité scientifique qui n'accepte que la conception physico-mathématique de l'explication de l'univers (cf. Intervention in aula de S. Exc. Mgr. Spülbeck, Evêque de Meissen, le lundi 4 octobre, au cours de la 141[e] Séance). Retour à une confusion de « l'abstraction mathématique » et de l'abstraction physique, du genre leibnizien ou newtonien: « Dum Deus calculat, fit mundus ». Prétention de considérer cette conception comme la seule capable de donner accès au « réel », et parfois à tout le réel, même divin.

3. Grande ambiguïté du mot « autonomia » qu'il faudrait éviter d'employer, ici, et ailleurs dans ce Schema. La majorité des penseurs et savants d'aujourd'hui entend ce terme au sens positiviste ou au sens « kantien » de créateur de sa propre loi, et non au sens de libre recherche et de libre adhésion à une loi, fondamentalement divine, des êtres et des choses antérieure et supérieure à l'homme.

18

EXC.MUS P. D. IOANNES GRAN
Episcopus Osloensis

N. 67 (pag. 52, lin. 32). Post « communitate » addatur « seu ab origine seu ab electione » ut ius ad emigrationem clarius statuetur.

N. 69 (pag. 53, lin. 32). Anglica translatio aliquam aequivocationem hic esse ostendit. Anglice differt *human* a *humane*: hoc refert ad humanitatem sicut est virtus et qualitas, illud ad humanum genus prout est natura quaedam. Versio *human* elegit, cum textus probabiliter alterum sensum habet. Aequivocatio vitetur.

N. 69 (pag. 54, linn. 6-9). Nimis rhetoricus modus dicendi. Locus citatus e Proverbiorum libro hanc notam corroborat.

N. 69 (pag. 54, linn. 16-24). Rerum humanarum ambivalentia fortius denuntietur. Quidam schema accusant quod falso optimismo foveat. Non omnino iniuste. Cum his qui hodiernum mundum reprobant et praeterita tempora exaltant, non consentio; sed concedo quandam biblicam dimensionem in nostro textu deesse, quam non solum protestantes observatores sed etiam plures catholici magni momenti esse existimant. Ne praecipue de peccat*is* mundi hodierni disseramus, sed ne mundi peccat*um* obliviscamur!

N. 70 (pag. 54, linn. 41 s.). Verum est Evangelium in se talem potentiam habere, sed longe abest, propter peccata nostra, ne illam sic manifestet. Differentiam non parvi momenti esse patet.

N. 73 (pag. 56, lin. 40). Ambivalentia huiusmodi relaxationum (ut « tourisme », « loisirs » etc.) clarius affirmetur.

N. 74 (pag. 57, lin. 26). Ut textus perennem valorem obtineat, deleatur « recentes » et scribatur: Scientiarum acquisitiones novas quaestiones *continuo* suscitant.

N. 74 (pag. 58, lin. 20). « Speciatim in sanctuario » deleatur quia inutile.

19

EXC.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. Acrensis et Puruensis

Caput istud II partis II, a n. 65 ad n. 74, multa optima procul dubio de cultura humana rite promovenda exponit, at fortasse nimis fuse et stylo, iterum, nimis descriptivo: ideoque, fortasse, quaedam fundamentalia principia veluti occultata manent; alia insuper, pariter magni momenti, fortassis nec adsunt.

Unde ea quae sequuntur deberent non tantum adesse sed et in perspicuo collocari:

1. Aeternus Pater est supremus sapiens, summa sapientia, supremus magister; Filius Dei Iesus Christus, verus Deus verusque Homo, est primus magister visibilis, qui inter homines conversatus est, quique suum magistrale munus cum Ecclesia et in ea et per eam potissimum, immo et cum tota humanitate et in ea et per eam etiam, Spiritu Sancto, licet differenti mensura, afflante.

2. Deus, multis modis seu viis, est omnis veritatis et sapientiae ac scientiae fons; veritas autem seu sapientia et scientia, ipso Deo revelante iam in Veteri pleniusque ac perfectius in Novo Foedere praestita, ac per Ecclesiae magisterium fideliter servata atque sine errore exposita et illustrata, omnes veritates humanitus e creaturis haustas omnesque scientias humanitus elaboratas longe transcendit; at sicut a nulla contradicitur, ita et nullis contradicit, aut contradicere potest.

3. Haec Divina Sapientia per revelationem hominibus communicata, cum de ipso Deo agat ac etiam de creaturis, et signanter de hominibus et prout a Deo descendunt et prout ad Deum iugiter ascendere debent, ideoque illum in tempore et in aeternitate diligere, sicque salvari, non tantum est summa Sapientia, ut dictum est, sed etiam est summe appetenda, ita ut verissimum sit quod « vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei », licet forte in aliis humanitus haustis disciplinis sint peritissimi.

4. Ex hoc supremo Sapientiae revelatae fastigio, et ex concordia huius cum omnibus et singulis veri nominis scientiis humanis atque vicissim, liquido ac necessario sequitur Sapientiam revelatam esse et esse debere, sive inter disciplinas sive in disciplinarum scholis, omnium coronidem, ad quam seu ad cuius assecutionem, profundiorem penetrationem, lucidiorem illustrationem, amplioremque in dies applicationem, omnes disciplinae humanitus haustae

et ordinari et conducere debent: non ergo una philosophia sed et omnes scientiae et artes, iuxta b. Augustini in libello *De doctrina christiana* placitum, eidem Sapientiae revelatae iterum famulari debebunt.

5. Ut autem praedicta inter Sapientiam revelatam et scientias artesque humanas lucidius in dies appareat concordia, atque omnis tandem removeatur discordiae seu contradictionis species, necesse prorsus est ut illa et istae a respectivis peritis cum scientifica certitudine, vera profunditate, perspicua claritate possideantur; bene attendendo quod numquam comparatio instituatur inter verum et falsum, inter certum et incertum, inter thesim et hypothesim, inter profundum et superficiale, inter perpetuum et a saeculis collaudatum et inter recentissime inventum et nondum sufficienti tempore subiectum experimento.

6. Cum Dei Ecclesia corpus Christi exstet, qui est Infinita Dei Sapientia incarnata atque omnis sapientiae et scientiae thesaurus et fons, non tantum Sapientiam revelatam sancte servet et fideliter illustret, apte secundum tempora et locos proponat, latius in dies divulget, suaviter fortiterque defendat, sed nullam omnino humanam scientiam et artem putet a se extraneam, quin immo ad se imprimis pertinentem, ideoque per filios suos seu membra sua magis magisque excolat, ut in eis et per eas quoque eluceat Sapientia Dei, atque ut instrumentum evadant sive in bonum ipsius revelata Sapientia sive in hominum sanctificationem ac salutem; quaecumque autem vera et bona extra Ecclesiae septa fuerint adinventa, laudet, foveat et cum gaudio suscipiat, ut etiam concordia in re scientifica unitatem, tantopere a Divino Magistro optatam, promoveat.

7. Ideoque Ecclesia incessabiliter adlaboret, per ecclesiastica et laica sui Corporis membra, immo et per universos qui eidem in re scientifica consociari cupiunt, ut de Sapientia revelata ac de omnibus humanis scientiis floreant atque excitentur cathedrae in Universitatibus, Seminariis, Athenaeis, studia quoque sive scientifica sive ad vulgus destinata, conventus atque congressus: praesertim autem adlaboret ut nova veluti *Summa theologica* praeparetur in qua, recta methodo ac per innumeros recteque ordinatos cooperatores, Sapientia revelata profunde, dilucide, ordinateque exponatur, adhibita *omnium scientiarum luce* (et non tantum philosophiae), semper ostendendo in quibus elementis omnes catholici, omnes christiani, omnes in Deum credentes conveniant, sicque iterum sternatur et complanetur via ut omnes unum sint, iuxta optatum Domini Iesu.

20

EXC.MUS P. D. GERARDUS HUYGHE
Episcopus Atrebatensis

N. 65, premier alinéa. La définition de la culture, esquissée dans la première phrase, n'est pas assez précise. On pourrait dire: « La culture, pour chaque personne, est l'élargissement harmonisé de sa connaissance aboutissant à une explication cohérente de l'homme dans l'histoire et dans l'univers. C'est ainsi qu'elle déploie les qualités spirituelles et corporelles, et humanise l'univers ».

N. 66, in fine. Après la dernière phrase, on pourrait ajouter: « Cela ne va d'ailleurs pas sans danger, du fait de la matérialisation de la culture occidentale, et même de sa rationalité excessive, atténuant la faculté d'intuition et le sens du spirituel et du sacré que d'autres civilisations avaient jusqu'ici conservés ».

N. 72, premier alinéa, lignes 10-12. Le grave problème de l'alphabétisation des illettrés est traité trop rapidement. Actuellement, les 3/4 des hommes sont illettrés. Il me semble qu'il faudrait d'abord louer sans réserve tous ceux qui consacrent leur temps et leurs forces à l'alphabétisation de leurs frères: il y a là un terrain commun où se retrouvent chrétiens et non-chrétiens.

Il faudrait ensuite mettre ouvertement à l'étude, dans l'Eglise Catholique, les moyens à mettre en œuvre pour contribuer efficacement à ce progrès urgent (création d'un Secrétariat pour les pays en voie de développement). Le texte conciliaire devrait annoncer cette mise à l'étude.

N. 72, 5ème ligne du deuxième alinéa. Après « acquise », on pourrait ajouter: « Ceci est particulièrement important en ce qui concerne les responsables politiques et ceux qui ambitionnent de le devenir. Un homme politique qui ne possède pas une large culture, multiplie les erreurs dont l'effet est d'autant plus grave que l'autorité est plus élevée. On se plaint que le monde actuel manque des grands politiques dont il aurait plus que jamais besoin: c'est que des hommes sans compétence suffisante, sans culture unifiée, se hissent au pouvoir ou acceptent d'y accéder ».

Ceci ferait modifier un peu la dernière phrase de l'alinéa: « Par l'acquisition d'une culture authentique chez ceux qui exercent une influence, les groupes sociaux ... ».

N. 74, 6ème ligne avant la fin de la page 66. Après « points de vue », ajouter ceci: « en plus des Universités d'enseignement, il y aurait lieu de fonder de véritables Universités de recherche ou centres de synthèse où les disciplines philosophiques, éthiques et théologiques seraient en dialogue continu avec les diverses disciplines scientifiques. Les Universités d'enseignement elles-mêmes qui sont trop devenues des juxtapositions de Facultés et d'Instituts, doivent reprendre un caractère vraiment universitaire par la re-

cherche interdisciplinaire. La liberté laissée aux Universités catholiques leur permettrait de faire école en ce domaine.

Il importe de plus en plus, d'ailleurs, que tous les bénéficiaires d'un enseignement supérieur reçoivent une formation interdisciplinaire qui leur permette de se placer dans le contexte général du savoir et de la vie. Il en va de même pour les enseignants, comme aussi pour les chercheurs spécialisés qui devraient joindre à leur acquis scientifique assez d'action engagée pour que leur culture, en se heurtant à l'expérience, ne soit pas irréelle. Le pur intellectuel — et cela vaut aussi pour l'intellectuel chrétien — risque en effet de s'égarer s'il ne se heurte pas de quelque manière à la complexité du réel vécu. Aussi bien, la recherche théologique ... (et la suite du texte).

21

Exc.mus P. D. LECH KACZMAREK

Episcopus tit. Alienus, aux. Gedanensis

Pag. 53-54: Placet id quod in praedicto schemate de connexione inter bonum nuntium Christi ac culturam humanam dictum est. Liceat mihi tamen quaedam circa ipsum conceptum, seu ipsam notionem culturae et eius relationem ad genuinam notionem Dei et religionis in genere dicere.

Ut Ecclesia ope boni nuntii Christi efficaciter in cultura nostri temporis rite sapienterque evolvenda partem suam debitam habeat, quin autonomia culturae minime laedatur, necesse mihi videtur ut quaedam in schemate addantur, quae harmonicae huic collaborationi inveniendae religionem inter et culturam, eiusque diversa genera activitatis aliquo adiumento esse possent.

Proh dolor verum est haud paucos viros scientiae nostri temporis, in materia religionis vix versatos, aliquales quandoque pati difficultates ideo praecise quia deest eis aliqua magis matura notio Dei et religionis, notio Dei ab omni specie anthropomorphismi prorsus liberata, notio vero religionis quam saepe cum aliqua superstitione identificare videntur.

Homines alia ex parte omnino docti, in materia tamen religionis vix raro aliquo infantilismo, si ita fas loqui est favere indulgereque videntur.

Haec accuratior notio Dei et religionis utpote Summae Bonitatis ac Ultimae omnium rerum Causae maximi pro istis viris scientiae interesse est ut verum progressum culturae cum religione componi optime posse perspiciant.

De his optatur ut in schemate aliqua saltem mentio non tam philosophica quam in Evangelio fundata fiat. Praeterea plures difficultates ortum suum inde sumere videntur, quod saepe, saeculis praeteritis viri catholici in phaenomenis naturae explicandis statim ad Deum ad Causam primam recurrerunt, neglectis prorsus causis secundis per quas ipse Deus mundum gubernat.

Quoad vero religionem, illam hodie haud pauci viri scientiae uti feticismum reputant uti res in ephemeridibus Orientis materialistici haud raro praesentari solet.

Cum vero hic de schemate alicuius *pastoralis* constitutionis sermo sit, opportunum censeo ut fideles ac incredentes clare persuadeantur nullam contradictionem inter religionem et cultum humani dari dummodo notio Dei ac religionis mature ac sincere perpendatur.

Perutile fore ut in schemate addantur quaedam verba ex quibus clare pateat hominem utique esse auctorem cultus humani et eius progressus tam in campo intellectuali quam valorum ethicorum, semper tamen manere, ut ita dicam, in statu ontologicae dependentiae a Deo.

Ne Reverendissimo Secretariatui hae considerationes mirae videantur, attendendum est eas esse scriptas ab illo qui in quotidiano suo labore ac collocutionibus cum viris scientiae, in regione ubi materialismus atheus viget operam dare.

Opportunum esset praeterea ut in schemate aliqua saltem verba dicantur de ista fundamentali veritate — plures notiones hodiernas uti libertatis, dignitatis hominis, valorum spiritualium etc. de quibus hodiernus atheismus occidentalis et orientalis loquitur esse etiamsi explicite nemo hoc dicat, — aliquod patrimonium humanismi medievalis, quem hodie tam saepe homines spernere non dubitant.

Drama hominum immo humanitatis nostri aevi, historice loquendo tunc initium sumpsisse videtur, quando homo rationalisticus XVIII s. paulatim in s. XIX darwinismo ac freudismo (a S. Freud) favens ipse se de die in diem semper magis animalibus aequiparatus censuit et sic dignitatem suam perdere debuit statuendo loco suae dignitatis humanae la bête humaine.

Sic clades hominis individualis ad exaltandum hominem collectivum perduxit. Cultura XVIII saeculi odio erga religionem infecta, primum in divitiis accumulandis sensum ac finem ultimum humanitatis posuisse videbatur. Deinde nostra in aetate iam transitus aliquis ab atheismo ad antitheismum factus est.

Non est mirandum hominem nostrae aetatis atheum et culturae fovendae deditum, praeiudiciis erga religionem imbutum, vera notione libertatis ac spiritualitatis animae humanae destitutum, moraliter inhabilem esse haud raro ut sibi veram genuinam maturamque notionem de Deo ac religione procuret. Munus Ecclesiae est hominem in hac misera situatione adiuvare.

Enixe peto ut de his rebus saltem aliqua mentio in schemate, si possibile est, fiat.

Tandem ad viros doctos catholicos pertinet munus ostendendi mundo hodierno Ecclesiam in hac materia culturae fovendae per tot saecula sedulo adlaboravisse ac thesaurum scientiae diversis in disciplinis decursu saeculorum magno cum applausu ditiorem effecisse. Quidquid sit de ipsa essentia notionis culturae censendum, una res certa esse videtur, Ecclesiam hominem ad altiora semper elevare, minime vero in umbram ignorantiae detrudere, ita ut verissima esse videtur locutio docti viri cui nomen Martineau: « Religio est id per quod homo quodammodo seipsum superat cum ad Deum adducitur ».

Valde utile fore si in schemate praedicto haec omnia non tantum ex

rationis argumentis sed ex citatione textuum Evangelii, uti decet in constitutione pastorali conciliari, probati, confirmati essent.

Pag. 55-57. Quaestio de cultura videtur esse unum de nucleis schematis, agitur enim hic de perfectione personae humanae et de omni productione ab hominibus in diversis campis susceptura. Schema bene demonstrat complexitatem et difficultatem hodiernam vitam culturalem signantes. Concilii Oecumenici est hac in quaestione haud pauca dicere. In parte secunda, capite secundo bene praesentatur analysis sociologica situationis actualis in campo culturali contemporaneo et valde recte sublineata est thesis, totam conceptionem culturae in anthropologia fundari. Videtur tamen in hoc puncto quaedam non satis clare exposita esse et ipsam anthropologiam sive theoriam hominis, tam philosophicam quam theologicam, insufficienter, confuse et non satis profunde praesentatam.

1. Cultura — independenter a diversis eius notionibus — videtur esse summa eorum quae homo ad rerum universitatem adiicit; inter has autem res adiiciendas ipse homo et in particulari eius facultates spirituales primum tenent locum. Ideo, propria hominis perfectio, et praecipue intellectus eius (scil. cognitionis) et voluntatis (scil. amoris) fundamentum est omnis culturae. Sed haec in textu non sunt sufficienter expressa et in schemate praedominat conceptio culturae, ut ita dicam « productivo - consumptiva », quae essentiam omnis culturae in totalitate rerum spiritualium et materialium ab hominibus productis et in facultate earum ab homine assimilationis collocat.

2. Haec partialis et insufficiens notio culturae pervadit problema educationis hominis ad culturam adipiscendam, quae educatio culturalis, scil. vera « paideia », maximi est pro vita Ecclesiae momenti. Si saepe repetitur hodie universalem ordinem valorum maxime imminatum et saepesaepius destructum esse, non videtur sufficiens remedium ad hunc ordinem restituendum solummodo ad valores morales appellare. Debetur semper ante oculos habere, hominem veram culturam in ordine intelligentiae adipisci non tantum per cognitionem et cultum scientiarum particularium et artium sed praecipue per veram sapientiam. Haec sapientia autem duplex est, naturalis scil. et supernaturalis, et non est inter eas contradictio. Non datur vera cultura sine sapientia i. e. philosophia. Hic non agitur de philosophia solummodo academica, quae parvo numero eruditorum ac studentium accessibilis sit, sed de philosophia quae identificatur cum naturali contemplatione realitatis et quae saepe clarius apud simplices homines quam apud eruditos apparet. Haec est vera philosophia entis sine qua homo non potest esse verus homo, sicut et omnis christianus theologus in quodam gradu debet esse. Hanc philosophiam scil. naturalem contemplationem i. e. sapientiam possidere potest homo qui non habet materiales nec mentales divitias (i. e. scientificas); homo rudis, rusticus attingit saepe hoc genus sapientiae et ideo magis fundamenta verae culturae possidet quam multi divites huius mundi et possessores « sapientiae quae inflat ». Talis philosophia i. e. contemplatio entis vera est metaphysica et minime contradicit sapientiae crucis, immo ad amplectendam eam animos praeparat.

3. De hac sapientia minime in capite de cultura dicitur; et ideo tota notio culturae ibi fundamento solido caret. De hac autem sapientia naturali, quae praeparat supernaturalem, agebat Summus Pontifex in sua allocutione inaugurativa IV Sessionis, dum de « contemplatione mundi » aiebat. Sors totius culturae humanae et theologiae speculativae i. e. contemplativae pendet a cultu philosophiae et specialiter philosophiae entis, metaphysicae. Haec enim sola inter omnes disciplinas rationem totius realitatis, rationem illius esse attingit, sola lumine naturali Deum in corde realitatis invenit.

Certum est existere intimam connexionem inter problema atheismi moderni et cultum metaphysicae; atheismus enim semper per peccata contra sapientiam et caritatem causatur. In quantum ergo sanctitas vitae credentium verior evadit et sapientiae philosophicae aliarumque scientiarum cultus superiorem gradum scientificum attingit — in tantum periculum atheismi diminuitur. Non est verum, hominem modernum philosophiam entis reicere et inutilem eam censere. Aphilosophismus hodiernus est magis illusorius ac superficialis et consistit in aversione erga methodum scholasticam et terminologiam — ipsa tamen metaphysica quam maxime, sed saepissime in subconscientia, exspectatur et appetitur ab homine moderno.

4. et ultimo. Nequitiae et crimina inaudita atque horror belli totalis, camporum exterminationis et similium, sufficienter iustificant gravia illa verba quae Concilium in hac materia — in schemate nostro, n. 98 — ad christianos et ad totum orbem dicere intendit. Sed amissio sapientiae et exterminatio verae culturae non minor est crimen et cataclysmus totum ordinem moralem et culturalem generis humani evertens. Ideo, Concilium deberet, ut videtur nobis, proclamationem ad totam humanitatem, his vel similibus verbis prolatam, in schemate collocare: « Salus culturae humanae in sua totalitate ab hoc pendet, ut homines semper prae oculis habeant maximum momentum verae sapientiae metaphysicae, i. e. philosophiae entis, quae in contemplatione naturali rerum creatarum consistit ».

22

Exc.mus P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER
Episcopus Lunganensis

Ad pag. 52, linn. 2-6: Estne descriptio « culturae », quae hic datur, adaequata?

Suntne bona culturae omnia ordinis potissimum spiritualis? Quomodo hoc componitur cum antea dictis: « dona proprii animi corporisque »? Sunt quidem potissi*ma* ordinis spiritualis, sed non potissi*mum.*

Possuntne bona culturae « ab omnibus sine exceptione », possideri? (textus latinus correxit: « a pluribus sine exceptione », quod non bene intelligitur!). Etiam bona materialia possunt ab omnibus possideri; ex alia parte bona spiritualia culturae possideri possunt solum ab illis qui determinatis dotibus ornantur.

23

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

Post discussionem in aula, et mea personali consideratione, mihi liceat, ad schema XIII ameliorandum, sequentia proponere scriptis commissioni huic schemati revisendi propositae:

In hoc capite esset valde utile si pauca dicantur, etiam contra abusus vel deviationes in cultu humani progressus ut sunt, v. g.:

Sic dictus *edonismus* scil. exaggerata quaestuatio cuiuscumque generis relaxationis, saepe cum magno detrimento temporis, salutis, et oeconomiae domesticae. Mihi videtur esse officium pastorum fideles admonere ne in hoc mundum sequantur, et intelligant quod nimius ardor in oblectamenta quaerendo persaepe prolabit in ruinas morales et difficile componi posse cum praxi vitae christianae.

Verbum quoque faciendum est de aliquibus formis huius edonismi in mundo moderno uti sunt, e. g. *concursus* pulchritudinis pro puellis; clare dicatur quod omnis cultura humana comprehendere debet: *corpus et animam*: in illis competitionibus vero, de corpore tantum agitur scil. de parte animali mulierum in damnum pudoris, aequae aestimationis veri cultus humani cum consectariis quae omnes norunt de sic dicto « cultu stellarum ».

Insuper tempus est ut aliquid dicatur de *ludis gladiatorum* quae saepe aguntur cum proximo periculo vitae: quot gladiatores occisi sunt in competitione? Cur multi qui vocant *Corridam* Hispaniae inhumanam, eo quod bovis occiditur cur dein admittunt occisionem hominis in gladiatoribus: aperte dicatur quod si: inhumana, pagana et antichristiana eo quo etiam sit *cultus* bestialitatis in homine, non progressus rationalis sed potius voluntas vi superare proximum quod proprie bestiarum est.

Denique hoc loco, aliquid dicendum est de modo vere inhumano quorundam autocineta velociter ducendi, sine respectu regularum viae ita ut causa sint malorum et vulnerum necnon mortis. Sciant hoc grave peccatum esse et aperte declaretur hoc loco.

24

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 55, lin. 32: ad bene complendam totam hanc paragraphum, valde opto ut ad finem post vocem « affirmat » addantur haec: « dummodo nihil contrarium fidei et morum sanctitati doceatur ». Utilitas additionis per se patet.

25

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ROSARIUS MENNONNA

Episcopus Neritonensis

N. 74. Omnibus constat a saec. XIV oppositionem ortam esse inter culturam christianam et culturam humanam, quae in dies acrior facta est, ut realis antagonismus inter ipsas institueretur. Quae oppositio, non a rerum natura procedens sed tantum ab hominum voluntate, omnino superanda est, quod ambae inter se complementares sunt et cultura christiana vel theologica, verbum Dei revelatum exponens, humanae doctrinae lumen afferre potest ad res huius mundi ac praesertim ad hominum missionem finemque profundius intelligenda.

Quod ut fiat, ex parte nostra, necesse est theologiam in specie et culturam christianam in genere formam nostris temporibus aptiorem induere atque homines culturae christianae, aliqualem intolerantiam hucusque adhibitam deponentes, necessarios contactus cum humana cultura cumque huius culturae hominibus instituere, quin autem cedatur in essentialibus vel aliquomodo veritas patiatur.

26

EXC.MUS P. D. ALOISIUS PARO

Episcopus tit. Diocaesariensis in Isauria

N. 74. Proprio veluti sermone utentes atque singulari prorsus efficacia praeditae, artes civilem populorum cultum variis locis temporibusque exprimunt simulque dirigunt, vel etiam ipsis novas vitae condiciones aliquomodo sternunt.

Ars vero suapte natura res est spiritualis, ideoque specialissimo modo apta ad religionis cultum et ad supernaturalium mysteriorum veritatem celebranda. Hoc pariter animorum necessitati respondet, quandoquidem homo, qui Deum ut religiosi cultus apicem considerat atque colit, sua sponte arte utitur utpote significantiore instrumento, quo rerum omnium Auctorem laudibus extollat.

Id sane probatur diversorum populorum vestigiis, qui, qualibet aetate ac regione, sicut sui memorias artis monumenta reliquerunt. Etenim nulla prorsus ad nos notitia pervenisset aliquarum praeteriti temporis civilium nationum, nisi artifices sua opera tradidissent. Quam ob rem iure meritoque dicendum est, ex humanis operibus id tantum temporum iniuriis hominumque oblivioni superfuisse, quod arte quadam valeret, vel germana artis nota signaretur.

Praeterea, artis documenta quae nobis ex praeteritis aetatibus servantur, sacra, religiosa ac saepe liturgica proprietate pollent.

Maxime opportunum igitur esse videtur, haec Oecumenica Synodus christianos homines hortari debere, ut artem summa existimatione prosequantur sive ob Dei laudes, quae ipsius ope celebrantur, sive ob pastorale subsidium, quod ipsa praebet ad fideles omnesque homines animo colendos atque elevandos.

Oportet autem ars ab artifice minime disiuncta esse censeatur. Quotiescumque enim ad intellegendam artem invitamur, ad nostri temporis artifices intellegendos invitamur; et quotiescumque ars advocatur ad fidei mysteria digne celebranda, tunc artifices ipsi advocantur ad res religiosas percipiendas, ad easque digne exprimendas. Sed nihil intelligi, diligi atque exprimi potest, nisi antea studio penitus comprehensum fuerit.

Mihi igitur id valde utile videtur: scil. ut Oecumenicum Concilium, dum Ecclesiam universam hortatur ut sui temporis diversorumque locorum artem intellegat atque admittat, paterna quoque sollicitudine artifices invitet, ut et ipsi amanti animo fidei mysteria studio atque meditatione perdiscant.

Hoc sane postulatur ab ipsa harum rerum natura, praeterquam quod necesse est, ut verba et sententia Pauli VI Pontificis Summi quam fidelissime, etsi per compendium, referantur, de cuius oratione ad Romanos artifices in hoc schematis XIII capite fit mentio.

Etenim Augustus Pontifex non modo monet, ut Ecclesia artifices intellegat, sed etiam ut artifices apta catechesi et institutione instruantur, si plena suae dignitatis conscientia ad artem, praesertim ad artem religiosam et sacram, accedere cupiant.

Nam artifices haud nimia difficultate cognoscere possunt, qui sit practicus finis operum, quae ipsis efficienda committuntur; at ipsis difficillimum sane esse potest fidei veritatem mente perspicere, quam iisdem operibus exprimere debeant. Exempli gratia, artifex facile intelligit, baptismalem fontem alveum esse oportere, quo aqua contineatur, sed contra valde difficile est Baptismi mysterium penitus cognoscere, ad quod efficiendum alveus ille inservire debet.

Artis opera ex illis omnibus rebus constat, quae artifex in seipso sentit atque cognoscit. Quapropter per artis veluti sermonem, artifex haec tantum exprimit, quae ipse cognoverit atque senserit. Ideo ars sacra in primis tantum valet, quantum Artifex sacras res sentit, ita ut eius operis sacra vis atque efficia ex ipsius animo sponte profluat et veluti exundet.

Hac tantum via et ratione artifex veram artificis libertatem adipiscitur, vel cum opera elaborat, quae sacris aedificiis et divino cultui destinantur: hac enim solum ratione ipse illi voci obtemperat, quae intus in conscientia dictando personat, nec tantum illis vocibus, quae exstrinsecus ipsi suggeruntur.

Laus illa insuper, per artis subsidium Deo tribuenda, ne inter rerum concentum Creatorem celebrantium ea desit nobilissima vox, quae ex artis pulchritudine cietur, ipsa est existimanda artificis laus, quam is ad Deum elevat: laudem dico, quam non modo quilibet homo vel inscius Creatori per se tribuit, cum egregia opera patrat, sed etiam utpote creatura et filius, qui suae artis conscientia motus veluti cuiusdam doni ac talenti a rerum omnium

Auctore et Redemptore accepti, hoc ipso talento utitur ut sit deditum creaturae obsequium erga Creatorem et amantissimum filii erga Patrem officium.

Quam ob causam, optimum fore videtur, Oecumenicum Concilium, praeter ea quae iam laude digna sedulitate de arte edisseruit, artifices omnes sollemni quadam hortatione prosequi. Haec hortatio his, quae sequuntur, verbis exarari forte potest (pag. 58, linn. 10-22 textus immutetur et legatur): Artes quoque ingenuae, quae inter nobilissimas ingenii humani exercitationes merito adnumerantur, a christifidelibus magni aestimentur. Indolem enim propriam hominis, eius problemata eiusque experientiam in suo conatu ad seipsum cognoscendum et perficiendum saepe dilucide edisserunt et vitam humanam, multiplicibus formis secundum tempora et regiones expressam, elevare valent.

Quapropter Oecumenica Synodus artifices enixe hortatur, ut studio et meditatione christianae fidei mysteria penitus comprehendant, eo sane consilio, ut sacra vis et efficacia eorum operum, quae templis et divino cultui destinantur, sponte ideoque magis genuine ac libere ex ipsorum animis profluat; eosdemque pariter monet ut, praesertim si de artificibus agatur, qui aperta fide et christiano catholicoque nomine glorientur, eorum artis opera existiment velut obsequium Deo praestandum ea conscientia et caritate, quae Dei creaturas atque filios prorsus addecent.

Exinde ingenuarum artium cultores Ecclesiae honore atque existimatione pro certo gaudebunt, atque immo suae vocationi sincere respondebunt et, ordinata libertate qua fruuntur, faciliora commercia cum communitate christiana instituent. Ipsi artem quoque sacram excolent sub figuris quae coaevis nostris adaptarentur, iuxta de cetero variarum nationum et regionum indolem, speciatim in sanctuario, ubi, modo dicendi accommodato, mentem ad Deum erigere satagent. Ita vocem suam adiungent ad mirabilem concentum in gloriam Christi et Dei.

27

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

N. 70. Placet revera mihi quod in hoc capite II secundae partis schematis, quod totum versatur in hominum cultu et cultura laudandis, extollendis et decantandis, sequentia verba legantur sub n. 70 « Bonum nuntium Christi hominis lapsi cultum continenter renovat, et errores et mala, ex semper minaci peccati seductione manantia impugnat et removet ».

Perplacet revera, secus enim modus gerendi schematis similis esset gubernio illo quod totum erat in laudanda, et extollenda et decantanda publica sanitate, quin vel minimum curaret ipsam defendere a pestilentiis, contagiis et agentibus pathogenis, illam penitus pessumdantibus.

Nunquam taliter sese gessit Sancta Ecclesia Mater nostra.

Sed probe sciens maximam culturam hominis esse eiusdem intellectus

et voluntatis, intellectusque culturam esse culturam veritatis, et culturam maximam veritatis constituere veritatem religiosam, sicut et voluntatis constituit moralitas, et consequenter, maximam inculturam mentis esse errorem in religione, sicuti maxima voluntatis incultura est eiusdem immoralitas, intimeque convicta de exitialibus effectibus librorum errores et immoralitates docentium, iam inde ab Apostolis usque adhuc, tales libros condemnavit.

Et iure quidem merito. Perhorrescimus, aiebat iam Gregorius XVI, in Encyclica *Mirari vos,* adversus lamennesianos hodie redivivos, perhorrescimus intuentes quibus errorum portentis obruamur quae longe ac late ubique disseminantur ingenti librorum multitudine, libellisque et scriptis e quibus maledictionem égressam illerymamur super faciem terrae.

Hinc diversae Constitutiones diversorum Romanorum Pontificum; hinc — ut unam citemus — constitutio illa magna officiorum et munerum qua insignis Leo XIII promulgavit decreta generalia de prohibitione et censura librorum; hinc denique dexterissima illa verba Ioannis XXIII, quae nullibi citata videmus, quae tamen non parvi sunt ponderis, videlicet: « Ius ad veritatem et ad normam moralem obiectivam fundatam in perennitate legum divinarum est anterius et superius omni alio iure aut exigentia. Ideoque libertas proeli circumscribi sese debet legibus divinis, nec licitum est ei, sub praetextu libertatis, perniciem inferri saluti religiosae et morali humanitatis » (Latine revertimus versionem hispanicam textus italici).

Hae rationes perennes, a liberalismo decimononico et ab anachronico liberalismo huius saeculi vigesimi, impugnatae, sed a moderna psychologia et sociologia splendide confirmatae, sunt quibus permoti Patres Tridentini remedium tanto huic malo adhibuere, edito saluberrimo Decreto de Indice librorum quibus impura doctrina contineretur, conficiendo.

Humillimum ergo sed fervidum votum meum esset ut Synodus haec nostra attolleret et roboraret officia ab Ecclesia instituta ad censuram et prohibitionem pravorum et exitialium librorum, et omnibus in hoc officio laborantibus eas tribueret laudes quas censoribus librorum Ioannes XXIII tribuebat illis verbis non nimis cognitis: « La missione che svolgete è di altissimo valore, perché partecipe delle materne sollecitudini della Chiesa nel guidare ed instruire i propri figli nella conoscenza della verità, e nel difenderli da ogni pericolo ».

Nec haesitabat eos appellare, una cum antecessore suo, collaboratores suos « in opus ministerii » dicendo « in ciascuno di voi mi pare di riconoscere un valido e fido cooperatore del nostro ministero pastorale » (Censorum librorum coetui, die 18 novembris 1959: *A.A.S,* 10-17 decembris 1959).

Ex hac itaque constanti omnium aetatum sollicitudine — ut verbis utamur Gregorii XVI adversus lamennesismum, ut diximus, hodie redivivum — qua semper Apostolica Sedes suspectos et noxios libros damnare et de hominum manibus extorquere enisa est, patet luculentissime, quantopere falsa, temeraria, eidemque Sedi Apostolicae iniuriosa, et foecunda malorum in christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum,

veluti gravem nimis et onerosam, reiiciunt, sed eo etiam improbatis progrediuntur, ut eam praedicent a recti iuris principiis abhorrere, iusque illius decernendae habendaeque audeant Ecclesiae denegare.

Et quoniam versamur in Concilio praestanter biblico, liceat mihi hanc qualemcumque dissertatiunculam claudere illis Actuum Apostolorum verbis: « Multi credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos. Multi autem ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus; et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ita, fortiter crescebat verbum Dei et confirmabatur ».

Et e contra, experientia teste, ubicumque libri noxii absque censura sparguntur, verbum Dei infirmatur et incredulitas et immoralitas percrebrescunt.

N. 74. Opportuna et laude digna mihi videntur quae in n. 74 schematis, linn. 38 ss., dicuntur relate ad eos qui in theologicis et philosophicis disciplinis in seminariis et studiorum universitatibus incumbunt, quoad coniunctionem theologiae vel philosophiae inquisitionis cum tempore in quo vivimus et cum hominibus aliarum scientiarum studiosis.

Sed non minus opportunum, immo omnino necessarium mihi videtur, ut haec Sacrosancta Synodus eos solemniter animadvertat ut caveant a theologia sic dicta moderna, quia est via periculosissima, immo et non semel continens iam in semetipsa errores cum authentica doctrina catholica omnino incompatibiles.

Liceat nobis innuere aliquos quibus haec nova theologia eiusque asseclae praesignantur characteres.

1) Irenismus quo, ad sibi alliciendos omnes aliarum religionum homines, praetereunt silentio dogmata quae catholicos ab aliis distinguunt, immo quandoque ea minuunt et enervant et extenuant ad opposita in rebus etiam dogmaticis reconcilianda. Irenismus hic, lucidissime improbatus a nostro Summo Pontifice Paulo VI, in allocutione diei 20 ian. 1965.

2) Modernismus, non praecipue ille a Sancto Pontifice Pio X intrepide damnatus, sed illud aliud genus modernismi moralis, iuridici ac socialis, a Pio XI immense reprobatum in Encycl. *Ubi arcano* et quod est proprium illorum, qui quantumvis catholicas doctrinas profiteantur in quampluribus, tamen iidem, sermonibus, scriptis, omnique agendi ratione haud aliter se gerunt ac si doctrinae praeceptaque toties a Summis Pontificibus, a Leone XIII, a Pio X, a Benedicto XV, etc. promulgata, aut nativum robur amisissent, aut penitus obsolevissent.

3) Anti-scholasticismus pluriformis, qui revelatur, tum in fastidiendo exactas rerum definitiones, utpote quae essentiarum immutabilitatem supponant, tum in neglegendo vocabula et notiones et formulas usitatas ab egregiis theologicis, vel ab ipsis Conciliis Oecumenicis, ad dogmata docenda et explicanda.

4) Snobismus quo, novitatum ante omnia cupidi, arrident novis systematibus quae, sive in philosophia, sive in theologia, sive in scientiis biblicis

aut iuridicis oriuntur, quantumvis incompatibilia cum doctrina catholica, cuius magisterio praefertur opinionis publicae irrefragabile imperium, cui Ecclesia ipsa subesse teneretur.

Snobismus signate denunciatus a nostro Papa, Paulo VI, in sua allocutione diei undecima augusti huius anni, snobismus illorum videlicet pro quibus vivum et vividum non est nisi quod novum, quod modernum, quod confunditur cum experientia mundi hodierni; ex quo oritur tentatio — addit Summus Pontifex — seiunctionis a theologia et disciplinis traditionalibus, perinde ac si hodie inchoari deberet constructio Ecclesiae, initium sumendo non a datis traditionis, sed a realitatibus temporalibus vitae hodiernae, ut initium detur novis formis mentis, spiritualitatis et morum, unice comprehensibilibus hominibus nostri temporis.

Snobismus quidem paradoxaliter vetustus utpote iam a Benedicto XV denuntiatus et reiectus.

5) Personalismus eorum, ceteroquin bonae voluntatis, qui proprio ingenio nimium indulgentes, ita sese gerunt ut — prout dicit Summus Pontifex in alia allocutione huiusce anni — consonare non haesitent erroribus antiquis et modernis ab auctoritate Ecclesiae iam ante damnatis; huiusmodi documenta aut despicientes, aut in puteum silentii praecludentes, ita ut nec nominentur ab ipsis, prouti fit praesertim cum Encyclica « Humani generis » Pii XII.

Quapropter valde optandum esset, meo humili iudicio ut in hoc loco schematis consignaretur, utique paucis, si libet, verbis comprehensa, pretiosa illa doctrina circa relationes inter Divinum Ecclesiae Magisterium et theologos aliosque docentes, in sollemni illa sua allocutione « Si diligis » ad episcopos, a Pio XII habita.

Videlicet quod « praeter Apostolorum autem legitimos successores, scil. Romanum Pontificem pro universa Ecclesia, Episcopos vero pro fidelibus suis curis commissis, alii magistri iure divino in Ecclesia Christi non habentur; at tum ipsi, tum imprimis Supremus in Ecclesia Magister atque Christi in terris Vicarius, alios arcessere possunt suos in magistri munere operis socios consiliariosve, quibus facultatem (sive peculiariter sive ob collatum officium) docendi delegent. Qui ad docendum ita vocantur, in Ecclesia proprie non nomine suo, neque titulo scientiae theologicae, magistros agunt, sed vi missionis quam a legitimo Magisterio receperunt, eorumque facultas manet semper huic subiecta neque umquam fit sui iuris, seu nulli potestati obnoxia. Episcopi vero, tali facultate data, numquam iure docendi privantur, neque eximuntur gravissimo officio providendi et invigilandi integritati atque securitati doctrinae, quam alii in auxilium assumpti proponunt. Ideo legitimum Ecclesiae Magisterium neminem ex iis, quibus missionem canonicam dedit, laedit vel offendit, si scire et pro certo habere cupit, quod ii, quos ad docendum miserit, in praelectionibus viva voce, quid in libris vel commentariis et ephemeridibus auditoribus tradendis, item quid in libris aliisve scriptis publici iuris factis, doceant atque defendant.

Etenim infeliciter accidit, quod quidam docentes parum quaerunt coniunc-

tionem cum vivo Ecclesiae Magisterio, parumque mentem animumque convertunt ad communem eius doctrinam hoc vel alio modo clare propositam; simul autem nimium dant proprio ingenio, mentis habitui recentiorum, aliarum disciplinarum normis, quas unicas dicunt et habent tamquam veris doctrinae rationibus et praeceptis consentaneas.

Denique laudem etiam meretur quod sub fine eiusdem numeri 74 dicitur, nempe « optandum ut plures laici congruam in disciplinis sacris institutionem adipiscantur etc. ».

Sed optandum simul esset ut adderentur quae in supra laudata allocutione Pii XII docentur de theologia, ut dicunt, laicali.

Scil. « ad laicos quod attinet, a legitimis Magistris in fidei defensione eosdem quoque adiutores et adiutrices vocari et admitti in aperto est. Sufficit memorare Christianae doctrinae institutionem, in quam tot milia virorum mulierumque incumbunt, necnon alias formas apostolatus laicorum. Quae omnia eximie laudanda sunt omnique conatu promoveri possunt et debent. At omnes hi laici sint et maneant oportet sub auctoritate, ductu atque vigilantia eorum, qui divina institutione magistri in Ecclesia Christi statuti sunt. Nullum est enim in Ecclesia, in rebus ad salutem animarum spectantibus, magisterium quod huic potestati ac vigilantiae subductum sit.

Recentibus vero temporibus hinc illinc enasci et passim propagari coepta est theologia, ut aiunt laicalis et peculiare theologorum laicalium coeptum est genus, qui sui iuris esse profitentur; habentur huius theologiae praelectiones, scripta typis edita, circuli, cathedrae, professores. Hi suum magisterium distinguunt et quodammodo opponunt Magisterio Ecclesiae publico; aliquoties, ut suum agendi modum probent, provocant ad docendi et interpretandi charismata, de quibus in Novo Testamento, praesertim in Epistulis Paulinis, non semel est sermo; provocant ad historiam, quae inde ab initio religionis christianae usque ad hunc diem tot affert nomina laicorum, qui in bonum animarum Christi veritatem docuerunt scriptis et viva voce, verum ad hoc non vocati ab Episcopis, neque petita vel accepta sacri magisterii facultate, sed ducti interno suo impulso ac studio apostolico. Verumtamen haec contra retinenda sunt: numquam nempe fuit neque est, neque umquam erit in Ecclesia legitimum laicorum magisterium, quod a Deo auctoritati, ductui, vigilantiae sacri Magisterii fuerit subtractum; immo ipsa subiectionis negatio evincens exhibet argumentum et iudicium: laicos ita loquentes et agentes non duci Spiritu Dei et Christi. Praeterea nemo non videt, quantum sit in hac « theologia laicali » periculum perturbationis et erroris; periculum etiam, ne alios instruere incipiant homines plane inepti, immo dolosi quoque et fallaces, quos descripsit S. Paulus: « Erit tempus, cum ... ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur ».

« Absit a Nobis ut, hoc monendo, a sacra doctrina altius discenda et in vulgus efferenda avertamus eos, cuiuslibet ordinis et coetus, qui tam praeclaro studio commoventur ». Ita insignis Pius XII.

28

EXC.MUS P. D. IOSEPH RAPHAEL PULIDO MENDEZ

Archiepiscopus tit. Cyrrhensis, coad. c.i.s. Emeritensis in Venezuela

N. 65, pag. 52, linn. 2-4: compleatur descriptio « culturae ». *Ratio*: Prout iacet descriptio cultus (« dona proprii animi corporisque explicando necnon ipsum orbem terrarum humaniorem reddendo ») confusionem inter cultum (« culturam ») et scientias gignere potest. Cultus potius describatur ut complexus valorum obiectivorum qui in hominis societatisque vitam influunt eamque veluti regunt. Inter hos quidem valores adnumeratur cognitio et scientifica et technica. Attamen cultus humanus non exhauritur scientia et technica. Non enim necessario eruditus est cultus, nec ignarus incultus.

N. 72, pag. 56, linn. 9-15: maiore vigore urgeatur necessitas reddendi faciliorem accessum ad altiora studia, praesertim « classibus popularibus ». *Ratio*: haec legitima hominum aspiratio saepe saepius coarctatur motivis politicis et oeconomicis.

29

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SAMORÉ

Archiepiscopus tit. Ternobenus

Ad cap. II addatur quod ab initio saeculorum christianorum Ecclesia sese monstravit patronam verae culturae, et quod inter homines, utpote ad destinationem supernaturalem a Deo vocatos, non potest vera cultura exsistere nisi fundetur super principia supernaturalia.

30

EXC.MUS P. D. ANDREAS PETRUS CORNELIUS SOL

Episcopus Amboinaensis

Quae dicuntur de artibus ingenuis in parte II, cap. II, n. 74, pag. 58, linn. 10 s. insufficienter exprimunt valorem artium.

1. Artes quidem laudantur sed eorum pars in humanizatione sese evolvente non satis explicatur.

2. Adhuc nimis artes sub aspectu utilitatis, praesertim pro Ecclesia, et non in sua creativa potentia describuntur.

3. Eo fit ut locus eminens et influxus semper crescens harum artium in mundo huius temporis non indicetur. Exspectari potest quod verba schematis, prout nunc sonant, nullum influxum habeant, nullam inspirationem dent artium illarum cultoribus.

4. Suspicari debemus hac in re vere peritos, credentes et non-credentes, non collaborasse nec consultos fuisse. Enixe ergo rogo ut novus textus horum iudicio adhuc subiciatur ne in vanum loquamur.

31

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Cap. II huius partis II, ut est, exiguum solamen afferet viris cultioribus scientiae et artium. Quaedam considerationes generales possent dari in prima parte et secunda omitti.

32

EXC.MUS P. D. IOSEPH VAIRO
Episcopus Gravinensis et Montis Pelusii

Thema de cultura ac de Ecclesiae ad eam habitudine perdifficile esse patet; quod et laboriosa textus huius capitis redactio satis probat.

Plura in hoc capite optime dicuntur, quae progressum culturae rite promovendum respiciunt; haec tamen difficile materia nondum — ut opinor — suam maturitatem est consecuta.

1. Ipsa initialis descriptio culturae quodammodo incerta est et aspectum obiectivum spiritualem praeterit. Cultura enim exhibetur ut explicatio donorum proprii animi et corporis, neque tamen dicitur explicatio donorum animi esse ordinata ad valores obiectivos assequendos, ad verum nempe et bonum in ordine naturae et gratiae.

2. Problemata maximi momenti schema tangit sed non plene solvit in nn. 73 et 74, de necessaria unificatione culturae ac de eius harmonica compositione cum institutione christiana.

Germana educatio culturalis dicitur in schemate culturae unificationem postulare, qua synthesi persona humana ad rectam rerum aestimationem et ad congruum iudicium de rationibus vitae et eventibus ferendum ascendit.

3. Sed quaerendum apprime est quibus normis regatur haec synthesis et quomodo Ecclesia adiuvare possit homines, qui ipsi per se eam elaborent.

Ad hanc synthesim efformandam variae iniri possunt viae, quae etiamsi divertuntur, possunt alia aliam complere: suam quisque viam ineat; haec elaboratio tamen his duabus — ut opinor — regitur normis:

a) prima norma est de autonomia humanarum artium et disciplinarum culturae, quae in suo quaeque ambitu utantur oportet propriis principiis et propria methodo. Ecclesia earum « iustam libertatem agnoscens — ut docet Concilium Vaticanum I — id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei occupent et perturbent »;

b) altera norma est de obiectiva et essentiali ordinatione valorum culturalium, cum synthesis non sit iuxtapositio disciplinarum et rerum, sed earum essentialis ordinatio, quae est vera sapientia; sapientis enim est ordinare.

4. In structura hierarchica valorum culturalium affirmandum est primatum practicum ordinis moralis, qui dignitatem personae humanae in sua totalitate respicit, agnoscit et tuetur.

5. In concreta cogitationis humanae unitate attendendi sunt varii gradus, quibus respondent quaedam — ut ita dicam — dimensiones veritatis.

Est enim veritas immediata et irreflexa vitae quotidianae; est veritas mathematica et veritas scientifica experimento verificabilis; est denique veritas, quam persona humana assequi vult, cum significationem absolutam suae exsistentiae inquirit: quae veritas est tum philosophica, autonoma rationis investigatione quaesita, tum theologica, Verbo Dei revelantis innixa et lumine fidei sub ductu Ecclesiae magisterii comparata.

6. Schema eludit radicale problema de habitudine Ecclesiae et theologiae ad culturam philosophicam huius temporis.

In textu simul cum opportunis, practicis suggestionibus adest exhortatio ut theologica et philosophica inquisitio coniunctionem cum proprio tempore ne negligat; sed desideratur linea quaedam directiva de valida compositione cogitationis huius temporis cum christiana institutione.

7. Huius temporis cogitatio sensum historicum studiose colit; aspectum rerum dynamicum diligenter perquirit; rationes vero ontologicas in genere negligit.

Ecclesia mundum huius temporis sincero colloquio audiens et alloquens, ad eius cogitationem attendens, suum culturale patrimonium locupletat; impellitur enim ad sensum historicum colendum ac ad aspectum rerum dynamicum investigandum, ad novos prospectus (italice: prospettive) in inquisitione theologica et philosophica utendos; traditionalem vero prospectum ontologicum ad lineas essentiales quod attinet firmiter retinere debet, eum cum ceteris cohaerenti synthesi componere, immo ab ipsis ut rationale fundamentum postulatum ostendere.

8. Ut concrete loquar unum afferam exemplum: cogitatio huius temporis valorem ontologicum substantiae in genere respuit. Sed possumus, absque veritatis detrimento huic cogitandi modo indulgere?

Reiecto valore substantiae, corruit ex una parte originaria et permanens dignitas personae humanae, quam cultura huius temporis tueri et enixe promovere intendit; ex altera ineffabilis Eucharistiae sacramenti veritas ontologica pessumdatur, ut factum est, cum obliterata conversione totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Christi, fit sermo tantum de nova significatione et de novo fine panis et vini eucharistici.

Conclusio: Textus huius capitis mihi videtur emendandus et perficiendus.

Emendetur et compleatur descriptio culturae sub aspectu subiectivo et obiectivo.

Autonomiae culturae affirmetur integre citando quae Concilium Vaticanum I docuit.

Synthesis, qua cultura unificatur, harmonicam et hiearchicam ordinationem valorum exhibeat, in qua agnoscatur primatum practicum ordinis moralis.

Hanc synthesim christifideles elaborent innixi patrimonio tum philosophico tum theologico perenniter valido, quod tamen sincero dialogo cum mundo huius temporis ditescere debet tum novis cogitationis prospectibus, tum uberibus scientiarum ac technicarum progredientis aetatis fructibus tum communione cum diversis culturae formis.

33

Rev.mus P. D. ATHANASIUS WELYKYJ

Superior generalis Ord. Basil. S. Iosaphat

Pag. 57, lin. 7: omittatur dictio « dogmaticum ». *Ratio*: nescio quid sibi vult talis descriptio « modi cogitandi Ecclesiae »; hoc modo loquuntur marxistae athei, ut fallacem quandam oppositionem hominibus intrudant inter Ecclesiam et scientiam. Etiam praesens documentum seu schema est cogitatio et locutio Ecclesiae: estne dogmatica? in sensu nempe intento ab adversariis.

Non credo; est locutio humana et modo humano.

34

Exc.mus P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Caput II – In genere, hoc caput placet. Quoad particularia: N. 67, pag. 52. Melius esset subiectum verborum in hac paragrapho poni in numero singulari et non plurali. Pondus cultus humani gravat unumquemque hominem in societate quae « mass culture » sapit. Responsabilitas quoad cultum deinde pertinet ad hominem uti personam antequam pertinet ad homines cuiusvis nationis.

N. 68, pag. 53, linn. 25-27. Etiam hic, mihi videtur, emphasis ponenda est in individuo homine et non « omnibus » vel « christifidelibus », etc.

N. 69, pag. 54, linn. 3-15. Haec sunt « verba purpurata » et melius omittantur.

N. 74, pag. 57, linn. 6-16. Hic etiam datur notio nimis apologetica. In historia civilizationis plus pro culto humano quam Ecclesia Catholica effecit nulla institutio. Haec verba melius omittantur. Re vera, linn. 17-23 modo magis positivo notionem exprimunt.

N. 74, pag. 58, linn. 10-22. Melius omittantur haec verba. Constitutio *de Sacra Liturgia* iam notiones similes bene expressit. Et sententia finalis (linn. 21-22) valde non placet: plena est spiritus triumphalis et imaginativi.

35

Exc.mus P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

1. Animadversiones particulares, quae hic proponuntur, veniunt a coetu Auditorum, qui expresse quaesierunt, ut eas in mea interventione scripto proponam.

Antequam tamen hoc faciam, velim adhuc mea ex parte animadvertere generaliter, quod cap. II magis insistit in ipsum culturae progressum quam in eius indolem fundamentalem. Sub hoc aspectu propositiones particulares, quae sequuntur, extollere intendunt hoc, quod in cultu humano fundamentale videtur, quod hominis relationem ad universitatem rerum intime tangit, simul etiam hominem in seipso tali modo ordinat, ut in relatione praedicta personalitatem propriam plenissime excolat.

Videtur mihi praeterea, quod notio cultus humani in schemate non respicit sufficienter illas culturae species, quae homini — etiam sic dicto « inculto » — propriae evadunt in via experientiae « prae-scientificae », specialiter quando haec cum rectitudine morali connectitur.

Haec omnia essentialiter appellant ad principium, quod in n. 42 (in parte I) optime propositum est, « quod homo magis valet propter id quod est quam propter id quod habet ». Hoc principium optime sensum cultus humani extollit, insufficienter tamen explicatur necnon applicatur in cap. II. Est autem principium omnino adaptatum nostris temporibus, cum hodie etiam in cultura tendentia ad utendum videtur praevalere tendentiae ad hominem perficiendum.

2. Animadversiones particulares illae sunt, quae sequuntur:

Pag. 52, lin. 2: addatur « praecipue » post « hoc est ».

Pag. 54, linn. 4-5: mutatur ordo: « accensus, in philosophiam necnon theologiam, atque varias scientiae artisque disciplinas incumbit ».

Pag. 54, lin. 38: post verbum « alligatur » addatur: « sed unamquamque culturam signo universalis apertionis ad omnes alias culturas ditat et omnes illas ad incessabilem progressum mutuamque aemulationem excitat ».

Pag. 55, lin. 19: post verbum « validissime » addatur: « imprimis fundamentali sapientiae succursu ».

Pag. 56, lin. 5: post verbum « deducatur » addatur: « Cum feminae nostris temporibus in fere omnibus navitatibus efficaciter iam laborent, non est hic obliviscendum specificum characterem atque valorem earum laboris in diversis campis vitae culturalis ante oculos ponere ».

Pag. 57, lin. 2: addatur a linea sequentia: « In omni humana educatione culturali maximi est momenti, ut ordo valorum integer servetur et ut fundamenta huius educationis non evertantur. In omni cultura, tam christiana quam non christiana, fundamentum hoc est sapientia, sive tantummodo na-

turalis, sive philosophica cum revelata coniuncta. Amissio illius sapientiae unum de maximis calamitatibus humani generis fieret. Ideo, Sacra Synodus gravibus verbis mundum admonet, salutem culturae humanae in sua totalitate ab hoc pendere, ut homines semper prae oculis habeant maximum momentum sapientiae, quae aliquo modo omnes scientias particulares exsuperat. Absque hac sapientia ordo veritatis, boni et pulchri non potest subsistere nec progredi. Magni proinde momenti est studium philosophiae entis, quae in contemplatione naturali rerum creatarum consistit atque in illis causam earum primam, scil. Deum, invenit ».

Pag. 57, lin. 13: post verba « religionis rerum » addatur « cognitio et ».

Pag. 57, lin. 20: post verba « confert, et » ponantur « doctrina theologica ac ».

Pag. 57, lin. 37: post verba « esse cognoscatur » addantur: « Omnes autem fideles maxime ad instaurandum Regni Dei simulque ad promovendam culturam humanam contribuunt, cum perfectissime laborem suum professionalem adimpleant, intime laborem illum vocatione sua christiana uniendo ».

Pag. 57, lin. 41: post « philosophica inquisitio » ponantur: « quae tam potenti modo ad instaurandam culturam in diversis mundi partibus contribuit ».

36

PLURES EXC.MI PP. CONCILIARES BRASILIENSES

A

1. *Observatio generalis super integro capite*: a) *quoad stylum*: nimis occidentalis adhuc videtur praesertim quando de condicionibus culturae humanae agit. Placuit 48 Patribus.

b) *quoad notionem culturae*: cum diversae sint notiones culturae oportet ut una seligatur et in toto schemate semper prae oculis habeatur. Placuit 47 Patribus.

c) *quoad versionem latinam*: latinitas magis consentanea exigentiis terminologiae hodiernae, absque nimia praeoccupatione adhaesionis latinitati classicae desideratur. Placuit 48 Patribus.

2. N. 65, pag. 52, lin. 1: titulus numeri melius diceretur: « de cultura eiusque diversitate ». Placuit 47 Patribus.

3. N. 65, pag. 52, linn. 7-10: proponitur observatio: « in ostendenda diversitate rationum ex quibus diversae oriuntur condiciones vivendi et componendi bona vitae, non essent obliviscenda elementa geographica, climatica nec non et haereditaria, quae suas quoque partes habent in humanae culturae diversitate. *Ratio*: ostenditur in ipsa observatione. Placuit 49 Patribus.

4. N. 65, pag. 52, lin. 13: post verba « communitati proprium » addatur: cultura vero non solum transmissione patrimonii acquisiti alitur, sed prae-

sertim etiam participatione quadam activa et creatrici omnium in novis suis formis expressionis elaborandis. *Ratio*: in elaboranda cultura non sufficit transmissio patrimonii acquisiti. Placuit 49 Patribus.

5. N. 66, pag. 52, lin. 16: titulus huius numeri non videtur corresponderi materiae quae in illo tractatur. Melius diceretur: « de extensione et universalitate culturae ». Placuit 45 Patribus.

6. N. 66, pag. 52, lin. 22: loco: « in dies magis uniformes efficiuntur » dicatur: in dies ad quamdam tendunt unitatem. *Ratio*: expressio magis adaequata et magis consentanea veritati. Placuit 48 Patribus.

7. N. 66, pag. 52, linn. 27-28: ubi dicitur: « et sic universaliorem provehunt cultus ingenii rationem » dicatur: et sic universaliorem communionem humanae culturae provehunt. *Ratio*: expressio minus ambigua et magis conformis veritati. Placuit 49 Patribus.

8. N. 67, pag. 52, lin. 30: post verba « auctores esse », addatur: quamvis in sat multis regionibus phaenomenon illud sane dolendum adhuc exsistat considerandi homines tamquam « massam » amorpham (phenomeno de la massification). Quod quidem inter alias causas debetur abusui circa media communicationis immo et ipsarum artium a quibusdam coetibus oeconomicis et politicis sive privatis sive publicis peracto. Media enim illa non adhibentur, ut deberent, tamquam instrumenta culturae. *Ratio*: hoc est factum quod oblivisci nefas est. Placuit 49 Patribus.

9. N. 68, pag. 53, linn. 12-24: sequens proponitur observatio: modus ponendi quaestionem componendi cultum civilem qui ex ingenti scientiarum artiumque technicarum progressu oritur cum eo cultu ingenii qui studiis humanioribus alitur, adhuc non placet. Nam valores spirituales non in sola cultura classica inveniuntur nec scientiarum artiumque technicarum progressus opponitur culturae vere humanisticae. Modus loquendi est nimis negativus et certo certius sensibilitati scientiarum cultorum laedet. Placuit 46 Patribus.

10. N. 72, pag. 56, linn. 5-8: duo observantur: *a*) cum sermo sit de « pluribus ignorantia litterarum » affectis, opportunum esset sublineare factum sane dolendum duas tertias partes populationis mundi universi, in aetate quae dicitur scholaris, nondum accessum habere ad educationem fundamentalem. Quod quidem magis adhuc est dolendum quia hodie scimus hunc accessum esse possibilem. *b*) praeterea textus videtur identificare (saltem in versione latina) cultum qui dicitur fundamentalis (culture de base) cum alphabetizatione. Porro cultura fundamentalis plus dicit quam simplex alphabetizatio, ut patet. Placuit 48 Patribus.

11. N. 73, pag. 56, lin. 25: antequam de synthesi eruditionis quam intendit germana educatio ad culturam, dicatur germanam educationem ad culturam humanam praeprimis intendere debere ut educandi vere capaces sint creandi diversas formas expressionis culturalis.

a) in lin. 35: opportunum esset hic recolere munus parentum in educandos liberos esse et personalitatem eorum efformare et eos adiuvare ut in communitate hominum rite inserantur.

b) in fine paragraphi: opportunum quoque esset in memoriam revocare christianos debere sese educare in communione cum hominibus. Placuit 49 Patribus.

12. N. 74, pag. 57, lin. 14: loco: « ut religionis rerum cultus animique probitas apud ipsos pari gressu ... » dicatur: ut eorum cognitio philosophica, moralis et religiosa pari gressu procedant. *Ratio*: melius exprimitur quod intenditur. Placuit 49 Patribus.

13. N. 74, pag. 57, linn. 24 ss.: sequens proponitur observatio: modus proponendi exhortationes non videtur congruus toto contextui huius capitis. Christiani seorsim considerantur perinde ac si essent seiuncti a munere communi promotionis culturae humanae. Praeterea modus loquendi videtur adhuc nimis apologeticus et ecclesiasticus et non videtur conformis intentioni generalis totius schematis. Placuit 47 Patribus.

B

N. 65, pag. 52, lin. 2: après « per culturam accedit » ajouter: « La culture, pour chaque personne, est élargissement harmonisé de sa connaissance aboutissant à une explication cohérente de l'homme dans l'histoire et dans l'univers. C'est ainsi qu'elle déploie les qualités spirituelles et corporelles, et humanise l'univers ».

N. 66, pag. 52, lin. 27: ajouter: « Cela ne va d'ailleurs pas sans danger, du fait de la matérialisation de la culture occidentale, et même de sa rationalité excessive, atténuant la faculté d'intuition et le sens du spirituel et du sacré que d'autres civilisations avaient jusqu'ici conservés ».

N. 72, pag. 56, lin. 14: après « peperint consentanea » ajouter: « Ceci est particulièrement important en ce qui concerne les responsables politiques et ceux qui ambitionnent de le devenir. Un homme politique qui ne possède pas une large culture, multiplie les erreurs, dont l'effet est d'autant plus grave que l'autorité est plus élévée. On se plaint que le monde actuel manque de grands politiques dont il aurait plus que jamais besoin. C'est que des hommes sans compétence suffisante, sans culture unifiée, se hissent au pouvoir ou acceptent d'y accéder ». Cela ferait un peu modifier la dernière phrase de l'alinéa, en écrivant: « Par l'acquisition d'une culture authentique chez ceux qui exercent une influence, les groupes sociaux ... ».

N. 74, pag. 57, lin. 37: ajouter: « En plus des Universités d'enseignement, il y aurait lieu de fonder de véritables universités de recherche ou centres de synthèses où les disciplines philosophiques, éthiques et théologiques seraient en dialogue continu avec les diverses disciplines scientifiques. Les Universités d'enseignement, elles-mêmes, qui sont trop devenues des juxtapositions de facultés et d'instituts, doivent reprendre un caractère vraiment université par la recherche interdisciplinaire.

[*Subscripserunt*] Helder Camara, arch. Olinda et Recife; J. de Souza Lima, arch. Manáus; S. Fernandes de Araújo, ep. tit. Verinopoli; N. Monte, adm. ap. Natal; José Mauro, ep. Iguatú; M. A. Noronha, ep. Itabira; A. Melillo, ep. Piracicaba; David, coad. Santos; Joâo, ep. tit. Martiropoli; B. Neto, ep. tit. Cremna; Joâo Batista, arch. Vitória; V. Calheiros, aux. Rio.

37

PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES

De n. 71 (vel 30): *De « minoritatibus nationalibus »*. Apud Summos Pontifices recentioris aetatis magni habetur doctrina de sic dictis « minoritatibus nationalibus »:

Pius XII: « ... insistiamo anche ora su alcuni *presupposti essenziali* di un ordine internazionale... 2. Nel campo di un nuovo ordinamento fondato sui principi morali, non vi è posto per la oppressione aperta o subdola delle peculiarità culturali e linguistiche delle minoranze nazionali, per l'impedimento e la contrazione delle loro capacità economiche, per la limitazione o l'abolizione della loro naturale fecondità. Quanto più coscienziosamente la competente autorità dello Stato rispetta i diritti delle minoranze, tanto più sicuramente ed efficacemente può esigere dai loro membri il leale compimento dei doveri civili, comuni agli altri cittadini » (*Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1941: *A.A.S.,* 34 [1942], pp. 16-17).

Ioannes XXIII: « ... illud exinde oritur, ut gentes pauciores numero intra fines nationis alius stirpis saepe contineantur, atque ex hoc *quaestiones magnae gravitatis* existant. Hac in re aperte profitendum est, quidquid contra has gentes agatur ad coercendum stirpis vigorem atque incrementum iustitiae officiis graviter adversari idque multo magis si prava huiusmodi molimina ad ipsam gentis internecionem spectent. Immo vero iustitiae praeceptis apprime respondet, a reipublicae moderatoribus efficacem dari operam provehendis humanis condicionibus civium stirpis numero inferioris, nominatim quod attinet ad eorum linguam, ingenii cultum, avitas consuetudines, opera et incepta in re oeconomica » (*Pacem in terris*: *A.A.S.,* 55 [1963], p. 283).

Commissioni in laudem vertendum est quod haec tanti momenti non effugerint. Ita enim in *Annexis* ad schema (1964, pag. 6 et 50) legimus: « Sicut omnes coetus nationales habent obligationem adiuvandi communem destinationem generis humani, ita etiam peculiares proprietates singulorum populorum respiciendae sunt; hae proprietates enim historicam haereditatem populorum exprimunt. Quod praesertim valet, si minor coetus ethnicus et culturalis vitam degit in medio maioris communitatis politicae alius stirpis » (*l. c.,* pag. 6). « Ut mutuae singularum communitatum politicarum relationes in sinu communitatis internationalis bonum et progressum omnium efficaciter promoveant et efficiant, necesse omnino est ut eaedem singulae communitates agnoscant et observent principia quae exigunt ut praecipua iura

omnium gentium — minoritatibus diversis inclusis — non laedantur immo promoveantur in iis quae spectant propriam culturam, linguam, integritatem et libertatem » (*l. c.,* pag. 50).

Unde, cum agatur de « quaestione magnae gravitatis » (*Pacem in terris,* l. c.) ac de modo reali discriminationis, quo hodie plurimi premuntur,

a) dolendum est quod in praesenti textu illa omnia, ni fallimur, uno tantum verbo reddantur: « Omnis igitur discriminandi modus, aut politicus, aut socialis, aut "culturalis", secundum sexum, stirpem, socialem condicionem, *linguam,* tribum, "castam", pellis colorem vel religionem, damnandus et sensim removendum est... » (n. 30, alinea 2, linn. 6-10);

b) ac enixe rogandum a commissione ut suam doctrinam complere velit sequentibus verbis, quae, facilitatis causa, fini n. 71 adiungi possunt (nisi commissio maluerit haec vel similia n. 30 addere): « Quod praesertim valet si minor coetus ethnicus et culturalis vitam degit in medio maioris communitatis politicae alius stirpis vel culturae. Quo in casu, seclusa qualibet discriminatione inter diversas stirpes vel culturas, "iustitiae praeceptis apprime respondet, a reipublicae moderatoribus efficacem dari operam" (*Pacem in terris*) ut minoritatum iura non laedantur immo promoveantur in iis quae spectant propriam culturam, linguam, integritatem et libertatem » (Quae verba, praeter citationem explicitam Litt. Enc. *Pacem in terris,* fere ad litteram desumuntur ex duplici *Annexorum* citatione).

[*Subscripserunt*] Em.mi ac rev.mi DD. cardd. Anselmus M. Albareda, Ioseph Cardijn, Carolus Journet; exc.mi ac rev.mi DD. Vincentius Enrique Tarancón, arch. Ovetensis, Ioseph Pont, ep. Segobricen.-Castellionensis, Raymundus Masnou, ep. Vicensis, Narcissus Jubany, ep. Gerundensis, Aloisius Manresa Formosa, ep. Altensis, Antonius Pildáin, ep. Canariensis, Ignatius Larrañaga, ep. Pimliamensis, Fr. Matthias Solá, ep. tit. Colophoniensis, Victor Garaigordobil, prael. Fluminis, Ioseph Pavlisić, ep. tit. Bruzenus, Camillus Crous Salichs, vic. ap. Sibundoyen., Leo A. Olano, ep. tit. Laginensis, Fr. Carolus Anasagasti, vic. ap. Benensis, Guillelmus M. van. Zuylen, ep. Leodiensis, Fr. Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis; rev.mi DD. Alexander Labala Ugarte, praef. ap. Aguaricoensis, Petrus Caelestinus de Gusi OSB, abb. gen. Sublacensis.

38

Exc.mi EPISCOPI ALGERIAE

N. 68, lin. 13, pag. 53, animadvertitur verbum « componendi » in versione gallica verti « marier ». Melius videtur dicere « unir », si versio editura sit nova.

N. 69, lin. 32, pag. 53, adiciatur post verba « E contra » « in dictis et factis Evangelii et... ». *Ratio*: Evangelii praestantia in cultu hominum evidens est.

N. 70, lin. 40, pag. 54, textus sic compleatur: loco « potest » scribatur

« debet », et addatur: « Etenim, quia Deus, statuta aetate, pro omnibus hominibus historiae locutus est ut eius verbum vitam concretam eorum illuminaret, penetraret et dirigeret, Ecclesia illud verbum plenius percipit, vivit et nuntiat, si, duce Spiritu Sancto, illud condicionibus hominum applicat per suam praesentiam et activam attentionem vitae, investigationibus et cogitationibus hominum, et speciatim progressui cultus humani ». *Ratio*: donum revelationis in terra hominum seminatum est, divina providentia, ut illuminaret vitam non solum eorum qui erant coaetanei prophetarum sed eorum omnium qui in historia humana eventuri erant. Ideo si verbum Dei cogitationibus hominum non ditior efficitur, tamen divitiae huius verbi clarius clariusque perspiciuntur ex attentione condicionibus vitae hominum ad quos destinatur.

N. 72, linea ultima pag. 55 « Cum primum... liberandi »: textus sic mutetur: « Hodiernis temporibus, vivida exoritur conscientia de amplissima parte generis humani adhuc privati omni progressu ad vitam personalem aut socialem plene humanam, quia privatione bonorum elementariorum scientiae et etiam analphabetismo, ut aiunt, graviter laborant ». Officium etc. *Ratio*: schema in genere et in hoc loco nimio optimismo constat.

N. 73, lin. 25, pag. 56. In initio paragraphi adiciatur: « Miratione saepe non indignae sint illae formae sapientiae ac scientiae quae inter rudes inveniuntur et e profunda et quasi intuitiva rerum et eventuum penetratione oriuntur ». Sequitur: Germana educatio etc. *Ratio*: cultus humanus derivatur non solum ex scholaribus disciplinis sed ex circumstantiis vitae quando intelligentia disponitur et adiuvatur ad rectum iudicium ferendum de earum rationibus et ad doctrinam excolendam.

N. 73, ad lin. 35 adiciatur: « Simili modo experientia constat laborem operariorum et eorum sive proprium ambitum sive consociationes « professionales » non pauca conferre ad acuitatem ingenii et ad cultum socialem fovendum ». *Ratio*: eadem ac supra.

CONGREGATIO GENERALIS CXLII

5 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXLII

5 octobris 1965

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *Ss. Concilii subsecretarius*:

Patres venerabiles, moderabitur hanc 142 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

In hac congregatione prosequitur disceptatio cap. III, partis II, schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* circa quod verbo uti petierunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis-Varsaviensis in Polonia; Ioseph Cardijn; et exc.mi ac rev.mi DD.: P. Geraldus Mahon, sup. gen. Societatis S. Ioseph de Mill Hill; Carolus Maria Himmer, ep. Tornacensis in Belgio; Emmanuel Larraín, ep. Talcensis in Chilia; Bernardinus Echeverria, ep. Ambatensis in Aequatore; Antonius Añoveros, ep. Gadicensis in Hispania; Carolus Parteli, ep. Tacuarembianus in Uruguay; Marcus Castellano, arch. Senensis in Italia; Conradus de Vito, ep. Lucknovensis in India.

Deinde fit transitus ad cap. IV, circa quod verbo uti petierunt exc.mi ac rev.mi DD. Ioseph Marafini, ep. Verulanus in Italia; Abilius del Campo, ep. Calaguritanus in Hispania; Eugenius Beitia, ep. tit. Verronensis in Hispania.

Deinde fit transitus ad cap. V, circa quod verbo uti petierunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia; Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis in Italia; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia; Owen McCann, arch. Capetownensis in Africa Meridionali; Leo Duval, arch. Algeriensis in Algeria; et exc.mi ac rev.mi DD. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia et Franciscus Simons, ep. Indorensis in India.

Venerabiles Patres, cum versus horam 12 Beatissimus Pater, ex itinere Neo-Eboracensi revertens, in hanc aulam ingressurus sit ut Patres alloquatur, disceptatio versus horam 11,30 finem habebit. Eodem tempore Corpus Diplomaticum et alii invitati ingressuri sunt in hanc aulam.

Rogantur enixe et humanissime ideo venerabiles Patres, ut ab illa hora omnes in suis locis sedeant.

Cras, uti iam notum factum erat, incipientur suffragationes circa expensionem modorum schematis decreti *de accommodata renovatione vitae religiosae.* Et etiam, finita disceptatione schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* incipietur disceptatio schematis decreti *de activitate missionali Ecclesiae,* uti iam publicatum erat.

Communico vobis, venerabiles Patres, piissimum obitum, dominica elapsa, exc.mi ac rev.mi D. Augustini Rousset, ep. Ventimiliensis in Italia, et etiam piissimum obitum, hac nocte, exc.mi ac rev.mi D. Angeli Rossini, arch. Amalphitani in Italia. Oremus pro eis.

Em.mus P. D. ACHILLES card. LIÉNART: *De profundis clamavi ad te, Domine ...*

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis,* cap. III partis II)

1

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis-Varsaviensis

Quaedam dicere velim circa cap. III ...[1]

1. Concilium agit de rebus socialibus et oeconomicis, funditus, considerando complexum rerum et personarum. Hoc accidit *prima vice,* quamvis antea aliquoties Normae et Constitutiones alicuius Concilii vel Synodi tractaverint quasdam quaestiones oeconomicas, uti de iure operariorum, de usura, *etc.*[2]

Haec est ratio, cur huic capiti praemittere oporteat aliquem *conspectum historicum,* ne quaestionum discussio videatur ex abrupto seu inopinanter proposita. Haec est enim obiectio nostri temporis, in dies repetita ab inimicis Ecclesiae, nempe Ecclesiam non curare sortem operariorum, immo averso animo esse a « mundo operariorum ».

Ad refellendam huiusmodi obiectionem, necesse est ut demonstretur, summatim, ad modum conspectus historici, quomodo Spiritus Divinus semper, modo incessanti, afflatu suo, disposuerit *homines*[3] ad accipiendum ordinem moralem in rebus socialibus et oeconomicis ...[4]. Huiusmodi prooemium dignam laudem tribueret honori et gloriae Ecclesiae, quae nihil sollertius curabat quam coetus operariorum. Hoc modo, testimonium daretur veritati in conspectu operariorum totius mundi, deinde indicarentur fontes genuini et authentici hodiernae doctrinae so-

cialis Concilii, denique confirmaretur concors cooperatio laicorum cum episcopis.

2. Cap. III indiget etiam sequenti additamento: Post descriptionem hodierni status socialis et oeconomici, notetur oportet *quaestionem operariorum* ...[5] non esse ex toto solutam.

Sunt inter catholicos quos vocant progredientes ...[6], qui non raro pervulgant obiectionem, Ecclesiam nempe in quaestione sociali et oeconomica morari atque cunctari. Attamen iidem non solent ostendere qualis sit huiusmodi retardatio ...[7]. Non superest ...[8] aliud argumentum quam suspicio, obiectiones referri ad factum quod Ecclesia cunctetur inter partes eorum qui capitalismo favent, et illos qui partes communistarum defendunt. Dicunt qui obiectionem movent, Ecclesiam fovere antiqua ligamina cum regimine capitalismi ...[9]

Notatur in coetibus operariorum nondum exstincta « rerum novarum cupiditas »; immo perdurat deceptio, nascitur diffidentia cuiuscumque solutionis iustae et aequae ...[10]

Meo sensu, causa huiusmodi diffidentiae deducenda est ex facto, quod unum et alterum regimen oeconomicum, sibi ad invicem oppositum, eumdem fontem *habent*[11], scil. philosophiam individualisticam. Utrumque enim regimen docet principatum materiae supra personam, utrumque deficit in iudicio personae humanae. Consequenter, si perpendere velimus valorem unius et alterius regiminis oeconomici, non possumus abstinere a iudicio negativo, scil. debemus non unum et alterum regimen oeconomicum in eadem parte ponere. Quid tamen ponamus ex altera parte, seu ex parte positiva? Nihil aliud quam sanam doctrinam de Homine Redempto ...[12], breviter de Persona Humana, de principatu eius supra materiam. Sermonem faciamus oportet de nova persona sociali, quae capax sit instaurandi novum ordinem socialem ...[13]

Hic erit mundus novus cum regimine novo. Utique, relate ad hunc mundum omnia regimina oeconomica, sibi invicem opposita, sunt vere retroacta. Ecclesia autem apparebit vere progrediens, quin semper sequatur « Patrem futuri saeculi » ...[14]

3. Quaedam correctiones restant faciendae circa textum cap. III.

Et prima correctio[15]: Magis opportunum est loqui « de vita sociali-oeconomica », quam de « vita oeconomica-sociali », nam *vita socialis* personae tribuit rationem agendi in rebus oeconomicis. Vita socialis intime nectitur cum personis; vita oeconomica respicit res seu materiam. Alte laudanda est doctrina, personam praevalere materiae.

2) Si sermo instituitur de progressu oeconomico ope productionis directae seu moderatae, huiusmodi bona productionis mensuranda sunt

bono et progressu personae seu individui. Numquam licet admittere, quod homini ex progressu oeconomico obveniant mala ...[16]

Uti docet experientia ...[17], homo devenit victima productionis. Quia ii qui moderantur productionem, magis inspirantur postulatis contentionis oeconomicae vel etiam politicae aemulationis; minus eorum interest bonum personae seu individui. In productione directa seu moderata intenditur finis primarius qui est promovere bona materialia, ut exportari possint pro bono aliorum, et non suorum civium. Operarii qui *contribuerint* [18] augmento productionis, saepe saepius maiore pretio huiusmodi bona acquirunt in patria, quam gentes exterae, ad quas haec bona exportata sunt.

In regimine productionis directae praevalet principium aemulationis oeconomicae « contendere cum aliis gentibus, immo eas superare »; *cura* [19] non est ut conditio suorum civium melior fiat.

In productione directa insuper praevalet bonum grandis industriae, quae producit machinas, saepe saepius bellicas, cum damno productionis alimentorum. Inde augetur productio industriae maioris ultra limites necessarios, dum constanter deficiant bona materialia, necessaria ad sustentandam vitam individui.

Breviter, ea quae necessaria sunt individuo ad vitam, sacrificantur postulatis regiminis oeconomici, inspirati rationibus immoderati certaminis oeconomici inter nationes ...[20]

Homo seu operarius, qui in dies plus producit, magisque fatigatur, minorem recipit compensationem. Eius conditiones oeconomicae deteriores fiunt. Non est quin videat regimen huiusmodi oeconomicum deficere, nihilque prodesse individuo.

Tertio et ultimo [21]: In n. 78 sermo fit de iis qui emigraverunt propter defectum bonorum oeconomicorum *in patria*.[22] Facile concipitur cura ac sollicitudo schematis circa eos, quia eorumdem numerus augetur ...[23] Experientia ...[24] docet eos, qui emigraverunt saepe saepius haberi cives deterioris ordinis; neque desunt casus, ubi quidam animarum pastores, falso vel certo certius non christiano zelo moti, hos emigratos inducere studeant, ut mutent nationem, originem, mores et consuetudines.

Improbandae sunt huiusmodi actiones, ne innumerae turmae emigratorum quae labore et sudore contribuunt maiori bono oeconomico, penitus discriminentur in suis iuribus civilibus et socialibus. Quaestio est satis aspera et difficilis. Sed necesse est, ut schema XIII eam altius perscrutetur et denique solvat, iuxta consilia Papae Ioannis XXIII ...[25]

Conclusio. Cap. III est satis bene compositum ...[26]. Censeo tamen adhuc addendum esse textui ardorem zelus, qui desideratur, ita ut ex verbis documenti emergat inflammatio animi et studium ardens, quod con-

citet innumeram classem operariorum, eique infundat fiduciam in Christum, qui est Sol Iustitiae et Fons Caritatis socialis.

Textus, ita correctus vel suppletus, ...[27] grato animo accipietur a classe operariorum, quae hodie denuo laborat diffidentia et suspicione. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] prae oculis habens ea omnia quae iam dicta sunt in parte I, de Sociali indole hominis, de apostolatu laicorum et aliis. [2] deest. [3] hominem. [4] Huiusmodi inspiratio divina locum habuit, usque a iussu dato in Paradiso primis genitoribus: « Facite vobis subditam terram » (*Gen.*), deinde ope et tramite ordinationum socialium Antiquae Legis, recentius per viam nuntii a B. Maria Virgine mundo dati in hymno « Magnificat », recentissime per Litteras Encyclicas *Mater et Magistra.* Operae pretium erit si n. 75 praemittatur breve prooemium, in quo ostendatur hodiernam doctrinam Concilii, concinne et integre distributam, logice deduci e perenni doctrina Ecclesiae, considerato deposito Fidei, quod continetur in S. Scriptura, uti in S. Evangelio et in Actis Apostolorum, in scriptis Patrum Ecclesiae, in Summa Theologica S. Thomae Aquinatis, in actis Synodorum medii aevi, in doctrina theologica morali, magis adhuc evoluta in campo sociali et oeconomico, opera S. Antonini Florentini, studio et merito illustrium Scholarum catholicarum socialium, quae sunt Angers, Liège, Unio Friburgensis, Schola Austriaca, Unio cum Malines. Opportune in memoriam revocentur denique Litterae Encyclicae Summorum Pontificum Leonis XIII, Pii XI et Pii XII, permultae Litterae Pastorales episcoporum totius orbis terrarum una cum scriptis et operibus caritatis et providentiae socialis. [5] quae nostris temporibus complectitur non solum operarios, sed etiam excultos homines (vulgo gli intellettuali), opifices (gli artigiani) et agri cultores (vulgo i contadini). [6] (i progressisti). [7] non indicant obiectum neglectionis neque personas neglectas. Obiectio, Ecclesiam esse in re sociali retroactam non roboratur, ab iis qui accusant, ullis indicationibus, neque propositis neque consiliis. [8] proinde. [9] neque satis adiuvari regimen novi temporis seu regimen collectivismi et materialismi. Nolo silentio praeterire indubia bona et privilegia quae provenerunt classi operariorum ex hac aemulatione, quamvis non defuerint ex utraque parte ingentia damna. Nihilosecius aperte dicendum est huiusmodi contentionem non plene satisfecisse postulatis classis operariae. [10] Consequenter omnes qui anhelant iustam retributionem, decepti nihil boni exspectant a quocumque regimine oeconomico, sibique reservant iudicium decidendi. [11] habeat. [12] de Homine sanctificato. [13] relate ad singulos, ad familiam, ad societatem in iis quae respiciunt vitam socialem, oeconomicam, professionalem, nationalem, internationalem, et denique supranationalem, iuxta postulata Litt. Enc. *Pacem in terris.* [14] Quaestio hoc modo posita atque in cap. III dilucidata multum conferre valet ad edocendos catholicos circa flagrantes casus sociales et oeconomicos. Insuper obiectiones eorum qui se dicunt progressum foventes, facili negotio solventur. [15] 1). [16] Res est, ut in progressu productionis salventur iura et privilegia hominis, ut satisfiat omnibus, quae necessaria sunt eius dignitati humanae. [17] homini seu individuo obtingunt deteriores partes in oeconomia collectiva. [18] contribuerunt. [19] curae. [20] (vulgo legge di concorrenza). [21] 3. [22] deest. [23] Verum est Constitutionem Apostolicam *Exsul familia* hanc quaestionem movisse.

Profundiore adhuc luce illustravit quaestionem Papa Ioannes XXIII in suis Litt. Enc. *Pacem in terris,* in quibus declarantur iura substantialia personae humanae, cui tribuuntur iura civilia in toto orbe terrarum. Huiusmodi iura sunt ubique terrarum aequalia. [24] tamen. [25] 4) Denique cap. III debet statuere et definire ius individui ad ineundas societates et comitatus professionales, eum in finem ut iura individui, natura sua minora, salventur et defendantur ab iis qui potioribus fruuntur opibus et mediis. [26] concinne sed profundius perscrutatur fere omnes quaestiones sociales et oeconomicas. [27] certo certius.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. CARDIJN

Venerabiles Patres,

In praeterita mea interventione locutus sum de iuvenibus et de populis Tertii Mundi huius temporis. Liceat mihi, occasione capitis de oeconomia, redire ad opifices in universo mundo laborantes.

Temporibus nostris, in omni gente, opificum numerus in dies augetur, a quorum labore pendet praesens sors et futura, tam mundi quam Ecclesiae. Huius evidentis facti conscia, Synodus nostra ad totius mundi operarios verbis minus theoreticis quam realisticis alloqui debet. Hi, plus quam alii, exspectant nuntium Concilii, ut vocem Christi dicentis: « Misereor super turbas ... ».

Certe, in aliquibus regionibus Europae Occidentalis, Americae Septemtrionalis et in Australia, status opificum magnos progressus cognoscit.

Sed pro maiore, quin etiam pro maxima parte opificum, praesentes conditiones tam in ipso labore quam in tota sua vita iniquae graviterque iniustae sunt. Salarium derisorium; nulla praeparatio ad qualificatum laborem; nimia velocitas, parva securitas pro labore in machinis; laboris cessatio et interruptio sine compensatione; defectus et interdictio consociationum ad promovenda iura legitima in labore, responsabilitates laborantium; et deinde defectus habitationis et victus, puerorum educationis et instructionis.

Permultae aliae infrahumanae vitae ac laboris conditiones, quae innumerabiles opifices et familias opificum afficiunt, praesentem mundum in quodam universali ac gravissimo peccato contra homines et contra Deum constituunt.

Ad conditiones in hoc campo laboris meliores promovendas, ipsi opifices totius mundi, suae interdependentiae conscii, primo in libertate et in pace convenire et collaborare debent. Dein cum publicis potestatibus et cum diversis moderatoribus efficaciter collaborare debent. Certis-

sime opifices opificum labore et virtute liberabuntur, et in isto difficili sed necessario et cum divina oeconomia concordi conatu eis Ecclesia fiduciam et approbationem sollemniter proclamare debet.

In isto conatu, studeant opifices conditiones non tantum suae propriae vitae, sed etiam omnium hominum ad melius deducere, praesertim eorum qui in Tertii-Mundi nationibus inter peiores et pauperrimas conditiones laborant.

Ad inceptarum technicarum moderatores se vertens, sacra Synodus eos adiuret ut, gravissimarum responsabilitatum suarum erga opifices conscii, magni pretii faciant, doctrinam socialem ab Ecclesiae magisterio sollemniter enucleatam. In disciplinae christianae renovatione quae, post istud Vaticanum Concilium, instaurabitur, erit certe necessarium ut in christianis communitatibus tamquam grave peccatum manifestentur et teneantur omnes mores qui, in hoc campo laboris, contra doctrinam Ecclesiae manifeste apparebunt.

Ut iterum et iterum dicam, opifices Ecclesia diligens sicut eos diligebat Dominus Iesus, pro certo habeat opifices ipsis esse et esse debere liberatores. Papa Pius XI, in sua Encyclica « Quadragesimo anno », aiebat: « Opifices sint ipsi primi et immediati apostoli omnium hominum laborantium ». Quadraginta abhinc annis, Papa Pius XI dolebat quia super quod ipse aiebat maximum scandalum saeculi XIX perditionem operariorum et volebat magnum apostolatum inter opifices.

Heri omnes opifices mundi viderunt Papam Paulum VI missionarium iustitiae et fraternitatis et pacis, non solum viderunt eum ac audierunt vocem ipsius suavem sed fortiter poscentem pro omnibus hominibus iustitiam et concordiam. Hodie in omnibus officinis mundi opifices loquuntur de hac visione et de his verbis et sperant suum laborem in futurum iam non servire fabricationi armorum sed servire fabricationi bonorum, productioni victus et etiam ad largiendum educationem ipsorum puerorum et iuvenum.

Et deinde inseratur in nostro schemate sollemnis invitatio ad omnes mundi auctoritates et etiam ad associationes omnium opificum ut coordinent immensas praesentes possibilitates tam mundi a Deo creati quam humanorum conatuum, ut coordinent omnes conatus ad liberationem iuvenum opificum et populorum Tertii-Mundi. Sic Synodus nostra erit valde pastoralis.

Textus scripto traditus:

In praeterita mea interventione locutus sum de iuvenibus et de populis Tertii Mundi huius temporis. Liceat mihi occasione cap. III de vita oeconomica-sociali hodie redire ad opifices in universo mundo laborantes.

Temporibus nostris, in omni gente, opificum numerus in dies augetur, a quorum labore pendet praesens sors et futura, tam mundi quam Ecclesiae. Huius evidentis facti conscia, Synodus nostra ad totius mundi operarios verbis minus theoreticis quam realisticis alloqui debet. Hi, plus quam alii exspectant nuntium Concilii, ut vocem Christi miserentis Misereor super turbam...

Certe, in aliquibus regionibus Europae Occidentalis, Americae Septemtrionalis et in Australia, status opificum magnos progressus cognoscit. Sed pro maiore, quin etiam pro maxima parte opificum, praesentes condiciones tam in ipso labore quam in personali, familiali, sociali, culturali, saepe etiam politica vita, iniquae graviterque iniustae sunt. Salarium persaepe derisorium, nulla vel insufficiens ad qualificatum vereque humanum laborem praeparatio; nimia velocitas, parvaque securitas labori virorum et etiam mulierum machinis variis impositae; laboris cessationes vel interruptiones unilaterali modo et sine debita compensatione; defectus vel etiam interdictio consociationum ad promovenda iura legitimasque in labore responsabilitates laborantium; opificum de die in diem numerosiores migrationes sine ullo ad vitam eorum familialem respectu impositae; defectus vel habitationis et victus, vel puerorum educationis et instructionis.

Infrahumanae vitae ac laboris condiciones, quae innumerabiles opifices et familias opificum afficiunt, praesentem mundum in quodam universali ac gravissimo peccato contra hominem et contra Deum constituunt.

Ad condiciones in hoc campo laboris meliores promovendas, ipsi opifices totius mundi, suae interdependentiae conscii, primo in libertate et in pace convenire et collaborare debent. Dein cum publicis potestatibus et cum diversis oeconomicarum socialiumque rerum rectoribus vel moderatoribus efficaciter collaborent. Certissime opifices opificum labore et virtute liberabuntur, et in isto difficili sed necessario cum divina oeconomia concordi conatu, eis Ecclesia fiduciam et approbationem sollemniter proclamare debet.

In isto conatu studeant opifices condiciones non tantum suae propriae vitae, sed etiam omnium hominum ad melius deducere, praesertim eorum qui in Tertii Mundi nationibus inter peiores et pauperrimas condiciones laborant.

Ad inceptarum technicarum moderatores se vertens, sacra Synodus eos adiuret ut, gravissimarum responsabilitatum suarum erga opifices conscii, magni pretii faciant, doctrinam socialem ab Ecclesiae magisterio sollemniter enucleatam. In disciplinae christianae renovatione quae post istud Vaticanum Concilium instaurabitur, erit certe necessarium ut in christianis communitatibus tanquam grave peccatum manifestentur et teneantur omnes mores qui in hoc humani laboris campo, contra doctrinam Ecclesiae manifeste apparebunt.

Ut iterum tamen dicam, Ecclesia, opifices diligens sicut eos diligebat Dominus Iesus, pro certo habeat opifices ipsis esse et esse debere liberatores. Itaque amanter et instanter eos invitet et, sicut aiebat Pontifex Papa Pius XI in sua Enc. *Quadragesimo Anno,* « opifices sint ipsi primi et immediati apostoli omnium hominum laborantium ».

Patres venerabiles et Fratres carissimi, in illa pastorali constitutione, cum hominibus huius temporis, non quidem academico sed ad efficacem actionem impellente modo, fraterne colloqui desideramus. Optandum ergo est ut in illa pastorali constitutione, modo a commissione nostra determinando, inseratur aliqua sollemnis invitatio ad omnes mundi auctoritates, ut, reiectis omnibus praesentibus inter se

dissensionibus, immensas praesentes possibilitates tam mundi a Deo creati quam humanorum conatuum ad liberationem promotionemque iuvenum, opificum et Tertii Mundi populorum, efficaciter atque sine mora coordinent. Hoc faciens, Synodus nostra Vaticana missionem suam pastoralem adimplebit: auctoritates rectoresque humanarum rerum optimum servitium communi omnium hominum bono praestabunt; et divina oeconomia in hac omnium reconciliatione et efficaci concordia, ad novas victorias in hominum historia, Deo dante, progredietur.

Animadversiones additae:

La lecture du paragraphe sur le travail, dans le Schéma XIII, n. 79, m'a suggéré, à quelques évêques et à moi, une amélioration opportune du texte: il reste abstrait, sans la vigueur évangélique contre la *domination de l'argent,* « Mammon ». Il faut que le peuple ouvrier soumis à cette domination, puisse lire et comprendre le texte conciliaire, sans besoin de long commentaire.

Une autre amélioration semble désirable dans la présentation du dit « droit de propriété », n. 83. Car on ne possède pas une usine comme on possède sa maison. La distinction est radicale entre les biens de *consommation,* destinés à l'espace vital (Pie XII) de la personne et de la famille, et les biens de *production,* destinés de soi à la vie économique et culturelle des autres. Il paraît regrettable que cette distinction (par laquelle on fait droit à la part de vérité du socialisme tout en récusant son erreur) ne soit pas expressément énoncée. Elle est courante chez les économistes depuis cinquante ans. Elle bloque la position assez surprenante de quelques évêques tout occupés à défendre le « droit naturel » de la propriété privée, sans s'occuper de l'écrasement humain que ce « droit » provoque.

N. 79: De humana dignitate laboris, per respectum ad bona exteriora, optime quidem loquitur. Sed vocabulis satis abstractis utitur redactio (« ratio instrumenti », « bona exteriora ») in textu ad popuols directo, et potius analysim technicam sapit quam Evangelium. Opportune ideo videtur addenda clausula quaedam, in fine primae propositionis, linn. 26-27: « Labor humanus bonis exterioribus est anteferendus, quippe quae tantum rationem instrumentorum habent, et ideo nunquam mammonae subordinandus ».

N. 83: De crescente diversitate formarum proprietatis, in evolutione sociali, optima quidem est assertio. Sed, tum propter fundamentalem distinctionem in ista diversitate, tum propter essentialem conditionem appropriationis privatae (in § sequenti), enuntianda videtur differentia inter bona consummativa, quae sunt immediatum obiectum appropriationis, ad personalem et familiarem autonomiam, et bona productiva, quorum dominium ex se ordinatur ad vitam oeconomicam et culturalem aliorum hominum (cf. iam in encyclica *Mater et Magistra*).

Et sic maior cohaerentia redactionis habetur, ita ut manifestius fiat ius privati dominii, simul ac fundetur intrinsecum munus sociale navitatum industrialium, quae limites appropriationis privatae transgrediuntur.

Et ideo melius inciperet textus, in n. 83, a tali *duplici fine* (et *regulatione*) dominii super bona exteriora, *tum* ad necessariam perfectionem, libertatem et responsabilitatem personae humanae, *tum* ad vitam socialem ampliandam secundum destinationem bonorum, et non immediate a sola radice personali (lin. 5).

Ita melius articulantur et fundamentum proprietatis privatae et formae sociales dominii super bona exteriora.

3

REV.MUS P. D. GERALDUS MAHON
Superior generalis Societatis S. Ioseph de Mill Hill

Eminentissime Praeses, Venerabiles Patres,

Pro omni problemate de quo schema nostrum agit mundus hodiernus duo ab Ecclesia attendit, nempe: 1. clara enuntiatio principiorum essentialium; 2. in quantum possibile est, ad haec principia implenda, actio concreta ab Ecclesia ipsa tamquam corpori universali, non tantum a singulis personis vel a parvis coetibus in Ecclesia.

Haec exspectatio mundi hodierni refert praesertim ad problema famis et paupertatis mundialis. De hoc problemate schema nostrum saepe et bene tractat et principia ad illud solvendum clare indicat.

Attamen, sicut dicitur in par. 32, his verbis: « Bene de his rebus sentire non sufficit; necesse est ut omnes una simul ad opus procedant ». Quid igitur agendum est ab Ecclesia?

Propono, sicut heri multi Patres, ut inter summos secretariatus Ecclesiae erigatur institutio seu secretariatus permanens pro iustitia sociali in mundo promovenda. Inter alios fines talis secretariatus quattuor functiones explere posset, quas paucis verbis enucleo.

1. Secretariatus ille mundo clare proponere posset principia moralia contenta in nostro schemate et, modo magis explorato, in Encyclicis *Mater et Magistra* ac *Pacem in terris* necnon in allocutionibus Summi Pontificis Pauli VI, praesertim eis in India habitis et novissime in ea ad Nationes Unitas heri feliciter data. Sic, tota immensa vis moralis necnon opes Ecclesiae dirigi posset ad paupertatem a mundo tollendam.

Venerabiles Patres, in sessione tertia huius Concilii, 22 interventiones habitae erant de paupertate mundiali. Infra hunc annum elapsum post illas discussiones triginta quinque mille millia hominum fame mortui sunt; hodie, quadringenti mille millia hominum fame laborant et plus quam decies millies centena millia hominum morbis afflicti sunt ex sequelis malnutritionis. Permanens Secretariatus mundo clarius demonstraret Ecclesiam immensas dimensiones huius problematis agnoscere et cum anxietate eas perpendere, et hanc anxietatem in actionem deducere.

2. Nunc ut missionarius loquor. Talis Secretariatus verum et validum auxilium missionariorum conatibus afferre posset ad egestatem a mundo tollendam. In territoriis enim missionum adest ingens multitudo sacerdotum, fratrum, sororum et laicorum, qui bene cognoscunt has instantes necessitudines regionum parum progressarum et ardenter laborant ad

auxilium illis ferendum. Certe certius, labor primarius missionarii non est de progressu sociali agere. Problemata autem socialia maximi momenti evadunt ubi rerum condiciones dignae non sunt humanae naturae. Missionarii ergo multum in campo sociali agere possunt et reapsè agunt. Tamen, saepe saepius, proh dolor! missionarii nostri vivere debent soli et isolati ac opibus destituti. Quapropter Secretariatus propositus ipsis dare posset informationem ac assistentiam technicam.

3. Secretariatus christifideles per totam orbem terrarum de officiis iustitiae socialis internationalis ac caritatis docere posset. Hoc modo, Secretariatus ille non parvum adiutorium praestaret illis Operibus Episcoporum — Bishops Aid Agencies; Bischöfliche Hilfswerke; Organisations caritatives — quae nunc, maxima cum caritate necessariam pecuniam colligunt. Quod opportunissime esset, quia hodie Opera illa instanter indigent maioribus opibus ad adiuvandos episcopos regionum parum progressarum.

Venerabiles Patres, enixe quaeso ut omnes bene intelligant: Secretariatus de quo agitur, ipse non est Opus caritatis nec institutio ad alia Opera in ordinem ponenda.

4. Talis Secretariatus, Ecclesiae auctoritate spirituali munitus, posset mundo duo essentialia principia spiritualia in mentem revocare:

Primo: progressus socio-oeconomicus non potest separari a progressu in ordine culturali et spirituali. Non de solo pane enim vivit homo.

Secundo: conatus omnes ad causas egestatis et famis tollendas bonum exitum non possunt habere sine conversione cordis et mentis hominum. Ista conversio in regionibus magis progressis excitare debet homines ad dividendam propriam abundantiam et scientiam cum regionibus egentioribus. Pari ratione, inter homines divites ex nationibus pauperioribus haec conversio cordis eos urgeret ut beneficia progressus iuste distribuantur inter omnes cives.

Concludo ergo, duas petitiones proponendo: 1. Ut Concilium hoc clare enuntiet suum desiderium ut in Ecclesia erigatur permanens Secretariatus ad iustitiam socialem promovendam.

2. Ad petendam a Deo hanc conversionem cordis optatam propono ut inter Missas votivas addatur Missa votiva ad petendam iustitiam et caritatem in mundo.

Thema talis Missae apte indicatur oratione quae vulgata fuit in Anglia durante anno dedicato ad promovendam libertatem mundi a fame: « Concede quaesumus Domine, ut digne serviamus aliis hominibus ubicumque ipsi vivunt et moriuntur in egestate et fame. Da eis per manus nostras hac die panem quotidianum; ac per nostram amorem et benevolentiam effunde super illos gaudium et pacem ». Dixi.

4

Exc.mus P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

Venerabiles Patres,

Valde approbanda est Concilii positio (in n. 76 nostri schematis) quod firmiter et clare sese declarat in favorem progressionis oeconomicae. Duo elementa optima ibi afferuntur ut veluti constitutiva legis fundamentalis huius progressionis oeconomicae:

1. Hodie, magis ac semper antea, ad *incrementum* productionis tendendum est ...[1]

2. Res tamen modo humano agenda est, ita ut haec progressio *oeconomica* [2] non consistat in cursu versus maximum lucrum vel latissimum dominatum sed maneat *semper in personae humanae* [3] servitio sub quoque respectu.

Videtur tamen quod huic theoriae productionis possibile sit praebere fundamentum doctrinale adhuc profundius, recurrendo scil. modo explicitiori ad doctrinam theologicam quam nos christiani possidemus circa creationem. Secundum hanc theologiam Deus est creator omnium rerum sed praeterea ipse homo vocatur ad participationem huius actionis creatricis ipsius Dei.

Liceat quaedam in hac perspectiva breviter innuere:

1. Factum quoddam nostrae aetatis characteristicum. In civilisatione *nostra* [4] *industriali* actuali dum in mensura semper crescenti machinae locum sumunt simplicis instrumenti (outil) homo multiplicat quasi indefinite suam potentiam agendi. Non est amplius tantum artifex, immo neque productor, sed fit veluti creator: reducit ad actum capacitatem quam ab initio dederat ei Deus « transformandi » quodammodo naturam ita ut haec fiat quasi nova natura, v. g. ex atomo minusculo educere potest energiam ita potentem ut etiam totam activitatem alicuius immensae fabricae imperare valeat vel ut, ictu oculi, destruere totam quamdam regionem queat.

2. Secundum doctrinam christianam, magis tamen adhuc enucleandam sed *in omnibus punctis* [5] certam, homo altissimam vocationem relate ad terram sibi subiiciendam a Deo accepit. Circa hanc vocationem duo notanda sunt:

a) Consistit haec vocatio in participatione ipsius operis creatricis Dei. « Constituisti eum super opera manuum tuarum » ...[6]

b) *Sed* eodem tempore quo, historiae decursu, homo progressive ad transformandam naturam rerum creatarum pervenit, eo magis acquirere debet dominium supra naturam suam propriam. Haec est enim voluntas Dei. Secus homo haberet tantum illusionem materiam sibi subiiciendi sed de facto ei subiiceretur: non dominus sed servus fieret materiae.

3. Proh dolor! tragoedia maxima, ingentissimum periculum temporis nostri in hoc est praecise quod homo in hoc negotio transformationis materiae Dei obliviosus factus est et quasi unice ad copiarum materialium semper efficaciorem et velociorem productionem attendat.

Periculum est quod in hoc processu homo numquam satiari possit. Pecuniarum collocationes (les investissements) quasi in indefinitum crescunt. Similiter bona « consummationis » (*de consommation* [7]) in indefinitum augmentantur. Multa indicia huius facti habentur:

a) In mundo sic dicto capitalista, innumeri sunt homines qui nimis ducuntur mentalitati lucri semper augendi et etiam mentalitati quam vocarem « consummatoris » (*de consommateur* [8]), i. e. intenso desiderio semper augendi propriam felicitatem materialem. Multis in nationibus divitibus « consummatio » facta est veluti motor totius vitae oeconomicae et socialis. Ita omnes vires humanae (technicorum, inventorum, pecuniam possidentium, publicitatem agentium...) videntur nimis exclusive convergere versus hanc « consummationem », scil. versus fruitionem quae ex abundantia bonorum terrae resultat.

b) Eodem tempore et consequenter spiritus « creativitatis » diminuit, v. g. homines inter se consociantur non tam ad novas inventiones faciendas neque ad pauperes nationes e paupertate eripiendas, non tam ad « creandum » quam ad lucrifaciendum et ad fruendum ...[9]

c) Etiam mundus marxista detrimentum patitur ex eo quod caret et ipse ideis et normis rectis in hoc productionis *et progressionis* [10] oeconomicae campo. Verum est quod *in hoc mundo marxista* [11] valde diffunditur ideologia « hominis productoris » ita ut haec revera fuit et est stimulus enthusiasmi collectivi pro labore atque motor ascensionis oeconomicae.

Sed uti patet haec idea « hominis productoris » nullum respectum habet ad Deum creatorem, neque ad personae dignitatem. Tantum abundantia et prestigium nationis valorem habent. Et sic etiam ibi habetur alia forma servitutis qua homo in progressione oeconomica hodierna intentus subiicitur materiae.

Concludo. Oportet nos magis annuntiare et inculcare hominibus nostrae aetatis doctrinam splendidam et constructivam quam habemus de

Deo creatore prout in immensa sapientia, iustitia et bonitate sua ipse vult homines participes reddere sui operis creatricis.

Nedum simus adversarii oeconomicae progressionis, eam ut collaborationem ad Dei actionem aestimamus. Sed praecise ratione huius cum Deo ligaminis doceamus *in hoc schemate* [12] quod homo, affirmando propriam potentiam supra materiam, dominium supra hanc et supra semet-ipsum conservare debet ...[13]

Immo recordari debet *homo* [14] quod in creando Deus nonnisi amore omnino sancto et gratuito ducitur. « Est sanctus in omnibus operibus suis » ...[15]. Deus enim creat non ut augeat propriam fruitionem sed ut toti generi humano omnia necessaria ad vitam convenientem procuret. Sic hominem et speciatim christianum intime coniunctum cum Deo in perficiendo suum opus creativum oportet spiritum paupertatis et propriae spoliationis duci atque hunc universalem amorem et iustitiam Dei creatoris imitari et manifestare.

In textu scripto tradito: [1] et hoc quidem ut consulatur augmento populi et optatis crescentis generis humani. [2] deest. [3] in hominis. [4] deest. [5] deest. [6] ut ait psalmista (*Ps.* 8, 7). (Deus enim creando ipsum ad imaginem et similitudinem suam quoad esse et quoad agere eundem hominem suo operi perenni creationis intime coniungit). [7] deest. [8] deest. [9] In eadem linea vigent in nationibus divitibus nimia inquisitio securitatis, timor procreandi pueros, amissio gaudii paternitatis etc. [10] deest. [11] ibi. [12] deest. [13] Eo quod homo potentior fit supra materiam, eo magis suae altae dignitatis et auctae responsabilitatis conscius fiat. [14] deest. [15] ut ait Psalmista (*Ps.* 144, 17).

Animadversiones additae:

Optatur constitutio alicuius secretariatus vel commissionis quae post Concilium de promovenda iustitia et progressione oeconomica in mundo ad mentem interventus in aula exc. arch. Angeli Fernandes, coad. Delhiensis in India.

Cap. III generatim valde placet. Circa n. 78: 1. An Concilium potest admittere ut certum quod mobilitas sit omnino necessaria (pag. 62, lin. 6)? Nonne hoc in loco oporteret etiam loqui de officio cogitandi de oeconomia in regione ordinanda (économie régionale) ita ut etiam faveatur, in quantum possibile est, stabilitati laboris (la stabilité de l'emploi).

2. Pag. 62, lin. 12. Sufficitne pro immigratis ad vitandum discrimen cum aliis opificibus loqui tantum de conditionibus remunerationis vel laboris? Insertio in incoepto (l'intégration dans l'entreprise) — ita ut v.g. illi etiam admittantur ut « delegati fabricae » (délégués d'usine), — et insertio in societate (iura civilia, politica, etc.) debentne etiam constituere regulam pro operariis immigratis?

* * *

In fine n. 78 (pag. 62, lin. 24) vel melius in n. 81 (pag. 64, lin. 16): addatur: « Valde gaudet Ecclesia cum laici, uxorati vel non, priorum christianorum exempla imitantes (cf. *Act.* 2, 42-47 et 4, 32-35), ita prudenter simul ac audacter se conso-

ciant, ut omnia inter se communia sint et unusquisque partem qua ei opus sit accipiat atque omnes in spiritu caritatis et paupertatis vivant ». *Rationes*: 1. Testimonium huius vitae communitariae ex Evangelio inspiratae magnum momentum habet in societate hodierna ubi oeconomia lucri (économie de profit) et cupiditas divitiarum tantum influxum habent.

2. Fideles sat multi qui variis in regionibus experientiam huius vitae ducunt incitamentum in hac Concilii declaratione invenient.

[*Subscripserunt etiam*] Petrus-Maria Puech, ep. Carcassonensis; Etienne Loosdregt, vic. ap. Vientiane; Andreas Perraudin, arch. Kabgayiensis; Franciscus Franić, ep. Split et Makarska; Carolus Van Melckebeke, ep. Ningsiensis.

5

Exc.mus P. D. EMMANUEL LARRAIN ERRÁZURIZ
Episcopus Talcensis

Venerabiles Patres,

Loquor de cap. III secundae partis, in quo agitur de vita oeconomica-sociali, et speciatim tangam par. 77 quae considerat progressionem oeconomicam.

Oratio mea manifestare cupit responsabilitatem alicuius Pastoris ex vastissimis ditionibus Americae Latinae, ubi inter multa quae hodie sollicitudinem Pastorum excitant hoc praesertim recolere iuvat: vitam oeconomicam socialem, quae vita in nostro Continente Latino-Americano est hodie maximum periculum contra pacem; schema loquitur de « regionibus adhuc progredientibus » vel « ad progressum nitentibus »; tamen sincere dicendum est sub verbis istis euphemisticis latere, saltem pro nostro Continente, realitas vere teterrima quae solummodo vocari debet « regressus » vel « infra » aut « sub-progressus » (subdesarrollo, sottosviluppo). Iste infra-progressus non est solum maximum periculum contra pacem, sed est iam in seipso aliqua ruptura pacis, si vera est definitio olim data ab em.mo card. Feltin quod « progressus est novum nomen pacis »!

Nunc autem: cap. III in genere mihi placet quia ex una parte proponit doctrinam de vita oeconomica-sociali hodierna, quae signum gerit crescentis dominationis hominis; et quia ex altera parte bene indicat quod progressus in rationibus producendis atque in bonis ac servitiis commutandis efficit ut oeconomia sit aptum instrumentum ad satisfaciendum necessitatibus familiae humanae.

Tamen in sua sectione prima « De progressione oeconomica » mihi placeret ut adderetur aliqua clarior, vel potius, ditior declaratio de doc-

trina christiana « progressus », in qua indicentur saltem principia generalia in quibus ipse progressus fundatur.

Principia indicanda mihi videntur esse quattuor, quae statim enuntiabo.

Antea tamen observandum est notionem christianam de progressu esse ipsam notionem humanam in quantum a christianismo animatam et sanatam: gratia non destruit sed perfecit naturam.

En, autem, principia generalia quae in capite mihi videntur indicanda:

1. Progressus non est solummodo factum aliquod, sed est revera « ius »: ius uniuscuiusque individui ad esse integre personam; et ius uniuscuiusque nationis ad esse populum independentem. Sic progressus implicat triplex ius: ius ad congruum incrementum historicum, quia etiam in hoc campo non progredi regredi est; ius accessionis ad novos inceptus scientiae et technicae artis; et ius populorum sub-progredientium ad tollendam iniustitiam suae situationis.

2. Progressus, cum sit ius, est correlative « officium ». Et quidem est officium strictae obligationis moralis, ut asseruit Pius XII in aliqua allocutione ...[1], pro nationibus ditioribus auxiliandi nationes pauperiores. Et secundum mentem encyclicae *Mater et Magistra* talis obligatio est quidem verum officium iustitiae sive ex solidaritate hominum, sive ex necessitate pacis inter populos et sive, pro christianis, ex mutua ac profunda vinculatione in Corpore Christi Mystico.

3. Progressus excedere debet simplex incrementum oeconomicum.

Progressus enim sub consilio hominis semper manere debet, quinimmo ipse progressus est navitas humana quae respondere debet triplici, ut ita dicam, fami: scil. physicae, culturali et spirituali, quae in angustiis premit homines et coetus hodiernos.

Uti bene dicit schema: « lex fundamentalis progressus non consistit in quam maximo ...[2] nec quam latissimo dominatu quae obtineantur, sed in hominis servitio, hominis scil. integri, attento ordine eius materialium necessitatum et desideriorum intellectualium, moralium, spiritualium, hominis, dicimus, cuiuscumque et cuiuscumque hominum coetus, cuiusvis stirpis vel mundi regionis ».

Non agitur tantummodo de augmento possessionis, sed de incremento perfectionis; non solum « plus habere » sed « plus esse ». Progressus debet esse vera promotio hominis in quantum est homo, secundum eius valores, et quidem iuxta ipsorum valorum hierarchiam.

4. Progressus, denique, ad actum perduci debet non monopolistice sed secundum activitatem concretae cooperationis inter individua, coetus et populos.

Progressus est navitas humana et implicat hominis responsabilitatem et amorem; nequit reduci ad organisationem assistentiae socialis vel eleemosynarum; est, e contra, mutua communicatio personarum ac populorum ad congrue realizandam vocationem humanam in historia, quae est vocatio unica pro omnibus ad humanizandum nostrum planeta, ut sit patria digna hominis, qui, ad imaginem Dei factus, revera debet esse culmen creationis, scil. eius supremus rex. Progressus facere debet ut homo sit non tantum magis dives vel magis commodus, sed magis homo ad regendam ac interpretandam creationem in gloriam Patris.

Si haec quattuor principia clarius in capite integrantur censeo tractationem materiae perfectiorem evadere. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (12-4-58). [2] lucro.

6

Exc.mus P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ
Episcopus Ambatensis

Venerabiles Patres,

Loqui intendo circa n. 84 cap. III, in quo « de relationibus inter ditiores et egentiores nationes » agitur. Licitum mihi sit, de hac quaestione, sequentes observationes facere.

1. In hoc numero de ingenti differentia oeconomico-sociali inter diversas nationes tractatur, sed de quodam facto maximi momenti silentium fit. De facto nempe evigilationis conscientiae socialis, seu, ut verbis modernis utamur, de explosione conscientiae socialis huius temporis.

Homines mundi hodierni, sive illitterati sint sive culti, sive laboratores in fabricis, sive humiles ruricolae, sive christiani sint, sive non, conscientiam intimam et certam de propria dignitate in vita sociali habent. Aliquando homines quamdam naturalem differentiam inter diversas classes sociales ...[1] tolerabant; hodie omnes conscii sunt de propria dignitate et de propriis iuribus. Immo ita conscientia socialis evigilata est ut non amplius circa hanc quaestionem conflictus inter fidem et conscientiam etiam christianam admittantur. Quilibet homo modernus, etiam catholicus ...[2], de proprio iure ad bonorum aequam participationem libenter loquitur.

2. Talis evigilatio seu explosio conscientiae socialis multis et quidem diversis causis tribuenda est. Doctrinis praesertim Summorum Pontifi-

cum, activitati modernorum mediorum communicationis immo et praesertim proselytismo marxistico. Ita profunda et spontanea talis conscientia socialis est in praesens ut ad illam dirigendam vel coercendam non amplius sufficient nec religiosa nec alia quaelibet historica vel sociologica consideratio.

Immo fatendum est percrebrescentem marxismi successum in mundo hodierno non tantum efficacitati modernorum mediorum communicationis deberi, quantum conformitati istius systematis cum moderna conscientia humana. Hac de causa, cum timore et tremore fateri *debemus*[3] quod hodiernus homo, si praesertim pauper et patiens *sit*,[4] non solummodo paratus est ad assensum praebendum theoriis marxistis de aequalitate hominum, sed quod homo hodiernus, sive illitteratus sit sive non, sive christianus sive non, si patiens est, si nimis pauper est, si eis quae *humanam condicionem*[5] decent caret, aliud marxismi potentiale membrum est.

3. Quid *ergo*[6] faciendum? Mundus hodiernus qui nimis pragmaticus est, non novis declarationibus indiget, non a nobis principia vel theorias postulat, sed facta, iuxta illud axioma « probatio amoris, exhibitio est operis » ...[7]. Sed, Deo iuvante, non omnia in sinu Ecclesiae solum theoriae sunt.

Fateri nos liceat, quod in hoc sensu, multa et quidem maximi momenti incepta ab aeterno spiritu caritatis Ecclesiae suscepta esse. Meminisse iuvat in isto momento, incepta quarumdam Conferentiarum Episcopalium quarumdam nationum quae fidelium generosa cooperatione, opus sublevandi famem, paupertatem et infirmitatem in mundo susceperunt. Talia suscepta, melius quam declarationes ad cor humanitatis attingunt, et maiorem habent efficacitatem quam opera quae gubernia civilia, non semper ...[8] aliis intentionibus politicis exclusis, in mundo hodierno aggrediuntur.

Immo, licitum nobis sit, in hoc sollemni momento, hanc inexhaustam caritatem Ecclesiae exaltare affirmando quod sicut sic dicta Ecclesia Silentii per voluntariam martyrii susceptionem immo et per sanguinis effusionem etiam nostris temporibus coram Caelo et coram *hominibus*[9] splendens testimonium de eiusdem veritate est, sic etiam Conferentiae illae Episcopales et etiam singulae dioeceses quae opus sanctum inveniendi Christum in pauperibus nostri temporis susceperunt, etiam vivens et *splendidum*[10] testimonium sunt de sanctitate Ecclesiae quae de diversis nationibus et de diversis hominibus cor unum et animam unam adhuc facere potest.

Ergo, concludimus. Ut aliquod positivum et practicum fiat; ut Concilium Vaticanum II aliquod monumentum aeternae caritatis Christi

erigat, necesse est, ut sicut iam multi Patres petierunt, quam citius Secretariatus internationalis, Sanctae Sedi adnexus, constituatur, ad excitandam, augendam et dirigendam activitatem Ecclesiae in solutione quaestionis socialis. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] admittebant vel. [2] fervens. [3] deberemus. [4] est. [5] humanae condicione. [6] Patres conciliares, coram isto facto. [7] Principia aequalitatis socialis iam ab ipso Domino nostro Iesu Christo praedicata sunt, et modernis temporibus amplius et latius a Leone XIII, a Pio XI et a Ioanne XXIII luculenter recordata sunt. [8] tamen. [9] mundo. [10] splendens.

7

Exc.mus P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAUN
Episcopus Gadicensis et Septensis

Venerabiles Patres,

Proprium Concilii est principia communia proferre, quae opportunam praebeant applicationem in casibus singularibus. *Certe.*[1]

Praetermittere autem non possumus mundi laboris aerumnas et acerbas multoties conditiones, quae ex Concilio postulant principia generalia sed cum concretione maxima in quantum fieri possit, quibus, in aspectu sociali, obligationes conscientiae statuantur.

Vestrae attentae considerationi et etiam determinationi, venerabiles Patres, hanc quaestionem fidenti animo submitto. Recognoscimus et laudamus arduum et difficillimum laborem commissionis.

Normae in schemate statutae nimis generales et abstractae videntur, *aequa*[2] vigore carentes ad valorem obligatorium conscientiae patefaciendum. Ita in cap. II prioris partis, n. 31, cum de caritate sociali sermo est, dicitur: « Ingentes inaequalitates oeconomicae, sociales ac culturales inter membra unius humanae familiae adhuc vigentes, scandalum movent... » *etc.*[3] Et in par. 33 quae de ethica individuali est, similes conceptus iterantur ...[4]. Et in n. 81 huius secundae partis, de qua loquor, assertiones convenienti carent vigore ...[5]

Num confidere possumus has formulas ita ambiguas stimulare posse ad graves obligationes solvendas in ordine sociali, et urgentibus necessitatibus satisfacere, quibus nonnulli coetus proletariorum versantur?

Mea sententia est quaestiones ita graves, et quae ita afficiunt pacem et quietam communionem hominum, quaeque secum ferunt graves obligationes iustitiae, tractari in Concilio debere multo exquisitius et defi-

nitius. Ut vere sint appellatio, vi praecepti, et ut possibile sit, conscientiam onerantes ...[6]

Submisse existimo, Concilium respondere debere anxietati operariorum. Quomodo?

Ex una parte, doctrinam altius elaborando.

Potius respondeamus concrete iis quibus satisfieri possit. Et potissimum remedium praebeatur necessitatibus urgentioribus ...[7] Loquor principaliter ad homines, qui in regionibus ubi sufficiens evolutio oeconomica deest, commorantur.

Radix concretionis esse posset: 1. Breviter explicare praecipua elementa quae iustitiam socialem constituunt. Sine dubio ingressum minimum vel salarium vitale. Et eo perveniendum est ut auctoritas leges ferat, pro bono communi, de participatione ex beneficiis, et praevisione sociali, quod secum fert onus perficiendi. Nonne optimum esset ut aliquid huius generis Concilium exprimeret?

2. Nondum tempus est, ut definiatur, in iustitia sociali, quod proprium iustitiae commutativae sit? Pervium est ut moralistae et sociologi, nunc temporis dici potest ...[8] ad unum asserunt, v. g. obligationes ad ...[9] salarium vitale et alia attinere ad iustitiam commutativam.

3. Si vero exstant officia iustitiae socialis, iustitiae commutativae propria, quae obligationes conscientiae imponit transgressoribus pro iis qui noxia passi sunt? En casus apertus reparationis vel restitutionis.

Aliquae determinationes, quamvis minimae, sed clarae et concretae, si possibile fuerit, nonne in ordine pastorali responsum esset Concilii ad mundum laboris ita conscientia sociali indigentem omnique comprehensione et consideratione carentem? Et nonne etiam ad efformandas conscientias veluti lux clara effulgeret?

Mea humilis experientia per triginta annos, magna cum consuetudine patronos inter et operarios, his quaestionibus socialibus penitus captus, affirmare me cogunt utrosque, si recta intentione procedunt atque bona voluntate, optant, ut Ecclesia ad praxim, in quantum possibile sit, veniat, decernens responsabilitates conscientiae, quae ex principiis moralibus atque immutabilibus Ecclesiae derivantur.

Aliter, si intra principia nimis generalia solummodo manemus, quin conclusiones obligantes exprimamus, debilioribus decipiemus, atque potentioribus argumentum aequivocum praebebimus, ut in statu aperto oeconomiae liberalis permaneant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] aequae. [3] Quod auferre debemus minuendo disparitates, discriminationem qualemcumque vero constanter excludendo, ut enixe postulant iustitia, aequitas, dignitas personae humanae et ipsa

mundi pax... ». [4] « Magni hodie interest ut nullus homo et nullus coetus ethicae "individualisticae" obsequatur, veram condicionem socialem nimis negligendo, atque ubi de rationibus inter individuum hominem et societatem agitur, multa reprehensibilia permittendo, immo iustificando... Non pauci variis fraudibus ac dolis iusta vectigalia vel alia quae societati debentur effugere non verentur ». [5] ut eos instimulent qui debeant gravia discrimina iustitiae et conscientiae sibi proponere. « Itaque, quaecumque sunt formae proprietatis, legitimis institutionibus populorum accommodatae, secundum diversa atque mutabilia adiuncta, cura huius destinationis bonorum nunquam omitti debet. Quapropter homo illis bonis utens, res exteriores quas possidet nunquam tanquam sibi proprias, sed tanquam communes habere debet, ut non sibi tantum sed etiam aliis queant prodesse. Ceterum omnibus ius strictum competit habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem ». [6] Ni ita sit, iudico — utinam fallar! — hoc propositum constitutionis, quod attinet ad ea de quibus loquor, valde spei defecturum eorum maxime quibus opes non sunt. [7] Existimo conscientiam catholicorum serio gravandam esse, necnon hominum bonae voluntatis, ut magnanime adimpleant sua munera ad iustitiam socialem respicientia. [8] omnes. [9] ingressum minimum vel.

8

Exc.mus P. D. CAROLUS PARTELI
Episcopus Tacuarembianus

Venerabiles Patres,

In parte introductoria schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* n. 3, Ecclesiae cooperatio erga humanum genus « ad meliorem fraternitatem omnium instituendam » adfirmatur, qua ratione haec Sancta Synodus praecipua nostri temporis problemata considerat, necnon quaedam principia ad eorum solutionem proponit.

Mihi videtur hoc schema satis parum de agricultura et de agricultoribus dicere, quod, meo iudicio, gravis omissio retineri debet.

Agricolae etenim, quinquaginta et quinque, aut sexaginta per centum existimantur in toto mundo; dum in regionibus adhuc progredientibus, saepe septuaginta per centum attingunt. Momentum agriculturae evincitur ex eo quod plus quam nonaginta et quinque partes in centum rerum nutritionis ab ea proveniant. Insuper agricultura materias textiles, ligneas et alias, magna ex parte confert. Recte ergo, agricultura, primaria hominum navitas nuncupatur, ex qua magna pars industriae et mercaturae dependunt, quae immo, tanto crescunt quanto magis agricolarum coetus decretum scit. Sic, in regionibus excultis fere *vicesima* [1] pars per centum populationis existimatur laborare ad instrumenta agriculturae suppeditanda, vel ad fructus terrae transferendos.

De famis problemate. Iuxta illud Internationale Institutum quod

vulgo dicitur FAO, non minus quam tercentos miliones, et probabiliter quingentos miliones hominum famem patiuntur, et circiter mille quingentos miliones insufficienter aluntur. Factum non novum est, sed nova eius gravitatis et amplitudinis cognitio. Quod permagnam sollicitudinem ex praeviso populationis incremento excitat.

Theoretice loquendo, ut bene in n. 96 schematis dicitur, problema solvi posset; practice tamen, statistici numeri a FAO editi ferunt: ab anno 1960 usque ad annum 1964 fructuum terrae incrementum vix populationis incrementum secutum esse (cf. « La situation mondiale de l'alimentation et de l'agriculture » *huius currentis mensis octobris* [2]).

Insuper dicendum hoc incrementum tantummodo regionibus excultis referri, dum e. g., in America Latina et in Extremo Oriente, ne conditionem quidem quae ante bellum existebat, attigisse ...[3]

FAO periti annuum incrementum agriculturae attingere debere non minus quam quinque per centum productionis adfirmant, nisi famis problema insolubile evadat; dicunt etiam fructuum terrae productionem duplicandam esse intra annum bismillesimum, ut crescenti populationi eadem nutritionis quantitas ac hodie provideatur; sed ad sufficientem nutritionem consequendam, maius adhuc incrementum exigi.

Problematis solutio invenienda et actuanda est in minus progressis regionibus, nam excultae abundantia gaudent. Insufficiens enim est recursus ad dona, quamvis utilia praesertim ad pueros, morbo affectos, praegnantibus sublevandos, quia non raro, donorum abundantia, loci navitatis incrementum minime sollicitat.

Utilius technicum et oeconomicum auxilium videtur; regiones enim minus progressae technica capacitate, oeconomicis mediis, et ingenio creativo carent.

Mihi permittatur, vicesimo labente anno ab institutione illius Organizationis Internationalis vulgo dictae FAO, me elogium et gratum animum huic Organizationi exhibere, quippe quae constanter, generose, pro incremento agriculturae in progredientibus regionibus, et pro fame sublevanda operam dat, numquam intentiones politicas, sed tantum solidarietatem persequens.

Quintus etiam annus labitur ab initio illius activitatis sic dictae « Campaña Mundial contra el hambre », in qua maxima catholicorum cooperatio habetur et magis desideratur.

De agricolarum educatione. Si famis solutio stricte ab agricultura pendet, haec in primis, excultum agricolam, sub tribus aspectibus requirit: *a*) vita in agro ita placida, ut familiae *in numero* [4] necessariae ne migrent; *b*) instructio technica, ut labor sit fecundus; *c*) redditus stimulans ad fatigas sufferendas.

Proh dolor! lamentanda et damnanda utpote iniusta, est illa difficilis conditio in qua agricolae regionum minus progressarum versant, ubi viae, scholae, medici, electricitas, aqua et alia desunt. In istis regionibus, et praesertim ubi pecuaria extensiva colitur, multi sunt qui vivunt in solitudine et egestate ...[5], longe a civitatibus, multoties cum difficultate efformandi familiam regularem, sine attentione religiosa et sine laetitia consortionis humanae. Nihil mirum proinde, si omnes qui possunt migrant, petentes civitates.

Publica auctoritas, ratione aequilibrii generalis, mediis oeconomicis totius nationis omnia haec providere debet; aliter numquam agricultura incrementum optatum obtinere poterit, et agricolae artem colendi terram despicient.

De latifundio in n. 83 loquitur. Mihi tantum notare liceat hoc punctum complendum esse affirmationibus Encyclicae *Mater et Magistra* circa structuram agriculturae.

Insuper ius agricolis, seipsos in consociationibus organizandi, sive ad professionem tuendam sive ad oeconomica problemata solvenda ...[6] clare tribuendum est, ita ut illi ipsi partem habeant reipublicae administrationi.

Agricola insuper animadvertere debet quam eius ars nobilis, et quanta responsabilitate exercenda sit. Ideoque technicam instructionem acquirat, ut conscius et activus Divinae Providentiae cooperator fiat, ad humanum genus nutriendum.

Hoc tempore profundae progressionis technicae, oeconomicae, psychologicae et socialis, praesertim iuvenes conscii fiant de agriculturae conditionibus et exigentiis, simul agrorum artes, quoddam vocationis et missionis prae se ferre considerantes, necnon oeconomicis et socialibus consociationibus participent ut eas principiis christianis imbuant et in iis virtutes exerceant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] viginta. [2] 1964 FAO oct. 1965. [3] (op. cit. pag. 7) [4] deest. [5] maxima. [6] (sindicato-cooperativa).

9

EXC.MUS P. D. ISMAEL MARIUS CASTELLANO
Archiepiscopus Senensis

Venerabiles Patres, Carissimi Auditores,

In n. 75 nostri schematis, inter rationes inquietudinis, quae nostris temporibus in vita oeconomica-sociali inveniuntur, iure meritoque adnumerantur etiam « defectus aequilibrii », qui « advertuntur inter agricul-

turam ex una parte, quaestuosas artes (seu activitates industriales) ac servitia ex altera parte ».

Haec autem animadversio omnino insufficiens mihi videtur ad intelligendam vastitatem problematis agriculturae eiusque consectaneas in ordine oeconomico-sociali, et ipsas rationes moralitatis, iustitiae, caritatis propter quas Concilium de eo loquitur.

Etenim defectus aequilibrii de quo agitur, invenitur in toto mundo; generatim nationes debiliores in oeconomia sunt illae in quibus cives praevalenter agriculturae sunt dediti; in ipsis nationibus quae evolutae dicuntur, regiones vel sectores rurales pauperiores inveniuntur.

Omnes admittunt quod ad famem removendam, ad pacem firmandam, ad progressum obtinendum omnino necessarium est augere quantitate et qualitate fructus terrae; sed — proh dolor! — redditus seu proventus agriculturae sunt tam parvi et tot incertitudinibus admixti, quod agricolae et praesertim iuvenes terras relinquunt et ad alias activitates accedunt. Hinc phaenomena exodi ruralis et urbanismi, quae Concilium nostrum attenta sollicitudine considerare debet propter consequentias pastorales maximi momenti.

Adhuc, defectus remunerationis adaequatae pro labore agricolarum non permittit quod nova media pecuniaria adhibeantur ad agriculturam evolvendam et efficaciorem reddendam, dum e contra novae structurae et nova instrumenta technica omnino requiruntur.

Denique, propter causas supradictas, rurales agitantur, saepe motus etiam inordinatos promovent, immo non raro organizationibus eversivis communistarum adhaerent. Nemo ignorat quid a theoricis communistarum tamquam certum affirmatur: revolutio scil. mundialis peragenda erit a coetibus ruralibus *egenis* Asiae, Africae et Americae Latinae.

Quid ergo faciendum est? Causae egestatis in agricultura, iuxta peritos, ad duas praesertim reducuntur: limites legum naturae et incertitudo pretii fructuum terrae in mercatura. Ideo remedia sunt praestanda a publicis auctoritatibus. Ipsa experientia docet quod, sine interventione Status, evolutio oeconomica causat defectus aequilibrii et fere semper in detrimentum agricolarum: valores ipsi humani, qui a mundo rurali custodiuntur, in discrimine ponuntur.

Agitur revera de problemate iustitiae, a Sacrosancto Concilio clare proclamando. In Encyclica *Mater et Magistra* indicantur etiam remedia concreta a Statu paranda: ruricolis sunt concedenda media pecuniaria conditionibus favorabilibus; ad ipsos extendenda est sic dicta « securitas socialis »; pretia remunerativa pro agricultura sunt statuenda et defendenda; et ita porro.

Sed remedia a Statu paranda saepe non sufficiunt. Etenim pretia

fructuum terrae statuuntur in mercatura internationali; iuxta novissimam relationem a F.A.O. peractam, fructus terrae in biennio anni 1962 usque ad annum 1964, pretium medium internationale habuerunt pro tredecim partibus supra centum inferius quam pretium medium internationale biennii anni 1952 usque ad annum 1954. Unde requiruntur conventiones internationales circa hoc: aliter nationes rurales fient de die in diem pauperiores et impossibilis evadet solutio problematis famis in mundo.

Concilium nostrum clare edicere debet: ad defectus aequilibrii removendos non sufficiunt voluntariae elargitiones, sed requiruntur solidarietas et cooperatio, verae, concretae, perseverantes, sive in ambitu nationali, sive in ambitu internationali.

Tamen non omnia ab aliis agricolae exspectare debent: agricultura in melius evolvi nequit sine generosa navitate ipsarum agricolarum. Ipsi bona maxime necessaria ad vitam humanam alendam provident, et ita quamdam missionem a Deo acceperunt: suam dignitatem agnoscant, suam responsabilitatem adimpleant, virtutes humanas ac christianas sibi proprias exerceant; et ad difficultates solvendas in associationibus professionalibus ac oeconomicis, fraterna caritate, uniantur.

Venerabiles Patres, quaedam parva additamenta, quae iuxta meas considerationes paravi, scripto tradam secretario generali. Nunc autem mihi episcopo in regionibus ruralibus constituto, haec concludere liceat: in Concilio ne loquamur tantum de opificibus *seu de operariis,*[1] sed etiam de agricolis, qui numerosiores sunt in mundo hodierno et paupertate immo egestate *aliquando* [2] laborant. Etiam agricolae audiant verbum nostrum comprehensionis et iustitiae, verbum, dico, caritate plenum! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

Animadversiones additae:

Pag. 60, ad n. 75, lin. 27, post verba « Coaevi nostri has disparitates... » addatur: « quas Concilium vere iniustas agnoscit ».

Pag. 61, ad n. 76, linn. 2-3, post verba « generis humani optatis, incrementum... » addatur: « agriculturae et ... ».

Pag. 61, ad n. 76, lin. 5, post verba « creandis inceptis, modis ... », addatur « agriculturae et ».

Pag. 62, ad n. 78, lin. 3, loco « eodem modo » dicatur « praesertim » et post verba « providendum est... » addatur « aptis mediis a publica auctoritate statutis et etiam conventionibus internationalibus ».

Pag. 62, ad n. 79, lin. 37, post verba « Remuneratio autem laboris... » addatur « sive liberi sive aliis praestiti ».

Moderator: Loquatur exc.mus D. Conradus De Vito, deinde transitus fit ad cap. IV.

10

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

Venerabiles Patres,

Schema, licet breviter perclare tamen principia ethico-socialia christiana exponit. Omnes homines quam maximo gaudio exsultabunt cum notitiam habebunt Concilium declarasse magnas differentias oeconomico-sociales inter homines removendas esse ...[1] et bona terrestria ad utilitatem omnium destinari ...[2]

Tamen etiam post istas declarationes, multi erunt homines iniusti, multae erunt victimae humanae iniustitiae et pauperes pari modo nobiscum semper habebimus. Ideoque optime schema concludit agens de navitate oeconomica-sociali et Regno Dei. Tamen verba in n. 85 adhibita perpulchra sunt tantum pro Patribus Concilii et speciatim pro expertis et theologis qui omnes magna sapientia gaudent! Sed illa centena millia millium hominum, qui nec de siliquis ex quibus porci abundant edere possunt neve de micis quae e mensa dominorum suorum cadunt se reficere possunt, maiora a Concilio exspectant!

De miseria materiali et morali in qua tot centena millia millium hominum Tertii Mundi versantur, arch. Angelus Fernandes, secretarius Conferentiae Episcopalis Indiae, peroptime locutus est, ideo illa quae ipse dixit ego non repetam. Tamen ne tot centena millia millium hominum qui, non in paupertate, sed in miseria vivunt hoc in mundo, inter luxurias aliorum hominum, poenas inferni experientes, in aeternitate quoque in inferno crucientur, propono quod hoc in capite sermo fiat etiam: *a*) de operibus misericordiae tum corporalis tum spiritualis, verba Domini ex Evangelio repetendo uti ab Ipso prolata sunt; *b*) de beatitudinibus quoque sermo sit verba Domini integre referendo; *c*) de operibus misericordiae ab Ecclesia iam peractis et in futuro ampliori, meliori et organico modo peragendis *quoque agatur* [3]; *d*) de operibus misericordiae ut pars apostolatus laicorum expresse et emphatice sermo fiat; *e*) *de mediis quibus pauperes protegi possunt ab oppressione aliorum hominum et quandoque guberniorum civilium.*[4]

In schemate sermo non est de *genocidio,* quod multis in locis exercetur ad destruendos populos *qui in miseria vivunt, populos qui sunt populi* [5] aliquarum regionum; nihil dicitur de operationibus *sterilizationis* mulieris et *vasectomiae* viri, quae, si non physice, saltem moraliter imponuntur super centena millia millium hominum, *et tantum eo quod — sic dicitur — cibus non invenitur pro eis.*[6]

Postulo ergo ut Concilium de istis aberrationibus loquatur et emphatico modo *istas aberrationes* [7] condemnet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (n. 78). [2] (n. 81). [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] ea.

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis,* cap. IV partis II)

11

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus-Logrognensis

Venerabiles Patres,

...[1] Adhuc aliqua « de re oeconomica in Communitate politico-sociali » dicere velim. Nolite mirari si iterum atque iterum hac de re sermo in aula fiat. Tanti enim momenti ...[2] negotium est, ut sine ipsius adaequata solutione nec « ordo socialis » nec ipsius Societatis vita tranquilla possibilis evadat. Aliquid amplius: tanti momenti est problema oeconomico-sociale ut sine ipsius adaequata et satisfactoria solutione vix contra atheismum militantem dimicare efficaciter poterimus, cum saltem de facto illius primum et praecipuum argumentum in actuali iniusta ordinatione oeconomica fundetur.

Et multa quidem in aula dicta sunt de relationibus oeconomicis inter « capitale » et « laborem », inter « proprietarios » et « opifices », at vix quidquam dictum est de relationibus inter « cives » et « Civitatem », inter « particulares » et « Administrationem », inter « cives » et « Statum ». Et hac de re praecise aliqua dicere velim. Non sub aspectu technico, de quo ne unum quidem verbum dicere auderem, sed sub aspectu morali.

...[3] In schemate *nostro* [4] deest clara et expressa declaratio de valore morali legum fiscalium deque illarum vi obligandi *etiam* [5] in conscientia. Aliquid utique indigitatur, at, ni fallor, insufficienter. In n. 88, lin. 35 legitur phrasis haec: « ut cooperatio civium cum officii conscientia coniuncta in quotidiana reipublicae vita » etc., et paulo infra in linn. 40-41, dum aliqua recensentur officia civium, nominatur expresse « officium afferendi reipublicae materialia et personalia *servitia* quae ad bonum commune requiruntur ».

Hoc, tamen, *meo iudicio,*[6] non sufficit. Aliquid amplius desideratur. Mundus enim *oeconomicus*[7] tanti ponderis est, ut de vita oeconomico-sociali in schemate sermo adaequate fieri nequeat, quin ...[8] aspectus moralis serio consideretur. Loquantur alii de « Oeconomia » sub aspectu technico, loquantur de « labore », de « progressu », de « productionis augmento », de « collocatione pecuniae », etc. Concilium, vero, illa omnia non ignorans, propriam suam missionem curare debet, illa omnia sub aspectu morali considerare et ordinem moralem oeconomiae perpendere et proponere tenetur.

In casu, hic et nunc, non de oeconomia in genere, sed de puncto aliquo particulari et concreto, de legislatione tributaria et fiscali in specie, quaedam suggerere intendo:

Nonnullis in regionibus, de cetero catholicis, vulgata et communis in populo viget persuasio de valore mere poenali legum fiscalium. Nec mirum, si fideles ita opinantur, cum, paucis abhinc annis, talis etiam fuisset ibi vulgata et communis inter auctores opinio. Verum quidem est nostris hisce *diebus,* dicere non audeo *temporibus,* verum quidem est sententiam de obligatione morali et in conscientia legum fiscalium gradatim progredi et a non paucis doctoribus in schola iam sustentari, at, meo iudicio, verum etiam est huiusmodi sententiam conscientiam popularem nondum pervasisse, sed e contrario intimam adhuc vigere in populo persuasionem de illarum legum valore mere poenali ...[9]

Intricatum utique problema, maximae complexitatis et difficultatis, verum etiam fundamentale immo et fundamentalissimum, in basi ipsius conviventiae socialis pacificae, quae impossibilis evadet, nisi concives omnes officia sua materialia, onera nempe oeconomica reipublicae ...[10] — Societati, Administrationi, Statui — fideliter, exacte et in conscientia opportune praestent.

Opponi utique solet leges oeconomicas et in concreto leges fiscales *tributarias,*[11] quae nempe tributa ...[12] determinant et *imponunt,*[13] haud raro excessivas et iniustas esse ideoque obligationem in conscientia inducere non posse. Quid dicendum? ...

Verum quidem est leges iniustas, qua iniustas, in conscientia non obligare. Si, ergo, leges fiscales iniustae sunt, quae iniustae sint et qua tales in conscientia non obligant. Attamen quaedam in casu notanda sunt: *a*) fortasse non omnes iniustae erunt; *b*) cum de valore morali et de obligatione in conscientia legum fiscalium sermo fit, problema considerari debet non solum ex parte *civium* qui, in hypothesi, solvere tributa tenentur, sed etiam ex parte *legislatoris* qui in toto processu legislativo leges iustas dare quoque tenetur cuiusque obligatio in conscientia a Concilio etiam nunc urgeri debet; *c*) de se, in genere et in principio, standum est

pro legislatore et pro lege, cui favet praesumptio; *d*) hodiedum in « circulo vitioso » movemur et circulum vitiosum rumpi nequit nisi omnium conscientiam moralem *accurate* [14] efformando.

Conclusio. Propono ut in n. 88, clara et aperta fiat affirmatio de valore morali legum fiscalium deque consequenti obligatione in conscientia illas acceptandi et fideliter adimplendi, nisi vitam oeconomico-socialem in *reciprocitate* [15] fraudis et iniustitiae ...[16] fundare velimus. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Parcite mihi si. [2] huiusmodi. [3] Meo simplicissimo iudicio. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] oeconomico-socialis. [8] illius. [9] Nunc autem, si haec ita sunt et, ad quamplurimas regiones quod attinet, factum hoc sociale indubium videtur, grave et urgentissimum considerandum occurrit problema, de cuius momento nemini dubitare licet et de cuius solutione Concilium iudicare et sententiam proferre tenetur. [10] suae. [11] deest. [12] et taxas. [13] exigunt. [14] hac de re. [15] reciproca canonizatione. [16] tam ex parte civium quam ex parte legislatorum.

Moderator: Siquidem Summus Pontifex tantum hora 12 Romam perveniet, possumus aliquatenus protrahere disceptationes. Loquatur ...

12

EXC.MUS P. D. EUGENIUS BEITIA ALDAZABAL
Episcopus tit. Verronensis

Venerabiles Patres ceterique benevoli adstantes,

Brevitati et claritati consulens, quaedam audeo dicere et observationes praeferre ad textum cap. IV constitutionis pastoralis de qua disceptatio fit, in sua parte II, et concrete in n. 89, cuius titulus — inter uncos — est: « Ecclesia et Societas politica ».

Magna et difficilis quaestio, actualis inter actuales, quae theologiam simul ac ius, prudentiam simul ac caritatem attingit. Materia ubi numquam oblivioni danda sunt principia perennia; et ubi applicationes principiorum induunt varietatem mirificam, prout sunt « signa temporis ». Materia quae iam a Concilio, in constitutione dogmatica *Lumen gentium,* etsi indirecte, est relata, cum agebat de laicis catholicis et de sua actione in structuris humanis. Verum hic directe attingitur et quidem intentione numquam sufficienter laudanda. Subscribam ea omnia quae positive hic affirmantur, sed luce magisterii ecclesiastici « zonae sic dicam perumbratiles » sunt illuminandae.

Agitur enim — ut schema affirmat — de prima quaestione, ex qua

multa dependent. Videlicet nihil minus quam applicatio doctrinae anteactae et fructus talis applicationis. « Quae omnia — ait textus constitutionis — facilius obtineri possunt, si rectus habeatur respectus rationis inter rempublicam et Ecclesiam intercedentis et clare distinguatur inter ea quae fideles, sive singuli, sive consociati, suo nomine tamquam cives, christiana conscientia ducti, sibi adsumunt et ea quae nomine Ecclesiae eiusque divinae missionis una cum Pastoribus suis agunt ».

Cogitamus nunc de apostolatu laicorum, de missione consecrationis mundi quam implere debent christiani, de « compromissione temporali » (sit venia verbo) qua christianismus penetrat etiam illam zonam concretam et technicam, ubi applicationis responsabilitas est totaliter penes laicos. Cogitamus momentum libertatis pro Ecclesia et Evangelio ubique terrarum esse defendendum.

Sed non avertimus oculos nostros ab Historia et Magisterio, a iure et veritate, a vi et fortitudine testimonii non iam solummodo individuali et particulari sed et testimonio communitario-sociali.

Parcite mihi, venerabiles Fratres, dum haec quae nunc lego scribebam videbatur hic in aula quasi denuo resonare vox augusta Pii Papae XI qui est clarissimus auctor Encyclicarum quarum nomina sunt in memoria omnium: *Non abbiamo bisogno* vel *Mit brennender Sorge* vel *Quadragesimo anno* vel contra Communismum atheum, sed etiam auctor Encyclicae *Quas primas* de Regno Christi dilatando, ubi profligatur Laicismus, ut alias, sed modo adhuc fortiori, et invitantur omnes ii qui in potestate regunt ad recognitionem iurium Christi in Evangelio et in Ecclesia. Recognitio dicet simpliciter « ius », non dicit privilegium.

Et haec recognitio Regni Christi, haec professio evangelicae veritatis omnino retinenda est in hac occasione in qua Ecclesia et Status inveniuntur ante eamdem laboriosam activitatem promovendi prosperitatem humanam, promotionem hominum, in integra consuetudine et in tota evolutione vitae suae.

In Relatione particulari de hoc capite asseritur hic exponi « quaenam iura Ecclesia in societate publica sibi vindicet ». Hoc non dixeris plene verum, nam impressio generalis pro legenti spiritu simplici has pagellas est hic ad minus cohonestari immo forsitan et defendi quamdam separationem Ecclesiae a Statu vel separationem simpliciter. Legi quidem « cooperationem cum civili potestate ab Ecclesia minime recusari, immo vehementer exoptari », sed haec cooperatio immediate adiectivo qualificatur; agitur enim de *sana* cooperatione: — de sana cooperatione ut oblivioni detur alia cooperatio, in peiori stadio historiae, ubi Caesarismus ex una parte et privilegia Ecclesiae ex alia statum rerum

talem fecerunt ut si non « laicismus » saltem « Laicitas » repetenda sit excludendo praesentiam Ecclesiae in Republica et verae liquidationi tradendo quidquid in legislatione vel unilaterali vel concordataria sapiat professionem verae fidei ex parte Status.

Hoc sine dubio nemo auderet sic aperte defendere. Sed tale est climax in quo imbibitur redactio capitis quod in trutinam vocamus. Sunt multi qui amant superare classicam distinctionem inter thesim et hypothesim, quasi non exsisteret aliquid verum, obiective verum, quod in veritate permanet quamvis non applicari hic et nunc veritas possit.

Et sic tacendo quod est veritas obiectiva desinit exsistere in conscientia publica dum exsurgit novum principium e diametro contrarium praecedenti. Et hoc nullum momentum secum ferret si principia sublata non fuissent clare exposita a magisterio ecclesiastico. Et haec est angustia nostra. Non desunt Patres conciliares, inter quos ego, qui prompti sumus ad signa temporum percipienda, ad bonam fidem etiam ex meris indiciis admittendam, ad pluralismum extensione universali concedendum, ad consulendum Oecumenismo in omnibus, ad excludendum quodlibet medium violentum et coactivum, ad adoptandum humile verbum in praedicatione, ad excludendum quodlibet honorem et privilegium.

Et tamen, si inspicimus documenta etiam recentiora Summorum Pontificum, videbimus separationem Ecclesiae a Statu in genere, non ab hoc vel ab illo Statu, profligatam esse a Sancto Pio X in documento « Vehementer » verbis, quae forte sine scandalo hodie non possent promulgari. Videbimus etiam professionem verae fidei pronuntiatam esse pro Statu ut officium a Leone XIII, ab ipso S. Pio X, a Pio XI in *Quas primas* et in *Dilectissima nobis,* a Pio XII in dissertatione *Ci riesce,* in verbis Ioannis XXIII et Papae Pauli VI feliciter regnantis.

E contra, ponitur uti centrum totius quaestionis religiosae, in hac re de relatione Ecclesiae ad Statum, principium incompetentiae Status in re religiosa quasi foret possibile implere obligationem profitendi veram fidem ex parte Status et societatis in vita publica et in legibus ferendis, quin fiat discriminatio inter hanc et illam conceptionem religiosam ut vera amplectatur, quamvis semper possit restare spatium, tam amplum quam velitis, ut libertas religiosa plena sit in qualibet religione.

Non petimus ut hic fiat integra expositio problematis neque ut argumenta — sit exemplum: a Tarquini vel Cavagni vel Cappello exposita (cito tantum mortuos) — renoventur. Non sunt obliviscenda sed neque hic erat locus expositionis; sed, ne videantur errasse Leonem XIII, Sanctum Pium X, Pium XI vel XII, vel una tantum alinea insinuetur non esse in genere desiderandam separationem Ecclesiae a Statu, quamvis utraque societas sit inter se plene independens, immo laeto animo

conservandam esse professionem fidei publicam ubi sit possibilis, concordata adhuc retinere aliquem valorem, non ut principium sint privilegiorum nec Ecclesiae nec Status sed ut recognitionem status iuris et ut basis fecundae collaborationis. Opus sane non difficile ut puto; et gratum memoriae tot singularium illorum Pontificum et Praelatorum qui fidem ad nos usque transmiserunt. Dixi. Gratias.

Textus scripto traditus:

Brevitati et claritati consulens, quasdam audeo observationes praeferre ad textum cap. IV, Constitutionis Pastoralis de qua disceptatio fit, in sua parte II, et n. 89, cuius titulus — inter uncos — est: « Ecclesia et Societas politica ».

Magna et difficilis quaestio, actualis inter actuales, quae theologiam simul ac ius, prudentiam ac caritatem attingit.

Materia ubi numquam oblivioni danda sunt principia perennia; sed ubi applicationes principiorum induunt varietatem mirificam, prout sunt « signa temporis ».

Materia quae iam a Concilio, licet indirecte, est relata in Constitutione Dogmatica *Lumen gentium,* cum agebat de laicis catholicis et de sua actione in structuris humanis.

Verum hic directe attingitur et quidem intentione numquam sufficienter laudanda. Subscribam ex nunc, ea omnia quae positive sunt hic affirmata, sed, meo iudicio, luce magisterii « Zonae quaedam subobscurae » sunt illuminandae.

Agitur enim — ut schema affirmat — de alta quaestione, ex qua multa dependent. Videlicet nihil minus quam applicatio doctrinae anteactae et fructus talis applicationis.

« Quae omnia — ait textus Constitutionis — facilius obtineri possunt, si rectus habeatur respectus rationis inter Rempublicam et Ecclesiam intercedentis, et clare distinguatur inter ea quae fideles, sive singuli, sive consociati, suo nomine tamquam cives, christiana conscientia ducti, sibi adsumunt, et ea quae nomine Ecclesiae eiusque divinae missionis, una cum Pastoribus suis agunt » (n. 89).

Cogitamus nunc ea quae ad apostolatum laicorum faciunt, ad « consecrationem mundi » quam petere debent christiani, ad « compromissum temporalem » (sit venia verbo) qua christianismus penetrat apostolice etiam illam zonam concretam et technicam, ubi responsabilitas applicationis et actionis unice est penes laicos.

Non obliviscimur momentum libertatis defendendae pro Ecclesia et Evangelio ubique terrarum dilatando. In memoria nostra sunt facta et status actualis rerum in toto mundo.

Sed non est nobis integrum avertere oculos nostros ab Historia et a Magisterio authentico, a Iure et a Veritate, denique a valore testimonii religiosi supraindividuali, i. e., communitario et sociali.

Parcite mihi, venerabiles Patres, sed dum haec quae lego scribebam in mea cella, exurgebat desiderium sincerum ut in aula hac resonaret denuo vox augusta Pii Pp. XI, qui est clarissimus auctor Encyclicarum, quae adhuc vivunt in omnium memoria: *Non abbiamo bisogno* de rebus « Fascismum » attinentibus, *Mit brennender Sorge* de Nationali Socialismo germanico, *Quadragesimo anno* de sociali conditione, de Communismo atheo. Sed liceat nunc mihi ob vestros oculos ponere illam aliam Encyclicam, *Quas primas,* de Regno Christi dilatando, ubi profligatur

laicismus « pestis nostri temporis », ut alias, sed modo adhuc fortiori, et invitantur omnes ii qui in potestate regunt, ad recognitionem iurium Christi Regis et Ecclesiae in sua institutione et missione dilatandi Evangelium. Recognitio dicit simpliciter « conditionem iuris », non privilegii.

Et haec recognitio regni Christi, haec professio evangelicae veritatis in publicis legibus, alto silentio premitur in nostro capite, in hac occasione ubi de Ecclesia et Societate publica agitur, ubi utraque Societas fraterne aggredi debet laboriosam activitatem promovendi prosperitatem humanam, et promotionem hominum, in integra consuetudine et in tota evolutione vitae suae.

Relator in sua referentia ad hoc caput asserit hic exponi « quaenam iura Ecclesia in societate publica sibi vindicat ». Hoc non dixeris plene verum, nam multa desunt in hac materia non insinuata a textu nostro.

E contra impressio generalis pro legenti spiritu simplici has pagellas est omnino alia. Dixeris hic potius cohonestari vel etiam aliquo modo defendi separationem Ecclesiae a Statu, saltem in legibus latis. Iam legi « cooperationem cum civili potestate minime recusari, immo vehementer exoptari », sed haec cooperatio immediate adiectivo qualificatur; agitur de cooperatione « sana », ut oblivioni detur alia cooperatio, in peiori stadio historiae, ubi Caesarismus ex una parte, et ex alia appetentia privilegiorum in Ecclesia, statum rerum talem fecerunt, ut nunc, si non *laicismus,* saltem *laicitas* repetenda et instaurata sit, excludendo praesentiam officialem Ecclesiae in Republica et verae liquidationi tradendo quidquid adhuc existit in legislatione sive unilaterali, sive bilaterali, in civili et *concordataria,* et sapiat professionem verae fidei ex parte Status.

Hoc sine dubio nemo auderet sic aperte defendere inter nos. Sed tale videtur esse « Climax » in quo imbibitur tota redactio capitis, quod in trutinam vocamus. Sunt multi qui amant superare classicam distinctionem inter thesim et hypothesim, quasi non existeret aliquid « verum », obiective verum, permanens in sua veritate, quamvis hic et nunc applicari non possit.

Et sic *tacendo* quod est veritas obiectiva, potest labente tempore, oblivisci; desinit existere in conscientia publica, dum exurgit et fortius evadit novum principium e diametro contrarium praecedenti.

Et hoc forse nullum momentum secum ferret, si *principia sublata* et oblivioni dedita, non fuissent clare exposita ab Ecclesiastico Magisterio. Et haec est angustia nostra. Non desunt Patres conciliares, inter quos ego, qui prompti sumus ad signa temporum percipienda, ad bonam fidem etiam ex meris indiciis admittendam, ad pluralismum religiosum, ut factum universale, vel quasi universali, ad consulendum Oecumenismo in omnibus, ad excludendum quodlibet medium violentum et coactivum, ad adoptandum humile verbum in praedicatione, ad excludendum quemlibet honorem et quodlibet privilegium.

Et tamen capere non possumus quare ad servandam hanc dispositionem sit necessarium terga vertere ad clarum magisterium ecclesiasticum in hac materia de relatione Ecclesiam inter et civilem societatem. Si inspicimus documenta etiam recentiora Summorum Pontificum videmus separationem Ecclesiae a Statu, in genere et ut principium, profligatam esse a Sancto Pio X, in *Vehementer,* verbis quae forse sine scandalo hodie non possent promulgari... Videmus etiam professionem publicam et legalem verae fidei pronuntiatam esse pro Statu, ut officium a Leone XIII, ab ipso Sancto Pio X, a Pio XI in *Quas primas* et in *Dilectissima nobis* pro catholicis hispanicis, a Pio XII in dissertatione *Ci riesce...*

Non possumus accipere doctrinam, quae ponit uti centrum totius quaestionis religiosae principium incompetentiae Status in re religiosa, quasi foret possibile pro Statu implere officium profitendi veram fidem et disponendi modo consono publicas leges, quin fiat discriminatio inter hanc et illam conceptionem religiosam, ut tandem vera acceptetur, sine praeiudicio libertatis religiosae tam amplae quam limites boni communis indigitare possint, et extensae ad quamlibet religionem.

Non petimus ut hic fiat integra expositio problematis, neque ut argumenta classica cultorum iuris publici referantur. Non sunt oblivioni mandanda sed eorum expositioni non erat hic locus. Sed sufficeret una tantum linea, vel pauca verba ut appareret Leonem XIII, S. Pium X, Pium XI et Pium XII non errasse in suo magisterio neque in perceptione spiritus moderni temporis.

Petimus ut in una tantum linea vel paucissimis verbis, rectum praebeatur criterium vi cuius constet utrum adhuc vigeat doctrina magisterii de separatione, utrum desideranda sit non solum independentia Ecclesiae et Status, sed etiam legalis separatio, utrum conservanda sit ubi est possibilis et viget publica professio fidei seu « confessionalitas », utrum *concordata* adhuc retineant aliquem *valorem,* non solum ut ius conditum, neque ut principium privilegiorum pro Ecclesia, neque ut mera consecratio Caesarismi pro Statu, sed ut formula iuris applicabilis pro Statibus modernis et praecipue ut basis certa fecundae collaborationis.

Ne aestimaveris rem difficilem brevem formulam quaerere ubi haec omnia modo claro, mundo expectanti et hominibus res politicas agentibus, explicentur. Tandem aliquando erit res utilis et grata pro memoria tot singularium Pontificum et Praelatorum, quibus fides commissa est et ad nos usque transmissa opere et labore non levi.

Haec habebam notanda pro hoc capite. Dixi, gratias vobis benevole audientibus ex corde agens.

Moderator: Humanissime rogantur Patres ne remaneant in deambulatoriis sed ad sedem suam velint redire.

Loquatur nunc exc.mus D. Baraniak, arch. Posnaniensis, et deinde transitus fit ad cap. V, et se praeparet ad loquendum em.mus D. card. Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia.

13

Exc.mus P. D. ANTONIUS BARANIAK

Archiepiscopus Posnaniensis

Venerabiles Patres et carissimi Auditores,

In cap. IV partis II nostri schematis tangitur gravissima quaestio « De vita communitatis politicae » et specialiter de cooperatione christifidelium cum auctoritate civili ad bonum commune societatis promovendum. Attamen schema omnino insufficienter explicat, quaenam cooperatio cum regimine atheistico, totalitario et religionem debellante licita

sit et in quonam bonum commune vere consistat: utrum scil. 1. per se in virtutibus, quibus societas humana vere bona redditur et nonnisi dispositive in bonis materialibus, consequenter autem in vita pacifica et delectabili, ut docent S. Thomas et *frequenter*[1] Summi Pontifices; 2. an in libera productione bonorum temporalium in utilitatem individuorum, sicut docent oeconomistae liberales; vel 3. denique in socialismo promovendo, ut dicunt marxistae.

Hic defectus nostri schematis relate ad notionem boni communis et licitae cooperationis cum auctoritate a religione aversa, forsan non esset tam periculosus in his regionibus, ubi gubernium a civibus non exigit nisi cooperationem in productione bonorum spiritualium et materialium ad illorum utilitatem et vitam pacificam ac magis delectabilem omnium.

Attamen magna pars orbis terrarum et notabilis pars christianorum vivit nunc temporis sub regiminibus irreligiosis, quae omnibus civibus directam cooperationem ad introducendum et promovendum socialismum imponunt tamquam summum bonum commune. Per socialismum vero talia gubernia non intelligunt nisi materialismum, et hunc atheisticum, cui non tantum favent, sed promovent.

Nullum dubium habetur, quod christianis ad hunc perversum finem attingendum cooperari omnino non licet. Aliunde certum est pariter quod christiani possunt cooperari etiam cum regimine atheistico in his, quae vere honesta sunt et non inserviunt nisi utilitati civium et restaurationi Reipublicae.

Attamen christiani, in talibus regionibus versantes ...[2] vehementissime a Sacro Concilio petunt, ut mentem suam aperiat, utrum et quomodo liceat cum tali gubernio cooperari in his, quae quidem in se honesta sunt, sed a gubernantibus principaliter ad perversum finem ultimum ordinantur, scil. ad atheismum introducendum vel alium criminosum scopum attingendum ...[3]

Proinde apparet necessitas, ut in statuendis obligationibus omnium civium (ergo etiam christianorum) quoad cooperationem cum auctoritatibus regentibus distinguantur Status, qui communem cum Ecclesia doctrinam de origine, applicatione et fine omnis legis, saltem implicite profitentur, ab iis, qui theoriis atheisticis imbuti, nullum ius verum imperandi a Deo possident, nisi sola arma coercitiva, vi arrepta, qua subditos ad collaborandum adstringunt.

Dum in primo casu Ecclesia — docens in Concilio — sine ulla haesitatione dicere potest, quod « cives ad oboedientiam praestandam ex conscientia obligantur » — prouti revera in n. 67, pag. 69, lin. 22 scriptum est —, in altero casu, e contra, debet solvere gravem difficultatem

et schema deberet adumbrare quasdam regulas, quomodo credentes sese gerere debeant.

En quaedam observationes ad singulos numeros schematis.

De doctrina, quae continetur in n. 89, pag. 70-71, dicendum est potius quod ipsa est pulcherrima explanatio Mandati Dominici de humilitate, patientia et caritate — ergo de virtutibus christianis, quae tamquam sacrificium bonae et heroicae voluntatis a christifidelibus super altare — *ut dicitur* [4] — « novarum conditionum » ponendae, unicam eorum cooperationem in societate atheistica constituunt.

Parum iuvat « deploratio oppressionis politicae, qua libertas civilis et religiosa praepeditur » — ut in pag. 68 ...[5] —, dum alibi confirmatur origo divina omnis auctoritatis politicae ...[6] et urgetur necessitas, ut « exercitium auctoritatis politicae intra fines ordinis moralis ad effectum deducatur », et ulterius: christifideles cohortantur « quatenus officii conscientia sunt astricti » ...[7], ut auctoritatem cum libertate componant et agnoscant opiniones differentes circa rem temporalem ordinandam.

Sed iterum atque iterum redit quaestio: quomodo cooperatio activa et positiva credentium exigi possit in circumstantiis supra expositis?

Conclusio est: Commissio, cui grave onus incumbit, ut schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* in pluribus revisioni subiciat et compleat, enixe invitatur, ut in cap. IV partis II doctrinam Ecclesiae de cooperatione cum guberniis religioni infensis aliquatenus declaret et fidelibus sollemniter inculcet terminos, ultra quos transgredi nemini *licet*.[8]

Reliqua quae respiciunt introducenda in fine cap. IV, ea in scriptis trado secretariatui Concilii.[9] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (in Europa orientali praesertim). [3] e. g. ad exstirpandas alias nationes, sicut nazistae (hitleriani) tempore ultimi belli intendebant. [4] deest. [5] linn. 24-25 schematis. [6] (« ad ordinem a Deo praefinitum pertinere » dicitur lin. 15). [7] (pag. 70, lin. 18). [8] fas est. [9] In textu autem qui invenitur in pag. 71, linn. 13-25 schematis, addantur verba: « Res terrenae quidem et ea quae in hominum condicione mundum exsuperant, arcte inter se iunguntur, et ipsa Ecclesia rebus temporalibus utitur quantum propria eius missio id postulat ». Nefas proinde est et discriminationis genus reprobandum, si Ecclesia eiusque instituta his mediis necessariis ab auctoritate civili iniuste priventur. « In privilegiis tamen ab auctoritate civili oblatis, spem suam non reponit. Immo exercitio iurium quorundam legitime acquisitorum libenter renuntiabit, ubi constiterit eorum usu candorem sui testimonii vocari in dubium, aut novas vitae condiciones aliam exigere ordinationem. Sanam vero cooperationem cum civili potestate minime recusat, immo vehementer exoptat », dummodo agatur de cooperatione bona et honesta, tam quoad media quam praesertim quoad finem. « Semper autem et ubique fas est ei cum vera libertate fidem praedicare et inter homines munus suum expedite exercere, omnia et sola subsidia

adhibens quae Evangelio et bono omnium secundum temporum et condicionum diversitatem congruant ».

Moderator: Antequam ad cap. V transitus fiat, loquatur nomine septuaginta episcoporum exc.mus D. Hurley, arch. Durbanianus.

14

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS EUGENIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Venerabiles Patres,

Cap. IV « De vita communitatis politicae » bonum est. Dum a vano conatu clare distinguendi inter iura personalia et necessitates socio-politicas abstinet, aequilibrio inter utraque servando, ad quod semper tendere debet vita politica, recte insistit.

De relationibus inter Ecclesiam et societatem politicam agendo vocabulo « Status » sapienter non utitur. Versiones in vernaculas *autem* [1] eamdem sapientiam non demonstrant. Omnes quas vidi isto vocabulo « Status » in forma linguae propria, utuntur, et quidem sensu aequivoco. Uno sensu totam societatem politicam indicat, ut in versionibus par. 89 ...[2]; alio autem sensu gubernium tantum significat, ut in versionibus par. 88 ...[3]. Haec ambiguitas periculo non caret, quando nempe de iuribus Status in educatione loquimur, *confundendo* [4] iura totius societatis *publicae* [5] cum iuribus auctoritatis politicae. Non sunt praecise eadem. Quapropter in documentis praesertim officialibus melius esset vocabulum « Status » vitare aut *uno* [6] sensu semper adhibere.

Quamvis textus latinus hoc vocabulo non utatur, adhibendo terminum « respublica » in eamdem ambiguitatem cadit. Generatim textus totam societatem politicam hoc vocabulo significat; in par. autem 88 gubernium videtur indicare, ubi cives monet « ne nimiam potestatem auctoritati tribuant neve nimia commoda et utilitates a republica inopportune postulent, et sic personarum, familiarum necnon coetuum socialium ... [7] imminuant ».

Paragraphus de relationibus inter Ecclesiam et societatem politicam spiritu vulgo « aggiornamento » optime informatur. Neque ad quaestiones iuridicas inter duas sic dictas societates perfectas se restringit. Spem habemus ut terminus iste « societas perfecta » e lingua nostra theologica decidat, nam confusionem gignit in determinandis relationibus inter societatem politicam et Ecclesiam. Ecclesia enim societas analogice tantum dicitur, et vera eius *natura* [8] in Mysterio Divino absconditur. Impossi-

bile etiam est activitatem humanam in spiritualem et temporalem exacte dividere, nam omnes actus humani in ordine temporali positi ad ordinem spiritualem etiam pertinent propter ordinationem moralem.

Propter hanc rationem qualificari ...[9] deberent quae in par. 89 ...[10] dicuntur, nempe: « Ecclesia nolens ullo modo ratione sui muneris et competentiae cum societate civili confundi... » ...[11] Verum est Ecclesiam cum societate civili nolle confundi. Nihilominus in societatem civilem vult influere, quia omnes humanas activitates consecrare desiderat, conscientias hominum ita instruendo ut ipsi homines *qua* [12] cives et moderatores civitatis terrenae ordinationem christianam in vitam socialem et politicam imprimere queant.

Quapropter propono ut verba illa plus minusve sequenti modo mutentur: « Ecclesia, cum signum simul et tutamentum sit transcendentiae ...[13] humanae, nullo modo in ea quae ad societatem politicam pertinent sese ingerere vult, nisi in quantum hominum conscientias inclinare studet ad munera civilia recte et fideliter adimplenda ».

Novus spiritus evidens est in asserto par. 89 ...[14]: « In privilegiis tamen ab auctoritate civili oblatis, spem suam non reponit (*i. e.*: *Ecclesia* [15]). Immo *exercitio* [16] iurium quorumdam legitime acquisitorum libenter renuntiabit, ubi constiterit eorum usu candorem sui testimonii vocari in dubium, aut novas vitae conditiones aliam exigere ordinationem ».

Hoc bene dictum est. Fatendum autem est quod, nonobstantibus conatibus auctoritatum et membrorum Ecclesiae vitandi conflictus cum potestate civili, de facto tales conflictus orientur. Orientur quidem ...[17] quia vera libertas Ecclesiae denegabitur, aut quia Ecclesia cogetur defendere iura hominum ad vitam, pacem, iustam bonorum *distributionem* [18], vel sanam libertatem socialem, culturalem et politicam.

Tempore praeterito forsitan iuribus Ecclesiae nimis insistimus et nimis frequenter in theologia et a magisterio repetebatur antiphona illa: « Ecclesia sibi vindicat ius ». In futuro, Deo favente, aequo saltem zelo de iuribus hominum curabimus. Et hoc, spero, fructus erit schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Libertatem Ecclesiae *ad* [19] iura hominum defendendo, conflictus cum auctoritate civili aegre vitare poterimus. Difficultas nostra erit nosmetipsos in illis conflictibus gerere ut testes amoris Christi.

Quapropter rogo ut textui addantur, v. g. in fine capitis, quaedam verba iuxta tenorem *sequentium* [20]: « Ecclesia autem denegationi huius libertatis (i. e. libertatis fidem praedicandi) in essentialibus assentire non potest. Neque cum sit Mater et Magistra omnium tolerare potest iniustitias ab auctoritate publica sive commissas sive permissas in homines cuiusvis stirpis aut religionis, praesertim pauperes. Contra huius-

modi abusus potestatis, vocem suam levare debet et in conflictum cum *potestate*[21] civili aliquando est ventura, quin tamen testimonium amoris Christi cessat dare ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (pag. 70, linn. 33-34). [3] (pag. 70, lin. 4). [4] confundendi. [5] politicae. [6] unico. [7] officii onus. [8] essentia. [9] aliquomodo. [10] (pag. 70, linn. 38-40). [11] Utique. [12] tanquam. [13] personae. [14] (pag. 71, linn. 15-19). [15] deest. [16] exercitium. [17] aut. [18] partitionem. [19] et. [20] sequentem. [21] auctoritate.

Moderator: Transeamus ad cap. V « De communitate gentium et de pace promovenda ».

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis*, cap. V partis II)

15

EM.MUS P. D. BERNARDUS CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Patres Venerabiles,

...[1] Magna cum *aestimatione*[2] hunc novum textum *cap. V*[3] legi, in quo compositores subiectum vere difficile et spinosum, variis et diversis opinionibus obnoxium, magna cum dexteritate tractaverunt.

Solummodo ut gravitas textus augeatur et ut quaedam pericula interpretationis falsae evitentur, quasdam animadversiones facere vellem ...[4]

1. *In primis, enixe rogare vellem ut in hoc capite clare dicatur quod omnis discordia, omnis vis, omne bellum — etsi in statu hodierno generis humani absolute evitari nequeunt — natura sua pugnant contra spiritum Evangelii Christi. Bella et regnum Christi se invicem opponuntur. Bellum, etiam iustum — si in his temporum adiunctis de bello iusto sermo esse posset — spiritui Evangelii Christi adversatur. Non tantum propter sequelas teterrimas omnia conamina sunt instituenda ad bellum evitandum; sed primo loco quia omne bellum natura sua quoquo modo spiritui Evangelii Christi oppugnat. Ecclesia Christi hunc nuntium in istis expositionibus de bello et pace ne omittatur.*[5]

2. Secunda mea animadversio respicit n. 100. In linn. 29-35 sermo

est de *usu* armorum hodiernorum et de *possessione* illorum armorum. Sine dubio haec distinctio est valde urgens et magnum habet momentum. Sane in circumstantiis hodiernis pax nostra — sicut in n. 99 explicatur — (proh dolor!) dependet a sic dicto « aequilibrio terroris », de quo in n. 99 recte dicitur quod « beneficia huius asperi status, si adsunt, valde precaria sunt » et « quod nemo talem condicionem ut institutionem sanam et efficacem pro rationibus internationalibus considerare potest ».

In his conditionibus recte ...[6] dicitur quod « possessio illorum armorum, solum ad deterrendum adversarium, eiusdem armis instructum, non affirmari potest ut in se illegitimum ».

Timeo autem ne talis nostri Concilii enuntiatio ansam praebeat multis et gravibus difficultatibus, quia talis enuntiatio valet quidem intra determinatos terminos conditionis hodiernae, sed non valet sine limitibus.

Unicum enim remedium contra hoc « terroris aequilibrium » est diminutio et abolitio armorum hodiernorum, sicut Pontifices Pius XII et Ioannes XXIII saepius et clare exposuerunt.

In hac autem phrasi n. 100 de licita possessione armorum istorum omnis natio quae putat se participare debere in hoc aequilibrio terroris fundamentum quaeret et inveniet ad arma ista conficienda et possidenda. Et ita Concilium nostrum immiscebitur in disputationibus et quaestionibus valde intricatis naturae politicae. Quod videtur omnimodo esse cavendum. Insuper diminutio et abolitio armorum istorum quas Pontifices tam acriter defenderunt, numquam ad effectum adducentur.

Ideoque propono ut duae ultimae phrases huius alineae secundae n. 100 deleantur et ut in harum locum repetatur quod Pontifices Pius XII et Ioannes XXIII dixerunt de diminutione et de abolitione armorum.

3. Ad n. 101. Hic numerus secundum titulum et revera duas res tractat, scil. de bellis minoribus et de actibus cum bello connexis, quae non in unum coalescunt. Actus enim cum bellis connexi, de quibus hic agitur, non solummodo ad bella minora pertinent, sed in omnibus bellis locum habent aut habere possunt.

Ideoque propono ut hae duae res clare separentur ita ut alinea secunda et tertia huius n. 101 ut paragraphus separata et proprio numero munita tractentur.

4. ...[7] In secunda phrasi secundae alineae huius n. 101, in linn. 16-18 dicitur: « Ubi autem violatio legis Dei non manifeste patet, praesumptio quidem iuris auctoritati competenti agnoscenda est, eiusque iussis est parendum ». Haec enuntiatio theoretice iusta est et vera. In praxi autem magis ad dubia et immo abusus ansam praebebit quam conscientiis humanis adiuvet. Qui ex propria experientia systema Statuum « totalistarum » cognoverit, sciet et intelliget, si de abusibus loquor.

Ideoque propono ut haec incisio omittatur et tantummodo secunda pars huius phrasis retineatur, in qua moderatores rei publicae admonentur ut summa cum prudentia decernant et secundum legem moralem agant.

Quae autem in eadem alinea de iis dicitur qui propter conscientiae dictamen servitium militare abnuunt, retinenda puto, quia Ecclesiae munus est humanae conscientiae libertatem tueri et abusus qui forte timentur, ab ipsis legibus civilibus praecaveri possunt.

5. Etiam rogare vellem ut in secunda parte n. 100 aut alibi in cap. nostro V quaedam verba laudantia dicantur de institutis scientificis quae de quaestionibus cum bello et pace connexis studia faciunt. Bellum enim et pax non sunt causae fatalisticae quae hominibus superveniunt quin evitari possint. Bellum et pax suas habent causas: bellum et pax non simpliciter fiunt, sed ab hominibus *efficiuntur*.[8] Nova nunc oritur scientia sic dicta polemologica quae causas et leges belli et pacis studet, examinat, ad utilitatem generis humani accommodat. Haec instituta speciali in America florent, sed et in Europa sicut v. g. in patria mea initia habent et crescunt. Ecclesia de pace agens, homines studiosos qui in hoc campo laborant in adiutorium pacis, laudet, corroboret, confirmet et excitet.

6. In n. 95 ubi sermo est de munere christianorum in cooperatione internationali in campo oeconomico pluries vox « caritas » invenitur, et quidem iuste et *vere*.[9] Vox autem « iustitia » quae aequaliter recte et iuste adhiberetur in hac materia, omnino deest. Ne quidem una vice occurrit ...[10] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Loqui vellem de cap. V partis II nostri schematis sub titulo « De communitate gentium et de pace promovenda », specialiter de sectione II quae agit de pace firmanda in pag. 77-81. [2] existimatione. [3] deest. [4] quae in decem momentis vix legi possunt et quas legam prout em.mus moderator tempus mihi praebeat, ceteras secretariatui generali transmittam. [5] 1. Videtur ut in n. 98, qui aliquo modo nervus huius sectionis est, compositio textus et nexus idearum possint esse meliores. Proponere vellem ut alinea quinta et ultima huius numeri ponatur post alineam primam. Haec transpositio duo commoda affert: *a*) Tunc post introductionem alineae primae huius numeri immediate lectores ante oculos habent ideas generales et fundamentales quas schema nostrum de hac materia enuntiare vult et statuere. Haec alinea quinta nempe non est conclusio quae a praecedentibus eruitur, sed potius quasdam ideas fundamentales statuit, quae in tribus alineis praecedentibus quoad singula puncta tractantur. Ideoque per hanc transpositionem textus videtur evenire nervosior, perspicuor, et clarior. *b*) Per hanc transpositionem ultima phrasis huius alineae quintae videtur invenire nexum meliorem. In hac phrasi enim dicitur « nullam nationem ius habere sibi internecionem gentis adversae ut finem proponendi ». Quae autem erit natio quae sibi hoc proponat aut saltem concedat « internecionem gentis ad-

versae » (scil. completam) finem esse suae actionis. Ideoque haec phrasis videtur in hoc loco esse sine sensu quia neminem tangit. In alineis autem secunda et tertia huius n. 98 singillatim explicatur quid per internecionem gentis adversae intelligitur. Ideoque haec alinea quinta melius ante alineam secundam legitur. [6] in lin. 31 s. [7] Aliam animadversionem de hoc n. 101 addere liceat. [8] afficiuntur. [9] recte. [10] 7. Insuper enixe rogare vellem ut in hac sectione II vel alibi in hoc capite v. g. post quartam alineam n. 91, clare dicatur quod omnis discordia, omnis vis, omne bellum — etsi in statu hodierno generis humani absolute evitari nequeunt — natura sua pugnant contra spiritum Evangelii Christi. Bella et regnum Christi se invicem opponuntur. Bellum, etiam iustum — si in his temporum adiunctis de bello iusto sermo esse posset — spiritui Evangelii Christi adversatur. Non tantum propter sequelas teterrimas omnia conamina sunt instituenda ad bellum evitandum; sed primo loco quia omne bellum natura sua quoquo modo spiritui Evangelii Christi oppugnat. Ecclesia Christi hunc nuntium in istis expositionibus de bello et pace ne omittatur.

Moderator: Ad informationem, hoc praeciso momento, Summus Pontifex Romam advenit. [*Plausus*]. Loquatur ...

16

EM.MUS P. D. OWEN CARD. McCANN
Archiepiscopus Capetownensis

Venerabiles Patres,

Vellem loqui tantummodo de una paragrapho, n. 90, cap. V ubi dicitur in secunda pericopa: « Ecclesiae est invitare ad communem et magnanimam actionem ». Vellem vocem meam addere iis qui [1] iam locuti sunt de secretariatu contra paupertatem et famem.

Multoties schema loquitur de magno problemate paupertatis mundialis et de fame ...[2]

Iam multum factum est per Summum Pontificem et Sanctam Sedem, necnon ab institutionibus internationalibus et nationalibus. Valde laudandae et admirandae sunt istae organizationes et eorum contributiones.

Tamen mihi videtur quod quid practicum proponendum est in schemate *nostro.*[3] Credo quod opportunum esset quod apud Sanctam Sedem constituatur Secretariatus, qui specialiter istae responsabilitati concreditur.

Scio bene quod conamina missionaria et labor et opus evangelizationis nullo modo diminuenda sunt, et subsidia quae proferuntur missionibus *immo* [4] augeri debentur. Conscius sum quod opera particularia apud diversas nationes autonomiam retinere debent, et etiam quod aspectus spiritualis seu religiosus eorum actionum continuandus, immo augendus esset.

Iterum cooperatio cum organizationibus civilibus variorum typorum remanere debet et etiam *incrementum recipere debet.*[5]

Non habeo in mentem quod ipse Secretariatus pecunias recolere debet, sed credo quod uti mensura practica quae exoritur ex schemate erit *quod iste Secretariatus* [6] modo inspirationali agitur, cuius constitutio erit sicut stimulus conscientiae personae humanae ad adiuvandum in isto magno bello contra paupertatem quae non deberet exsistere et continuare et contra famem quas multissimae personae experiuntur. S. Ioannes dicit *in epistula sua* [7]: si quis habet substantiam huius mundi et videt fratrem suum in necessitate et claudit viscera eius contra eum, quomodo caritas Dei in eo manet?

Exstant duo mundi, isti habentes et alii non habentes, dummodo bona et fructus mundi sunt pro omnibus hominibus. In aliquibus terris adest superabundantia cibi, cum quo nescitur quid faciendum *sit,*[8] quamvis in aliis terris homines ex fame moriuntur. Solutio istius inaequalitatis non est facilis sed media technica certo inveniri possunt quomodo distributio iusta fieri potest. Isti qui de problemate cogitant solutionem quaerunt et adiumento digni sunt. Est revera problema mundiale in quo omnes responsabilitatem habent. Non cras, vel anno futuro solvenda esset. Nihilominus via *pandere debet,*[9] nempe educationis, et crescentia conscientiarum hac in re. Est vere res iustitiae socialis.

Secretariatus de quo loquor erit sicut vis moralis in mundo. Scio bene quod considerationes practicae oriuntur et studium de his omnino necessarium *erit.*[10] Sed credo etiam quod practice realisatio possibilis est.

Submitto *ergo humiliter* [11] quod Concilium non tantum verbis sed in modo practico mundum alloqui debet *de ista communi et magnanima actione,*[12] et quod Ecclesia exemplum plenum amoris erga proximum daret si exoptat quod Secretariatum istius naturae constituendum rogaret. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Schema placet et auctores laudandi sunt. Necnon gratias eis debemus praestare pro ingenti labore. Observationes generales iam tradidi secretario generali, sed vellem loqui tantummodo de uno aspectu, scil. n. 90, cap. V. Vocem addere iis qui. [2] quam multi in variis partibus mundi patiuntur. [3] ista. [4] deest. [5] incrementanda esset. [6] officium vel secretariatus qui. [7] deest. [8] est. [9] panditur. [10] est. [11] deest. [12] deest.

Moderator: Finem imponamus huic congregationi. Proxima congregatio erit cras, hora nona. Sed, antea, audiamus secretarium.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *Ss. Concilii subsecretarius:* Patres venerabiles, crastina die, praeter suf-

fragationes vobis hodie iam enuntiatas, fiet etiam, uti suo tempore statutum est ab em.mis Moderatoribus, suffragatio super integro schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Suffragatio fiet per *placet* vel *non placet.*

Exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, *Ss. Concilii subsecretarius*: Fratres venerabiles, ingrediente Summo Pontifice, schola cantabit *Tu es Petrus* et statim psalmum *Laudate Dominum de caelis.* Nos antiphonam repetemus post quemque psalmi versiculum. Gratias.

Tunc Legatorum Corpus et alii invitati ingrediuntur aulam conciliarem et sua loca petunt.

Hora 12,51, comitantibus em.mis cardinalibus et aliis praelatis cum eo redeuntibus Neo-Eboraco, Summus Pontifex ad atrium Basilicae S. Petri a membris consilii praesidentiae, a moderatoribus et a subsecretariis receptus, ingressum facit in aulam et suam sedem petit, dum chorus et Patres alternatim cantant antiphonam *Tu es Petrus* et psalmum 148.

Em.mus P. D. Achilles card. Liénart, vices primi e consilio praesidentiae explens, Summum Pontificem sic alloquitur:

Beatissime et Dilectissime Pater,

Gaudent Patres Concilii, et omnes ibi adstantes, de Tuo felici Romam reditu, post praeclaram visitationem, quam apud Coetum Nationum Unitarum, trans Mare Atlanticum, heri perfectus es, una cum eminentissimis Fratribus, gente diversis, quos Tibi e nostro Concilio consociare voluisti.

Pacis Christi Nuntius universo mundo apparuisti! Et verbis Tuis viam pacis, verae dignitati hominum consonantis, aperuisti; quia fratres sunt omnes, et iurgia sua potiusquam armorum vi exitialium, aequitatis mutuae consensione et fraternae caritatis impulsu, iam solvere debent.

Sic conatibus omnium Statuum, qui ad pacem promovendam sese coadunarunt, valde opportunum Ecclesiae Catholicae auxilium praestitisti. Et omnes nos gaudemus quia populis nostris, in anxietate positis, spem magnam reddidisti.

Ideo, si fas est nobis votum emittere, nonne Sanctitati Tuae placeret ut, ad commemorandum tanti momenti eventum, textus sermonis quem apud Nationum Coetum habuisti, in Actibus ipsius Concilii insereretur?

[*Plausus*].

Gratias ergo Deo et Tibi, Pater Beatissime, ex toto corde agimus et Tuam paternam benedictionem devote imploramus. [*Plausus*].

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS
PAULI VI

Cf. vol. IV, pars I, pp. 36-38.

Em.mus card. LIÉNART: *Agimus tibi gratias ...; Angelus Domini ...; Gloria Patri ...; Angele Dei ...*

Summus Pontifex Paulus VI: Sit nomen Domini benedictum!

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Adiutorium nostrum in nomine Domini!

℟. Qui fecit caelum et terram.

Benedicat vos omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

℟. Amen. [*Plausus*].

Summus Pontifex ex Aula discessit, dum chorus et omnes praesentes alternatim concinunt « Christus vincit ... » cum versiculis « Paulo Summo Pontifici ... » etc.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis (partem II, capp. III-IV)

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis *
(partem II, capp. III-IV)

1

Em.mus P. D. AUGUSTINUS card. BEA

N.B. Quoad reliquum schematis nonnisi textus gallicus, qui omnino videtur textus primigenius esse, examini subicitur; in hoc examine sola doctrina exclusive respicitur, *exclusa* lingua latina. Unde nonnisi per digressionem aliquando recursus fit ad textum latinum. Ad commoditatem tamen commissionis notae designantur secundum paginas et lineas textus *latini*.

Pag. 64, lin. 13. Nota n. 3 refertur ad sententiam praecedentem et proinde lin. 12 post vocem « prodesse » ponenda est.

Pag. 70, lin. 3. « Caveant cives ne nimiam potestatem auctoritati tribuant »: sententia videtur aliquomodo vaga et proinde non sufficienter clara, etsi fatendum sit, eam aliquomodo per ea, quae immediate sequuntur declarari.

Pag. 70, lin. 11. « At inhumanum est quod gubernium in formas incidat dictatorias ». Numquid adiectivum « inhumanum » sufficienter forte est? Loco « incidat in » (quasi casu) dicatur « utatur formis ». Loco « dictatorias » forte dici debere « dictatoriales », nisi inveniatur melior expressio latina.

Pag. 70, lin. 14. « Etiam ad bonum totius familiae humanae »: nonne ante familiam humanam memorandi essent populi *vicini?* Proponitur: « ... ita ut simul sollicite ad iura aliorum populorum, maxime viciniorum, attendant, ea revereantur, cum iisdem populis cooperari eorumque bonum procurare studeant, immo etiam boni totius familiae humanae, quae variis nexibus inter stirpes, gentes ac nationes coniungitur, semper rationem habeant illudque fovere studeant ».

Pag. 70, lin. 27. In nota n. 5 indicetur, ubi sermo citatus inveniri possit.

Pag. 71, lin. 15. « in privilegiis ... oblatis »: forte melius « in privilegiis tamen, quae forte ab auctoritate civili offerantur ... ».

---

* Huiusmodi textus lecti non fuerunt vel quia Patres, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Pag. 64, linn. 15 s., phrasis « Qui autem in extrema necessitate degunt, ius habent ut sibi ex aliorum divitiis necessaria procurent » deleatur. *Ratio*: thesis in hac generalitate periculum secum fert, ne non recte intelligatur ideoque in errorem inducat conscientias perturbet necnon abusum cuius consequentiae haud facile terminentur provocet. Ex altera parte hanc noxiam generalitatem casuisticis tractationibus commutare non mihi Concilii esse videtur. Insuper iam eiusdem paginae linn. 12 s. exponitur « omnibus ius strictum » competere « habendi partem bonorum sibi suisque familiis sufficientem ».

3

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

N. 85. Problemata evolutionis vitae oeconomicae et socialis, uti ex isto capite colligitur, arctissime nectuntur maximo problemati humano et sociali mundi nostri temporis, scilicet problemati organisationis laboris necnon repercussionum humanorum, socialium et religiosarum in opificum vita.

Opifices, huius progressus technici et oeconomici principaliores artifices sunt atque ideo effectus talis structurae inficiunt illorum mentem atque vitam personalem, familialem et socialem cum indubiis consequentiis in vitam religiosam atque moralem.

Etenim neminem latet maximas difficultates ad amplectendam fidem, ad praecepta Ecclesiae adimplenda atque ad partes habendas vitae sacramentariae in Ecclesiae communitate praecipue reperiri in coetu opificum, non solum propter subiectivas causas, ex doctrinis fidei atque Ecclesiae adversis deductas, sed potissimum propter ipsam modernam organisationem vitae oeconomicae et socialis, quae saepe saepius implicat depersonalisationem ex automatione laboris; anonymatum ex agglomeratione urbana cum imminutione ligaminum familialium; mobilitatem socialem atque geographicam ex distantia locorum habitationis et laboris; pressionem coetuum qui in opificio efformantur, evolvuntur atque operantur.

Vigilantiam maximam quidem necnon specificam praesentiam pastoralem habet Ecclesia in opificum coetu, et ad promovendam humaniorem organisationem in mundo laboris quo facilius sigillum Christi in ipso imprimatur, et ad extruendam conscientiam opificum secundum dignitatem naturalem et supernaturalem laboris.

Ideoque maximam sollertiam adhibent Pastores in cognoscendis phoeno-

menibus socialibus, moralibus et praesertim religiosis cum evolutione mundi laboris huius temporis coniunctis, atque vigilanti studio curant praeparationem apti atque specifici apostolatus sive sacerdotum sive laicorum, qui praesentiam Ecclesiae affirmant in hoc coetu hominum ad regnum Dei his in terris ardentius quaerendum perfectiusque instaurandum.

[*Subscripserunt etiam*] R. Addazi, arch. Trani; L. Faveri, ep. Tivoli; S. Quadri.

4

EM.MUS P. D. PAULUS PETRUS CARD. MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Chapitre III. Ce chapitre, appuyé sur les encycliques sociales de Pie XI et de Jean XXIII et sur les messages de Pie XII, propose le problème de la vie économico-sociale telle que l'Eglise dans ces susdits documents l'a exposé. Il ne me semble pas qu'il y ait du nouveau dans ce texte. Mais nous avons là un ensemble de doctrine assez satisfaisant et tous les problèmes ont été envisagés avec clairvoyance, compétence et équité.

On aurait aimé que, dans toutes les solutions justes proposées, la personne du Christ apparaisse au centre de la vie économique et sociale, comme partout ailleurs, pour l'éclairer et éclairer les solutions données.

On aurait voulu voir exposée, d'une manière sommaire mais profonde, toute la doctrine pratique de la sécurité sociale: ce qui aurait, peut-être, élargi les perspectives et aidé à voir le problème traité dans toutes ses conséquences.

Chapitre IV. Dans les quatre paragraphes qui composent ce chapitre, nous avons des points de droit public et privé, qui sont d'une grande précision et d'une saine logique.

L'encouragement fait aux chrétiens qui en sont capables d'embrasser la politique pour défendre la justice et le droit, est le bienvenu.

Tout le paragraphe sur l'Eglise et la société politique est nuancé et clair. Le caractère transcendant de l'Eglise est sauvegardé avec, peut-être, un peu trop d'emphase et de triomphalisme dans le style.

5

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Ad n. 81, pag. 64, linn. 14-15. Dicatur: « Hoc sensu Patres Doctoresque Ecclesiae, Doctrinam Sacrae Scripturae secuti (cf. *Dt* 14, 22 ss.; *2 Cor* 8, 13; *1 Tim* 17-19; *1 Io* 3, 17 et praesertim *Mt* 25, 31-46; *Lc* 11, 41; 12, 13; 18, 22) docuerunt divites ad pauperes ex superfluis suis sublevandos obligari;

immo et limites minimos statuerunt quibus huic obligationi quisque satisfaceret. Hanc doctrinam gravemque obligationem sacra Synodus iterum inculcat, in qua obligatione satisfacienda opportunam rationem minimumque limitem competens auctoritas territorialis, pro temporum personarumque circumstantiis statuere deberet, et curare ut fideles in tali officio conscientiae generose adimplendo, apprime instituantur. Qui autem in extrema ... ». *Ratio*: omnino laudanda principiorum enuntiatio in re adeo gravi, quaeque maximum Ecclesiae testimonium in aevis constituit; tamen conclusiones inde derivantes pro nostro tempore ieiune videntur et incomplete in schemate expositae.

Opportunum enim est ut hae conclusiones practicae et concretae, quae in traditione, doctrina et disciplina Ecclesiae tantum momentum habuere, clare in textu conciliari exprimantur, nempe: *a*) gravis obligatio, quae christianis urget, bonorum materialium communicationem fratribus his egentibus faciendi; *b*) practica et concreta quantitatis minimae determinatio qua huiusmodi elargitio seu communicatio est facienda, ad conscientias quietandas simul et urgendas; *c*) officium pastoribus incumbens fideles suos in hac obligatione sedulo efformandi.

[*Subscripserunt etiam*] Arcturus, ep. Albacete; Iosephus, ep. Segorbe-Castellon de la Plana; L. Goody, ep. Bunbury; Alfonsus, ep. Almeria.

6

Em.mus P. D. PAULUS M. card. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Duas simplices propositiones affero in hoc capite quod optime et complete tractat de vita oeconomica sociali.

I. Quoad n. 76, in lin. 3. Humillimo meo sensu, non patet tam absolute quod incrementum productionis in omni casu iure intenditur. Sine ullo dubio, ratio allata valet ex augmento populi et e crescentibus generis optatis. Sed quaestio est, coram mente christiana, si quaesita semper crescentia, praesertim sub influxu immoderatae pervulgationis publicae, non sint superlata. In hoc puncto videretur quod Sanctum Concilium opportune revocaret verba Salvatoris: « Quaerite primum regnum Dei ... » et reliqua. Nam deordinatio oeconomica non iacet tantum in repartitione bonorum, quod est omnino verum, sed etiam in productione effrenata. Tunc summa multiplicationis bonorum ac fructuum industrialium evenit talis ut requirit semper novos ac novos emptores, et hoc in infinitum. Sapienter conductores ac rectores rerum debent temperare progressionem oeconomicam.

II. Quoad n. 80, textus non debet intellegi tantummodo de administratione productionis, sed etiam de negotiis quae transvehunt res productas. Praestantia, in re oeconomica, circulationis, ut ita dicam, et mercaturae forsan non satis apparet in hoc capite.

7

Em.mus P. D. RADULFUS card. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

N. 75, pag. 60, lin. 5: loco « civitatis » dicatur « status », secundum distinctiones iam hodie ab omnibus acquisitas.

Pag. 60, lin. 7: post « ... oeconomiam » addatur « virtualiter aptum effecerunt ». *Ratio*: ut affirmatio sit magis consona realitati.

Pag. 60, lin. 24: substituatur « etiam » per « in dies », uti patet.

N. 79, pag. 62, linn. 32 ss.: facienda est hic aliqua transpositio unius propositionis hoc modo: post « operam praebere » in lin. 32, prosequatur: « Exinde proficiscitur ... digne excolendi », in linn. 34-39; et post « ... digne excolendi » in lin. 39, prosequatur « Credimus denique ... manibus operaretur », in linn. 32-34. *Ratio*: sic tota paragraphus magis logica apparet.

N. 81, pag. 64, linn. 12 ss.: etiam hic facienda est aliqua transpositio sequenti modo: phrasis « Ceterum omnibus ius ... suisque familiis sufficientem » ponatur in lin. 15 post « sublevandos obligari ». *Ratio*: sic sequentia idearum magis logica apparet.

N. 88, pag. 69, lin. 29: non dicatur « plene congruit cum natura humana », sed potius scribatur: « Ipsa natura humana postulat ... », ut asseveratio sit magis positiva et vera.

8

Em.mus P. D. IOANNES card. URBANI

Patriarcha Venetiarum

Peropportuna mihi videtur una animadversio in capite tertio alterius partis schematis, nunc in discussione, in quo agitur, « De vita oeconomica-sociali ».

Nam in schemate, in forma sua actuali, videtur non sufficienter expressum magnum et forsitan maximum problema hodiernis temporibus, in quibus, secundum quosdam, floreret sic dicta « civilitas laboris »: problema quod etiam constituit unam ex gravioribus praeoccupationibus pastoralibus Ecclesiae huius temporis.

Etenim in isto capite ubi de vita oeconomica sociali bene agitur, dum labor humanus consideratur, et quidem optime, uti principium progressus oeconomici et socialis, dum etiam considerantur condiciones ut ipso labori iustus valor tribuatur, minus attenditur ad influxum quod sive labor ipse, ut hodie consideratur et fit, sive organisatio laboris, exercent in individualem conscientiam et mentalitatem etiam sub aspectu morali et religioso.

Ut omnes sciunt, et praesertim a psycho-sociologia demonstratur, et quotidie ab experientia confirmatur, ex isto influxu laboris, praesertim industrialis, hodie fere tota vita hominum componitur.

Proinde liceat mihi proponere sub n. 85 huius capitis tertii inserendum in pag. 66 lin. 31 post verba « erga Christum Eiusque Evangelium »: « Problemata evolutionis vitae oeconomicae et socialis, arctissime nectuntur maximo problemati humano et sociali mundi nostri temporis, scil. problemati repercussionum humanarum, socialium et religiosarum in opificum vita ex hodierna organisatione laboris derivatarum.

Opifices, huius progressus technici et oeconomici principaliores artifices sunt atque ideo effectus talis structurae inficiunt illorum mentem atque vitam personalem, familiarem et socialem cum indubiis consequentiis in vitam religiosam atque moralem.

Etenim neminem latet maximas difficultates ad amplectendam et vivendam fidem, ad praecepta Ecclesiae adimplenda atque ad partes habendas vitae sacramentariae in Ecclesiae communitate, praecipue reperiri in coetu opificum, non solum propter subiectivas causas, ex doctrinis fidei atque Ecclesiae adversis deductas, sed potissimum propter ipsam modernam organisationem vitae oeconomicae et socialis, quae saepe saepius implicat depersonalisationem ex genere, natura vel automatione laboris; anonymatum ex agglomeratione urbana cum imminutione ligaminum familialium vel socialium; mobilitatem socialem atque geographicam ex distantia locorum habitationis et laboris; pressionem coetuum qui in opificio efformantur, evolvuntur atque operantur.

Optime ergo vigilantiam maximam quidem, necnon specificam praesentiam pastoralem habet Ecclesia in opificum coetu, et ad promovendam humaniorem organisationem in mundo laboris, quo facilius sigillum Christi in ipso imprimatur, et ad extruendam conscientiam opificum secundum dignitatem naturalem et supernaturalem laboris.

Optandum ut sollecitudini Pastorum maxime respondeat actio personalis et communitatum, sacerdotum et fidelium, praecipue eorum qui vitam suam in opificiis degunt, vel ad eorum adsistentiam et curam spiritualem attendunt: in cognoscendis phoenomenibus socialibus, moralibus et praesertim religiosis in evolutione mundi laboris huius temporis coniunctis. Vigilanti studio se praeparent sacerdotes et laici ad hunc specificum apostolatum ut constanter, fortiter et competenter denuntient insurgentes errores, pugnent contra pravos et inhonestos mores, quae non raro serpent in ipsis opificiis; promoveant valores naturales et supernaturales laboris, et clare ac efficaciter doctrinam ex Evangelio et Magisterio Ecclesiae depromptam necnon inceptus spiritu christiano praegnantes, ad Regnum Dei restaurandum vel perfectius acquirendum, exponant ».

9

EXC.MUS P. D. XAVERIUS M. ARIZ HUARTE

Episcopus tit. Baparensis, vic. ap. Portus Maldonadi

Cum in cap. III nn. 75, 81, 84 et 85 partis II necnon in cap. V nn. 93, 94 et 95 eiusdem partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* multa atque optima dicantur circa miseram et pauperrimam conditionem in qua ingens numerus hominum versatur; cum sive in isto schemate sive in aliis iam a nostro Sacrosancto Concilio adprobatis vel approbandis, maternam urgentemque sollicitudinem Ecclesia perabundanter manifestaverit, ea mota intentione ut remedia congrua inveniantur ad paupertatem in toto mundo et ad pauperes sublevandos infrascriptus Pater conciliaris instanter, instantius atque instantissime rogat: ut apud Sanctam Sedem quamprimum constituatur *Secretariatus* seu permanens *Dicasterium ad iustitiam socialem* promovendam in toto mundo necnon ad universale problema paupertatis solvendum.

Hic Secretariatus sit: 1. Permanens, ac Romae constitutus; 2. Praeses sit em.mus cardinalis Curiae Romanae; 3. Membra sint Episcopi et Sacerdotes vere periti in re sociali atque oeconomica ex variis nationibus; addantur laici iisdem qualitatibus praediti in re de qua agitur; 4. Munus Secretariatus istius non erit per se eleemosynas seu media materialia colligere sed potius: *a*) iustitiam socialem promovere in mundo; *b*) vires et conatus totius Ecclesiae in hoc campo sociali coordinare, dirigere, excitare atque adiuvare; *c*) Episcopis ac Coetibus Episcoporum directionem ac normas in re sociali praestare illosque qua par est reverentia docere de modo atque mediis ad apostolatum socialem exercendum; *d*) Collaborationem et adiuvamen quaerere atque offerre cum et aliis organizationibus internationalibus in re sociali et caritativa; immo et cum aliis non catholicis — protestantibus, paganis, etc. — religionibus ita ut, viribus unitis, ad finem obtentum seu obtinendum citius perveniatur; *c*) Servata independentia diversarum organizationum caritatis (Catholic Relief Services, Misereor, Charitas, etc.) nunc existentium in Ecclesia Catholica allocationes et subsidia ab illis praestita prudenter moderare atque coordinare, praesertim in aliquibus extraordinariis casibus particularibus: calamitatum publicarum in aliqua mundi parte forsan obvenientium, exempli gratia.

10

EXC.MUS P. D. MICHAEL BALAGUER

Episcopus tit. Castellominoritanus

Nadie puede negar que el Señor hizo todos los bienes del mundo para el hombre y que hizo la tierra entera para el mismo.

Es, por consiguiente, contrario a la disposición divina el impedir que los bienes que se producen o se pueden producir abundantemente en alguna

región, circulen libremente y beneficien a los habitantes de otras regiones donde éstos no existen, o donde se producen en cantidades insuficientes para las necesidades de sus habitantes. Pero por dos razones, ambas ligadas al dinero, que se coloca por en cima de las necesidades humanas, se impide esta necesaria circulación.

Los que especulan con la producción por servir de intermediarios entre los que producen y los consumidores aspiran a obtener el mayor beneficio posible con la menor gestión; y por eso, buscan, aún con la destrucción de los frutos o con la compra de las fuentes de producción para mantenerlas improductivas, que la escasez mantenga elevados precios, y así asegurarse gran ganancia con la menor complicación posible.

Este mal, si se quiere, se puede impedir, como es su obligación, con la acción de las autoridades civiles.

Pero la otra causa que impide la libre circulación de los bienes de la tierra y, por lo tanto, su mayor producción, es la misma autoridad civil que, mediante trabas aduaneras impide la libre circulación de los bienes.

Dos razones se invocan para estas trabas aduaneras. La primera, pero no la más importante, es la necesidad de mantener el precio alto de esos mismos frutos en paises que no los producen tan fácilmente, y que, por lo tanto dejarían de producirlos, si sus productores no fueran estimulados por precios altos, superiores al valor de la cosa en sí en el mundo; pero no en aquella región. Con esto favorecen a unos pocos de su nación que producen esas cosas y perjudican al pueblo que debe consumir en una medida pequeña esos mismos bienes debido al precio alto (piénsese en la carne, por ejemplo, en Italia) y perjudican a los paises que pueden producir esos mismos bienes en abundancia, y a precios menores, por consiguiente.

Esta es la razón principal por la cual existen paises en vía de desarrollo, en vias de difícil desarrollo, en realidad, pues están ahogados por esas medidas de los paises prósperos. ¿Es esto justo? ¿Está de acuerdo con la volundad de Dios que creó los bienes del mundo para satisfacer las necesidades humanas, y no para producir lucros con detrimento de esas satisfacciones humanas.

La segunda razón, y quizá sea la principal, es porque el Estado necesita dinero para sus gastos, entre los cuales se cuentan los gastos en armas y ejércitos, y una burocracia que, en muchísimos casos, no da ningún beneficio a los habitantes de esa nación, sino todo lo contrario al complicar los trámites que frenan la acción de los que realmente trabajan y producen.

El consumo es necesario; el mantener gastos estatales perjuciales, suntuarios e inútiles, no es necesario.

Esta traba aduanera creada por los hombres contra el destino natural de los bienes creados por Dios debe desaparecer del mundo, aunque ahora aparezca tal cosa imposible porque estamos tan acostumbrados a ella que nos parece natural. Los paises que algo de ese mal han suprimido mediante lo que se llama « mercado común », y que han obtenido grandes beneficios con esa nueva economía, son un argumento en favor de lo affirmado. Estados

Unidos de América del Norte ciertamente no hubiera llegado al progreso y bienestar actual si, en lugar de constituir sus Estados una sola nación, se hubieran dividido en muchas, con las barreras aduaneras de cada una impidiendo la circulación de los bienes que posee ese territorio.

Por lo tanto, para poder corregir el mal de las aduanas que ciertamente necesitará un tiempo adecuado para que las naciones vayan adaptando su economía a la nueva y fecunda situación, es necesario empezar cuanto antes, y el Concilio debe señalar claramente que las trabas impuestas a la circulación de los bienes de la tierra que impidan que éstos lleguen a poder de quienes los necesitan contradicen el plan divino.

11

Exc.mus P. D. ALOISIUS CAROLUS BORROMEO

Episcopus Pisaurensis

Permulta iam dicta sunt circa hoc cap. IV partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Liceat tamen et mihi aliqua adiicere.

1) Certum est in mundo nostri temporis oeconomiam, quam politicam vocant, esse habendam uti veram scientiam. Est scientia sensu pleno, quae scientifico determinismo subiacet, dicunt multi; est scientia sui generis, dicunt nonnulli catholici scriptores, quia influit in eam humana voluntas, quae in sua libertate, non potest redigi ad determinismum scientificum et ad formulas mathematicas. Verumtamen omnes in hoc conveniunt ut oeconomia politica uti scientia habeatur. Si scientia est, aliquid est in ea quae voluntatem eorum qui in rebus oeconomicis agunt, excedunt. Non est adprobandus ergo modus loquendi et exponendi totius cap. III partis II; praesertim videntur expungenda verba « quam citissime removeantur » quae leguntur pag. 62, in linea secunda, et verba « quam citissime » quae leguntur pag. 66, linea 19, quae « ultimatum » sapiunt a dominis servis datum.

2) Omnino non admittenda mihi videtur « obiectio conscientiae », quia si de re aperte iuri naturae contraria, omnes oboedientiam negare tenentur; si de re non aperte iuri naturae contraria, omnes oboedire tenentur, conscientiam sibi efformando iuxta principia quae usque nunc tradita sunt (pag. 80, linn. 22 s.).

3) Dignitatem Concilii Oecumenici, quod est supremum organum magisterii ecclesiastici, dedecet, mea humili sententia, pluries adfirmare, ius coniugum limitandi numerum filiorum, iuxta eorum conscientiam, quin simul apertis verbis doceat quae sunt principia et obiectivae leges quibus omnes debent suam conscientiam conformare, si recte agere velint.

Iam perspiciuntur inter fideles mali effectus istius modi procedendi; fere omnes putant Concilium relinquere libero iudicio coniugum numerum prolis determinare, quin ad continentiam servandam teneantur.

Multo melius esset de re omnino silere, potiusquam mentes hominum confundere in re tanti momenti.

Iam perdifficile fuit usque adhuc animarum curatoribus coniuges inducere ad legem divinam tali in re servandam; quid erit deinceps si Ecclesia ipsa videbitur rem totam relinquere conscientiae subiectivae coniugum?

Quod ad felicitatem coniugum requiratur sacrificium legis naturae, humanae dignitatis, humanae decentiae, omnino immorale puto.

4) Interrogationi positae in pag. 83, linn. 12 et 13 « ideo, ubi deest violentia, cur etc. » respondendum puto; non semper possumus, quia non sufficit ad liceitatem cooperationis absentia violentiae, sed requiritur etiam ut absit periculum scandali, periculum fidei, periculum in errorem incidendi.

12

EXC.MUS P. D. VARNERIUS BOUDREAUX
Episcopus tit. Calyndensis, aux. Lafayettensis

I am in full accord with the purpose and basic content of this chapter and I fully recognize the need of sending this message to the world.

I wish however to make a suggestion regarding No. 81 of the Third Chapter. Insofar as its intent is concerned, I am in full agreement. We must, however, in some manner find a balance to remove the tendency of some (ever in increasing numbers) to abuse "social welfare" whether its source be public or private assistance, and to accept it in a manner and spirit detrimental to their own personal growth and human dignity.

It is known by all that "welfare assistance" intends to relieve the needy, the poor, the handicapped, the unemployed etc. And yet it is common knowledge that large numbers, once they have begun to receive help, either from public or private sources, find it the simplest and easiest way to survive, and tend to accept it as a "way of life". Not only is this unjust (St. Paul said that if a man did not work, neither should he eat), but the mentality is destructive to the recipient himself, deprives him of all initiative, and is passed on to his family thereby affecting their attitudes and mentality.

Such practices are admitted by all to be an abuse, and they do not in any way take away the obligations expressed in no. 81 of this Chapter. However, because the abuse is so widespread, the schema, in order not to mislead "the world", should in some positive manner, expressly mention the following points:

A. Social assistance, whether public or private, should be looked upon by the recipients as a temporary measure, and that as soon as possible, and whenever possible, they have the obligation to obtain jobs, provide for themvelves and through personal effort and striving, assume their full place in the productive world as is required by their human dignity and personal responsibility.

B. That recipients of such help, realizing through their own experience the hope and help obtained from such sources, should strive all the more through their personal efforts to remove themselves from the rolls of social welfare so that others may receive this help and that they themselves may, by the fruits of their labors, may contribute to the assistance of others, so that the common lot of man may be improved, and that the standards of living of all mankind may reach that stage and norm as befits those made to the « image and likeness of God ».

C. These norms apply both to individuals, to groups, and to nations.

13

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunanensis

Pag. 64, n. 81, linn. 10-11. Estne doctrina traditionalis Ecclesiae affirmatio: « ... homo, illis bonis utens, res exteriores quas possidet nunquam tamquam sibi proprias sed tamquam communes habere debet »? Et cf. cum ulterius dictis pag. 65, linn. 16-20.

Item in eodem n. 81, linn. 12-13 dictum: « omnibus *ius strictum competit* (mea sublineatio) habendi partem bonorum sibi suisque familiaris sufficientem ». Quid vero de servientibus vitio pigritiae (quae multam malitiam docet), ebrietatis, de meretricibus et eorum prolem? Nonne clamans socialis iniustitia potius quam iustitia est nonnullarum regionum et civitatum leges istos omnes « honeste sublevandi » ex labore et sudore honestorum civium? Propterea censeo addenda esse verba: « qua (bona) unusquisque imprimis suo honesto labore sibi acquirere satagat, cum hoc ius nullum locum dat abusui honestorum civium ». Secus illam sententiam omnino omittendam censeo.

Ad pag. 64, n. 82. (De pecunia). Pecunia in se nihil est nisi symbolum loco mercium et bonorum materialium in genere, tantum utile est, quantum fluit e manibus in manus. Pecunia « caute custodita » est quasi panis « caute custoditus » ne aliquis illo utatur. Optima « collocatio in bonum generationis venturae » est progressus in moribus, scientia et cultus humani in genere (la culture). In genere, hic tangitur quaestio oeconomico-pecuniaria, quae est valde relativa, cuius successus pendet a prudentia practica hominum. Mihi videtur huic quaestioni non deberi locum in decreto et propterea censeo n. 82 integrum delendum esse.

Ad pag. 66, n. 84. Causae differentiarum oeconomicarum caute et profundius examinandae sunt.

Ad problema melius intelligendum iuvabit forsitan comparare e. g. Hollandiam ex una parte et Chinam, Indiam, regiones Africae, Americae Latinae ex altera (cogitamus densitatem populi, divitias naturales, etc. et gradum prosperitatis).

Dummodo non mutantur in nonnullis regionibus philosophia de homine, eius fine, via ad finem, augeatur gradus culturae et industriae populi, omnis caritas oeconomica ab extero est parvi valoris tam pro praesenti quam pro futuro. Est quasi verbum consolationis aegroto loco medicinae.

Loco emphasis super necessitatem iuvandi materialiter egentiores nationes necesse est saltem aequalem, si iam non maior, emphasim ponere super necessitatem iuvandi eas dando perennia principia moralitatis, elevando eas intellectualiter et culturaliter.

Propterea censeo reexaminanda esse quae in cap. V, pag. 74, n. 93, linn. 34-39.

14

Exc.mus P. D. ALOISIUS M. CARLI

Episcopus Signinus

N. 75, pag. 60, lin. 22. Sic compleantur: « quaestuosas artes et servitia ex altera parte, immo non raro inter liberales et technicas artes ». *Ratio* additamenti: saepe ii qui artibus liberalibus addicuntur oeconomice peius se habentur quam qui technicis artibus.

N. 77, pag. 61, linn. 28-30. Sic compleantur: « tam doctrinarum quae specie falsae libertatis reformationibus necessariis obstant, quam illarum quae specie falsae socialitatis fundamentalia iura ... postponunt ». Additamentum « specie falsae socialitatis » requiritur ut habeatur parallelismus cum « specie falsae libertatis ».

N. 78, pag. 62, lin. 23. Sic compleatur: « qui ob morbum vel aetatem vel sexum gravioribus laborant difficultatibus ».

N. 81, pag. 64, linn. 9-12. Comma est emendandum quia textus aliqualiter corrumpit sensum citationis S. Thomae in nota 3. Unde dicatur: « Quapropter homo, illis bonis utens, res exteriores quas possidet numquam tamquam sibi proprias, sed tamquam communes habere debet, ut scil. de facili eas communicet in necessitate aliorum ».

N. 82, pag. 64, lin. 38. Loco « futura praevidendi » dicatur « futura prudenter praevidendi ».

N. 84, pag. 66, lin. 14. Sic compleantur: « legibus iustitiae, aequitatis et caritatis ».

N. 84, pag. 68, linn. 6-8. Sic corrigantur: « Laude dignos aestimamus generosos conatus multorum hominum ad abolendas (...) consuetudines et leges quae exercitium libertatis civilium iniuste coarctant ».

Pag. 68, lin. 10. Sic compleantur: « ordinem politico-iuridicum, in quo melius protegantur, secundum exigentias boni communis, iura personae ».

N. 87, pag. 69, linn. 4-7. Sic emendetur: « Nascitur ergo societas politica propter illud bonum commune, in quo suam plenam iustificationem et sensum ipsa obtinet, et cuius intuitu ius suum primigenium et proprium omnis

publica potestas a Deo consequitur, utique cum omnium cooperatione exercendum ».

Pag. 69, lin. 14. Loco « auctoritatem politicam » dicatur « auctoritatem publicam ». Insuper verba « ut dicit apostolus etc. » transferantur de suo loco immediate post verba lin. 15 « praefinitum pertinere ».

N. 88, pag. 69, lin. 36. Loco « positivus ordo iuris » dicatur « statutus ordo iuris ». *Ratio*: ordo iuris est semper positivus, hic autem requiritur ut sit « antea statutus » ut securitatem civium procuret.

Pag. 69, lin. 40. Sic compleantur: « serventur, promoveantur et componantur ».

Pag. 70, lin. 1. Loco « instituta regionalia » dicatur « instituta infranationalia ». Etenim vox « regio » est ambigua: potest indicare vel plures nationes vel partem unius nationis.

Pag. 70, lin. 11. Sic compleantur: « At inhumanum est, immo contra ipsam legem Dei, quod gubernium in formas incidat dictatorias, quae iura personae aut communitatum graviter laedant ».

N. 89, pag. 71, lin. 3. Loco « etiam libertatem politicam civium » dicatur « etiam iustam libertatem politicam civium ».

Pag. 71, lin. 15. Loco « quantum propria eius missio id postulat » dicatur « quantum propria eius spiritualis missio et bonum animarum id postulat ».

Pag. 71, lin. 15. Loco « In privilegiis tamen ab auctoritate civili oblatis » dicatur: « In privilegiis tamen ab auctoritate civili forte oblatis ». Sic prospicitur hypothesis, non autem factum quoddam.

Pag. 71, lin. 19. Loco « Sanam vero cooperationem cum civili potestate minime recusat » dicatur: « Iustam vero cooperationem a civili potestate minime recusat », quia agitur de non recusanda iustam, scil. debitam, cooperationem quam potestas civilis Ecclesiae offert.

Pag. 71, lin. 21. Sic legatur: « Semper autem et ubique fas esto ei cum vera libertate fidem praedicare ». Loco « est » ponitur « esto » ad indicandum eius ius, quod debet ab aliis servari.

15

Exc.mus P. D. FRANCISCUS CHARRIÈRE

Episcopus Lausannensis, Genevensis et Friburgensis

N. 79, pag. 62, de remuneratione laboris. Schema rectissime doctrinam nunc classicam proclamat: « Remuneratio laboris tanta esse debet ut homini facultatem praebeat suam suorumque vitam digne excolendi ». At non sufficit affirmatio *iuris* ad remunerationem. Debemus indicare quis debet solvere operario, et quidem ex iustitia stricte dicta, sufficiens salarium ad familiam sustentandam. Conductor operis certe, sed ipse solus? Sine collaboratione eorum omnium quibus utilis est familia operarii? Hac de re multa remanent obscura

apud theologos. Exinde accidit ut plures, inter catholicos et non catholicos non sufficienter in praxim deducunt doctrinam de iure stricto operarii ad remunerationem pro tota familia sua. Valde optandum est ut Concilium in schemate XIII claritatem afferat. Ad hunc finem plura tradam secretariatui.

16

EXC.MUS P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Pag. 60, lin. 4: videtur legendum esse « relationum » loco « rationum ».

Pag. 63, lin. 19: « incept*u*um ».

Pag. 65, lin. 10: « domin*ii* ».

Pag. 65, lin. 12: an remanere potest expressio « utraque autem forma manet » cum in lineis 10-11 dictum sit formas ... diversas esse et in dies adhuc magis variare.

Pag. 66, lin. 20: « ordinanda », loco « ordinandae ».

Pag. 66, lin. 24: « oeconomiae », non « oeconomicae ».

Pag. 71, lin. 15: legere « in principiis ».

17

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Octeriensis

N. 85, pag. 66, post lin. 35, addatur: « ... quae caritas est radix, vis supernaturalis et principium dynamicum totius actionis christianorum, etiam in ordine oeconomico-sociali instaurando et perficiendo et ex eo fundamentum validissimum et firmissimum institutionibus oeconomico-socialibus praeberi potest ».

N. 89, pag. 71, post lin. 24, addendum esset: « ... et magna caritate, ex praecepto Christi, omnes homines immo et eorum institutiones valoresque, amplectitur et ad finem obtinendum, bonum commune, adiuvat ».

I problemi dello sviluppo della vita economica e sociale, come risulta da tutto il Capitolo, sono intimamente connessi a quello che possiamo definire uno dei più grandi problemi umani e sociali del nostro secolo, e cioè il problema della moderna organizzazione del lavoro e dei condizionamenti umani, sociali, morali e religiosi che esso provoca nella vita dei lavoratori.

Non bisogna dimenticare, infatti, che il lavoratore è uno dei principali artefici del progresso tecnico ed economico del mondo moderno e che gli effetti dell'attuale strutturazione del lavoro incidono profondamente sulla sua vita personale, familiare e sociale con indubbie conseguenze sul piano morale e religioso.

A nessuno sfugge il fatto che oggi le maggiori difficoltà a conservare la fede, ad osservare i precetti della Chiesa e a partecipare alla vita sacramentaria della comunità cristiana, si riscontrano specialmente tra i lavoratori e ciò, non soltanto per cause soggettive, quali l'influsso delle ideologie avverse alla fede e alla Chiesa, ma precipuamente per effetto della moderna organizzazione della vita economica e sociale la quale molto spesso implica spersonalizzazione derivante dalla automazione del lavoro; implica anonimato per il fatto che obbliga i lavoratori a vivere in siffatti agglomerati umani, tali da provocare un allentamento dei legami familiari e sociali; implica mobilità sociale e geografica (migrazioni ed emigrazioni) con tutte le conseguenze derivanti dalla distanza tra il luogo di abitazione e quello del lavoro; implica ancora la notevole pressione psicologica operata dai vari gruppi che si formano, si sviluppano ed agiscono nei posti di lavoro.

Da tutto ciò deriva la massima vigilanza della Chiesa e la sua specifica presenza pastorale tra i lavoratori, sia al fine di promuovere la umanizzazione delle strutture del mondo del lavoro in modo da imprimervi più facilmente l'impronta cristiana, sia al fine di favorire tra i lavoratori la coscienza della dignità naturale e soprannaturale del lavoro.

A tale fine i Pastori curano con il massimo impegno la conoscenza dei fenomeni sociali, morali e soprattutto religiosi connessi con la evoluzione del mondo del lavoro del nostro tempo e con studio attento seguono la preparazione di un valido e specifico apostolato di sacerdoti e laici tra i lavoratori perché la Chiesa sia presente tra loro e instauri in questo mondo il Regno di Dio.

18

Exc.mus P. D. IULIUS VICTOR DAEM

Episcopus Antverpiensis

In cap. IV, linn. 24-26, indicatur necessitas educationis civilis et politicae. Haec verba mihi videntur optima, sed nimis breviora. Nostro enim tempore haec educatio etiam a christifidelibus saepius negligitur.

Sequentia possent auctores textus inspirare:

1. Haec educatio eo tendere debet ut iuniores et adulti conscientiam officiorum suorum habeant erga societatem civilem implendorum atque eos adducant ad serviendum bono communi.

2. Quae educatio conspiratione indiget tum parentum et aliorum educatorum, tum communitatum quae partes habent operis educationis, tum, et quidem speciali modo, ipsorum hominum qui missionem politicam exercent.

3. Sensus civilis et politicus est elementum constitutivum cultus humani.

4. Christifideles emineant sensu civili atque alios ad sensum civilem adducant. Qui responsabilitatem politicam habent (qui munera politica exercent) et gubernium participant, curam habeant exemplari suo servitio rei publicae de authentico sensu politico fovendo.

19

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Ad n. 80, pag. 63, lin. 16 ss. Nimis imperative proponitur regimen societatis in inceptis ad bona gignenda dum regimen ut dicitur salariatus plene iustitiae conformis dicitur a Pio XI, in Litt. enc. « Quadragesimo anno ».

Ad n. 88, pag. 69, lin. 29 ss. Modus loquendi videtur excludere alias formas regiminis politici quae non sint democraticae, quod non est secundum traditionalem doctrinam Magisterii Ecclesiae.

20

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Pag. 61, n. 76, linn. 7-8: pro: humano modo, melius: modo humanae naturae exigentiis conformi ... *Ratio*: quia « homo » ab omnibus, etiam doctrinarum falsarum asseclis, invocatur.

Pag. 62, n. 79, lin. 30: legere: eisque inservit. Lin. 32: legere: credimus denique Christi fidelem ... *Ratio*: quia hoc dependet ab intentione discipuli Christi; non inscribitur quasi magice in labore ut sic considerato.

Pag. 63, lin. 6: post: exercitatione, addere: Quia haec facultas saepe deest ex conditionibus laboris industrialis hodierni, studia peritorum urgentia impendantur ad hoc ut labor ad dignitatem laborantium vertatur. *Ratio*: quia hoc non dependet tantum a bona voluntate, sed etiam a factoribus technicis.

Pag. 65, n. 83, lin. 10: legere: ... talis dominii ...

Pag. 66, n. 84, lin. 14: post: aequitatis, legere: quarum principia a Deo sunt statuta. *Ratio*: quia inter has leges sunt etiam leges positivae.

Lin. 20: legere: ordinanda. Lin. 24: addere: Insuper haec ordinatio, ut infra fusius dicetur, ad pacem necessaria est (7); et addere pag. 67 nota 7: cf. infra nn. 93-95.

N. 85, lin. 32: pro « collectiva », rectius: socialis.

Pag. 68, n. 86, linn. 1-5: Videntur superfluae. Lin. 6: « Praeconio dignos aestimamus »: stylus nimis emphaticus.

Pag. 69, n. 87, lin. 7: post: exercendum, addere definitionem boni communis uti habetur in *Pacem in terris*. *Ratio*: multi ignorant quid significat tale bonum commune; insuper dantur falsi conceptus huiusmodi boni.

Lin. 12: post: mechanice, addere: nec modo tyrannico ... *Ratio* patet.

Lin. 24: verbum « concreti » deleatur quia est gallicismus.

N. 88, lin. 31: verbum « concretum » deleatur, eadem ratione.

Pag. 70, lin. 12: verbum: graviter, deleatur. *Ratio*: ius personae minime laedere potest gubernium.

Pag. 71, n. 89, lin. 15: legere: in privilegiis ... Lin. 20: verbum « vehementer » deleatur. *Ratio*: in decursu temporis aliqui hanc cooperationem nimis vehementer desideraverunt, in detrimentum libertatis Ecclesiae et in scandalum populi.

21

EXC.MUS P. D. GERARDUS HENRICUS DE VET
Episcopus Bredanus

Nomine Conferentiae Episcoporum Neerlandicae relate ad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis, parte II,* sequentia proponere velim.

Relate ad cap. IV « De vita communitatis politicae ». Mirum est quod, dum cetera capita partis II huius schematis in aliquo numero concludente agunt de relatione inter Regnum Dei et realitatem terrestrem, de qua in unoquoque capitulo agitur, caput quartum concludit cum consideratione relationis inter *Ecclesiam* et Statum, silens relationem inter *Regnum Dei* et communitatem politicam. S. Scriptura vero, necnon litteratura exegetica, cum Catholica tum Reformatoria, multa habent relate ad notionem Status in Novo Testamento. Caput illud mere doctrinam quandam philosophicam Status explanat. Quare iuvat, ut *exegetae* in numero concludente aliquid de relatione inter Regnum Dei et communitatem politicam conficere satagunt, quod huic capiti maiorem saporem biblicam dare possit.

22

EXC.MUS P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK
Episcopus Mariborensis

Ad litteras de die 18 oct. et appositam petitionem ad S. Patrem de instituendo aliquo officio centrali ad libertatem religiosam adversus atheismum militantem defendendam haec respondeo:

Salva reverentia cum dictis et propositis in petitione non consentio. Sunt enim contra intentiones S. Pontificis de dialogo ineundo etiam cum atheis, qui iam incepit.

Atheismus militans magna ex parte est protestatio hominum contra peccata et iniustitias christianorum temporis elapsi et etiam nostri. Radices habet profundas in malis societatis. Quae mala imprimis sananda sunt. In decreto *de apostolatu laicorum,* c. 2, n. 8, optime dicitur quoad opera caritatis: « Causae malorum tollantur, non tantum effectus ». Quod principium in pugna contra atheismum proh dolor nimis negligitur vel oblivioni datur. Quod etiam in nostra petitione committi videtur. Cum « rumoribus » faciendis nulla mala sanantur. Effectus erit contrarius.

Communismus atheus certo intendit extinctionem religionis. Sed de facto invenitur in aliquo processu necessario historico evolutivo. Religionem vi

exstingui non posse iam aperte agnoscunt, saltem in nostra regione. Ideo iam ante plures annos desierunt ab aperta persecutione, sed propositum suum consequi posse credunt cum eruditione et « scientifica » ut aiunt educatione populi, maxime iuventutis. Cum tamen admittant institutionem religiosam saltem ecclesiis, immo etiam in domibus parochialibus, educatio atheistica in scholis fere inefficax remanet.

Loquor ex experientia, vivens iam 20 annos sub regimine atheo. Notandum est etiam non esse semper audiendos profugos, qui fugam aliquando notitiis exaggeratis iustificare cupiunt.

P. S. Notatu dignum exemplum de educatione atheistica.

Hoc anno 1965 in civitate Maribor (Jugoslavia) ex plus quam 100 studiosis, qui peracto examine maturitatis scholas medias absolverunt, 4 (quattuor) tantum nomen dederunt partibus comm., 13 vero ingressi sunt in seminarium maius, ut sacerdotes fierent. Omnes fuerunt alumni seminarii minoris, qui tamen scholam publicam frequentabant.

23

Exc.mus P. D. CLAUDIUS DUPUY
Archiepiscopus Albiensis

Emendationes a pluribus Patribus Galliae propositae.

Emendationes istae in cap. III partis II duplicem finem sibi proponunt: ut melior procureretur distributio textus, quia ordinatior magisque logica; ut mentio fiat exigentiarum multarum magisque praecisarum ethicae christianae in re oeconomica, quae plerumque visionem transcendunt oeconomiae occidentalis ac capitalismi.

Qui duplex finis secum fert novam textus divisionem non amplius in duas, sed in quatuor sectiones ita ut in meliorem lucem ponatur lex fundamentalis magisque appareat in conclusione spiritus evangelicus, ac transitio paretur ad sequentia capitula.

Quibus dictis, hae sunt modificationes, additiones vel suppressiones propositae una cum rationibus illas iustificantibus.

Pag. 60, lin. 7: mutetur « oeconomia ... effecerunt » in: « meliorem excambiorum ac servitiorum organisatio efficere possent oeconomiam aptum instrumentum ». *Ratio*: praesens oeconomia non est de facto, ad hoc organisata ut omnibus omnium hominum necessitatibus satisfaciat.

Pag. 60, linn. 9-10: sententia delenda, utpote inutilis.

Pag. 60, linn. 19-20: post « et onere agendi » addatur: « talibus laboris conditionibus adstricti quales illos saepe deprimunt ». *Ratio*: privatio enim initiativae omnisque responsabilitatis frequenter ad statum moralis degradationis adducit qui servitus revera sit.

Pag. 60, linn. 25-26: loco « in discrimen vocant » melius dicatur: « iam pacem mundi destruunt ». *Ratio*: etenim de facto, tales sunt saepius condi-

tiones laboris quales non periculum tantum pro pace constituunt, sed revera iam sociale bellum sunt, quod plures facit victimas quam bella quaedam inter nationes.

Pag. 60, lin. 32: addatur « hoc autem altam supponit revisionem conceptuum saepius habitorum de finalitate oeconomiae ». *Ratio*: sic transitus fieri valeat ad numerum sequentem.

Pag. 61, n. 71: lex fundamentalis. Ponatur I Sectio: *Lex fundamentalis.* Integer recognitus est iste textus, et a sectione « De progressione oeconomiae » separatus, ut clare ostendatur generale suum caracter; ac fortiter revocetur oeconomiae finalitas. Quae finalitas non tantum progressionem tangit, sed omnem oeconomicam navitatem de qua sermo fit in secunda sectione. Necessarium est insuper ut lex fundamentalis non appareat quasi lex productionis magis intensificandae; quod homines non tantum ad hoc vocantur ut passive sequantur leges rei oeconomicae proprias sed ut ipsis dominentur ut ad fines humanos illa adstringant.

Sectio prima: *Lex fundamentalis.* « Fortiter enim est iterum asserendum hominem tum in principio, tum in fine totius vitae oeconomiae semper stare, sicut et totius vitae socialis.

In principio quidem, qui exsurgat oportet vita oeconomica ex initiativa personarum consociationumque ab ipsis efformatarum; quae videlicet initiativae coordinatae ac directae sunt a legitimis auctoritatibus boni communis curam habentibus in suo quaeque gradu.

In fine vero, cum non consistat oeconomia in prosecutione fructuum, potestatis vel famae, sed in servitio totius hominis, necessitudines suas materiales respiciendo non minus ac aspirationes intellectuales, morales et spirituales, cuiuscumque etiam hominis ac hominum coetus sine ulla distinctione stirpis vel mundi regionis. Quapropter debet regimen normarum oeconomiae propriarum, ante omnia, permittere prosecutionem humanorum finium ita ut oeconomica navitas quae semper humana esse debet, secundum ethicam socialem perficiatur atque Dei de homine concilio respondeat.

Debet igitur proprietarius omnis artifex ac quilibet habet responsabilitatem servitii vel organisationis oeconomicae, in quovis gradu, tales exerceat responsabilitates, huiusmodi profundae finalitati adhaerere, ut praesit omni suae actuositati professionali ».

Pag. 61, n. 77. N. 77 praemittatur: Sectio secunda: *De progressione oeconomica*: in cuius initio addatur: (Obiecta ac normae progressionis). Essentialia igitur onera oeconomicae progressionis in hoc consistent: ut agnoscantur operositates uniuscuiusque explicitationi perfectionique necessariae, tam personalis quam socialis; hoc tamen scientes quod si illarum quaedam clare exprimi valent modoque solvabili; aliae tamen, et ipsae essentiales, ita saepe facere nequeunt in praesenti societatis statu; ut inter has omnes exigentias hierarchia statuatur prioritatisque ordo; ut media promoveantur disciplinaeque necessariae ut eis satis fiat. *Ratio*: necesse est ut prius definiantur progressionis obiecta quam media describantur; instantique fiat super existen-

tiam exigentiarum non rentabilium, frequenter nimis neglectarum in oeconomia quae est lucri ac praestigii.

Pag. 61, lin. 28: post « virium oeconomicarum » addatur: « in quibus tunc solvabiles exigentiae satisfactionem normaliter invenient atque ad se trahent homines ac pecunias, cum integrae partes humanitatis in humanam miseriam tabescunt. Nec soli publicae auctoritati relinquenda est responsabilitas ac sollicitudo de responsione afferenda indigentiis non immediate rentabilibus. Quamvis evidentissime requirant hae Status interventionem, optandum est tamen, in quantum fieri potest, quod regulae appropriatae ac contractus permittant directam gestionem rei privatae ». *Ratio*: necesse est enim ut clare manifestetur quomodo progressio omnibus indigentiis respondere debet, etiam non rentabilibus; quodque, ratione principii subsidiarietatis, non debet Status interventio per abusivam ingerentiam sese manifestare.

Pag. 62, lin. 3: post « saltem minuantur » addatur textus quo melius incorporetur agricultura in oeconomia generali; deleaturque quae sequitur: « Ceterum sola oeconomia super reales hominum necessitudines fundata possibilitatem praebet quaerendi ac realisandi investitus ac translationes sic requisitas. Insuper nonnisi sub tali conditione agriculturae, quarum difficultates in omnibus fere regionibus mundi eadem inveniuntur, diversis licet gradibus, aequiorem locum in concentu oeconomico invenient ».

Pag. 62, lin. 6: textus emendetur addendo post « praecaria fiat »: « Quodque formatio professionalis, tam iuvenum quam adultorum, unicuique permittat ut tali evolutione sese praeparet atque adaptetur ». *Ratio*: nequit, data tam veloci technica evolutione, reprobari omnis mobilitas operariorum? Debet tamen ista humanis sub conditionibus effici; quod facilius reddet educatio vel reeducatio professionalis, necnon et alia circa habitationem politica.

N. 79: non est alius ac n. 84 qui convenientiorem locum suum invenit in sectione de progressione tractante.

N. 80: sententias hic assumit e n. 76, aptiorem hic locum habentes; addito tamen textu qui circa necessarium productionis augmentum magis instet, conformiter ad veras repartitionis necessitates. Oportet insuper ut denuntietur scandalum destructionis eorum quae supersunt bonorum, seu malthusianismi oeconomici, quod egoistici lucri gratia exercetur.

« Invigilandum est sane ut talis productionis conatus conformis sit oeconomici progressus obiectis, et meliori repartitione concomitetur. Quoniam et si reprobandae sint omnes viae hodierni oeconomici malthusianismi, finis imponendus est etiam scandalo huic quod abusiva accumulatio omnis generis bonorum, indiscreto modo productorum, ad hoc devenire videatur ut systematice destruantur excessus, indigne id ferentibus illis quorum inopiam ac famem attenuare potuissent. Necesse est e contra ut huius modi concludantur pacta quibus ita organisentur investitus divitiarum productivi, ut unaquaeque populi pars, unaquaeque etiam gens, vel natio in seipsa invenire possit elementa sanae oeconomiae, simul ac modo magis ethicae consono, excambia fiant et excrescant ».

N. 81 hic inseratur (De publicarum rerum collocationibus et publicae moderatione rei nummariae). N. iste 81 sententias quasdam mutuatur n. 81 qui aptiorem ibi locum invenit in sectione « De progressione »; addito quidem in eius principio textu de finalitate collocationis bonorum, necnon et alio post « bona pro generatione ventura » pag. 64, lin. 40; quibus gravis sic suscitari valeat reflexio super moralitatem operationum bancarum, quae ad humanum servitium intendi debent, non autem ad puram speculationem lucrumve.

« Quo melius procurentur fines oeconomici progressus, bonorum collocationes, tam privatae quam publicae, prioritatem dare debent exigentiis essentialibus. Inter quas non parvipendantur collectivae necessitates ac sociales, necnon et collocationes pecuniarum progressui regionum oeconomice debilium necessariae. Harmonica inter publicas auctoritates collaboratio ac privatas organisationes privatas praesit oportet decisionibus cunctisque applicationibus »; et post « generatione ventura »: « Maximi interest ut, tali data perspectiva, organismi rei nummariae curam habentes, structuras suas ac methodos inspiciant ac etiam reforment, si opus fuerit ita ut varia servitia proponere valeant eorum necessitatibus adaptatorum. Caveant autem ab actuositate pure speculativa, cum lucrum omne in oeconomia; a servitio reali non proveniens, nonnisi in detrimentum societatis exercetur. Item moderatores rei nummariae semper prae oculis habeant strictas relationes quae inter editas pecunias existere debent ac bona et servitia, neque nonnisi summa cum conscientia agant repercussionum quas in vitam ipsam populorum habere valent decisiones ab ipsis in tali dominio ferendae ».

Ante n. 82: praeponatur titulus: Sectio III: *De quibusdam elementis vitae oeconomiae essentialibus.* Cui subsequatur n. 82 (De laboris dignitate). *Ratio*: n. hic 82 n. 79 resumit, excepta tamen sententia de sensu christiano laboris, quae meliorem locum inveniet in capitis conclusione.

Deleatur pag. 62, lin. 31: « atque germanam caritatem ... praebere ».

N. 83 (De participatione in inceptis et in universae rei oeconomicae dispositione). N. hic 83 textum n. 80 praebet; quaedam addendo quae modalitates diversas spectant participationis operariorum in inceptorum vita et re oeconomica, sine detrimento necessitatis unitatis directionis; aliaque de iure (quod est simul officium) ad talem participationem; quod quidem ius verum non esset nisi observetur ac sibi media praebeantur quibus se exerceat.

Deleatur sententia pag. 63, lin. 18, incipiens « participent ergo » cuius loco ponatur: « Iuxta modalitates admissas et quin in dubio vertatur necessaria directionis unitas, omnia incepti membra debent eius vitae, administrationi et fructibus participare. Congruit igitur ut media apta ad hoc possideant neque ius tale sibi contestari videant ».

N. 84 (De laboris remuneratione). N. iste 84 partes sumit e n. 79; addendo tamen ampliorem excursum de remuneratione laboris, ut statuatur quomodo in eius definitione prae oculis habeatur capacitas professionalis, quae quidem per conventiones collectivas statuatur. Additur insuper quod in re-

muneratione, intelligi ius ad socialia servitia collectiva, quae liberae conductorum gestioni non relinquantur, sed ius reale constituunt his omnibus qui operam suam dederunt.

« Non indifferens res est quod remuneratio, in quantum fieri potest, computetur iuxta qualitates ac competentias reales operarii, naturam quoque servitii quod aptus est reddere. Optandum esset quod per veram discussionem statuantur regulae; quod etiam collectivae ordinationes in curam habebunt ne arbitrio modo definiantur remunerationes, normis praesertim quae non decent.

Attamen non ipsa sola posset remuneratio laboris omnibus necessitatibus respondere. Sana solidarietatis conceptio, sub diversis formis, ad hoc adducit, ut in communi assumentur vel procurentur personis ac familiis complementariae facultates, ut sic magis ac magis provideatur necessitatibus senectutis, periculis etiam aegritudinis, accidentis et infirmitatis.

Approbandus igitur constanterque meliorandus est fons ille, non negligendus, redditum sive servitiorum quae praecise operositatibus socialibus ac familiaribus viam praebent innotescendi et satisfactionem accipiendi. Permittere vero debet eorum gestio communitaria ne in assistentiae formam, illae solidarietatis formae vertantur ».

Pag. 64, linn. 13-15: post « familiae sufficientem » ponatur: « adeo ut iuxta traditionalem Ecclesiae doctrinam, qui in extrema necessitate degunt, ius habent ut sibi ex aliorum divitiis necessaria procurent. De qua communi bonorum destinatione, graves promanant responsabilitates his qui sic de mediis disponere valent bonorum collocationis, productionis et repartitionis ». *Ratio*: haec sententia aliter exprimit quod de superfluo dictum est, ita ut clare pateat agi de doctrina quae traditionalis est in Ecclesia; et ut bonorum detentores intensius suadeantur ut per nova media existentiam praeveniant talium casuum extremae necessitatis.

N. 86: idem est ac n. 83 pag. 65; addendo tamen textum qui securitatem non solum cum proprietate coniungat, sed etiam cum capacitatibus professionalibus.

Pag. 65, lin. 13; loco sententiae incipientis « quod non tantum » legatur: « Utraque forma fons securitatis non parvipendendus manet, una cum aliis formis securitatis: fundis socialibus, iuribus et ministeriis a societate procuratis, capacitatibus professionalibus ».

Pag. 65, lin. 21: post « ius privati dominii » ponatur: « quod ceteroquin personale potest esse aut collectivum ». *Ratio*: dominium privatum, nostris praesertim diebus, sed et in omni tempore formas quam diversas accipere valet.

Pag. 65, lin. 27: post « omnis autem privata proprietas » addatur: « cuiusvis naturae sint res quibus refertur (bona terreni fundi, capitalia ...) ». *Ratio*: magni momenti praecisio est, nec superflua, propter distinctiones, omni sano fundamento orbatas, quibus arguunt qui se de quibusdam obligationibus moralibus dispensare intendunt sicut v. g. in bonorum collocationibus, etc.

Sectio IV. *Conclusio* (Textus novus). Necessarium visum est quartam sectionem constituere quasi totius cap. III conclusionem, ut ostendatur vinculum cum sequentibus; ut necessitas eruatur auctoritatis politicae mundialis (novus n. 87); utque tandem instantia fiat de internis conversionibus quas requirit talis christianae conceptio oeconomiae: conversiones equidem hae fiant secundum spiritum Beatitudinum: caritas, solidarietas universalis, paupertas, per quae oeconomia ad Redemptionem se refert.

Novus n. 87 (De vinculis inter oeconomiam et politicam). « Ex omnibus praedictis clare patet humanam oeconomiam capitales partes agere ad hoc ut sese explicent personae ac societates. Conditio est ergo fundamentalis pro pace sociali et pace inter populos. Determinans ille influxus quo pollet in bonum commune, talis est qui optiones importet ac decisiones politicas, simul ac requirit constitutionem ac reverentiam auctoritatis constitutae in unoquoque societatis gradu, non excepto altiori, mundiali scilicet ».

Novus n. 88 (De navitate oeconomico-sociali et Regno Dei). Pag. 66, lin. 31: post « eiusque Evangelium » addatur: « Omnes homines, tam singulariter sumpti, quam in consociationibus a se efformatis, ad hoc vocantur ut efficaci ac permanente conatu conversioni vacent suae mentis suorumque habituum, ad tensiones attenuandas quae non desunt nec unquam deerunt.

Quinimmo hae conversiones, quarum hodierni mundi observatio urgentem necessitatem inculcat, non aliae sunt ac quas in spiritu Beatitudinum homines omnes provocat Evangelium.

Tunc enim oeconomia, velut privilegiatum dominium efficitur authenticae illius caritatis, in qua Christi fundatur doctrina, cum unicuique permittat pro proximo laborare, ipsum per suas professionales actuositates amando.

Horum servitiorum natura ac commutationum exinde resultantium, altam exprimunt solidarietatem omnes homines vincientem, qualia sunt vincula fraternitatis inter filios eiusdem Patris.

Proprias item cupiditates dominando, dum in mediis suis professionalibus responsabilitatibus assumit bonorum gestionem, ac capacitatibus quibus gaudet, pro vero servitio utens, homo authenticam vivit paupertatem cuius significationem coecutiens inquirit humanum genus.

Sic tota humana oeconomia responsio fit et collaboratio hominis Redemptioni Christi per creationis redemptionem ».

24

EXC.MUS P. D. LEO ARTURUS ELCHINGER
Episcopus Antandrinus, coad. c.i.s. Argentoratensis

I. *Remarques d'ensemble.* 1. *Critiques négatives. a*) L'ensemble du chapitre manque de hauteur de vue et de dimensions spirituelles. Le « Mystère chrétien » semble plutôt juxtaposé à ces problèmes au lieu d'y être intégré. Si l'on donne souvent de fausses solutions à certains problèmes, c'est parce

qu'on ignore les principes de base ou parce qu'on n'y croit pas. On souhaiterait un éclairage *biblique* plus complet et mieux équilibré.

Si l'Eglise veut vraiment annoncer au monde la vérité toujours neuve de Jésus Christ, il est probable que le monde ne la recevra pas plus facilement qu'il n'a reçu Jésus Christ lui-même qui a été et qui reste « un signe de contradiction ». Le texte proposé ne nous laisse-t-il pas dans l'équivoque à ce sujet, en nous présentant l'avenir et ses possibilités d'une manière trop optimiste. Il ne s'agit pas pour l'Eglise d'être simplement sympathique à la masse des travailleurs, par suite de propositions économiques et sociales répondant mieux aux désirs du monde ouvrier qui a été trop longtemps opprimé. La paix de Dieu dans la vie économique et sociale ne se construit pas en dehors des exigences permanentes et de la signification toujours présente de la Passion du Seigneur!

Ne trouve-t-on pas dans ce chapitre une doctrine faussement égalitariste (qui serait à mieux nuancer également au n. 31 de la première partie). La doctrine contenue dans la parabole des talents ne semble pas utilisée. Tout homme reçoit un bien que chacun doit faire fructifier à l'échelle de *sa* mesure.

b) Selon l'avis de deux des plus grands industriels de France, excellents catholiques et très soucieux de vivre la « doctrine sociale de l'Eglise », bien des passages de ce chapitre semblent ignorer la réalité concrète et correspondre plutôt aux recherches intellectuelles d'un sociologue de profession ou d'un professeur. Ils estiment que par un texte semblable, l'Eglise se coupera des technocrates qui feront le monde de demain et pour qui les problèmes sont plus complexes. Notre texte, pensent-ils, n'est pas digne d'un concile mais représente plutôt un cours de morale sociale, un peu simpliste, à l'usage de militants d'action catholique.

Le texte a une vision trop optimiste et irréaliste des problèmes de production et de consommation. Tel qu'on présente « le pouvoir économique », c'est un mythe. Ce sont les consommateurs par leur libre choix et l'utilisation libre de leurs salaires qui le détiennent en réalité, etc.

c) Ce chapitre veut proposer des solutions d'avenir, alors qu'il résoud en réalité les problèmes d'hier (de même qu'on prépare toujours la guerre précédente). Mieux vaut donner des orientations de base.

On ne retrouve pas dans ce texte l'*équilibre interne* qui fait la force de « Mater et Magistra ». Cet équilibre serait à rétablir.

d) Le texte proposé contient un certain nombre de critiques des mécanismes économiques et sociaux, mais ces critiques ne sont pas fondées sur la constatation d'une *perte de vitalité humaine,* qui du point de vue religieux et oecuménique demanderait à être mise en lumière plus vigoureusement.

L'absence de responsabilité chez les dirigeants de l'économie n'est qu'un aspect second de la *dépersonnalisation* et de la *dévitalisation* des techniciens. Les conflits dont on constate l'acuité viennent de ce que la croyance dans le progrès indéfini a effacé la fidélité aux *lois d'effort et de charité,* qui sont étroitement liées l'une à l'autre.

Ce sont là de graves lacunes à combler dans la nouvelle rédaction du texte.

2. *Quelques suggestions positives.* Le monde a été créé par Dieu pourque l'homme puisse le posséder. Les modalités de cette possession sont (selon la Bible) le travail *et la souffrance.* L'expérience quotidienne nous montre surabondamment qu'il n'est pas possible de transformer la matière à notre usage, sans que nous soyons obligés de nous soumettre à des lois intimes posées par Dieu.

La liberté dont Dieu nous a dotés a permis le prodigieux développement des sciences et, partant, le recul de certaines contraintes physiques que la nature fait peser sur l'homme, contraintes qui sont des conséquences du désordre originel. Malgré des découvertes considérables, des tensions subsistent en l'homme et le monde est déchiré. Cette expérience continuelle n'a pas conduit la masse des hommes à des réflexions et à des changements d'attitude les orientant vers leur Créateur.

L'Eglise a le devoir de dire au monde: Trouvez une structure économique, un mode de gestion du travail humain, respectant ce qu'a voulu Dieu qui vous a créés. Que le travail soit une occasion de « communion » entre les hommes, une occasion de formation spirituelle par la possibilité pour chacun d'exercer les capacités qui lui ont été données. Que chacun sache que ce qui compte, c'est l'amour avec lequel le travail, aussi humble ou aussi important soit-il, se trouve accompli. Que chacun sache que c'est au fond de soi-même, par son progrès personnel, qu'il fera progresser le monde dans ce qui est essentiel. C'est par l'effort personnel sur soi-même que l'homme conquerra le calme et le bonheur, car ce n'est que par cette voie que les structures économiques et sociales seront plus humaines et plus fraternelles.

Le rôle essentiel de l'homme, donnant une valeur infinie d'amour à son travail, est d'augmenter au profit de la communauté des hommes les richesses partageables, qu'elles soient du domaine économique, intellectuel ou spirituel, par le travail personnel, essence du travail communautaire.

Par un libre dialogue et échange entre la créature et Dieu, et par le libre échange d'amour entre l'homme et l'homme, se crée la vraie richesse, « sacrement de l'exubérante joie » des richesses existantes et de la découverte de la terre.

Le rôle des hommes, à quelque échelon qu'ils soient (qu'ils possèdent le pouvoir de politique, celui de l'argent, celui de l'organisation économique), est de s'opposer à tout ce qui nuit à la vérité du contact entre les hommes. C'est l'authenticité du dialogue humain entre les travailleurs de toute nature, qui est la condition essentielle de la richesse *vraie* voulue par Dieu, ciment du progrès matériel, social et spirituel.

En résumé. Dieu a donné à l'homme, par le travail, le moyen de posséder la terre et de la faire fructifier en produisant de nouveaux biens. D'une certaine mesure, l'homme achève ainsi la création.

Les biens n'ont de valeur que s'ils sont générateurs d'autres biens.

Les biens que possède l'homme ne sont pas destinés à lui seul. Ce sont des instruments au service de la communauté.

La diversité des dons et des capacités est telle que certaines formes de re-distribution des richesses produites sont nécessaires. Encore faut-il veiller à ne pas entraver les conditions indispensables à la création de ces richesses. D'autre part, il ne faut pas mettre les bénéficiaires de cette redistribution dans un état d'esclavage psychologique, leur enlevant la possibilité de se construire leur propre personnalité et de progresser, soit dans les domaines familiaux, sociaux ou éducatifs.

Enfin, l'on n'a pas le droit, dans des buts égoïstes, de laisser, sans les faire fructifier, les biens que Dieu nous a donnés, qu'ils soient matériels ou autres.

Les situations économiques naturelles sont le reflet de la mentalité des hommes qui les vivent. Pour améliorer ces situations il ne suffit pas de modifier des structures extérieures, il est nécessaire d'agir aussi sur les hommes intérieurement, sur leur mentalité, leurs désirs, leur conscience.

II. *Observations de détails.*

Ad n. 75. § 1: dernière ligne. Vision trop optimiste de l'efficacité de l'économie. Elle n'est pas un mécanisme produisant automatiquement et par lui-même des biens suffisants. Il n'y a pas de dynamisme de croissance économique sans des vouloirs humains organisés et responsables.

§ 2: dernière phrase. La conception du pouvoir de décision concentré entre quelques mains est un peu simpliste. L'analyse sociologique montre qu'il s'agit d'une « constellation de centres de décision imbriqués et de nature diverse ».

Ad n. 76. La croissance économique n'est pas un but en soi. Elle est un moyen et une condition pour réaliser le développement intégral de toutes les facultés de l'homme et pour assurer le bon équilibre et la pleine vitalité de la communauté humaine.

C'est avec juste raison qu'à la fin du § 76, il est souhaité que l'activité humaine « s'exerce d'une façon conforme à l'éthique sociale pour répondre au dessein de Dieu sur le genre humain »; encore faut-il que l'éthique sociale existe et soit fondée sur autre chose qu'une conception assez matérialiste et très naturaliste de la vie.

Ad n. 77. Dans la première phrase, il est question du contrôle de l'économie par l'homme. C'est là une formule un peu vague, à moins qu'on veuille affirmer qu'une éthique avec obligation et sanction est nécessaire à la base de l'économie moderne (ce dont les communistes sont parfaitement convaincus mais que les non marxistes semblent oublier?).

Ad n. 78. Tout ce passage, rempli de vœux légitimes, n'évoque en rien ce que les économistes appellent les « contraintes » et les difficiles problèmes pour rétablir les équilibres.

Mater et Magistra montre bien que la croissance économique suscite des déséquilibres divers, relatifs les uns aux autres, mais avec certains seuils. Il

importe de susciter la prise de conscience de ces déséquilibres et l'effort d'imagination et d'action pour y remédier... en attendant que d'autres déséquilibres se produisent ailleurs!

Ad n. 79. Pour être équitable et éducatif, ne faudrait-il pas signaler aussi que certains courants de pensée et d'action ont tué l'amour du travail bien fait et la conscience professionnelle (on en verra la conséquence dans une dizaine d'années!).

D'autre part, il faudrait peut-être relever (à moins qu'on ne le fasse dans les nn. 6 ou 7) que beaucoup de gens s'attendaient à une sorte de « paradis terrestre », naïvement, et l'organisation de la vie économique les a écrasés et mis de côté. Ils ont cru, comme à une fin, à des choses qui n'étaient que des moyens: on les a trompés.

Ad n. 80. Au § 2, on parle des droits des syndicats, mais ne faudrait-il pas parler aussi de leurs devoirs? Ils sont les moyens en vue d'un dialogue, mais ils ne sont pas une fin. On en parle dans le texte comme si les syndicats étaient toujours conformes à leur idéal et faisaient nécessairement un travail constructif.

On pourrait croire que le texte conteste presque l'existence du « patron et de l'autorité ». L'autorité est actuellement contestée. On en refuse donc plus ou moins le principe dans les mœurs d'aujourd'hui. Il faudrait avoir le courage d'en parler. Le fondement de l'autorité devrait être rappelé.

Ad n. 81. Il faudrait voir comment concilier la manière de s'exprimer à la fin du § 1 avec le Décalogue (7e et 10e commandement). Il faut prévenir de fausses interprétations du texte, des extensions illégitimes du principe invoqué.

Ad n. 82. Ce qu'on dit des investissements est très pauvre. Ces généralités n'apprennent rien à personne. Si l'Eglise n'a pas autre chose à dire, doit-elle parler?

Ad n. 83. Les « latifundia » sont, en partie, l'expression du manque de développement intellectuel d'un pays. Cette situation économique se rencontre souvent dans les pays qui manquent de chefs, de gens capables de diriger et d'exploiter. En proposant des remèdes, il faut prendre les problèmes par leurs racines.

Ad n. 84. Il faudrait relever dans le texte, que le respect de la dignité des pays en voie de développement et de leur parité en tant que nations libres commande que l'aide des pays évolués soit seulement complémentaire par rapport aux moyens mis en jeu par chacun des pays du Tiers Monde. Cette assistance n'aura qu'une portée éphémère, si elle n'aboutit pas à la diversification des économies indigènes, à l'élévation du niveau de vie, à l'accélération du taux de croissance, à l'accroissement des échanges et à l'investissement sur place des capitaux indigènes (cf. *Mémoire du groupe de dirigeants de grandes entreprises européennes,* 3 mai 1965).

Ad n. 85. A la fin du § 1 il est question d'une « juste hiérarchie des valeurs ». Ne relève-t-il pas de la mission de l'Eglise de lutter contre la *confusion*

des valeurs, de mener le « combat pour l'Essentiel »? On ne dit nulle part en quoi consiste cette hiérarchie chrétienne des valeurs. Or n'est-ce pas là le principal?

On *ignore* les vraies valeurs ou on ne les voit pas. On *évite* les vraies valeurs, par confort ou par orgueil. Que dit p. ex. le texte de l'importance du « sens du gratuit », de la primauté de la qualité sur la quantité, etc.?

Ni Job, ni Thomas More n'eussent été capables de chercher la vraie valeur dans le malheur si, toute leur vie, dans le silence, ils n'avaient déjà été de vrais *justes.*

25

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

N. 86. In multis mundi regionibus religio magnas adhuc partes habet in vita politica. Immo, saepe cum eo fine identificatur.

Principium « cuius regio eius et religio » adhuc in multis locis vigere videtur.

26

Exc.mus P. D. FREDERICUS VILLELMUS FREKING

Episcopus Crossensis

Ego loquor nomine meo et nomine aliquorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis qui sunt membri Nationalis Conferentiae Catholicae Pro Vita Agraria et Rurali, sic dicta « National Catholic Rural Life Conference », et, ni fallor, pro populis agrariis multarum aliarum nationum.

Laudandum est hoc caput schematis quia modo realistico problematibus hominis in mundo huius temporis appropinquari conatur. Non tantum considerat aspectus spirituales et religiosos vitae hominis in mundo sed etiam aspectus sociales et oeconomicos. Praesertim placet art. 79 de natura laboris humanae, et art. 80 quando loquitur de ordinatione rerum oeconomicarum ad communitatem personarum. Recte schema indicat ut progressio oeconomica semper sub consilio hominis manere debeat, neque soli influxum arbitrarium rerum oeconomicarum subire debeat. Hic influxus arbitrarius momentum habere potest in ipsam evolutionem et crescentiam in homine personalitatis humanae, momentum quod est omnino detrimentum suo fini ultimo aeterno.

Dum autem schema cum vera cura pastorali pro classibus laborantibus sincere loquitur, ex alia parte tamen omnino pauca dicit de classe illorum populorum qui terram colunt ad producenda fundamentalia cibi atque fibrae hominis. Isti populi constituunt approximatim 40 per centum omnium catholicorum in nostro mundo. Quid offertur pro illis populis ruralibus qui

revera nolunt coniungere migrationem ingentem erga urbanizationem et industrializationem giganticam, sed involuntarie coguntur coniungere talem aestum vi sola ponderis determinismi oeconomici.

Permulti quaerunt ab Ecclesia aliquam directionem atque consilium ulteriusque adiutorium ad superandas conditiones oeconomicas quae cogunt illos relinquere terram seu fundum et vitam ruralem et premi in urbes ad quaerenda necessitates vitae. Aliqui nobis dicunt quod mechanizatio modernae agriculturae, pretia nimis exaggerata praeparationis et venditionis cibi, speculatio in fructibus terrae, necnon accumulatio fundorum a paucis viris vel institutionibus financiariis tantummodo pro collocationibus pecunariis nullum habentibus interesse in ipsa communitate rurali, ista omnia cogunt parentes rurales mittere filios suos ad urbes ad quaerenda necessitates vitae.

Evidenter in nationibus minus progressis fortiter pugnamus contra mala latifundiarum unius generis (vide art. 83) sed tamen in nationibus maioris crescentiae oeconomicae adhortamus praecise eadem mala latifundiarum sub forma diversa causata a determinismo oeconomico.

Magisterium Summorum Pontificum toto saeculo elapso lucide ostendit solas vires oeconomicas nequaquam moderari debere vitam humanam tali modo ut haec vita hominum maxime impersonalis fiat et consequenter homo individuus consideretur mere ut aliqua pars massae. Quando hoc accidit determinismus oeconomicus tamquam regula vitae habetur. Talis conceptio hominis est praecise methodus materialismi dialectici circa quam tam multa a Patribus Concilii in discussione partis primae huius schematis iam dicta sunt.

Haec doctrina papalis bene, immo optime exprimitur a Pio Papa XII in Allocutione die 1 iunii 1941, Die Anniversarii Litterarum Encyclicarum *Rerum Novarum* quando dixit: « Ex omnibus bonis quae obiectum proprietatis privatae esse possunt, nullum est magis conformabile naturae, secundum doctrinam « Rerum Novarum » quam bonum terrae, pars illius in qua familia habitat et ex cuius fructibus partem vel totam subsistentiam suam sumit. In spiritu « Rerum Novarum » sic dicendum est quod generatim sola ista stabilitas radicata in possessione personali terrae familiam vitalem perfectissimam atque foecundam cellulam societatis facit ... ».

In Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, plus quam quadraginta annos, Nationalis Conferentia Catholica Pro Vita Agraria et Rurali dirigebat et dirigit labores atque activitatem suam ad meliorandos aspectus spirituales, materiales, sociales, necnon sociologicos vitae speciatim relate ad populum agrarium, et praesertim cum mediis nunc propositis in hoc schemate. Ipsa Conferentia Nationalis componitur ex episcopis, sacerdotibus, et laicis viris atque mulieribus qui sunt agricolae, negotiarii agrarii, magistri in scholis agrariis, et alii huiusmodi.

Officialis modus agendi huius Conferentiae statuit quod homo individuus invenit conditiones maxime favorabiles pro progressu sui boni physici et spiritualis infra structuram vitae christianae familiaris, quando associatur cum ambitu naturalium Dei creationis. Homo qui vicinior solo seu terrae atque

naturae vivat perfectiones et profundum splendorem Dei facilius intelligere potest quia magis prope vidit mirabilia divina. Supremum dominium Dei super homines facilius intelligit. Etiam facilius comprehendit quod dominium suum fundi seu terrae et bonorum aliorum naturalium est tantummodo villicatio, adhibenda non mere pro bono suo sed etiam pro bono proximorum suorum, pauperum, minus privilegiatorum, et generationum futurarum. Exinde bona naturalia aeris, terrae, et aquae non dissipat. E contra conatur meliorare ista bona naturalia terrae potius quam propter solum bonum suum privatum istis uti. Ideoque homo terrae potest facilius observare primum et maximum mandatum: Diligere Deum cum toto corde suo et tota anima sua et tota virtute sua. Praecise quia hic homo dependet tam complete pro salute sua ex fructu terrae, pariter potest melius et profundius intelligere secundum magnum mandatum: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Bene scit omnes benedictiones suas ab ipso Deo venire et sic promptius alios participes in illis facit.

Sicut Pius Papa XII anno 1946 in Allocutione supra Vitae Agricolae dixit: « Agri cultor adhuc repraesentat ordinem naturalem rerum a Deo propositum. Agricola scit hominis esse labore suo dominare bona materialia; et non esse bonorum materialiorum dominare hominem ». Atque iterum dixit: « Postquam fundus seu terra relicta est (a familia agricultoris), capita pecuniae festinant facere fundum suum et sic fundus fit non amplius obiectum delectionis sed potius frigidae immoderationis ».

Propter has rationes commendamus quod schema contineat in hac sectione articulum separatum exponentem istos valores christianos. Etiam tenor atque flavor variorum articulorum emendari possunt ut emphasis in determinismum oeconomicum omnino deleatur.

Proponimus sequentes additiones vel emendationes:

1) In art. 60, cap. I, pag. 46, lin. 23, nova sententia appendari potest quae dicat: « Crescens migratio familiarum ex rure ad urbem creat multa problemata in urbe saepeque causat magnum detrimentum ipsi familiae. Etiam perturbat atque frequentius destruit stabilitatem necnon prosperitatem multarum communitatum ruralium, paroeciarum, institutionum civilium et ecclesiasticarum ».

2) In fine art. 60, cap. I, pag. 47, lin. 5, haec addenda possunt: « Ex agnitione traditionalis principii Ecclesiae subsidiarietatis, aliquando necesse sit ut auctoritas publica creat instituta pro assistentia familiarum ruralium in acquirendo fundo seu terra. Pecunia collocanda cum longinquo termino amortizationis et foenore parvulo, beneficia relate ad taxas civiles, etc., dari debent familiis quaerentibus dominium domus suae et praesertim dominium fundi ad usum familiae ».

3) In art. 76, cap. III, pag. 61, lin. 4, addatur: « Agros colere pro cibo ad nutriendum genus humanum relate ad productionem primariam considerationem habere debet. Agri cultores suum nobile munus atque obligationem erga societatem producendi cibaria maxime nutriosa et salutifera ad usum

hominis agnoscere debent. Facilitas transmittendi, praeservandi, et vendendi producta cibaria, quantumvis beneficialis, semper omnino secundaria consideratio relate ad alimentum salutemque hominis esse debet. Nec permittenda sunt pretia nimis alta pro praeservatione et venditione impedire possibilitatem obtinendi cibum adaequatum ».

4) In art. 77, cap. III, pag. 61, lin. 33, addendum sit: « Hoc est maximi momenti relate ad conservationem bonorum naturalium, speciatim terrae et aquae. Homo moraliter obligatur ad conservandum et ditandum hanc hereditatem nationalem a Deo sibi commissam. Omnium donorum materialium a Deo terra ad productionem cibi atque fibrae omnino primaria est. Emasculatio fecunditatis terrae propter avaritiam vel villicationem perniciosam est peccatum contra futuras generationes hominum ».

5) In art. 83, cap. III, pag. 66, lin. 11, addi possit: « In nationibus magis progressis, auctoritates publicae vigilare debent ut illi active colentes terram in vita vera familiari nullo modo cogi debeant propter nimia emphasim in factores pure oeconomicas programmae nationalis relinquere hoc medium obtinendi necessitates vitae et modum vivendi, sicut nunc hodie accidit a parte millium agri cultorum industriosorum in plurimis divitibus regionibus agrariis terrae. Mediis prudentibus oeconomicis atque aliis viis uti taxa gradata terrae (graduated land tax), exemptiones taxarum ad fundandam domum vel fundum (homestead tax exemptions), etc., protegere debent suos populos contra hanc formam determinismi oeconomici quae habet ut effectus accumulationem fundorum in manibus pecunia fortibus, accommodantibus methodum agriculturae ad finem solummodo pecuniariam, ad detrimentum familiarum radicatarum in terra ideoque ad detrimentum nationis quae sic privatur stabilitatem, culturalis harmoniam atque valores sociologicos quae omnia componunt contributionem populorum ruralium ».

Concludo. Quadraginta per centum popolorum nostrorum meritum habet ad meliorem consilium ab hoc Concilio!

27

Exc.mus P. D. CAESAR GATIMU

Episcopus Nyeriensis

Magni momenti et valde opportunum est schema *de Ecclesia in mundo huius temporis*. Habeo autem quasdam animadversiones faciendas quoad ea quae continentur in cap. III ad n. 84 in quo sermo est « de rationibus oeconomicis inter ditiores et egentiores nationes »; animadversiones meae respiciunt speciatim nationes recenter creatas.

Nemini latet nationes recenter formatas, praesertim in Continente Africano, fere omnes esse in processu sic dicto transitionis vel evolutionis. Moderatores harum nationum subsidia quaerunt ubicumque inveniri possint ut

quam citius « cives vitam ducere valeant humanae dignitati magis parem » (*Pacem in Terris,* Pars III).

Potentiores nationes, motivo mere humano motae adiuvare has nationes conantur. Hoc autem faciendo fere semper aliquem absconditum finem prosequuntur ut nempe influxum aliquem politicum, oeconomicum, vel saltem culturalem obtineant: quod sine dubio veram libertatem ac dignitatem nationum egentiorum plus minusve laedit.

Abusus isti qui Neocolonialismus, uno verbo, generatim vocantur, alias consequentias perniciosas pariunt id est conflictus inter tribus et nationes, destructiones, persecutiones innocentium immo et fratricidia ac etiam odium erga ipsos donatores uti recens historia, iterum iterumque monstrat. Ita divisiones sive internae sive externae oriuntur *quae omnes denique pacem totius mundi in periculum ponunt.*

Hoc Concilium quod certe valde exoptat ut vita nationum iure ac iustitia regatur coram facta huiusmodi silere non potest.

Iam Papa Pius XII in eius allocutione radiophonica anni 1941 habita, dixit: « Novus rerum ordo, honestatis normis innixus, prorsus *prohibet quominus libertas, integritas atque incolumitas laedantur,* aliarum nationum, quaecumque sunt earum amplitudo ac tuendi se facultas » (*A.A.S.,* 34, 1942, pp. 16-17).

Etiam Papa Ioannes XXIII in eius Litteris Encyclicis *Pacem in Terris* ita affirmat: « At in promptu illud est iterum iterumque ponendum, ita populis subveniatur opus esse, ut hi incolumem libertatem suam servare queant, atque, in hoc rei oeconomicae et socialis progressu, sive praecipuas partes sibi esse tribuendas sentiant, sive in se huius efficiendae rei onus potissimum recidere » (*Pacem in Terris,* c. III, n. 123).

Omnibus nobis incumbit hanc doctrinam sinceritate ac fortitudine coram omnibus profiteri; ne iustae exspectationes novarum nationum quarum oculi nos scrutant decipiantur. Qua de causa quoad n. 84 attinet, humillime sequentia proponere audeo. In regionibus adhuc progredientibus, ubi omnes opes urgenter adhibendae sunt, ius gentium ac bonum commune postulant:

1. Nationes Potentiores adiuvent ceteras nationes eo fine ut pax semper incolumis servetur.

2. Ut subsidia quae a guberniis dantur ad nationes in processu progressionis dentur *non* personis vel associationibus privatis, sed auctoritati competenti, gubernio nempe legitime electo. Hoc modo evitentur lites et fomes cupiditatum.

3. Ut homines periti qui nationibus huiusmodi mittuntur, ad earum progressum iuvandum obnoxii sint solo gubernio vero nationis vel associationibus ab eo approbatis.

4. Ut omnia subsidia dentur spiritu et motivo mere fraterno, sine nempe ulla obligatione politica. Ius ad haec subsidia fundatur in ipsa natura humana uti clare patet in *Pacem in Terris,* n. 10 et n. 123.

Secretariatus iam ab aliquibus Patribus propositus, in hac aula, magnum iuvamen erit hoc in negotio.

Iam aliqua natio declaravit se hoc facere velle, si autem verbis facta sequentur Deus scit. Concilii est munus omnes docere quod Paulus Apostolus docet, nempe: melius est dare quam accipere.

28

Exc.mus P. D. IOANNES GRAN
Episcopus Osloensis

De hoc cap. III praesertim valet quod dictum est de schemate in genere, scil. abundantia iussorum: oportet, debet et similia. Expedit quidem talia praecepta ad catholicos fideles dirigere, sed non ad universum mundum, cum tot et tanta opera sine catholica participatione saepe effecta sunt.

N. 83 (pag. 65, lin. 30). Liceat votum exprimere ut novus Codex Iuris Canonici firmas regulas de « speculatione » circa sic dicta « valeurs mobilières et immobilières » praesertim ad usum clericorum et regularium contineat.

N. 87 (pag. 69, lin. 11). « Dirigat » latine forsan eamdem significationem habet quam versionis gallicae « orienter », sed *dirigere* hodiernis auribus sapit *dirigismum*. Aliud verbum inveniatur, si fieri potest (ordinare?).

N. 87 (pag. 69, lin. 23). Quia sermo hic est de obedientia e conscientia, de inquietis conscientiis providendum est. Proponitur ut conceptus « legis » introducatur ad limites obligationis stabiliendas: lex iusta in conscientia obligat. Modus proponitur: Tunc enim lex iusta est et cives ad oboedientiam...

N. 88 (pag. 70, lin. 16). « Vocatio » non bene sonat in contextu (versio gallica: « rôle »).

Nn. 88-89 (pp. 69-71). Vocabulum « christifideles » non idem significat quam « catholici », sed contextus n. 89 ostendit de catholicis et Ecclesia catholica hic tractari. Proponitur: Catholici (pag. 70, lin. 16), obligationes suas tanquam baptizati et Christi discipuli noscentes, in communitate, etc. ... Sic non directe de christianis non-catholicis praecipitur, sed eos similes obligationes habere agnoscitur.

N. 89. Peto ut paragraphus addatur de separatione in cooperatione inter Ecclesiam et rempublicam et dicatur talem separationem in cooperatione optimam solutionem in mundo huius temporis esse, prout libertati utriusque partis optime accommodatam.

29

Exc.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Episcopus tit. Thunigabensis, prael. Acrensis et Puruensis

Angustia temporis oppressi, nam de repente nuntiatum est novissimum iam diem advenisse quo animadversiones exhiberi queat, nonnisi summa quaedam animadvertam circa utrumque hoc caput:

1. Materia quae exponitur certe est egregia et auctores probe peritos manifestat; at est potius doctrina ethica atque socialis: vix enim apparet quomodo affirmationes ex illis procedant doctrinae revelatae principiis, cuius Ecclesia alma custos est et magistra.

2. Illa autem quae in fine cap. III, n. 85 et in fine cap. IV, nn. 88 et 89 dicuntur, potius iuxtaposita videntur, quam totius expositae doctrinae origo et corona.

3. Ideoque, etiam in his 2 capitibus, praemitti aut saltem apte perspicueque exhiberi deberent principia revelata, ostendique quomodo summe ac praesertim ex iis universae conclusiones, principia secundaria, et applicationes descendant, assumptis procul dubio etiam elementis ex humanis disciplinis ad Revelationem illustrandam, extendendam, applicandam.

4. Haec vero summa principia ex Revelatione hausta potissimum esse videntur quae sequuntur:

a) Omnium hominum communis a Deo Patre creatore *origo,* quae omnibus hominibus, iam *creationis titulo,* quamdam confert filiationem, utique omnibus aequalem, ideoque et fraternitatem inter se ac amorem Patris erga universos filios secumfert, omnium autem fratrum inter se et erga Deum amorem exigit: qui amor ipsam regulare debet humanam libertatem, ut omnis homo bono individuali, oeconomico, sociali, politico nullimode noceat, sed illud in dies promoveat.

b) Filii Dei Iesu Christi *incarnatio,* vi cuius totum humanum genus, omniaque proinde eius membra, incomparabiliter evecta sunt et assecuta, praecise incarnationis titulo, novam nobilioremque dignitatem atque destinationem, nam ad fraternitatem cum ipso Deo sublevata sunt, ideoque in eo et inter se iam pleniorem perfectioremque obtinent unitatem, cum universis inde scatentibus consectariis.

c) Cruenta ipsius humani generis per Filium Dei Iesum Christum *redemptio,* cuius *redemptionis titulo* universi homines novam adhuc altioremque assecuti sunt ad Deum pertinentiam, cum officio tamen se Christo Deo et fratri patienti conformandi in terris, crucem quoque ferendi, se a servitute diaboli et peccati iugiter liberandi, similisque liberationis instrumentum fiendi erga universos fratres sicque se et alios ad ingrediendam Dei gloriam in caelis disponendi.

30

EXC.MUS P. D. HILARIUS HACKER
Episcopus Bismarckiensis

The matter of strikes should not be mentioned in a Conciliar Document. The nature and conduct of strikes is different from one country to another, and we must not speak of strikes, unless we all agreed on the same thing.

In some countries, strikes are conducted as economic warfare and are accompanied by much violence, murder, and destruction of propriety. We cannot speak casually of strikes as there are some strikes that are gravely unjust. We must apply the same theological principles for a just strike as we apply to a just war. Like wars, strikes should be avoided and they should be used only as a last resort when there is no other way for the workers to obtain recognition of their *just* demands.

If the schema is going to mention strikes, then it must speak of them with greater caution than it does in the present schema. It should then include a complete discussion of the conditions necessary to justify a strike.

31

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Ad n. 86: breviter etiam indicentur haec:

1. Amplior necessitas auctoritatis civilis ordinandi res hucusque privatis vel coetibus relictas, propter bonum commune (anticipetur hic n. 88, pag. 70, linn. 7 ss.).

2. Relatio mutata inter communitatem politicam et societatem « sozialisatam ».

3. Praeter « cives » et « personas » eorumque iura commemorentur iam hic coetus multifarii, qui non omnes tantum in iure coalitionis fundantur, commemorentur familiae.

4. Mutatae relationes ad communitates politicas supranationales et internationales: limites « supremae auctoritatis status ».

Ad n. 87: evitetur impressio quasi constitutio societatum *historice* semper ita facta fuerit vel fiat modo descripto.

Ad n. 88, pag. 70, lin. 3: dicatur « cives, sive singuli sive associati »...

Ad n. 89, pag. 71, lin. 20: dicatur « cum variis formis auctoritatum politicarum in mundo, servata locorum temporumque proprietate, minime recusat... ».

Ad n. 89, pag. 71, lin. 17: « libenter » omittatur.

32

EXC.MUS P. D. GERARDUS HUYGHE

Episcopus Atrebatensis

N. 75, premier alinéa. Les 5 premières lignes sont très belles. Mais la seconde et la troisième phrases me semblent optimistes à l'excès.

Il faudrait donc mettre, à la ligne 7, « l'économie *bien ordonnée pourrait devenir* »; et, à la ligne 10, « de telles *perspectives* qui font bien augurer de l'avenir ».

N. 80, in fine. Tout à la fin du n. 80, ajouter les phrases suivantes: « Du côté des employeurs, le " lock-out " ne peut être légitime que pour des raisons extrêmement graves que les pouvoirs publics ont le devoir de préciser. Dans certains cas, leur intervention directe peut être nécessaire, soit pour obliger à la cessation du " lock-out ", soit pour permettre à l'entreprise en grande difficulté de continuer ses activités ».

N. 81, ligne 11 du premier alinéa. Après le mot « familles », ajouter: « cette part étant évidemment fonction des ressources totales du pays, tant que la solidarité internationale ne sera pas correctement organisée ».

N. 81, ligne 13 du premier alinéa. Après le mot « superflu », ajouter: « Cette doctrine s'applique évidemment aux devoirs des pays riches envers les pays encore dans la misère. En cas de défaillance à ce devoir de ceux qui possèdent, les pouvoirs publics ont le droit de les y contraindre en prélevant pour cela sur leurs gains. Mais, peu à peu, les lois sociales doivent aménager, par des institutions appropriées, une distribution équitable du revenu national. Les grands organismes internationaux, en se perfectionnant, auront à assumer la même tâche, dans toute la mesure du possible, au plan mondial ».

La dernière phrase de l'alinéa deviendrait: « Les pères et les Docteurs de l'Eglise ont de même enseigné que ceux qui se trouvent dans une situation d'extrême nécessité ... (et la suite du texte, jusqu'à la fin du paragraphe). Ils ne visaient alors que les personnes, mais on voit les conséquences de cette doctrine pour l'élaboration d'un nouveau droit international ».

N. 83, ligne 8 du 1er alinéa. Ce « pouvoir » pouvant être autre que la propriété au sens strict, il faudrait mettre, pour éviter toute équivoque « ou *de la* propriété ».

N. 83, dernière ligne du paragraphe 83. Apporter la correction suivante: « non de la *seule* valeur vénale *ou du prix de spéculation,* mais ... ». Par ailleurs, le terme « circonstances » étant trop vague, il faudrait terminer ainsi la phrase: « mais de toutes les exigences de la justice sociale, en telle ou telle circonstance déterminée ».

N. 84, 7ème ligne du premier alinéa. Après « les plus faibles et les plus pauvres », ajouter: « ; en effet, comme les individus, les nations qui sont en extrême nécessité ont droit aux biens nécessaires à leur subsistance ».

N. 84, ligne 9 du premier alinéa. Au lieu de « le commerce international », mettre: « les échanges internationaux », terme plus large qui inclut évidemment le commerce.

N. 85, 8ème ligne du n. 85. Après « hiérarchie des valeurs », ajouter: « non seulement en exerçant la bienfaisance envers les individus, mais aussi et surtout en réformant les structures économiques, étant ainsi fidèles à l'Evangile du Christ ».

Dans ce cas, supprimer l'incise « dans la fidélité au Christ et à l'évangile ».

Remarques générales sur le chapitre IV. L'on ne donne en référence, sauf en un seul cas, que des Documents Pontificaux récents, sans rappeler aussi l'*enseignement du Nouveau Testament* et de certains Pères et Docteurs, ce qui me semble une lacune assez grave.

Il faudrait attirer l'attention sur le fait que, surtout dans les nations en début ou en voie de développement, la *structure gouvernementale et administrative* doit correspondre à la réalité du pays et non pas être copiée sur celle de tel ou tel pays.

Il faudrait affirmer le devoir des gouvernants de lutter avec fermeté contre la *concussion* qui est une plaie presque générale dans les pays moins développés.

Il faudrait mettre en garde contre la *spéculation sur les terrains cultivés* ou à cultiver *et sur les terrains à bâtir,* autre plaie sociale et morale particulièrement grave dans les pays en voie de développement.

Il faudrait parler du *devoir des associations professionnelles et des partis* de ne pas s'en tenir à la phase de revendication, mais de présenter des programmes constructifs en vue de l'instauration du bien commun.

Il faut dire que *l'éclosion et l'épanouissement de la démocratie* constituent un long processus d'éducation des élites et des masses et que la démocratie, à la fois politique et économique, est la récompense d'un long effort collectif pour l'instauration du bien commun.

Ces précisions donneraient au chapitre IV, un peu abstrait, un réalisme dont l'absence lui serait certainement reprochée.

N. 88, dernière phrase du deuxième alinéa. Cette phrase ne semble pas claire. On pourrait peut-être la reconstruire ainsi: « Quant aux citoyens, qu'ils prennent garde, *en n'exerçant pas leurs droits,* de permettre au pouvoir d'abuser de son autorité, ou bien, en attendant trop de l'Etat, de ne pas porter leurs responsabilités normales dans la vie de travail, dans la vie familiale ou dans la participation à l'activité des associations dont ils ont le devoir d'être membres ».

N. 88, ligne 7 du troisième alinéa (A notre époque ...). Après « des personnes », ajouter: « des groupes intermédiaires et des unités régionales ».

33

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH IRIARTE

Episcopus Reconquistensis

Potest affirmari quod totum cap. III in genere ad nimis minuta descendit et in specie ad solutiones technicas in rebus et casibus quae adhuc sub disputatione et insuper contingentia sunt; nec ideo potest Concilium de his directe agere. Cf. v. g. inter alia: *a*) n. 82 per totum; *b*) n. 83 per totum et in specie pag. 66, lin. 9 ubi dicitur: « In quo casu eis suppeditari debent ... ordinatio quaedam cooperaria ». Quamvis absolute defendam motum cooperarium, attamen non videtur Concilium asserere *debere* hunc motum esse adhibendum in *omni* casu reformationis et distributionis agrorum.

34

EXC.MUS P. D. ANGELUS IOSEPH JELMINI

Episcopus tit. Thermensis, adm. ap. Luganensis

1. De omissis in II parte prout ista pars tendit enucleare doctrinam socialem Ecclesiae.

N. 79: cur nihil dicitur de principio « subsidiaritatis » quod est principium fundamentale vitae oeconomico-socialis? Nihil de caritate sociali sine qua iustitia haberi non potest? Nihil de principio sani interventus Status quod hodie « planificatio » dicitur, ad obvianda damna excessivae concurrentiae et ad nationis divitias melius disponendas? Nihil de collaboratione classium, nempe de institutis fovendis in quibus operarii et domini ipsimet sua problemata solvere satagunt? Nihil de iusto pretio in quo realitas oeconomica fundatur? Nihil de pecuniae parsimonia — quod vulgo « risparmio » dicitur — cum sine sumptuum limitatione nullae dantur bonorum collocationes (« investimenti »)? amplius pecuniae parsimonia optimam viam ad proprietatis accessum constituit. Nihil de moralitate in locis laboris? Nihil de habitatione familiarum?

N. 82: quomodo de edenda pecunia loqui potest, quin tractetur problema « inflationis » quod est maximi momenti?

2. De iis quae cum maiore claritate tractanda sunt.

N. 80: quae de participatione operis socialis dicuntur utrum imperativo an optativo modo intelligenda sunt? assentimus optativo modo, caveatur ab imperativa obligatione quae legitimitati sic dicti regiminis salarii contradicit.

Libertas syndacalis accuratius definiri deberet, tam relate ad ius naturale,

tam ad collaborationem classium, tam ad creationem institutionum pacis sic dictae laboris.

Utrum operistitium legitimum esse poterit pro omni motivo etiam politico?

Cur quando de remuneratione laboris loquitur ad necessitates inceptus (« impresa ») et nationis non attenditur?

* * *

Adnotationes ad I partem schematis XIII.

1. Ne quid nimis affirmandum est uti accidit: in n. 7, lin. 25: nec omnia instituta, nec omnes leges, nec omnis modus cogitandi invalida sunt quae a traditione accipiuntur; in n. 13 lin. 27: quid intelligitur sub nomine « sapientiores »? In n. 55 lin. 10: aliquod discrimen dandum est circa iudicium quod datur sub lumine verbi divini secundum quod a Hierarchia fit vel ab aliis.

2. Praebendum est fundamentum solidius: in n. 15: cur nihil dicatur de caritate qua nihil solidius libertas fundatur? In n. 33: cur nihil de bono communi dicitur, cum tale bonum sit motivum propter quod reicienda est ethica individualistica?

3. N. 42 melius poneretur cum nn. 11, 12 et 13.

35

Exc.mus P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER

Episcopus Lunganensis

Ad pag. 60, n. 75, et pag. 61, n. 78: alius aspectus vitae oeconomicae et inaequalitatis oeconomicae in specie mihi non videtur totaliter negligendus, scil. disparitates oeconomicas sociales ex ipsa natura humana vitari non posse omnino. Causa disparitatis non semper est iniustitia. Sunt homines qui nesciunt possidere; si eis praebes ingentes divitias, post paucos annos iterum erint pauperes; alii vero industria sua et capacitate a paupertate ad statum divitissimum ascendunt absque ulla iniustitia. Utique habentur iniustitiae, immo tales quae clamant ad caelum, sed quando loquitur de disparitatibus, non ad hanc solam causam attendendum est.

Ad pag. 64, lin. 10: dicatur potius: « illis bonis utens, hanc destinationem communem numquam obliviscatur ». Prout enim in textu exprimitur, videretur proprietarium non habere ius rem ad usum privatum adhibendi, quod certe est falsum.

Ad pag. 68, n. 87: in enucleatione tam fundamentali non inutile mihi videtur addere, quod politica non debet immisceri in vitam singulorum vel societatum nisi ubi et in quantum ipsi privati vel societates finem proprium

attingere non valent, vel bonum commune coordinationem privatorum et societatum requirit; non potest auctoritas politica ad se vocare nisi illam activitatem quam privati vel societates exsequi nequeunt.

Ad pag. 70, lin. 11: ex ratione prudentiae praeferrem ad « in formas dictatorias » addere verbum « tales », scil. « quod gubernium in tales formas incidat dictatorias, quae ... ». Speciatim quia verbum « inhumanum » praecedit cavendum est a reprobatione formae gubernii, etiam a specie reprobationis, ac clare insistendum quod agitur de iuribus personarum.

36

Exc.mus P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Laudandum est, Concilium etiam de vita communitatis politicae agere. Non tantum, quia haec quaestio inter principales huius temporis numeranda est, sed quia de recta habitudine civium in quaestionibus politicis et eorum recto usu etiam multum pro libertate et pace dependet.

Momentum huius quaestionis non minuitur ex eo, quod tantum quatuor Patres in aula conciliari de hac re loquebantur, quia sperandum est, etiam animadversiones in scriptis elaboratas adfuturas esse; Concilium praeterea cum hac quaestione novam materiam suscepit, ad quam propterea non multae observationes exspectandae erant.

Pro me saltem hoc caput in genere placet, quamvis negare nequeo, adhuc melius elaborandum esse. In specie ergo propono,

1. Ut inter signa, quae hodiernam vitam politicam characterizant, etiam conatus populorum pro independentia assumantur, praeterea iam hic aliquid de sic dicta societate pluralistica dicatur (ad n. 86).

2. Ut plura de recta functione hodierni status dicantur, praeprimis de principio subsidiaritatis, de quo nonnulla, sed non sufficientia, in textu continentur.

3. Ut recta ethica de auctoritate civili, quae hodiernis condicionibus et necessitatibus correspondet, statuatur, nempe quae ex una parte eius necessitatem etiam pro vita politica hodierni temporis demonstrat, ex altera parte autem satis respicit ad hanc maiorem responsabilitatem et cooperationem civium, quae pro hodierno homine tam characteristicae sunt.

4. Ut iura singulorum magis elaborentur, etiam aliquod verbum clarius de iure resistentiae dicatur, quia non tantum istud verbum, in nostro textu citatum valet, sed etiam illud aliud, nempe Deo magis quam hominibus obtemperandum esse (ad n. 87).

5. Ut homines monentur, semper aptiores et maturiores fieri pro usu iurium politicorum (ad n. 88).

6. Ut autonomia status in suo campo clarius dicatur et tum catholici cum Ecclesia istam in sua activitate politica satis agnoscat. Etiam aliquod verbum de Ecclesia et sic dicta societate pluralistica in hac connexione utile esset (ad n. 89).

Haec sunt nonnulla desideria, quae brevis temporis causa tantum in hac forma proponi possunt.

37

EXC.MUS P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK
Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

N. 88. E nuntio natalitio ultimo Summi Pontificis Pauli VI, 22-XII-64 quidam immerito concludunt Summum Pontificem damnare omnem formam nationalismi verbis sequentibus: « il nazionalismo, che divide i popoli opponendoli gli uni agli altri, alzando fra loro barriere ... nemico della fratellanza umana ... ».

Sed immerito, etenim, ex contextu nuntii clare eruitur Summum Pontificem intendere tantum nationalismum immoderatum, extremum, qui sibi auctoritatem illimitatam arrogando mediis illicitis et violentibus utitur ad iura sua exaggerata vindicanda, etiam absque consideratione iurium aliorum iuste acquisitorum.

Decetero iam Summi Pontifices praedecessores laudarunt et commendarunt amorem erga suum populum, etiam nationem, sicut Leo XIII, Benedictus XV, Pius XII qui laudat vitam nationalem sensu proprio, sed damnat politicam nationalisticam, tamquam fontem malorum tam internorum quam externorum. Radio nuntius Nativitatis, 1954.

Ut tamen clarius appareat Ecclesiam Catholicam magni facere et aestimare iustas aspirationes nationum, atque nullo modo favere sic dictis imperialismis qui suis propriis interesse alios populos subdunt, propono ut in schemate « De Ecclesia in mundo », n. 88, sanum principium nationalitatis indicetur tamquam unum ex mediis aptis ad pacem et aequilibrium inter civitates et populos stabilienda et conservanda. Quod principium moderatum nationalitatis haec inconcussa habeat:

a) Omnis stirps evoluta ius habet ut sit sui iuris atque ut in unam nationem coalescat, dummodo iura aliorum iuste acquisita non laedat et media apta (non violentia) adhibeat ad iura sua vindicanda (partim ex encyclica *Pacem in terris*).

b) Omnis natio ius habet (et nunc etiam officium quodammodo) sic dictam foederationem, seu societatem supranationalem cum aliis nationibus ineundi, dummodo ad hoc non cogatur, ut sic medium efficax reperiat suos valores promovendi et sufficientem independentiam conservandi.

c) Quoad autem stirpes quae propter circumstantias intra limites nationis alius stirpis in minoritate vivere coguntur: 1) Nihil facere quod vigorem

talis stirpis minoris atque incrementum eius coerceat. 2) Immo efficacem operam praestare ad promovendas humanas conditiones seu valores nationales eius, ut v. g. linguam, culturam, traditiones, etc.

d) Minoritas quae solum ut politice independens potest pervenire ad adeptionem suae missionis, ius habet inalienabile per viam legalem et constitutionalem suam politicam independentiam persequendi. Etiam natio in pluribus statibus vivens potest in illis promotionem suorum valorum manifestare, colere atque exigere.

Sic principium nationalitatis intellectum observat et respondet iuri naturali et positivo tum statuum tum etiam populorum.

38

EXC.MUS P. D. GEORGIUS MANRIQUE HURTADO
Episcopus Orurensis

I. *De recta distributione bonorum.* In cap. V huius schematis, loquendo de natura pacis (n. 91) optime statuitur principium hoc: « pax est opus iustitiae », i. e. tranquillitas ordinis exigit ut « in societate humana unicuique nationi et infra nationem *unicuique* civi *suum* in omni campo tribuatur, ita ut nemo id forsan ab aliis iniuste sit detentum, per vim et arma arripere conetur » (n. 91).

Attamen tota consideratio quae tam in cap. III de vita oeconomico-sociali agente, quam in cap. V, nn. 93-97 continetur, non sufficienter placet. Optimum enim est quod loquatur de amicitia et fraternitate, quoniam iustitia alitur exercitio mutuae fraternitatis. Iustitia vero non est fraternitas. Iustitia iuvatur etiam a caritate, sed caritas non est (cf. nn. 91-95).

A. v., schema hac in re redactum est sapore quodam subtili evasionis a praeceptis strictis iustitiae. Iam inde a n. 75 ubi quidam aspectus vitae oeconomicae hodiernae describuntur, deest vis in descriptione. Nemo est qui non videat — quidquid sit de origine logica systematis materialismi dialectici — quod historice expansio huius materialismi inter massas et populos in universo mundo (et non solum intra « murum ferri ») praecipuum caput habet reactionem contra iniustitiam socialem, a systemate materialismi liberalistici saltem sustentatam. Indigentes enim, qui « ingentem multitudinem » constituunt « rebus omnino necessariis carentem » dum « aliqui opulenter vivunt » (n. 75) iam non solum in caelum clamant, sed contra caelum exurgunt.

Primum ergo principium, quod omnino clare, firmiter, et aperte, absque ullo timore, enuntiandum, est principium et imperium iustitiae.

Iamvero: schema recognoscit « ingentissimas differentias oeconomicas et discrimina socialia » esse contra iustitiam et petit quod « quam citissime removeantur » (n. 78). Et schema recognoscit has differentias et haec discri-

mina dari non solum inter personas vel coetus sociales, sed etiam inter nationes (nn. 84 et 93 ss.). Attamen non proportionata criteria vel principia statuit ad hanc permagnam iniustitiam socialem quam citissime removendam. Certe Ecclesiae non est solutiones technicas offerre vel proponere; sed eius est saltem prima principia de iure naturali exprimere.

Si autem hae iniustitiae sociales, ex quibus millia millium hominum unoquoque anno fame moriuntur et tertia pars mundi subnutrita est, ex iniusta distributione bonorum fundamentaliter proveniunt, primum principium statuendum, antequam de aliis rebus vel principiis loqui liceat, est principium de recta, iusta et aequitativa distributione bonorum, tum in unaquaque societate tum in ordine internationali vel mundiali.

Multa ad hanc rem optima in schemate dicuntur, praesertim loquendo de adiutorio a nationibus divitioribus ad nationes egentes (nn. 84 et 93 ss.). At nec ordine sufficienter logico, nec ordine gradationis inter diversa principia. Sit exemplum desumptum ex n. 96, ubi in fine optime affirmatur: « Necesse est autem ut simul *ratio possessionis terrarum* secundum exigentias hodiernas populorum *reformetur* ... ».

At nonne idem dicendum erat loquendo de possessione aliorum bonorum? Nonne forse ex ingentibus divitiis in paucis manibus congregatis, praesertim industrialibus, ipse ordo socialis in periculum vertitur? Nonne permagna incepta et permagnae divitiae paucorum obstacula insuperabilia persaepe constituunt pro iustitia sociali? Nonne permagni « capitalisti », ut ita dicam, sunt persaepe supra ordinationem iuridicam Civitatis, ita ut etiam ipsa auctoritas civilis impotens evadat propter potentiam divitum?

Ergo *primum* principium statuendum, postquam ingentes iniustitiae sociales in cap. III (n. 75 et in n. 78) recognitae sunt, esse debuit: « Necesse ergo est ut *ratio possessionum bonorum reformetur secundum exigentias iustitiae et hodiernas populorum necessitates* ».

II. *De adiutorio et rationibus oeconomicis inter ditiores et egentiores nationes*. Hac de re loquitur schema in diversis paragraphis. Ita v. g. in nn. 84, et 93 usque ad 97; etiamque aliqua de hac re tanguntur in nn. 78, 81 et 83.

Puto melius fuisset haec omnia in unum colligere, tamquam sectio autonoma, sive in cap. III sive in cap. V. Et in unum colligendo, firmetur vis imperativa iustitiae socialis, et non loquatur quasi ageretur de materia omnino libera quae tantum pendent a desiderio perfectionis humanae vel christianae, vel a generositate libera, paternalistica divitum erga pauperes.

III. *Concludo*. Hae duae partes, de distributione bonorum et de adiutorio nationum divitum erga egentes, denuo examinentur et redigantur, sub luce iustitiae lucidius expositae.

De possibili structura tractationis harum duarum quaestionum, scripta Secretariae mitto.

* * *

I. *De distributione bonorum*: structura cap. III, partis II.

1) *Aspectus vitae oeconomicae-socialis hodiernae*: in hoc numero includatur descriptio summaria, at fortiter expressa, de iniustitia sociali in fame mundi specialiter manifestata; de duello inter materialismum dialecticum et conceptionem christianam vel humanam aliquid dicatur; de iniustitia sociali a systemate liberalistico saltem sustentata et a materialismo dialectico in proprium profectum vocata.

2) Sectio prima: *De distributione bonorum*. Iniustitia in mundo ex iniusta distributione (n. 81, par. 1).

Lex ergo fundamentalis et primaria: Bona terrae sunt pro omnibus hominibus (n. 81, par. 1).

Persona et familia accedant ad bona necessaria per proprietatem vel dominium (n. 83), quia *ius strictum* habent ad necessaria et sufficientia.

Ius bona ultrasufficientia, maxime ingentia, homo saltem non habet nisi postquam necessitates personales et familiares omnium sublevatae fuerint; et pendent ab ordinatione positiva Civitatis, quae ita tenetur facere distributionem bonorum ut, praedictis necessitatibus personarum et familiarum solutis, ordinem socialem attendat.

Unde: *ratio possessionum* bonorum secundum exigentias iustitiae et hodiernas populorum necessitates *reformetur*.

3) Sectio secunda: *De progressu oeconomico*: lex fundamentalis (n. 76); sub consilio hominis (n. 77); ne ex hac progressione novae oriantur iniustitiae (aliqua in n. 78).

4) Sectio tertia: *De productione bonorum*: de labore et otio (n. 79); de participatione in inceptis ... (n. 80); de pecunia (n. 82).

5) Sectio quarta: *De rationibus internationalibus*: principia generaliora (n. 78); exigentiae et conditiones in nationibus subevolutis et evolvendis: dynamismum proprium (n. 94, *a*); reformatio structurarum: terrarum, latifundismi ... (nn. 83 et 96); organisatio oeconomica agraria (nn. 83-96); respectum speciale quoad normas traditionales oeconomiae communitariae (in n. 81); damnetur evasio pecuniarum in nationes exteras.

Adiutorium a nationibus divitibus elargiendum: *principia*: absque cupiditate (n. 84); officium gravissimum (n. 94, *b*); absque nationalismi, colonialismi, dominationis ... spiritu et activitate (n. 93); *media*: regulatio commercii (n. 84); adiutorium technicum (nn. 84 et 93); dona, mutua et collocatio pecuniarum (n. 93).

Munus communitatis internationalis: statuantur *normae internationales pro commercio* (n. 93); foveantur et perficiantur *officia internationalia pro mutuis;* statuantur *normae internationales ne imperialismum* exerceatur in

hoc adiutorio; statuatur *tribunal internationale* contra abusus auctoritatis in nationibus subevolutis quoad mutua, etc. recepta.

Munus christianorum (aliqua in n. 95) etiam in cooperatione positiva cum communitatis acatholicis, et non tantum « si casus fert ».

De navitate oeconomico-sociali et *Regno Dei* (n. 85).

Itaque: cap. V relinquatur tantum pro *Pace fovenda.*

39

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARAFINI

Episcopus Verulanus-Frusinatensis

Cap. IV: *De vita communitatis politicae.*

Petitio. Argumentum tanti ponderis, praecipue his temporibus, satis explicatum non videtur in cap. IV, quod revera ad graves et plures quaestiones morales ab hodierna activitate politica effluentes non est accommodatum.

Nam actio politica, cum condendis et exequendis legibus ac institutis valde influat in iuventutis educationem, in familiam, in res oeconomicas et in multas alias vitae publicae provincias normam ethicam attingentes atque princeps causa esse possit maximorum bonorum vel malorum, idest pacis aut belli, libertatis aut servitutis, iustitiae aut iniustitiae, maiore et ampliore consideratione digna est.

En aliqua exempla insufficientis explicationis:

N. 88: 1. Cum ibi de civium cooperatione in vita publica agatur, nequit praetermitti sed strenue asserendum est civibus ius et officium esse *suffragii,* quod, onerata conscientia, ipsis in comitiis exercendum est; etenim hoc ius officium est efficacissimum et universale medium, quo cives vitae publicae participes fiunt (cf. PIUS XII, *Discorso ai Parroci di Roma,* 10 marzo 1948).

2. Insuper pauciora dicuntur de moralitate et conscientia, quibus vir politicus agere debet, de peritia, de honestate et praesertim de officio non abutendi potestate vel utendi privilegiis in proprium commodum vel in damnum aliorum, sed communitati et bono omnium ministrandi.

3. Sublineetur gravissimum periculum: si vir politicus animadvertat solummodo rationes politicas tamquam supremam normam suae actionis publicae; nam rationes politicae *subordinandae* sunt non sorti alicuius factionis sed utilitati totius populi et societatis, cui servitium ille dare debet, atque normis iustitiae, aequitatis, caritatis.

40

EXC.MUS P. D. EMMANUEL MARENGO

Episcopus Azulensis

N. 81, pag. 64, linn. 13-15. Agitur hic de distributione bonorum et divitiarum. Quaerendum est utrum obligatio divitum donandi superflua pauperibus pertineat ad iustitiam vel ad caritatem. Haec quaestio proponitur, nam scimus hominem ius habere possidendi ea quae sibi ac suis sunt necessaria ad honeste et digne vivendum et inesse aliis obligationem permittendi eorum usus et praebere opportunitatem ut ita sit. Sed non ignoramus existere universalem destinationem bonorum terrestrium a Deo praefinitam et voluntatem expressam ut omnes homines habeant ea quae necessaria sint propriae ipsorum sustentationi.

Nobis videtur hanc obligationem divitum sive personarum sive populorum pertinere ad iustitiam et ad caritatem. Ratio est, quia superflua (id est ea quae necessaria sibi suisque non sint) desunt esse bona privata et ideo transferri debent ad communitatem, in qua in ordine distributionis divitiarum primum locum occupant pauperes; et est etiam obligatio caritatis, quia ratione fraternitatis universalis qua cognoscimus unum esse Patrem omnium, omnes homines unam efformant familiam. Nec tamen desunt exempla et verba in Evangelio, quae praescribunt exercitium huius virtutis, quae in die iudicii signum erit aeternae praedestinationis.

Ad modum conclusionis huius numeri nobis videtur formulam « donare pauperibus » respondere mentalitati classisticae et esse depressivam et quodammodo offensivam; ideoque suadetur quod in aliam mutetur, quae melius exprimat mentem fraternitatis et solidarietatis humanae, nempe « restituere communitati », in qua pauperes semper erunt.

41

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

Hoc caput de rebus oeconomicis sub aspectu morali consideratis, mihi videtur rem facturi fidelibus valde utilis si aliqua dicantur etiam de quibusdam vitiis quae persaepe vitam oeconomicam turbant in societate humana ita ut fideles praemonendo ab his praecaveantur.

Vitium est exaggerata cupido praesertim mercatorum pretia bonorum augendi quovis titulo specioso: dicatur aperte hoc simpliciter « furtum esse » etiamsi agatur de hominibus simplicioribus vel de advenis qui verum pretium mercis non sciunt.

Hoc etiam applicari potest iis hominibus qui vitio « parassitismi » peccant, scil. sese introducendo vel in officiis, vel in mercatura non necessaria ita ut sua retributione, pretium mercis vel servitii indebite augeant cum communi damno omnium. In nostra societate moderna sunt plurimi qui vel in servitio sic dicti status non considerent peccatum esse lucra quaerere sine convenienti labore vel productione vel servitii publici.

In schemate iam provisum est pro aequa distributione proventuum; attamen non erit otiosum si hoc principium clarius et firmius et expressius reiteretur ad includenda non solum relationes operariorum et proprietarios officinarum sed etiam in privatis relationibus inter dominum et servum eius, ita ut, quatenus possibile est, tollatur radix odii et malevolentiae quae prodit ex habitudine hominum ut proventus vel fructus laboris sibi ipsis retineant fere totaliter — quod vitium universale est.

42

Exc.mus P. D. GABRIEL MATAGRIN

Episcopus tit. Florianensis, aux. Lugdunensis

Chap. IV. Le Schéma ne met pas en relief la caractéristique majeure de la vie politique d'aujourd'hui, à savoir: l'importance primordiale de l'Etat dont le rôle s'est accru de façon considérable aussi bien en ce qui concerne la politique étrangère qu'en ce qui concerne la politique intérieure, spécialement dans le domaine économique, dans celui de l'instruction et de l'information, dans celui de l'action sociale.

Cette extension du rôle de l'Etat semble en contradiction avec deux requêtes du Schéma souhaitant fort légitimement une participation plus grande des personnes et des groupes, et une meilleure garantie des droits et des libertés individuelles.

La participation des personnes et des groupes n'est pas favorisée dans la mesure où la complexité des problèmes à résoudre incite les pouvoirs publics à s'adresser à des comités d'experts dont les décisions prévalent alors qu'elles sont motivées par des considérations d'ordre purement technique.

L'intervention nécessaire de l'Etat, en matière économique notamment, peut le conduire à intervenir de façon de plus en plus autoritaire et à restreindre par là même le libre exercice des droits et libertés individuelles.

Il conviendrait que le Schéma mette l'accent sur cette double contradiction qu'ont à résoudre les communautés politiques d'aujourd'hui pour progresser vers plus de démocratie et indique plus vigoureusement les moyens de la surmonter.

(Il serait bon de se référer à la Lettre de la Secrétairie d'Etat à la Semaine Sociale de Caën, 1963).

43

EXC.MUS P. D. EDUARDUS McCARTHY

Episcopus Tamascaniensis, aux. Cincinnatensis

In par. 80, de quo supra, fusius tractandum esset, uti humiliter opinor, de officiis, quae ad moderatores ac membra opificum consociationum spectant.

Nam, in huius temporis aetate, operariorum consociationes illo aliquando abutuntur potenti imperio, quo re vera pollent. Inter cetera, quaedam significantur exempla, quae hic sequuntur.

1. Aliquando operistitia de facto non diriguntur ad iusta laborantium desideria satisfacienda (de hoc enim genere operistitii, uti mihi videtur, in textu agitur), sed potius nituntur ad iniustos fines assequendos, vel ad politicas factiones tuendas, vel ad civium ordinem subvertendum, vel ad illam effrenatam sui ipsius cupiditatem extollendam, qua ipsi moderatores harum consociationum afficiuntur.

2. Immoderatum stipendiorum incrementum aliquando labefacit publici aerarii administrationem per nummariae chartae nimietatem, quae vulgo « inflation » nuncupatur.

3. Aliquando operarii excluduntur a consociatione laborantium tantum ratione eorum pellis coloris vel religionis.

Hoc, igitur, schema mihi mancum esse videtur si de officiis consociationum opificum magis perspecte non ageret: quod quidem, forsan, etiam possessorum et conductorum animi, etsi bona voluntate suffulti, a mutuo auxilio alienari possent.

44

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ROSARIUS MENNONNA

Episcopus Neritonensis

N. 80. Cum de operistitiis fit verbum, explicite dicatur nunquam licita esse operistitia strictae naturae politicae atque in ipsis operistitiis naturae oeconomicae (rivendicazioni salariali) servitia essentialia vel necessaria semper in tuto servanda esse, ne nimium incommodum vitae civitatis et praesertim innocentium afferatur.

Nn. 86-89. Nulla mentio fit de partis politicae societatibus (partiti o raggruppamenti politici) quae de facto in omnibus nationibus democraticis constitutis magnam partem agunt. De quibus cum loquatur, dicatur nunquam ipsis licitum esse in potestatis fere despoticae societates mutari (gruppi di potere, per ottenere il quale a vantaggio personale si ricorre alla formazione di correnti nello stesso partito) ut in Italia e. g. nostris diebus factum est.

45

Exc.mus P. D. MICHAEL OLÇOMENDY

Archiepiscopus Malacensis-Singaporensis

1. Ad n. 93, pag. 74: au sujet de l'aide des pays industrialisés aux nouvelles nations, indiquer nettement que dans l'aide économique on doit rechercher l'aide réel et efficace aux pays sous-développés et non son intérêt économique propre, en commençant par améliorant la nutrition, l'état sanitaire, l'habitat et l'habillement; et non en introduisant das produits de luxe non nécessaires et au dessus des moyens financiers du pays et de la population. Ce qui cause le déséquilibre dans ces pays neufs et la vie des gens. Natura non facit saltus: cet adage s'applique ici.

2. Ad n. 94, pag. 74: marquer fortement de la modération et de la tempérance chrétienne dans la recherche des gains et des biens matériels. Le progrès doit se faire par étapes successives. *Raison*: la poursuite du gain sans limite et sans restriction — comme font certains pays et certaines compagnies d'affaires — est cause de rivalités entre hommes, et souvent entre nations; d'injustices envers d'autres pays ou personnes; de guerres — les exemples sont à la mémoire de tous en Europe et en Asie.

Pour les individus cela entraine non-satisfaction, manque de bonheur. On n'est jamais content, on est malheureux. Celui qui sait modérer et mettre une limite à ses désirs, est souvent plus heureux que ceux qui possèdent beaucoup, mais qui ambitionnent encore plus. L'excès est malfaisant.

46

Exc.mus P. D. IOSEPH OLIVOTTI

Episcopus tit. Samiensis, aux. Venetiarum

Ad ea quae edixit em.mus card. Cardijn aliqua mihi liceat adiungere et praecise circa problema operariorum de quo loquitur schema etiam in cap. III, n. 79.

Ecclesia in mundo huius temporis, tam saepe ab odio percurso et dilaniato, expressio et manifestatio dilectionis esse debet. « Contesseratio caritatis », « Regnum amoris ». Hoc voluit Divinus Conditor, hoc super omnia huius temporis mundus ab Ecclesia postulat, vult et expectat. Concilium, quod magna vox est Ecclesiae, hunc amorem, sicut Paulus VI docuit, vult exprimere, dicere sibi et manifestare mundo.

Coetus qui speciali modo hanc expressionem amoris multiplici ex causa meretur et quaerit est illud operariorum, mundus in angustia et in inquietudine positus, multoties in periculo gravi spirituali atque morali et tamen ad vitam, ad salutem, ad magnos eventus destinatus, si bene et suo idoneo tempore gubernetur.

Maxima expressio dilectionis erit ex parte Ecclesiae donare illi bonum quod est super omnia id est Christum. Lux ipsius et fides et amor. Inspicere hunc mundum operariorum, sequi eum in sua evolutione, in sua technica organizatione, in suis desideriis profundioribus amanter atque attente et perinde secundum circumstantias, tempora et loca, illi auxilium spirituale afferre et adiumenta apostolica aptare quae ad Christum eum ducant.

Multis iam annis de hoc mundo mihi non deest notitia, quia aliquam curam gerui operariorum Venetiis et praesertim de iis qui in Portu Marghera officinarum labores agunt etiam ut cappellanus eorum.

Nunc mihi liceat testimonium perhibere de maxima cura ad idem consilium eius qui postea encyclicam, quae *Mater et Magistra* inscribitur, promulgavit, card. Ioseph Roncalli, per sex annos Venetiarum Patriarcha, cuius auxiliarius fui.

Immensus operariorum mundus est et in genere suo proprio nostrae aetatis quae magno artium et artificiorum signatur.

Maxime nos commovent haec testimonia:

In Europa et America Septemtrionali numerus operariorum, stricto sensu, fluctuant de trecenis quinis ad quadragenas quinas centesimas partes (da 35 a 45 per cento) eorum omnium quovis modo labore operant.

Liber annuarius de rerum statu internationali cuius de Bureau International du Travail Genevae editio curatur, haec gravissima nobis notificat:

In Europa: *In Austria*: ex triagies centenis millibus et quingentis milibus (tre milioni e mezzo) eorum qui quovis modo labore operant sunt operariorum laborantium in officinis et metalla exercentium nongenta millia (900 mila operai).

In Gallia: sunt in officinis quadragies centena milia et nongenta milia (quattro milioni e novecentomila operai).

In Germania federali: sunt in officiniis centies centena millia (di venticinque milioni di popolazione attiva, sono dieci milioni di operai e minatori).

In Hispania: ex centies et vicies centenis milibus, sunt vicies centena milia et centum milia operariorum (su 12 milioni sono 2 milioni e centomila).

In Anglia terra: sunt in officiniis laborantium et metalla exercentium nonagies centena milia et quingenta milia (su 23 milioni sono 9 milioni e mezzo).

In Italia: in officiniis sunt octagies centena milia et quinquaginta milia operariorum (su 21 milioni sono 8 milioni e cinquantamila operai).

De America Septemtrionali: In U.S.A. ex septies centies et quinquagies centenis milibus (75 milioni) eorum qui quovis modo labore operant, sunt centies et septuagies centena milia et trecenta milia (17 milioni e 300 mila) operariorum qui tantum in officiniis laborant et metalla exercent.

Omitto, breviloquentiae gratia, alia testimonia spectantia ad Americam Meridionis, Africam, Asiam, Oceaniam, quae ad Segretariatum defero.

Huic mundo operariorum et artificum etiam in nationibus catholicis, diffi-

cile ab Ecclesiae ministris aditur et loquitur, quia toto die et saepe etiam die dominico et festivo officio suo iidem funguntur.

Quibus praeterea in nonnullis nationibus, ne in Italia quidem irreprehensa continuo marxismus, hoc est italice « comunismo ateo », laicismus, et similiter immoralitas insidiant.

In schemate « De pastorali episcoporum munere in Ecclesia » dictum est de religiosa cura emigrantibus, ad ferias agendas euntibus (turisti), sed paucius locuti sumus de cura mundo operariorum agenda, qui ex numero plurimi sunt.

Quod ad animadvertendum invitare Patres mihi liceat.

Ecclesiam nostrae aetatis adesse oportet huic negotio maximi momenti in quo, ut dixit conditor ONARMO et ipse apostolus operariorum, Ferdinandus Baldelli: « aguntur fortunae mundi in posterum ».

Sensus christianus vitae, notio fidei doctrinae, vita christiana operariorum et artificum, optabuntur et invenientur si fuerint qui adiuverint ut perficiantur et sunt ipsi quibus Christus Dominus dixit: « Ite et praedicate Evangelium »; hoc iste episcopi et cooperatores ordinis episcoporum, sacerdotes cappellani operariorum.

Sacerdotes electi, parati, magnanimi, maximum bonum afferent, et hoc dico scienter, sua constanti praesentia in officiniis, ubi possibile est, caritate prudenti et considerata, verbo religioso et morali, nunquam de rebus ad politicos viros pertinentibus (haec et spectantia pariter ad iura operariorum defendenda, scil. syndicalismo, sint laicorum politicorum christianorum) visitationibus operariis infirmis, et statuendo « Societates in officiniis » qui S. Vincentii a Paulis appellantur (Conferenze di S. Vincenzo) et communitates Apostolatus orationis (Apostolato della preghiera) quos adiuvent expertae et apostolicae mulieres, hoc est italice « assistenti sociali ».

Ecce munus christianorum laicorum.

Quod dixi in multis nationibus officiatur, sed necesse est in omnibus nationibus ubi fit progressum artium et artificiorum in dies crescat, ubique vehementius et melius fiat.

Mihi liceat demum haec vota exprimere:

1. Curent episcopi ut nonnulli sacerdotes validi cognoscant quam optime statum operariorum, statum materialem, moralem, religiosum.

2. Cognoscant opera et associationes quae illic factae sunt ad servandam fidem et mores curandos operariorum.

3. In suis dioecesibus, dummodo in actu nondum sint, operas similes iisdem supra dictis efficiant.

4. Mittant, etiam cum incommodo, sane inopia clericorum pressi, sacerdotes idonei et parati in officinias, non timentes primas difficultates.

5. Curent ut omnes adscripti variis apostolatus operibus qui in officiniis operam dant, fidem faciant cum cappellano ut fiant una communitas, fermentum Christi, in officinia, ut perficiatur quod dixit et optavit Papa Pius XI: « operario redeundum est ad Christum per operarium ».

6. Quod in schemate « de Ecclesia in mundo huius temporis » de problemate religioso atque morali operariorum clare et practice tractetur.

[Addidit Statisticas ex Annuario Statistico Internationali, Bureau International du Travail (BIT), Ginevra, 1962].

47

EXC.MUS P. D. VICTORIUS OTTAVIANI
Episcopus Alatrinus

Ad n. 81, pag. 64, linn. 10-11. Expressio « res exteriores quas possidet, nunquam tanquam sibi proprias, sed tanquam communes habere debet », est infelicissima. Est simplex principium communismi.

Corrigatur hoc vel simili modo: « res exteriores quas possidet tanquam sibi proprias, sciat ordinatas etiam ad bonum commune ». *Ratio*: dicere « nunquam tanquam sibi proprias » est simpliciter negare proprietatem privatam, etiam rerum fungibilium, quae usu destruuntur. Etiam « ascetice » et non « iuridice » expressionem considerantes, incideremus in pessimas aberrationes Fraticellorum.

48

EXC.MUS P. D. ANDREAS PAILLER
Episcopus tit. Marcellianensis, coad. c.i.s. Rothomagensis

Haec animadversio, adiuvantibus et consentientibus aliquibus episcopis (ex Gallia, Brasile, Vietnam, Corea) et uno Auditore Laico (ex Polonia) praeparata, ab arch. coad. Rothomagensi (Rouen in Gallia) Andrea Pailler praesentatur.

1) Doctrina huius capitis in se optima est et placet.

2) Dubitare tamen licet utrum haec doctrina, in se optima, ab iis ad quos dirigitur intelligibilis sit. (V. g. nonne notio fundamentalis « boni communis », quae notio pro theologis et philosophis catholicis certe plana et bene nota est, pro hominibus non peritis philosophiae socialis christianis explanationem claram et praecisam requirit?).

3) Deinde, loquendum est pro hominibus omnium nationum. Atqui textus actualis videtur pro regionibus Europae occidentalis vel Americae prae primis conceptus (cf. v. g. pag. 71, linn. 16-19). Emendandus esset ratio habita nationum mundi s. d. « Tertii » et nationum quibus praesunt gubernia marxista.

4) Denique, organicus nexus inter hoc praesens capitulum et capitula praecedentia et sequens absolute requiritur, quia de facto nexus necessarius exsistit inter realitates: scil. communitas politica sana esse non potest sine sufficienti cultura civium (cap. II), sine sufficienti statu oeconomico (cap. III), sine pace interiore et exteriore (cap. V). Et vice versa, vita politica sana multum confert ad pacem, ad culturam, ad concordiam socialem etc.

Desiderata. 1) Clarius affirmetur obligatio moralis, pro unoquoque chri-

stiano, participandi aliqualiter vitae communitatis politicae. Dicatur participationem politicam valorem habere in se (quia est forma qua exercetur virtus caritatis socialis), ergo aliqualem participationem (forte infinitesimalem) esse moraliter obligatoriam. *Ratio*: saepe, et quidem ordinario modo, fideles timent, vel despiciunt activitatem politicam tanquam moraliter periculosam vel impuram, vel eam tantum ut medium defendendi iura Ecclesiae considerant (« Devoti puras manus habent, sed manus non habent » Ch. Péguy). (De facto, in Concilio ipso tres tantum Patres in disceptatione de hoc capite partem ceperunt, et hoc factum indicat episcopos in genere hanc quaestionem velut periculosam vel sine momento habuisse!).

2) Clare et apodictice hic denuo affirmetur Ecclesiae doctrinam de communitate politica libertatem totalem christianis relinquere quoad systemata politica dummodo serventur exigentiae boni communis procurandi. *Ratio*: adhuc viget in certis regionibus opinio inveterata secundum quam Ecclesia et talis traditio vel factio politica unum sunt.

3) Clare et breviter definiatur notio « boni communis » (in n. 87). *Ratio*: *a*) haec notio ignoratur ab omnibus qui elementa doctrinae socialis Ecclesiae ignorant, etiam in regionibus christianae traditionis; *b*) a fortiori, in Extremo Oriente (v. g.) et in regionibus ubi praevalet systema quoddam marxistum, et confunduntur « ius » et « lex positiva », requiritur declaratio clara huius notionis fundamentalis; *c*) iam in cap. II partis I huius schematis allata sunt elementa huius definitionis modo diffuso et generali. Sed hic, ad intelligentiam nostrae doctrinae videtur resumenda (per summa capita saltem) definitio quae in « Adnexis » 1964 pag. 7-8 inveniebantur, et quae aptissima videtur in casu.

4) Si possibile est, distinguantur et definiantur notiones sequentes: « status », « gubernium », « res politica », « patria ».

5) Textus noster aliquem irrealismum sapit, in quantum, enuntians principia generalia communitatis politicae iuri naturali et doctrinae Ecclesiae plene conformis, oblivisci videtur maiorem partem catholicorum in statibus vivere ubi hae condiciones non verificantur (speciatim in regionibus Tertii Mundi, in regionibus marxistis, sed etiam in multis aliis).

Quid eis dicendum? Certe saltem innuendum est quod actio christianorum in hoc campo secundum principia prudentiae politicae sese evolvere debet. Dicatur insuper christianos, etiam in illis casibus, non dispensari ab omni activitate et participatione politica; denique tandem extollatur valor testimonii christiani modo (ut ita dicam) prophetico, ut iam in textu nostro innuitur, sed cum insufficienti claritate (n. 89, pag. 71, linn. 3-4, linn. 8-9).

6) Nexus statuatur modo claro inter *a*) progressum culturalem et participationem politicam; *b*) progressum oeconomicum et possibilitatem participationis politicae; *c*) actionem politicam et pacem sive internationalem sive internam.

Sic, v. g. loco affirmationis optimisticae lin. 15, pag. 68 (« una cum progressu oeconomico-sociali et culturali roboratur apud plures, etiam in novis

nationibus, desiderium assumendi maiorem partem ...), dicatur « Sine progressu culturali et oeconomico, praesertim in novis nationibus, et in multis regionibus Tertii Mundi, non potest participatio politica efficaciter sese evolvere etc. ... », vel aliquid simile ...

7) Doctrina contenta in fine n. 88 et in n. 89 de actione christianorum et de actione Ecclesiae clarius enuntietur. Distingui debet etenim actio politica christiani qua civis (tamen principiis christianis inspirati) et actio christiani qua christiani, i. e. in quantum Ecclesiam suam repraesentantis. Sed timeo ne confusiones fiant si textus actualis (in se bonus) novae enucleationi non subiicitur.

49

EXC.MUS P. D. IOSEPH PARECATTIL
Archiepiscopus Ernakulamensis

Nn. 79 s. 1) In the chapter referred to above, specially in numbers 79 and following, while due emphasis has been laid on the claims and rights of workers, sufficient attention has not been paid to their *obligations*. The workers must discharge their duties conscientiously and co-operate with the management to produce more. Otherwise in the long run any industrial concern is doomed to failure, which ultimately will be a catastrophe even for the workers themselves. Both the management and the labourers must realize that they are travelling in the same boat and its shipwreck will spell disaster for all.

2) Labour is but *one* of the factors of production, the other factors being *Land, Capital* and *Organisation,* as economists say. The schema practically overlooks these last-mentioned factors which too have their rights and obligations. Some reference should be made to these aspects of the question as well. The schema as it stands gives the wrong impression that labour alone counts in productive activity. Such an one-sided perspective will serve as an incentive for labourers to advance undue demands, with the possible danger of jeopardising the industrial progress of a country and upsetting its economic balance. For example in Kerala, one of the most thickly populated and poverty-stricken state of India, both Government and the private agencies are equally afraid to start any new industry for fear of constant labour troubles, which are, more often than not, engineered by Communists and Leftist leaders who have no scruples to exploit all such situations.

3) It would be good perhaps also to mention that workers should be careful in choosing their *leaders;* that they should not become puppets in the hands of persons having selfish motives; that leaders should arise out of themselves etc. It can also be emphasized that good citizens, imbued with the spirit of justice and charity, should come forward to render service to society by taking up labour leadership.

4) The authors of the schema, while preparing the same, seem to have

had before their minds, the conditions obtaining in the already developed regions and do not seem to have paid sufficient attention to the situation in developing countries, where, as one economist put it, the problem is not so much of distribution as of *production*. In the western world it is mostly a question of better distribution, while in the developing countries the crux of the problem is *greater production* for which there must be proper harmony and co-ordination among all the factors of production.

If chapter three is modified in the light of the above observations, it will be highly in the interests of the poorer nations which have still a long way to go in the direction of industrial development.

Summarium. 1) Mentio debet fieri in schemate non tantum de iuribus laboratorum sed etiam de eorum obligationibus, praesertim ad sua munera peragendum secundum principia iustitiae et ad co-operandum cum proprietoribus fabricarum ut fructus industriae magis magisque crescat.

2) Labor est tantum unum elementum in productione. Sunt etiam alia elementa, scil. materia, capitale et organisatio. Mentio debet fieri de his elementis etiam. Secus schema daret falsam notionem laboratoribus, scil., se solos esse auctores productionis.

3) Bonum est etiam mentionem facere quod duces laboratorum sint ab ipsis laboratoribus.

4) In regionibus evolventibus problema est de meliore productione quam de meliore distributione ut in regionibus evolutis. Ergo, quod magni momenti est ut habeantur major co-ordinatio et harmonia inter varia elementa productionis. Sic debent modificari numeri citati.

[*Subscripsit etiam*] G. Thangalathil, arch. Trivandrum.

50

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

N. 75. Addatur specialis numerus dedicatus gravissimo problemati habitationum infrahumanarum quibus scatent fere universae nationes huius temporis cuius solutionem urgentissime procurare debent omnes, et maxime publicae auctoritates, sive municipales, sive provinciales, sive statales, ingentes pecuniarum summas quae ex tributis colligunt, et non sunt suae sed populi ideoque non ad libitum, sed secundum strictissimam iustitiam distributivam erogantes. *Rationes* quae afferuntur praecipue a Pio XII in pluribus suis allocutionibus.

Dedicetur integer novus numerus ad horrendum problema famis in mundo huius temporis. *Ratio*: contrarium foret simpliciter ignominiosum stigma huius Concilii Vaticani et maxime scandalosum tam pro generatione praesenti quam pro futuris.

Ad n. 89. Gratias Deo, quia tandem videmus in schemate loqui de eo

quod « semper et ubique fas sit Ecclesiae cum vera libertate fidem praedicare et omnia media habere quae Evangelio congruant ».

Agitur, ut patet, de praestantissimo iure nativo Ecclesiae, ab ipso Christo Domino ipsi collato ut praestantissimum omnium munus.

Oportet igitur, mea humili opinione, ut maiori claritate et minori ambiguitate de hoc iure Ecclesiae ageretur in hoc puncto schematis, in variis brevissimis articulis qui, secundum doctrinam, constantissime, Ecclesiae inde ab initio traditam essent sequentes:

1. Ecclesiae competit munus et ius irrefragabile praedicandi doctrinam Christi ubique terrarum omnibus hominibus.

2. Munus autem hoc et ius Ecclesia habet ex Christi ipsius et auctoritate et mandato: secundum illa notissima verba: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docentes omnes gentes ».

3. Haec igitur Ecclesiae potestas nulla in terris potestate legitime oppugnari aut praepediri potest, neque sub titulo boni communis a potestatibus terrenis invocato, sed oboedire oportet Deo magis quam hominibus.

4. Et praeterea Ecclesiae et ius, quod abdicare, et officium, quod deserere nequit, pro tota vigilandi educatione, qualiscumque filiis suis, scil. fidelibus, in institutis vel publicis vel privatis impertitur, non modo quod attinet ad religiosam, quae ibidem tradatur, doctrinam, sed etiam, quod ad quamlibet aliam disciplinam rerumve ordinationem, quatenus cum religione morumque praeceptis aliquid habeant necessitudinis.

5. Immo pleno iure Ecclesia promovet « litteras igitur, scientias et artes, quatenus ad christianam educationem ad omnemque suam de animarum salute operam sunt necessariae vel utiles, Ecclesia promovet, suas etiam scholas, instituta sua condendo sustentandoque, ubi quaevis disciplina tradatur et ad quemlibet eruditionis gradum fiat aditus. Nec putanda est a materno eius magisterio aliena ipsa, quam vocant, physica educatio, cum ea quoque id habeat ut christianae educationi aut prodesse aut nocere possit ».

6. Deus, igitur, Ecclesiam fecit divini magisterii participem, quapropter inest in ea inviolabile ius ad magisterii libertatem.

Unde necessario consequitur Ecclesiam nulli terrenae potestati subiici neque in iis rebus ad quas suum proprium munus spectat, neque in iis quae sunt eidem exsequendo necessaria vel consectanea.

7. Quam ob rem, ut paucis resumamus praedicta, Ecclesiae absolute et omnino independenter a qualibet civili potestate, ius est docendi omnes gentes et possidendi et utendi, eadem independentia, quibuslibet mediis ad hunc finem consectaneis sive sint instrumenta communicationis socialis, sive sint universitates et scholae cuiuscumque gradus.

Et quam esset pulcrum has notiones, quae, ut patet, ex Encyclica « Divini illius Magistri » fere ad litteram desumptae sunt, claudere eiusdem Encyclicae triumphalibus certe sed vere realibus quibus insignis Pontifex decantat triumphans opera quae in ordine culturae Ecclesia complevit et complet in mundo huius temporis sicut et in temporibus iam transactis.

51

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. PIRES
Episcopus Arassuahyensis

Cum totum schema constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis* responsa intendat dare quaestionibus illis quae, hodie, homines maxime premunt, peculiare momentum huius capitis tertii circa vitam oeconomicam-socialem, nemo est qui non videat.

Generalioribus observationibus praetermissis, pluries a Patribus hac in aula iam memoratis, quae respiciunt totum schema quaeque capiti nostro etiam applicantur, particulares quasdam animadversiones, quae ad textum ulterius perficiendum inservire videntur, vobis, nomine Episcoporum Brasiliensium pro disceptatione super hoc caput coadunatorum, nunc humiliter proponam. Alias, minoris momenti, scripto tradam.

1. In sectione prima, ubi agitur de quibusdam aspectibus hodiernae vitae oeconomicae, opportunum nobis videtur aliquid addere ad indicandum cur progressus oeconomicus hodiernus, magno eius incremento non obstante, saepe in nimis exasperationem differentiarum socialium vertitur. Et ratio in eo videtur quod oeconomiae actuales, augmentum sic dictae « productivitatis » ante omnia intendentes, non satis curant immediatam satisfactionem necessitatum humanarum et individualium et socialium. Quod sane dolendum prorsus est. Quapropter optandum quoque est ut cum de lege fundamentali progressionis oeconomicae agitur, textus noster non modo de bonorum productione loquatur, verum etiam et de eorum distributione et consumptione.

2. Praeterea, si textus de veris problematibus oeconomicis nostri temporis tractare intendit, nescimus cur de gravi quaestione de sic dicta ... « automatione » ne verbum quidem in eo dicatur. Haec omissio gravis omnino videtur, si prae oculis habemus « automationem » novum periodum non modo in vita oeconomica verum etiam et in tota vita humanitatis inauguravisse. Ad quod probandum, sufficeret in memoriam revocare verba illa quae Summus Pontifex Pius Papa XII, f. r. associationibus christianis opificum italianorum, die 7 mensis iunii anni 1957 adlocutus est. En eius verba: « Se dunque oggi si parla con tanta enfasi dell'automazione, si pensa evidentemente a qualche cosa ... capace di trasformare radicalmente non solo l'economia, ma anche la vita stessa dell'uomo e della società. Nell'epoca presente, già di per se stessa agitata da apprensioni e da speranze per l'avvenire, la parola *automazione* divide gli spiriti in ottimisti e pessimisti riguardo all'uomo e al mondo di domani ».

Nam, si ex una parte « automatio » primatum ipsius hominis eiusque dominium super naturam summopere extollit, altera vero ex parte, non pauca sunt problemata et difficultates quae una cum illa secum feruntur. Re enim vera, augmentum sic dictae « productionis technicae » non eo ipso significat veram progressionem oeconomicam et socialem, quae prae omnibus fines

humanos intendat, eo modo ut navitas oeconomica, quae suapte natura semper humana est, de facto secundum ethicam humanam perficiatur. Praeterea, progressio oeconomica talis deberet esse naturae ut evinceret vel saltem evincere permitteret diversas tensiones sociales. Porro hoc necessario non fit per automationem. Immo, ut alia praetermittamus, sufficit hic recolere problema illud tam magnum e carentia laboris exortum quod « chômage technique » dicitur, quodque certo certius per automationem augebitur. Idem dicatur de aliis problematibus cum automatione connexis, ita verbi gratia, problema « salarii », problema formationis professionalis et ita porro.

3. Alia quaestio quae cum problemate « automationis » connectitur quaeque maximi etiam est momenti, illa est de quiete et otio. Quae in textu sub n. 79 habentur non videntur sufficere. Problema enim grave est et gravius in dies fiet praesertim cum adventu automationis. Revera, non desunt qui cogitant homines ad hoc laborare ut possint tempore otii et quietis frui non quaerentes tamen quo modo nec quo recto ordine tempus istud adhibendum sit. Quare et de hoc profundius in textu esset tractandum.

4. Denique, ubi sermo est de conflictibus qui oriri possunt operarios inter et operum conductores, verbum aliquod putamus esse dicendum de situatione conflictuali analoga quae « lock-out » nuncupatur. Nam, ex illa non minores immo et graviores oriuntur tensiones quae ordinem socialem perturbare possunt. Quapropter et de illa aliquid in textu esset dicendum praesertim ut animadvertatur eius usum nonnisi ob rationes omnino graves esse legitimum et de gravitate istarum rationum iustum iudicium ab auctoritate civili esse ferendum.

Hae sunt, venerabiles Patres, animadversiones quas facere decernimus sperantes fore ut cum illis cap. III alterius partis nostri schematis adhuc magis perficiatur.

[*Subscripserunt etiam*] Avelar Brandão Vilela, Eugenio de Araujo Sales, Helder Pessoa Camara, João de Souza Lima, Frei Felicio Cesar Cunha Vasconcelos, José de Medeiros Delgado, Gabriel Paulino Bueno Couto, Expedido Eduardo de Oliveira, Tomás Vaqueiro, Augusto de Carvalho, Othon Motta, Altivo Pacheco Ribeiro, Honorato Piazera, Raimundo de Castro e Silva, Felipe Tiago Broers, Walmor Battu Wichrowski, João Hoffmann, Belchior da Silva Neto, Afonso Maria Ungarelli, Vicente de Araujo Matos, Guido Casullo, Afonso Niehues, José Nicomedes Grossi, José de Medeiros Leite, José Terceiro de Souza, Benedito Zorzi, Antonio Barbosa, Francisco Austregésilo Mesquita, Antonio Batista Fragoso, José Lamartine Soares, João José da Motta Albuquerque, Bernardo José Bueno Mieli, José Gomes, Walfrido Teixeira Vieira, Luiz Victor Sartori, José Eugenio Correa, José Bezerra Coutinho, Herminio Malzone Hugo, Jeronimo Mazzarotto, Caetano Antonio Lima dos Santos, Wilson Laus Schmidt, Gregorio Warmeling, Anselmo Pietrulla, Jorge Marcos de Oliveira, David Picão, José Thurler, Fernando Gomes dos Santos, José Brandão de Castro, Aniger Francisco Maria Melillo.

52

Exc.mus P. D. IOSEPH POGAČNIK
Archiepiscopus Labacensis

Infrascripti episcopi humiliter petunt, ut in schemate *de Ecclesia huius temporis,* in parte II, cap. IV, n. 86, pag. 68, post linn. 25-26 addatur sequens vel similis incisa de minoritatibus nationalibus: « Eo magis deploramus quascumque formas oppressionis politicae ..., quae libertatem civilem et religiosam aut iura nativa minoritatum nationalium quoad linguam, ingenii cultum, avitas consuetudines, opera et incepta oeconomica praepediunt ». (Cf. Litterae Encycl. *Pacem in terris, A.A.S.,* 1963, pag. 283).

Ratio. Iura minoritatum nationalium proh dolor de facto saepe graviter laeduntur a nationibus maioribus, quapropter Concilium de hoc silere nequit, eo vel magis, quod minoritates nationales saepe non habent possibilitatem iura sua tuendi. S. P. Ioannes XXIII f. r. primus in litteris Enc. *Pacem in terris* haec iura laudabiliter asseruit et defendit ad magnum solatium oppressarum nationalium minoritatum. Rogamus, ut et Concilium eius exemplum sequatur.

[*Subscripserunt etiam*] M. Držečnik, ep. Maribor; I. Jenko, adm. ap. Litoris Slovenici Jugoslavici.

53

Exc.mus P. D. ERNESTUS PRIMEAU
Episcopus Manchesteriensis

These comments refer principally to the English translation of the text.

Number 80, p. 78, final paragraph refers to "recourse should be had to the arbitration of neutral agencies set up for the purpose". The Latin is "auxilium consiliorum neutrius partis". I think that this would be better translated as "aid of impartial conciliators".

54

Exc.mus P. D. IOSEPH RAPHAEL PULIDO MENDEZ
Archiepiscopus tit. Cyrrhensis, coad. c.i.s. Emeritensis in Venezuela

N. 75, pag. 60, lin. 13. Post « mitigare possit », addatur: « ac debere ». *Ratio*: iudicium appretiativum Ecclesiae iam ab initio desideratur, ne dein « opportunismo » suae solutiones sapiant.

N. 75, pag. 60, lin. 24. Inter « et » atque « persuasissimum eis est », addatur: « iure ». *Ratio*: eadem ac in praecedenti animadversione.

N. 76, pag. 61, lin. 12. Loco « cuiuscumque » (bis), bis scribatur « cuiusque ». *Ratio*: ne quis textum intellegat tantum de hominibus vel coetibus

rem gerentibus (« patronalibus »). Beneficia enim de quibus agitur, omni et cuique homini inservire debent.

N. 78, pag. 62, lin. 9. Corrigatur « pr*ae*caria »; latine scribitur « pr*e*-caria ».

N. 78, pag. 62, lin. 21. Ubi dicitur « et professionalis », scribatur « , professionalis et culturalis ». *Ratio*: ut sit Concilium secumipso consentaneum (cf. supra n. 72, pag. 56, linn. 9-15), non sufficere videntur mentiones culturae quae incidenter fiunt n. 79, pag. 62, lin. 38 et pag. 63, lin. 7.

N. 78, pag. 62, linn. 18-23. Aliquid addatur circa muneris privationem (hispanice: desocupación). *Ratio*: incertitudo crastinae diei, tum sibiipsi tum familiae suae, quam maxime laboratores afficit et funditus eradicanda est. Quae in linn. 6-8 dicuntur, non sufficiunt.

N. 80, pag. 63, linn. 40 s. Omittatur « et in hodiernis adiunctis ». *Ratio*: perperam intelligi et abusum parere potest. Eandem formulam adhibent regimina politica dictatoria; eandem etiam « communistae » applicant societati « capitalistae » et e societate marxista excludunt: adiuncta sunt diversa...

N. 82, pag. 64, lin. 32. Mutetur n. « 82 » in « 83 ». *Ratio*: intercalandus est textus qui in schemate sub n. 83 (pag. 65 s.) invenitur.

N. 83, pag. 65, lin. 4. Substituatur n. « 83 » per « 82 », et textus transferatur post n. 81. *Ratio*: quae hic inveniuntur, logice sequuntur ea quae de proprietate bonorum sub n. 81 dicuntur.

N. 84, pag. 66, linn. 12-24. Subsumantur ea quae in n. 93 (pag. 74, linn. 11-39) dicuntur, et omnia sic in unum digesta sub n. 84 locum obtineant. *Ratio*: ne fiat inutilis repetitio. Res pertinet ad vitam oeconomicam-socialem.

Cap. IV: *De vita communitatis politicae*. N. 86, pag. 68, lin. 24. Loco « Eo magis deploramus », dicatur: « Consilium deplorat ». *Ratio*: anacolutum vitare.

N. 88, pag. 70, lin. 26. Loco « exercere ne renuant », scribatur: « exercere conantur » (vel « connitentur » melius). *Ratio*: urget necessitas — maxime pro christianis — active participandi in artem politicam. Exhortatio negativa (« ne renuant ») minime sufficit ad auferendam indifferentiam de re politica quae perplures christianos afficit.

55

Exc.mus P. D. SANCTUS QUADRI

Episcopus tit. Villanovensis, aux. Pineroliensis

N. 76, riga 11, parola: « desideriorum »: occorre specificare meglio.

N. 78. Tutto questo numero sembra dare l'impressione che sia una cosa facile rimuovere o diminuire certe distanze; occorre essere realistici e presentare anche le difficoltà.

N. 79. La rimunerazione del lavoro è un termine volutamente generico che

si può riferire anche al profitto dell'imprenditore. In ogni caso occorre sia per i lavoratori dipendenti sia per gli imprenditori tener presenti tutti gli elementi che portano a definire giusto sia il salario sia il profitto.

N. 80. Alla linea 20 si parla della partecipazione ai « fructus ». Se per frutto si intendono gli utili la cosa è economicamente sorpassata.

Tutto il numero inoltre deve distinguere bene la posizione del lavoratore nell'azienda pubblica e privata dalla posizione del lavoratore in organismi economici superiori che determinano o concorrono a determinare la politica economica.

Nell'azienda il lavoratore porta con sé il titolo del suo lavoro; negli organismi superiori vi si aggiungono titoli che si rifanno al bene comune.

Alla riga 42 si parla dello sciopero « ad implenda iusta desideria ». Si capisce bene cosa volevano dire gli estensori ma la frase in se stessa è troppo ampia.

Alla fine del numero quando si parla dei servizi necessari occorrerebbe avere il coraggio di dire apertamente che per i servizi pubblici strettamente essenziali occorre trovare una strada diversa dalla solita.

Proposta. Il capitolo sulla vita economico-sociale dovrebbe parlare anche della morale dei consumi e dei prezzi.

56

EXC.MUS P. D. LADISLAUS RUBIN

Episcopus tit. Sertensis, aux. Gnesnensis

In mea interventione nonnullas quaestiones de vita oeconomica et politica communitatis civilis nn. 83 et 88 respicientes. Parum enim, meo iudicio, schema nostrum de periculo nimiae ingerentiae Status in res privatas civium loquitur, et tamen haec frequenter ad tyrannidem, immanitatem, oppressionem totius populi ac servitutem totius nationis conducit, quia omnes cives, ut unicam visionem mundi habeant et non nisi iuxta eam vivant, omnibus mediis cogere nititur, eosque impedit ne falsitatem huius visionis verificare valeant. Concilium genus humanum de hoc periculo monere debet, ne silentium nostrum in hac materia de opportunismo accusari possit.

Inter diversa exempla huiusmodi tyrannici monopolii Status duo specialiter indicare liceat, scil. relate ad latifundia, et ad libertatem politicam, de quibus nostrum schema respective sub nn. 83 et 88 agit.

In n. 83 schema nostrum de magnis fundis rusticis privatorum dominorum loquitur, et quidem specialiter in regionibus oeconomice minus progressis plures et magnos abusus contra operarios agricolas commissos in his fundis iuste deplorat. Attamen schema de maiori malo tacet, scil. de oppressione agricolarum in his regionibus, in quibus dominium fundorum rusticorum totaliter vel in magna parte in manibus gubernii Status habetur, quod scil. suum absolutum dictamen omnibus operariis imponit. Contra huiusmodi oppressionem ex parte Status neque agricolae neque operarii se defendere va-

lent, quia operistitium tamquam Reipublicae proditio maximumque crimen consideratur et punitur. Omnis vero recursus ad iudicem contra auctoritatem Status inutilis vel omnino impossibilis est; si vero aliquando fit, magnum periculum pro operario eiusque familia provocat.

Quapropter censeo, ut in n. 83 clare et lucide de hoc periculo maximae iniustitiae propter oppressionem agricolarum ex parte Status, absolutum dominium in fundis rusticis exercentis, aliquid addatur.

Similiter in n. 88 etiam oportet indicare magnum periculum ingerentiae Status in vitam civium, quando scil. gubernium eis opiniones cuiusdam partitioni politicae imponere conatur.

In primis quam maxime sublineare oportet Ecclesiam ius et officium habere etiam in re politica iustas normas agendi statuere tam pro vita nationali quam etiam pro vita internationali. Haec enim, utpote ars regendi in communitate humana, in principiis moralibus fundari debet, et ideo iudicio Ecclesiae subditur. Ecclesiam vigilare oportet, ne status vel etiam organismus internationalis genus humanum ad interitum ducere valeat: unde etiam populos monere debet de abusibus ex parte status et de violatione iurium, quae civibus ex ipsa rei natura conveniunt.

Iuste meritoque schema in n. 88 notat: « Inhumanum est quod gubernium in formas incidit dictatorias, quae iura personae graviter laedant ». Attamen haec pauca verba de maximo nostrorum temporum periculo pro vita publica sufficere non videntur. Clare oportet indicare praxim, qua constanter ideae unius partitionis politicae omnibus civibus vi imponuntur, illumque modum gerendi reprobare sive fit per media communicationis socialis, quae quidem huic partititoni politicae omnino reservantur, sive per monopolium instructionis in scholis, sive in associationibus adolescentium, et quidam tali modo, ut si quis aliam opinionem in re oeconomica vel politica habet, illam manifestare vel propugnare nequit sine gravissimo incommodo pro se suisque.

Sacrum Concilium monere debet genus humanum, quod huiusmodi systema politicum summum periculum pro tota humanitate constituit, quia ad oppressionem, servitutem, immo ad exterminationem eorum hominum ducit, qui aliam opinionem tenere ausi fuerint, cuius rei durante ultimo bello tristem experientiam habuimus.

Non sufficit tamen de hoc periculo monere. Oportet aliquod remedium indicare. Quidam progressus in hac materia iam habetur, inquantum fere omnes Status internationalem declarationem de iuribus ad libertatem subscripserunt. Sed in praxi quidam status nullam libertatem politicam civibus concedunt. Quapropter quoddam organum internationale constituere oportet, quod scil. vigilet, ut in omnibus regionibus ius ad liberam opinionem publicam realiter exequatur et vigeat.

Humiliter proponimus, ut Sacrum Concilium hanc dolorosam quaestionem clare et aperte exponat ad bonum totius communitatis humanae. In dialogo enim cum his, qui aliam opinionem habent, non est bene abusus et iniustitias tegere. Clara enim pacta faciunt amicos.

57

EXC.MUS P. D. PAULUS RUSCH
Episcopus Oenipontanus

Ad n. 78, pag. 61, lin. 38 s.: phrasis, quae incipit: « Ut exigentiis iustitiae et aequitatis respondeatur... », sic mutetur: « Quamvis agnoscamus condiciones opificum in nonnullis regionibus ad melius redactas esse, tamen ut exigentiis iustitiae et aequitatis respondeatur, strenue nitendum est, ut ubique terrarum servatis iuribus personarum atque propria indole cuiusque populi ingentissimae quae adhuc in multis locis inveniuntur et saepe crescunt differentiae oeconomicae discriminaque socialia quam citissime removeantur vel saltem minuantur ». *Ratio*: sic melius realitati correspondet.

N. 79, pag. 62, lin. 36: quamvis aliqui Patres conquesti sunt de iure ad laborem, maneat textus, sicuti est. *Ratio*: ius ad laborem pronuntiatur in *Pacem in terris*.

N. 80, pag. 63, post « fructus », lin. 20, addatur: « , ita autem, ut unitas directionis servari possit; simul exhortamur inceptores, ut hanc regulam sibi propriam faciant, secundum quam progressui oeconomico progressus socialis respondere debet, ita ut crescente lucro etiam salarium crescat ». *Ratio*: utrumque docetur in *Mater et Magistra.*

N. 80, pag. 63, lin. 40: iterum aliqui Patres conquesti sunt, quo hic liceitas operistitii docetur. Textus maneat, sicuti est. *Ratio*: haec doctrina generatim a moralistis recepta est.

N. 83, linn. 26-34, pag: 65: etiam contra hunc textum aliqui Patres locuti sunt, quia agit de periculis ex dominio profluentibus. Textus maneat sicuti est. *Ratio*: textus optime respondet his, quae docentur a Christo Domino, *Mt.* 6, 19 ss.

58

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SAMORÈ
Archiepiscopus tit. Ternobenus

N. 80: addatur quod aliquando domini possunt iuste excludere operarios ab opere, si illi recusant contractum suum implere.

59

EXC.MUS P. D. ANTONIUS SANTIN
Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Documentum Conciliare ad n. 82 descendit ad particularia technica circa bonorum collocationem et redditus et moderationem rei nummariae; quod nec necessarium videtur esse nec conveniens. Nostrum non est tractatum exarare de doctrina aeraria.

« Auctoritas reipublicae, recitat n. 88, cogitur saepius in rebus socialibus et oeconomicis atque " culturalibus " se interponere ». Dicamus saltem: « salvo principio subsidiarii officii ».

In Italia asseclae laicismi, communismi, socialismi petunt ut Concordatus aboleatur. Assertum n. 89: « Immo exercitio iurium quorundam legitime acquisitorum libenter renuntiabit, ubi constiterit eorum usu candorem sui testimonii vocari in dubium aut novas vitae conditiones aliam exigere ordinationem », novas potest conferre vires istis laicismi patronis, ut Concordatus tandem e medio tollatur. Talis rerum conditionis habenda est ratio. Concordatus est pro populo Italico res bona. Neque angustiae parandae sunt Sedi Apostolicae.

Quod n. 87 docet de iure hominis in extrema necessitate degente verum est. Sed sensum exactum dare verbis « extrema necessitas » et « necessaria procurare » non est facile. Christiane formatus et qui vere dominus est sui poterit terminos observare. Sic et simpliciter enuntiatum potest fieri principium eversionis legum et ordinis.

60

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE
Episcopus Anneciensis

Ad n. 82, pag. 64, lin. 41 - pag. 65, lin. 3. Sur la gestion monétaire. On propose de modifier ce passage précisant la finalité de la gestion monétaire, au service du bien commun et non des intérêts privés et du profit.

Texte proposé: « L'ensemble de la vie économique et sociale dépend très largement de la gestion monétaire. Il importe que les responsables qui contrôlent et dirigent l'émission de la monnaie ainsi que tous ceux, individus ou groupes, qui peuvent exercer une influence sur sa valeur réelle, prennent leurs décisions non en fonction des seuls intérêts privés et de la recherche du profit, mais en fonction harmonisée d'une économie au service des besoins de la croissance.

61

Exc.mus P. D. ERNESTUS SENNA DE OLIVEIRA
Archiepiscopus-episcopus Conimbricensis

Quod in pag. 64, linn. 15-16, enuntiatur his verbis: « qui autem in extrema necessitate degunt ius habent ut sibi ex aliorum divitiis necessaria procurent », indubie verum est et clare a S. Thoma docetur.

Sed si talia absolute et velut nudo modo dicantur, sine quibusdam plus minusve concretis explicationibus et restrictionibus, valde timeo ne multi facile sese credant in extrema necessitate constitutos. (Etiam aliqui qui uno vel alio modo, habent saltem quod sat est ad vitam suam, etsi modo paupe-

rum, sustentandam) quod ansam praeberet ad plurimos et forsan valde periculosos abusus, necnon ad magnas conturbationes sociales. Ideo, mea humili sententia, oportet quod Concilium haec gravia consectaria (quae ex illis, saltem nudo modo dictis, oriri possunt) prudenter caveat.

N. 80. Omnia quae in hoc numero leguntur mihi placent, sed mihi videtur valde conveniens (praesertim ubi adsunt, de iure aut de facto, factiones sic dictae communistae) ad verba quae leguntur pag. 64, lin. 2 « ... et universe ea quae bonum commune postulat » addere verba sequentia vel similia: « et in primis verum bonum totius populi et nationis ».

Et ratio est quia revera frequenter in discrimen ponitur verum bonum totius populi et nationis a quibusdam factionibus politicis quae, non raro, operistitium adhibent tantum ut instrumentum ad propria desideria mere politica assequenda, cum gravi perturbatione et discrimine pro universo populo.

62

Exc.mus P. D. PETRUS SEVERI

Episcopus tit. Pergamenus, aux. Praenestinensis

Plane assentior verbis, quae exc.mi Patres Carolus Parteli ep. Tacuarembianus et Marius Castellano arch. Senensis in 142 congregatione protulerunt in favorem agriculturae et in laudem agricolarum.

Valde opportunum et aequum videtur ut in constitutione particularis mentio fiat de hoc humili, saepius paupere et tam benemerito coetu.

Quod ad Italiam pertinet, adhuc in familiis ruralibus sanitas moralis persistit, ex quibus magna pars sacerdotum exoritur. Societas, quae dicitur « Coltivatori Diretti », semper Deo et Ecclesiae fidelis permansit et firmum propugnaculum stetit contra inundantes communistarum errores.

Dignus igitur videtur agricolarum coetus, qui a Concilio verba laudis, solaminis et exhortationis accipiat.

63

Exc.mus P. D. GEORGIUS HENRICUS SPELTZ

Episcopus tit. Claniensis, aux. Vinonaensis

N. 82, linn. 33 ss.: Investments, for their part, must be directed towards ensuring *employment productive of goods satisfying human needs and providing* adequate income for the active population both of today and tomorrow. *Human needs in accordance with their natural and objective importance, and not gain, ought to rule economic life and the use of capital.* Those who bear responsibility for the orientation of investments *and expending of natural resources* and for the organization of economic life as a whole must keep these objectives well in view. They must realize ...

64

Exc.mus P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Sukarnapuraensis

Liceat mihi loqui de n. 89, pag. 70 s. ubi de Ecclesia et Societate Politica agitur.

Aliqui defectus fundamentales totius schematis ibi manifeste apparent, ut videatur ex sequentibus animadversionibus:

1. Pag. 70, linn. 38 ss. legitur: « Ecclesia nolens ullo modo ratione sui muneris et competentiae, cum societate civili confundi ... ». Ecce Ecclesia in splendida isolatione; Ecclesia quae nescit quid de mundo faciat!

Primo visu textus pulcherrimus apparet: Ecclesia miscere se rebus politicis recusat. Sed quinam est sensus « Ecclesiae » in hoc loco? (Videatis meam interventionem generalem relate ad hoc schema).

Quidquid in his lineis enunciatur, tantummodo valet, si nomine « Ecclesiae » intelligitur: Ecclesiae hierarchia. Revera, hierarchia qua talis nullo modo directe se misceat quaestionibus politicis. Attamen praedicta sententia certo certius non valet, si nomine « Ecclesiae » intelligitur communitas christifidelium.

Christifideles enim non extra societatem politicam vivunt, aut supra vel iuxta eam. E contra, una cum ceteris concivibus civitatem politicam efformant, et eiusdem civitatis politicae membra viva esse debent, sicuti clare dicitur in numero praecedenti huius capitis (n. 88, pag. 70, linn. 16-17).

Hic manifeste apparet quomodo deterior usus vocis « Ecclesiae » obscurat relationem inter Ecclesiam et Societatem Politicam.

2. Si christifideles in mundo politico versantur, quanam qualitate hoc faciunt? In textu huius numeri (pag. 70, lin. 34 ss.) magni momenti esse dicitur ut « clare distinguatur inter ea quae christifideles sive singuli, sive consociati, suo nomine tanquam cives, christiana conscientia ducti, sibi adsumunt et ea quae nomine Ecclesiae eiusque divinae missionis una cum Pastoribus suis agunt ». Quid sibi vult haec mira distinctio? Interpretatio obvia esse videtur quod in societate politica fideles simpliciter habentur ut cives, et quod veri christifideles tantummodo fiunt si una cum Pastoribus suis nomine Ecclesiae agunt. Quod suaviter loquendo, improbabile videtur.

Ceteroquin: quid significat illud « agere nomine Ecclesiae »? Parentes qui filios suos educant; magister qui se dedicat instructioni iuventutis; religiosa quae se vovet curae infirmorum, hi omnes aguntne nomine Ecclesiae? Unum tantummodo evidens est quod in praedicta distinctione vox « Ecclesiae » iterum modo valde angusto adhibetur, nempe sensu stricto de Ecclesia hierarchica, quod praecise in hoc schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* praeprimis vitandum esset.

Quotiescumque fideles participes fiunt vitae politicae — quod etiam valet

pro vita culturali, sociali atque oeconomica — hoc faciunt ut fideles, ut catholici, ut Populus Dei. Quomodo aliter possent!

Nostra sententia: quaecumque alia opinio non fundatur in realitate quam fideles huius temporis in vita sua compertam habent; immo ei contradicit.

Iterum atque iterum schema loquitur de solidaritate Ecclesiae cum mundo huius temporis, sed in momento decisivo pluries sistit quia Ecclesia sensu nimis hierarchico sumitur et hoc facto aditus praecluditur ad contactum cum mundo. A. v.: conceptus fundamentalis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* hic insufficienter elaboratur.

3. Pag. 70, lin. 9 ss. sermo est de viis, subsidiis ac rebus temporalibus, quibus Ecclesia utitur.

Et hoc in loco sensus verbi « Ecclesiae » denuo minus clarus, immo dubius se praebet. Hic etiam electio firmae positionis quoad realitatem huius saeculi deest. Sic factum est ut textus de quo agimus revera nihil novi continet.

Linn. 15 ss. brevis sequitur declaratio de privilegiis. « In privilegiis tamen ab auctoritate civili oblatis, spem suam non reponit ». Formula horum verborum urbanitati erga auctoritatem civilem debitae parum consonat, quia omne signum gratitudinis deest. Insuper potius dici deberet; « spem suam reponere non oportet ».

De cetero censeo declarationem tam brevem de hoc argumento potius omitti debere. Minime pauca problemata huic argumento connexa sunt, tam temporibus praeteritis quam praesentibus. Memores estote problematis pactorum vel « concordatuum » cum statibus civilibus. Atqui hae plurimae quaestiones solvi nequeunt paucis his lineis, quae insuper verbis suis nimis sumptuosis spiritum sincerum non prae se ferunt.

Ideo ad verba mea perficienda reverenter peto ut loco huius numeri commissio novum textum exarare velit in quo: 1. verbo « Ecclesiae » sensus unicus tantum detur, nempe: communitatis fidelium; 2. hic sensus verbi « Ecclesiae » fundamentum praebeat ad relationem inter Ecclesiam et civitatem politicam recte pensandam ac enucleandam; 3. solidaritas communitatis fidelium cum civitate politica clare et distincte exprimatur.

65

Exc.mus P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Cap. III huius partis II maximi momenti est, et si de quibusdam emendetur, approbatione dignum nobis videtur. Aliquas emendationes proponimus: n. 79, pag. 62, linn. 36-37 dicit: « Remuneratio autem laboris tanta etc. »; dicatur: « Remuneratio autem laboris, si res patitur, tanta etc. ». *Ratio*: ita debet dici, ut praecludatur via exigentiis, quae aliquando satisfieri non possunt, sine periculo maioris detrimenti pro omnibus.

Ad n. 79, pag. 63, linn. 5-6, ubi dicit: « Praeterea sufficiens quies et

otium eis concedenda sunt, ut vitam etc. », sic reficiendum puto: « Societas ita res oeconomicas ordinare curabit, ut laborantibus sit facultas vitam etc. ». *Ratio*: est eadem ac in praecedentibus, id est, debet assignari ut finis pro viribus assequendus, non ut realitas immediate ordinanda.

Ad n. 80, pag. 63, linn. 27-30, ibi dicit: « Inter iura fundamentalia personae humanae adnumerandum est ius laborantium libere condendi consociationes, etc. », melius dicatur: « Inter iura personae humanae adnumerandum est ius laborantium, *salvo bono communi,* libere condendi consociationes, aut earum navitatem libere participandi sine ultionis periculo ad honestam defensionem suorum bonorum intra societatem ». *Ratio*: in textu nimis extollitur ius laborantium sine ullo respectu ad bonum commune, neque ullus limes apponitur.

Ad n. 80, pag. 63, lin. 42, ubi dicitur: « ... desideria laborantium » addatur: « si aliter non fuerit sufficienter provisum ». *Ratio*: nam operistitia unicum medium possibile non est ad vindicanda iura, ac generatim saporem politicum habent magis quam oeconomicum vel socialem. Immo potius damnum oeconomicum individuis et societati gignit. Nec facile est haec discernere et praevidere.

Ad n. 81, pag. 64, linn. 17-31, haec omnia omittantur. *Ratio*: melius est ea societati civili de his ordinandis relinquere.

Ad n. 82, pag. 64-65. Ut in praecedentibus diximus melius esset ea omittere.

Ad cap. IV. Oporteret hoc reficere et vitare, ne nimis appareat lineam politicam mutationibus obnoxiam approbare.

66

Exc.mus P. D. FRANCISCUS BORGIAS VALENZUELA RIOS
Episcopus Antofagastensis

1. Ad cap. I, partis I, pag. 17, linn. 1-3: sententia est ambigua quia ex eo quod aliqui repudient Deum Evangelii propter falsam repraesentationem, quam de Eo sibi faciunt, non sequitur illos de facto verum Deum Evangelii colant, prout in textu innuitur.

2. Ad cap. II, partis I, pag. 22, lin. 25: post verba « ad bonam famam » addatur: « ad educationem ». Ius enim ad educationem inter praecipua iura hominum recensendum est.

3. Ibid., pag. 28, linn. 20-21: loco dicendi « Triginta annos duxit vitam opificis ... », dicatur simpliciter: « Multos annos vitam duxit opificis ... » vel quid simile. *Ratio*: quaestio de duratione vitae Christi est punctum sat obscurum et ab exegetis multum disputatum.

4. Ad cap. III, partis I, pag. 33, lin. 12: tollatur pericopa: « et quid futuri simus nondum videmus ». *Ratio*: 1) redundat; 2) non bene perspicitur

quid praecise significet: referturne enim ad visionem beatificam vel potius ad futuros progressus humanos in hoc mundo?

5. Ad cap. IV, partis I, pag. 43, lin. 11: post verba « Adiuvante Spiritu Sancto » addatur: « et sub ductu Hierarchiae ». *Ratio*: 1) ita explicite fit mentio principii magni momenti in omni investigatione theologica; 2) ut vitetur periculum indiscriminatae acceptationis omnis inquisitionis et conatus proponendi Veritatem Evangelii novis terminis qui, quamvis forsan theologice loquendo sint exacti, tamen pastoraliter loquendo sunt inopportuni.

6. Ad cap. III, partis II, pag. 64, linn. 42-43 usque ad pag. 65, linn. 1-3: supprimatur haec paragraphus ex eo quod: *a*) de re nimis particulari tractat; *b*) et verbis ita genericis, ut nullam responsionem vere utilem huic implicatae quaestioni tribuat.

* * *

Caput « De vita communitatis politicae » valde placet. Laudanda est commissio ob insertionem huius thematis in ipsum textum schematis — quod deerat in priori redactione —, hoc modo obsecundans desideriis plurium Patrum. E perspectiva Americae Latinae, nobis videntur esse magni momenti et actualitatis pro nostris regionibus ea praesertim quae dicuntur circa:

a) progredientem conscientiam politicam (pag. 68, linn. 8-14);

b) necessitatem ut omnes cives, et non tantum quidam privilegiati, iuribus personalibus reapse frui possint (pag. 68, linn. 20-22);

c) sensus iustitiae et benevolentiae in quibus vita politica vere humana fundari debet (pag. 68, linn. 29-32);

d) necessitatem agnoscendi, servandi ac promovendi iura omnium personarum, familiarum ac coetuum (« corpora intermedia » et organisma regionalia), quin potestas publica eos sua legitima et efficaci actione privet, sed potius eorum liberam initiativam agnoscat et promoveat (pag. 69, linn. 39-43; pag. 70, linn. 1-6);

e) apertam et validam condemnationem regiminum dictatorialium (pag. 68, linn. 24-28; pag. 70, linn. 11-12);

f) agnitionem iurium et momenti pro bono reipublicae « minoritatum », necnon circa earum officium praeponendi bonum commune suae utilitati (pag. 70, linn. 21-24);

g) responsabilitatem christifidelium exercendi generoso animo « artem politicam difficilem simul et nobilissimam » (pag. 70, linn. 24-31);

h) modum evangelicum agendi Ecclesiae quoad privilegia et alia iura ei a Statu concessa (pag. 71, linn. 5-24).

Putamus haec principia in schemate proposita tam Hierarchiae quam laicis Americae Latinae multum servitura esse, ut vita politica per saniores vias procedat.

Ad n. 87, pag. 69, linn. 19-23: quamvis idea hac in paragrapho expressa sit omnino vera, formulatio adhibita est non satis « nuancée » et faciliter

potest originem dare gravibus falsis interpretationibus. Bonum enim commune « dynamice » conceptum est aliquid ita « dynamicum », ut nunquam vel fere nunquam legislatio in aliqua natione de facto vigens possit ei totaliter respondere. Iamvero, cum asseritur: « tunc autem cives ad oboedientiam praestandam ex conscientia obligantur », aperitur porta ut oboedientia legibus civilibus de facto supprimatur. Melius ergo esset vel aliam formulationem magis exactam invenire vel sententiam « tunc autem ... ex conscientia obligantur » simpliciter supprimere.

67

EXC.MUS P. D. IOANNES B. VELASCO
Episcopus Sciiamenensis

Cf. supra, pag. 413, n. 9.

68

EXC.MUS P. D. MICHAEL VIAL
Episcopus Nivernensis

Observationes generales. Hoc cap. IV, quanquam optimas partes habeat, tamen quodam defectu laborat. Nam sic sonat quasi condiciones iuridicae, dummodo consonarent cum conscientia recta civium, satis essent ad solvenda problemata communitatis politicae. In schemate, structurae et institutiones politicae videntur se exercere quasi a semetipsis, independenter a populis et a personis a quibus ortae sunt et ad quos ordinantur.

Consequenter, responsabilitas personarum ad organizandas structuras communitatis politicae et ad eius institutiones assumendas non affirmatur quantum oporteret. Non satis apparet curam de republica partem essentialem et quasi constitutivam esse muneris quod homini competit.

Notandum esset institutiones politicae semper in fieri, in evolumento esse, ita ut semper accommodandae sint ut bono communi et bono personae satisfaciant.

Textus in clariorem lucem debet ponere necessitatem et vias educationis civicae et politicae. Ut oriatur et florere possit forma reipublicae quae nitatur hominibus plene liberis et responsabilibus, necesse est ut homines doceantur ad sensum civicum et politicum.

Simul ac in mentem revocat quaenam condiciones obiectivae in processu communitatis publicae necessariae sint ut homo plene respondeat suae vocationi, Ecclesia clare notare debet quantum valeat ipsum servitium communitatis, tam sub respectu humano quam sub respecto christiano; nam cura de republica forma est caritatis.

N. 86 (*De hodierna vita publica*). Linn. 8 s.: studium hominum in instaurando ordine publico hodie stimulatur non solum quia melius agnoscitur dignitas humana, sed etiam quia magis conscii facti sumus problemata humana

connectionem politicam habere. (Conscience de la « dimension » politique des problèmes.)

Linn. 24 s.: clarius enumerandae sunt « formae oppressionis » quae in campo politico se manifestant, v. g.: influxus conditionum oeconomicarum (facteurs économiques), influxus systematum philosophiae (idéologies), « mass media » quae saepe libertatem opprimunt.

Linn. 29 s.: cum curam commisit Deus subiiciendi terram et res creatas dominandi, ipso facto hominibus mandavit ut assument et instruant quidquid pertinet ad activitatem humanam, communitate politica haud seclusa. Inde sequitur ut, opportunis mediis et opportuna educatione, homines pares fieri debeant suae vocationis in campo politico exercendae.

Providendum est ut « interior iustitiae et benevolentiae sensus » necnon dispositio ad servitium proximi quam maxime foveantur.

N. 87 (*De natura et fine societatis politicae*): Vita socialis hominum et vita diversorum coetuum, in quibus haec vita socialis instruitur, postulant communitatem ampliorem. At firmiter et clare dicendum est quod, in praesenti civilizatione, media oeconomica, technica, culturalia quae vitae humanae sunt necessaria transcendunt homines seiunctim sumptos et particulares coetus. Seu in campo culturae (sub hoc vocabulo includimus scholas, prelum et media informationis), seu in campo oeconomico (emporia, structurae ...), seu in campo sociali (institutiones quibus familiis, senibus praevideatur, gallice « assistance à la famille, à la vieillesse », etc.), res ultime a communitate politica decernuntur.

Si homines saepe obliviscuntur bonum commune a communitate politica pendere, hoc non tribuendum est semper malae voluntati, sed ignorantiae et insufficienti educationi.

In n. 87, addendum esset: Omnibus civibus ius et officium competunt partem sumendi in investigando, instituendo, gerendo regimine publico quod melius sit inter possibilia, ita ut vere correspondeat aspirationibus et exigentiis communitatis.

N. 88 (*De omnium in vita publica cooperatione*). Lin. 30: notatur iure existere « formas » omnibus civibus obvias. At expressius dici oporteret. Mentio « partis politici », linn. 23-24, negativa est. Momentum et necessitas partium politicarum in hodierna vita politica clare affirmari debet. Clarius ergo delineandum est quid exspectandum sit a « partibus politicis », quid sit earum munus in Statu. Debent studium reipublicae in civibus promovere, electores iuvare, eos certiores facere de quaestionibus diversis tam in campo nationali quam internationali, vias solutionis indicare. Earum est stabilire lineam continuam in vita politica.

Quod si desunt, aut si pars unica (parti unique) praevalet, regimen in anarchiam vel tyrannidem labitur. Quod si e contrario intemperate multiplicantur, vita publica efficax in periculo versatur. Quod si bono communi praeponunt commoda alicuius factionis aut categoriae socialis, positive nocent.

Pag. 70, linn. 3-6: ultima phrasis claritate caret. Sic proponimus scribendum: Caveant cives ne faveant abusus auctoritatis a civili potestate si ipsa iura politica exercere renuunt, aut propriam responsabilitatem in campo laboris vel familiae vel associationum irritam faciant, si a potestate civili exspectant ultra quod dare potest aut debet.

In eadem alinea et in sequente, allusio fit de principio « de subsidiarité », sed nimis caute. Nam non sufficit ut potestas civilis non impediat coetus diversos aut « corpora media » (corps intermédiaires), sed oportet ut foveat eorum activitatem ut communitati positive, quamvis indirecte, prosint.

Linn. 16 s.: quod ibi dicitur de munere christianorum pro omnibus hominibus valet. Melius esset dicere quod munus peculiare christifidelibus est discernere quomodo servitium communitatis politicae sit forma caritatis socialis cuius momentum tam grave est quam momentum caritatis individualis. Hoc faciendo, christianus structuras mundi caritate imbuit (cf. Const. *Lumen Gentium*).

Linn. 21-22: notantur « legitimae opiniones differentes circa rem temporalem ordinandam », de quibus mentio iam facta est n. 87, pag. 69, linn. 9-10.

Non sufficit affirmare legitimas esse opiniones diversas in ordine temporali. Nam ut hae opiniones aut haec consilia legitima sint, requiritur ea conformari bono communi, reverentia personis humanis debita; sub his condicionibus, legitimum est in diversa consilia declinare, sed addendum in quoquo consilio valores inesse quas christianus revereri et observare debet.

N. 89: initium huius paragraphi minus rectum videtur. Proponimus: Ecclesia, in quantum societas est, et societas civilis in hoc conveniunt quod ambae vocationem personalem et socialem hominis servire debent, quamvis diversis modis. Ecclesia, vi propriae missionis, est signum et tutela indolis sacrae quae personae competit. Nullo modo vult mundum dominari, sed omnino vult a societate civili distingui.

Ultima alinea, pag. 71, linn. 15-16, saltem mutandum videtur.

Ut recte concludatur caput quartum, opportunum esset homines vocare ut se convertant ad quasdam virtutes necessarias. Hoc faciendo, Ecclesia proprium munus exerceret. Suadendum est hominibus, sive singulis, sive in coetibus congregatis, sive in genere sumptis, praesertim iis qui nomen christianorum profitentur: ut discernere sciant et promovere ea quae bono communi necessaria sunt; ut addiscant tum hominibus de facto servire, tum debitam reverentiam personae humanae habere; ut a spiritu factionis se abstineant et ultra propria commoda respiciant.

69

REV.MUS P. D. ATHANASIUS WELYKYJ
Superior generalis Ord. Basil. S. Iosaphat

Pag. 60, lin. 32. Addantur haec vel similia: « ... atque debere. Unde contentiones inter varias classes sociales non solum non evanescunt, sed in quibusdam regionibus mundi formam graviorum luctarum assumunt et factiones politicas ad actionem permovent, cum damno totius societatis civilis, animos exacerbando, vindictas alendo, conspirationem totius communitatis et unanimitatem ad bonum commune magis magisque procurandum impediunt et scindunt ». *Ratio*: haec est realitas, proh dolor, mundi « huius temporis », de qua, forsan, saltem quoddam farmacum Concilium afferre posset.

Pag. 61, lin. 4. Addantur quaedam de momento agriculturae, saltem brevem mentionem, e. g.: « intenditur, e quibus ipsa etiam perennis, universalis, opulenta et semper iuvenilis nutrix generis humani, agrorum nempe cultura, nova recipit incitamenta et resumit vires. Ideo favendum... ». *Ratio*: patet, et ultra.

Pag. 62, lin. 5. Addatur: « ... ordinis collocentur, et in desperationem acti, artem agricolam, coronam humanae et perantiquae navitatis ac industriae derelinquant et taedio affecti in incuriam prolabantur ». *Ratio*: omnibus nota est s. d. « urbanisatio », quae saepe debitos modos et formas transgreditur et in damnum vertitur communitati civili. Vires proinde sunt addendae agrorum cultoribus, etiam a nostro Concilio, quod tam diffuse agit de aliis opificibus et technicae inceptis.

Pag. 62, lin. 19. Addatur: « ut labor sufficiens, securus et unicuique conveniens... ». *Ratio*: securitas laboris magnam anxietatem creat omnibus qui de labore vivunt familiamque sustentant.

Pag. 62, lin. 26. Addantur saltem haec: « Labor humanus, qui sensu amplissimo est sumendus, nec ad solam manualem seu physicam operam limitatur, bonis exterioribus est ... ». *Ratio*: de labore loquendo homines « huius temporis » praeprimis de labore physico cogitant, modo speciali de opera physica manuum. Est tamen res omnino iniuriosa, et haec opinio diffusissima corrigenda est.

Pag. 63, lin. 16. Compleatur textus: « ... ut domini imperiosi propria tantummodo quaerendo commoda et emolumenta, sed bonum totius communitatis prae oculis habeant oportet. Inde faciliores se monstrare debent, ut incepta, inquantum opportune et utilius fieri potest... ». *Ratio*: melior videtur transitus in textu ab una ad aliam realitatem expositam.

Pag. 63, linn. 33-35. Textus compleatur: « ... onerisque conscientia et responsabilitas pro tota societate, ipsique, secundum ... socii sint, et non solius suae classis propugnatores eiusque iurium defensores ». *Ratio*: oportet ut mentalitati et conscientiae classisticae substituatur mentalitas universalior progressionis totius societatis.

Pag. 64, lin. 11. Corrigatur: « ... tamquam sibi unice proprias, sed tanquam toti communitati destinatas habere debet... ». *Ratio*: ob claritatem, et ne confusio fiat.

Pag. 64, lin. 16. Corrigatur: « ... ius habent ut sibi etiam ex aliorum divitiis necessaria ad vitam procurare queant ». *Ratio*: caute procedendum in his rebus, saltem « in mundo huius temporis ».

Pag. 65, linn. 5-7. Compleatur textus: « Cum possessio et dominium bonorum exteriorum, ... ei occasionem praebeat suas vires, facultates, navitatesque exercendi et officia oneraque versus alios explendi quod ad vitam... ». *Ratio*: « Munus onusque » non videtur dictio sat clara et sufficiens ad scopum propositum obtinendum.

Pag. 65, lin. 34. Addantur sequentia: « ... et societatem laedunt. Curent homines temporis nostri, ut sensim sine sensu, magnanimitate et patientia christiana moderante et ducente, haec luctuosa inter ipsos differentia et divisio in proprietarios et proletarios, ut dicunt, in altiori et communi bono dispareat, omnesque ad bona sibi in communitate humana propria et sufficientia liberum habeant accessum, etiamsi ipsa Societas sibi ius proprietatis ac dominii ad omnia vel maiorem partem bonorum exteriorum vindicaret. Nemo enim ab homine privari debet iis, quae ei dono Dei obveniunt. In pluribus regionibus ... ». *Ratio*: patet ex ipsa additione, et pertinet ad realitatem « huius temporis », seu hodierni, nostri, de quo agit Concilium.

Pag. 66, lin. 3. Addatur: « Reformationes urgentiores igitur necessariae... ».

Pag. 66, lin. 5. Addatur: « ... vel, debita, sufficienti et ordinata praeparatione praemissa, distributionem fundorum... ».

Pag. 66, lin. 9. Addatur: « ... quaedam cooperaria, ne ex immatura et insufficienti provisione damna maiora communi societatis bono eveniant ». *Ratio*: patet ex propositis additionibus.

Pag. 66, lin. 17. Mutetur: loco « ab omni cupiditate », dicatur « ab immoderata cupiditate ». *Ratio*: res proposita etiam vires Sanctorum superat, et utopiam sapit. Sine quadam « cupiditate » nemo hominum cum « debilioribus » negotiationes faciet.

Pag. 66, lin. 23. Deleatur dictio « sine mora », quia in mundo « huius temporis » est utopistica.

Pag. 66, lin. 24. Compleatur textus: « ... praestare satagat, ut incrementa oeconomicae suae maiori incitamento et industriositate maiorique etiam conatu personarum ac coetuum, in labore et sacrificio cum debita et ordinata progressione convenienter efficere possint ». *Ratio*: ne omnia tantummodo ab opulentioribus exigantur, sed ex proprio sacrificio et labore contribuant. Alioquin iniustum esset, in otio et pigritia manentibus, ab aliis subsidia gratuita quaerere.

Pag. 66, lin. 24. Addatur sequens textus: « Cavendum tamen est ne iniustae quaedam criminationes moveantur et invidiae suscitentur erga eas nationes et populos, quae ob innatam quamdam industriositatem et laboriositatem cum sacrificiis ingentibus generationum plurium sibi quamdam opu-

lentiam rerum et servitiorum, qua hodie gaudent, procuraverunt. Iusta enim gaudent mercede laborum et sacrificiorum, quibus lentiore progressione aliarum regionum, saepe saepius inculpabili, vi vel quadam morali constrictione privari non debent, nisi humana solidarietate et christiana caritate id sponte et ultro praestent in bonum commune humani generis, non sine cuiusdam debitae gratitudinis sensu, qui hominem quemcumque decet et etiam honorat ». *Ratio*: revera in mundo diffunditur quaedam persuasio acsi omnis opulentia et divitiae, etsi iusto labore, magnis sacrificiis et legitimo modo acquisitae, reprobandae essent, sola ratione quod alii, saepe non sine quadam culpa maiorum (qui otio indulgebant forsan nimio) egentiores sint, nec subitaneo quodam modo omnes divitias et servitia ex nunc habere valeant. Qui laboriositatem civium Statuum Foederatorum Americae vel Germaniae aspicere et cognoscere potuit, neque mirari potest de eorum opulentiori conditione, neque ulla invidia fas esset illi duci.

Pag. 68, lin. 6. Dicatur modo impersonali: « Praeconio digni aestimandi sunt generosi conatus... ». *Ratio*: magis convenit talis locutio documento et momento ipsius rei.

Pag. 68, lin. 24. Dicatur: « Eo magis deplorandae sunt quaecumque formae oppressionis... »; ob eandem rationem.

Pag. 69, lin. 7. Addatur: « Ideo Sancta Synodus sollemniter declarat omnes homines congenito et pari gaudere iure societatem politicam sibi efformare ad bonum commune propriae stirpis, gentis vel populi semper melius et convenientius procurandum. Dominatus proinde unius populi vel societatis politicae in alias, vi vel coactione vel quadam insufficientia obtentus, iuri communitatis humanae ac eius dignitati obstare eiusque libertatem coarctare, et ut talis iniustus est et reprobandus in consortio humano. Exoptat proinde haec Synodus ut unicuique ius suum restituatur et firmetur in familia liberarum nationum ubicumque terrarum; imperialismus vero cuiuscumque generis improbetur et ex consortio humano removeatur ». *Ratio*: plures nationes adhuc suam independentiam et libertatem ex dominio aliorum expectant. Multum iuvaret familiae humanae et rei christianae si Concilium clarum verbum et forte hac in re diceret.

Pag. 70, lin. 4. Mutetur: « ... utilitates a republica inopportune postulent » dicatur melius « ... utilitates ab auctoritate reipublicae (vel a rectoribus reipublicae) ». *Ratio*: alioquin est quaedam tautologia (respublica sunt omnes cives simul sumpti sub ductu rectorum).

Pag. 70, lin. 12. Compleatur textus: « ... iura personae, familiae coetuumque socialium graviter laedant... ».

Pag. 70, lin. 23. Addatur: « Factionibus autem politicis non licet... ».

Pag. 70, linn. 28-29. Compleatur textus: « Cum morum integritate, prudentia, attamen etiam cum fortitudine agant contra... ».

70

EXC.MUS P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Cap. III: *De vita oeconomica-sociali.* In genere, hoc caput placet.

N. 76, pag. 61. Haec paragraphus bene componitur.

N. 77, pag. 61, lin. 28. Aliquid hic dicendum est de aberrantia progressionis oeconomicae quae procedit de opportunismo ex parte vel administrationis vel coetus laborum. (In English: the selfishness of management or labor unions.)

N. 77, pag. 61, lin. 25. Expressio « liberorum coetuum » aliquam difficultatem creat. In U.S.A. adsunt « closed shop » vel « union shop », in quibus necesse est ut omnes laborantes tali coetui inscribi. Deinde, hi coetus haud sunt « liberi ».

N. 80, pag. 63. Doctrina in hoc numero est doctrina traditionalis. Videtur esse nimis simplex. Censeo aliquid dicendum esse de obligatione eorum qui administrant consociationes laborantium et qui administrant negotium ut bonum commune, bonum totius nationis, considerant. In U.S.A., ubi hae consociationes laborantium bene fundantur, et administratores negotii et administratores consociationis modo nimis unilaterali procedunt, sine referentia ad totam vitam nationis oeconomicam.

N. 83, pag. 65, linn. 4-5. Vocem « latifundia » neque cognosco neque intelligo, et in textu non explicatur.

N. 85, pag. 66, lin. 32. Adserenda est admonitio divitibus, ut talenta sua pro bono aliorum adhibeant in hac vita.

Cap. IV: *De vita communitatis politicae.* In genere, hoc caput placet. Sed paragraphus finalis (89) videtur esse nimis artificialis, exhortativa, religiosa.

N. 87, pag. 69, linn. 16-17. Vice « liberae hominum voluntati relinquantur », suggero: « liberae voluntati maioritatis hominum relinquantur ». *Ratio* est evidens: ne quis putet unanimitatem requisitam esse ad regimen constituendum.

N. 88, pag. 69-70. In contextu linn. 7-15, pag. 70, aliquid dicendum est ut auctoritas rei publicae quam minimum intret in vitam uniuscuiusque hominis. Hoc in loco principium subsidiaritatis bene exprimatur.

N. 89. Haec paragraphus videtur aliquo modo non ad rem. Aut omittatur aut restringatur.

71

EXC.MUS P. D. VILLELMUS GORDIUS WHEELER
Episcopus Theudalensis, coad. c.i.s. Medioburgensis

Ad postulationem episcoporum Angliae et Cambriae:

1. Quibusdam documentum anno 1964 tractatum visum est Ecclesiae occidentis nimis studere. In novissima recensione nationibus evolventibus nunc satis consulitur. Attamen aeque pro gravitate consideranda sunt problemata quae in societatibus industrialibus oriri possunt.

2. (Sect. 76). Ut res oeconomicae rite procedant imprimis dignitas cuiusque hominis aestimari debet, eiusdem iura ac debita agnosci.

3. (Sect. 78). In quaestione de domibus pro omnibus praebendis oportet de problemate migrationis hominum simul tractare.

Ultima huius laudatae sectionis non satis monstrat quam maxime refert ut omnes homines laborem aptum sine dimissionis periculo inveniant, utque plene consulatur saluti tum animarum tum corporum liberorum et infirmorum.

4. (Sect. 80). Rixae industriales inter eos qui in favorem Status directe occupantur non diiudicari possunt nisi a tribunali nullo modo auctoritati publicae obnoxiae. Haec opinio in citata sectione clarissime ac gravissime exprimi debet.

5. (Sect. 83). Haec sectio emendata priore documento melior est quia aequiparat et iudicat dominium rerum privatum et populi universi necessitates. Nostra tamen opinione haec quaestio planius excutiri debet, quippe quae pertinet non solum ad societates agrarias sed etiam in regionibus ubi viget industria in magnis officinis, in quibus saepe iura operariorum minus aestimantur quam emolumenta eorum qui pro pecunia in iis negotiis locata maximum quaestum petunt.

(Pars II, caput 3 et caput 5)

Imprimis nobis placet modus quo hoc caput ad principia hodie pertinentia spectat, sed pergratissima est ea prudentia quae ex tot problematibus declarat tantum ea esse tractanda quae in omnibus terris simulque gravissime premant.

Aliquibus Patribus textus prior huius constitutionis visus est ad necessitates ac conditiones populorum occidentalium nimis spectare. Nunc in novo textu adeo consulitur nationibus evolventibus ut quaestiones complexae in societatibus iamdudum industrialibus, quae valde vitam hodiernam afficiunt, non nisi modo brevissimo perstringantur. Necesse sane fiat relatio iusta inter occidentales mundi partes et orientales, sed aeque oportet agnoscere omnes mundi huius regiones inter se necessitatibus mutuis connecti. Quapropter iis nationibus quae autonomiam adfectant suadeat haec constitutio ne auxilium

ab alienis gentibus oblatum recusent; respiciant vero non solum suam independentiam sed etiam istam universam nationum interdependentiam, quae praesertim hodie propter technicas ac promptas communicationes facilius efficiatur.

In sect. 76, in pag. 61, ubi lex fundamentalis progressionis oeconomicae asseritur, iustum et significanter statutum est ut omnes conatus ad maiorem progressionem industrialem assequendam humano modo agendi sunt. Recte, ut mihi quidem videtur, haec sectio mandat ut omnes omni modo non solum progressum materialem appetant, sed etiam intellectum ac spiritum excolant. Sed eadem sectio silet de dignitate illa humanis iuribus et officiis cuiusvis hominis fundata, quae relationibus concordibus magistros inter et operarios eminenter fovere valebit. Haec lacuna est complenda, ut sectio citata sit perfecta.

Sect. 78, in divisione secunda, pag. 62, lin. 16, declarat operarios qui ab alia natione vel regione venerint, adiuvare debere ut familias suas apud se habere et decentes habitationes sibi providere possint. Quis est qui haec neget? At talis obligatio sat magnas secumfert difficultates. Cum enim civitas ad habitationes sive migrantibus sive indigenis providendas impar sit, facilis occasio contentionis inter stirpes praebetur. Graviter igitur civitati onus pro omnibus civibus curandi, simulque de migrantium admissione atque « integratione » consulendi.

Ad calcem huius sectionis nobis placet curandum esse ut labor conveniens omnibus hominibus provideatur, utque, si opus sit, formatio technica in novis laboris generibus detur quibus labore minore maiores redditus cumulantur. Sed adeo compressa est haec divisio in schemate ut vix nulla sit mentio de iuvenum praeparatione in industria, nec satis tractetur necessitas hominum debilium ac claudorum instruendorum ut nonnullam partem cum validis vitamque vere humanam ducere possint.

Sect. 80, pag. 63, de conflictibus in labore tractat. Doctrina ex encyclicis socialibus sumpta verbis ad hoc tempus magis accommodatis redigitur, simulque declarantur iura cuiusve individui hominis, quae tamen necessitatibus totius communitatis aequiparari debent. Discordia inter operarios et operum conductores quam celerrime solvi poterit si ambo partes pariter convenient ad res disputatas componendas. Saepe Civitas aptos modos arbitrii ad litis finem assequendam constituere poterit. Res autem difficilior fit quando ipsa Civitas opus conducit in quo orta est dissensio. Nam in quibusdam nationibus multa opera industrialia a Civitate et possidentur et gubernantur. Quo in casu schema nostrum docet convocandos esse in conventum viros quibus rei disputatae quam minime interfuerit: diiudicent hi remque componant. Nonne exsistere oportet collegia arbitrorum praeclarorum qui aut certo aut omni modo a potestate Civitatis soluti possent curare ne Civitatis gubernatores nimiam auctoritatem in litibus industrialibus usurpant? Potissimum media « arbitrationis » stabilienda re quorum operistitia minus frequentia reddantur.

Sect. 83, in pag. 65, veteri schemate melior est, quia nunc ius dominii

privati consociatur cum munere sociali totius cuiusdam communitatis. Attamen etiam nunc in novo schemate ius privati dominii esse maioris ponderis videtur quam bonum commune. Nullum vero exoritur periculum si dicitur ius ad dominium privatum necessitatibus boni communis cedere debere. Immo doctrina socialis Ecclesiae in hac re medium rationabile decrevit. Certe usus existens latifundiorum peccatum contra iustitiam saepe constituit, sed eadem peccata in societatibus progressis committuntur, ubi quaestus maioris causa multa damna patiuntur operarii. Contra tales usus haud moderatos defendendi sunt pauperes, atque plane condemnanda est ista iniustitia qua necessitates omnium sociales in favorem paucorum laboris moderatorum periclitantur. Non ex caritate tantum, sed ex iustitia tota res pendet. Unice per evolutionem verae fraternitatis inter homines responsibilitas socialis, concordia iustitiaque intra communitatem fieri possit.

72

Exc.mus P. D. IOSEPH ZAFFONATO

Archiepiscopus Utinensis

N. 85. Problemata evolutionis vitae oeconomicae et socialis, uti ex isto capite colligitur, arctissime nectuntur maximo problemati humano et sociali mundi nostri temporis, scil. problemati organisationis laboris necnon repercussionum humanorum, socialium et religiosarum in opificum vita.

Opifices, huius progressus technici et oeconomici principaliores artifices sunt atque ideo effectus talis structurae inficiunt illorum mentem atque vitam personalem, familialem et socialem cum indubiis consequentiis in vitam religiosam atque moralem.

Etenim neminem latet maximas difficultates ad amplectendam fidem, ad praecepta Ecclesiae adimplenda atque ad partes habendas vitae sacramentariae in Ecclesiae communitate praecipue reperiri in coetu opificum, non solum propter subiectivas causas, ex doctrinis fidei atque Ecclesiae adversis deductas, sed potissimum propter ipsam modernam organisationem vitae oeconomicae et socialis, quae saepe saepius implicat depersonalisationem ex automatione laboris; anonymatum ex agglomeratione urbana cum imminutione ligaminum familialium; mobilitatem socialem atque geographicam ex distantia locorum habitationis et laboris; pressionem coetuum qui in opificio efformantur, evolvuntur atque operantur.

Vigilantiam maximam quidem necnon specificam praesentiam pastoralem habet Ecclesia in opificum coetu, et ad promovendam humaniorem organisationem in mundo laboris quo facilius sigillum Christi in ipso imprimatur, et ad extruendam conscientiam opificum secundum dignitatem naturalem et supernaturalem laboris.

Ideoque maximam sollertiam adhibent Pastores in cognoscendis phoenomenibus socialibus, moralibus et praesertim religiosis cum evolutione mundi

laboris huius temporis coniunctis, atque vigilanti studio curant praeparationem apti atque specifici apostolatus sive sacerdotum sive laicorum, qui praesentiam Ecclesiae affirmant in hoc coetu hominum ad regnum Dei his in terris ardentius quaerendum perfectiusque instaurandum.

73

PLURES EXC.MI EPISCOPI GALLIAE

Les Evêques de l'Atelier qui ont travaillé sur le chap. III de la partie II du schéma XIII (NN. SS. Vial, Malbois, Fourrey, Matagrin, Puech, Dupuy) sollicitent la signature des Evêques Français qui voudraient appuyer les amendements décidés dans cet atelier.

[*Subsignaverunt*] G. Barthe, ep. Fréjus-Toulon; H. Audrain, arch. Auch; J. Hermil, aux. Autun; M. Maziers, aux. Lyon; M. Riopel, aux. Rennes; H. Vion, ep. Poitiers; J. Goupy, ep. Blois; A. Boussard, ep. Vannes; G. Riobé, ep. Orléans; A. Fauvel, ep. Quimper; M. Lallier, arch. Marseille.

Chap. III: *De la vie sociale économique.*

75. (*Quelques traits de la vie économique contemporaine*). Comme tout autre domaine de la vie sociale, l'économie moderne se caractérise par une emprise croissante de l'homme sur la nature, la multiplication et l'intensification des relations et des interdépendances, la fréquence accrue des interventions de la société et notamment de l'Etat. D'autre part, les progrès des modes de production et une meilleure organisation des échanges et des services pourraient faire de l'économie l'instrument capable de satisfaire les nouveaux besoins de la famille humaine, qui ne cessent de croître.

Pourtant, les sujets d'inquiétude ne manquent pas. A un moment où le développement de la vie économique orienté et coordonné d'une manière rationnelle et humaine, pourrait permettre une atténuation des disparités sociales, il se traduit trop souvent par leur aggravation, parfois même par une régression dans la conditions des plus faibles et par le mépris des pauvres. Alors que des foules immenses manquent du strict nécessaire, certains — même dans des pays moins développés — vivent dans l'opulence ou gaspillent sans compter. Le luxe côtoie la misère. Et, tandis qu'un petit nombre d'hommes disposent d'un très ample pouvoir de décision, beaucoup sont privés de toute initiative et toute responsabilité, asservis à des conditions de travail qui souvent les dégradent.

De tels déséquilibres économiques et sociaux se produisent aussi bien entre le secteur agricole d'une part, et le secteur industriel et les services d'autre part, qu'entre diverses régions à l'intérieur d'un même pays. Ils sont encore plus flagrants entre les pays économiquement développés et les pays en voie de développement: souvent des conflicts aigus en résultent, qui mettent en péril permanent la paix du monde.

Les hommes de notre temps deviennent de plus en plus sensibles à ces disparités. Ceux qui en sont les victimes supportent d'autant plus difficilement leur condition qu'ils ont pris une conscience plus vive des écarts existants, et que devant l'ampleur des possibilités techniques du monde moderne, ils ont acquis la conviction que ce funeste état de choses pourrait et devrait être transformé. Mais cela suppose la révision profonde d'une conception trop fréquente de la finalité de l'économie.

Section I: *La loi fondamentale.*

76. Il faut en effet réaffirmer avec force que l'homme doit toujours être au principe et au terme de toute la vie économique comme de toute vie sociale.

Au principe, car la vie économique doit résulter de l'initiative des personnes et des associations qu'elles constituent librement, initiatives coordonnées et orientées par les autorités légitimes responsables aux divers échelons du bien commun.

Au terme, puisque l'économie ne consiste pas dans la recherche du profit, de la puissance, ou du prestige, mais dans le service de l'homme tout entier, en tenant compte de ses besoins matériels comme de ses aspirations intellectuelles, morales et spirituelles, de tout homme, de tout groupe d'hommes, sans distinction de race ou de continent. C'est pourquoi, la maîtrise des règles propres à l'économie doit permettre de poursuivre avant tout des buts humains en sorte que l'activité économique, qui est toujours par nature une activité humaine, s'exerce de façon conforme à l'éthique sociale et réponde aux desseins de Dieu sur le genre humain.

Chaque entrepreneur, chaque responsable de service ou d'organisation économique, à quelque niveau que s'exercent ses responsabilités, doit être pénétré de cette finalité profonde qui doit présider à toutes ses activités professionnelles.

Section II: *Du développement économique.*

77. (*Objectifs et règles du développement*). Les tâches essentielles du développement économique consisteront donc:

A reconnaître les besoins nécessaires au développement et à l'épanouissement personnel et social de chacun, en tenant compte que si certains s'expriment clairement et de façon solvable, d'autres et souvent d'essentiels, ne le peuvent pas dans l'état actuel de la société.

A établir entre tous ces besoins une hiérarchie et un ordre de priorité.

A promouvoir les moyens et disciplines nécessaires à leur satisfaction.

Pour cela, le développement doit demeurer sous le contrôle de l'homme. Il ne doit pas être abandonné à la discrétion de quelques initiés, de quelques groupes privilégiés, ou de quelques nations plus puissantes. Il convient au contraire que le plus grand nombre possible d'hommes, à tous les niveaux, et l'ensemble des nations au plan international, puissent prendre une part active à son orientation.

Le développement ne peut être laissé au libre jeu des mécanismes naturels, car seuls alors les besoins solvables seront normalement satisfaits et attireront hommes et capitaux cependant que des secteurs entiers de l'humanité s'enfonceront dans une misère inhumaine. Il ne faut pas non plus laisser à la seule autorité publique la responsabilité et le soin de répondre aux besoins non immédiatement rentables. Si ceux-ci requièrent de toute évidence l'intervention de l'état, il est souhaitable que dans la mesure du possible des règles et des contrats appropriés en permettent la gestion directe au secteur privé. Car il faut dénoncer les erreurs aussi bien des doctrines qui s'opposent aux réformes indispensables au nom d'une fausse conception de la liberté, que des doctrines qui sacrifient les droits fondamentaux de la personne et des groupes à l'organisation collective de la production: en vérité, c'est toute la communauté qui doit participer à l'élaboration et à la marche de son économie, les corps intermédiaires assurant le relais indispensable entre l'état et les personnes.

Il faut rappeler d'autre part, le devoir qu'ont tous les citoyens de contribuer par eux-mêmes au progrès de leur propre communauté. Dans les pays en voie de développement, où l'emploi de toutes les ressources s'impose, le bien commun demande que nul ne prive son pays des moyens matériels et spirituels dont il dispose, le droit personnel de migration étant sauf.

78. (*Il faut faire disparaître ou amoindrir les immenses disparités économico-sociales*). Le développement doit être conçu de telle sorte que, dans le respect des droits et des personnes et du génie propre de chaque peuple, les disparités économiques et les écarts sociaux d'amplitude monstrueuse qui existent aujourd'hui et souvent s'aggravent, disparaissent ou du moins diminuent le plus rapidement possible.

Seule d'ailleurs une économie fondée sur les besoins réels des hommes permettra d'envisager et de réaliser les investissement et les transferts ainsi exigés. Ce n'est également qu'à cette condition que l'agriculture, dont les difficultés se retrouvent dans presque tous les pays du monde, à des degrés divers, retrouvera une place plus équitable dans le concert économique. La justice, et l'équité exigent de même, que la mobilité souvent nécessaire dans une économie en progrès, soit aménagée de façon à éviter l'insécurité de chacun et de sa famille; et qu'une formation professionnelle aussi bien des jeunes que des adultes permette à tous de se préparer ou de s'adapter à l'évolution.

A l'égard des travailleurs provenant d'autres pays ou d'autres régions et qui apportent leur concours à la croissance économique d'une nation ou d'une province, il importe d'éviter toute discrimination en matière de rémunération ou de condition de travail. De plus, la société tout entière, en particulier les pouvoirs publics, doivent les accueillir comme des personnes, non comme une simple main d'œuvre utile à la production: faciliter la présence auprès d'eux de leur famille, les aider à se procurer un logement décent et favoriser leur insertion dans la vie sociale du pays ou de la région d'accueil.

Dans des économies en transition, il convient de veiller tout particulièrement à garantir la subsistance et la dignité de ceux qui, en raison de la maladie ou de l'âge se trouvent dans des situations très difficiles.

79 (ex 84). (*Relations économiques entre pays riches et pauvres*). Les relations économiques internationales, commerciales ou financières sont également soumises aux règles de justice et d'équité voulues par Dieu. Aujourd'hui, il convient de les aménager en vue de diminuer les immenses disparités qui existent entre les nations. Les plus puissantes et leurs citoyens doivent s'abstenir de toute cupidité dans le commerce avec les plus faibles et les plus pauvres: leurs produits sont en effet pour celles-ci le moyen de subsistance élémentaire. Il est urgent de plus d'établir ou de rendre efficaces les institutions capables de régulariser le commerce international et de compenser les effets qui découlent de l'inégale puissance des nations. Cette normalisation, accompagnée d'une aide technique culturelle et financière, doit tendre à assurer sans retard aux nations en voie de développement les moyens nécessaires à l'essor harmonieux de leur économie.

80 (ex 76). (*Importance de la production et de la répartition*). Pour faire face à l'accroissement de la population et pour répondre aux aspirations plus vastes du genre humain, il faut tendre à une augmentation de la production. C'est pourquoi il faut encourager le progrès technique, l'esprit d'innovation, la création de nouvelles entreprises, l'adaptation continuelle des méthodes.

Mais il faut veiller à ce que cet effort de production soit conforme aux objectifs du développement économique et accompagné d'une meilleure répartition. Car s'il faut condamner toutes les formes modernes de malthusianisme économique, il faut aussi que cesse le scandale de voir une accumulation abusive de biens de toutes sortes, produite de façon incohérente, aboutir à la destruction systématique de surplus sous le regard révolté de ceux-là même dont ils auraient pu soulager la misère et la faim. Bien au contraire des accords devront s'efforcer d'organiser les investissements productifs de telle sorte que chaque catégorie de population et chaque nation puisse progressivement trouver en elle-même les éléments d'une saine économie dans le même temps que les échanges seront moralisés et développés.

81. (*Investissements et gestion monétaire*). Pour assurer les objectifs du développement économique les investissements privés ou publics devront assurer la priorité aux bésoins essentiels. Parmi ceux-ci, ne devront pas être négligés les besoins collectifs, sociaux, de même que les investissements nécessaires au développement des pays économiquement faibles. Une harmonieuse collaboration entre les autorités publiques et les organisations privées devra présider aux décisions et aux applications concrètes.

Les investissements devront aussi contribuer à assurer un travail productif et un revenu suffisant tant à la population active d'aujourd'hui qu'à celle de la génération suivante. Les responsables des investissements et de l'organisation de la vie économique globale doivent avoir ces buts à cœur et se montrer conscients de leurs graves obligations de prévision comme du devoir

d'assurer un juste équilibre entre les besoins de la consommation actuelle et les exigences de l'investissement pour l'avenir.

Il est indispensable que, dans une telle perspective, les organismes financiers pensent et repensent, si nécessaire, leurs structures et leurs méthodes afin de proposer à l'épargne et aux entreprises un ensemble de services adaptés à leurs besoins. Ils devront éviter des activités purement spéculatives car dans l'économie tout gain ne résultant pas d'un service réel ne se réalise qu'au détriment de la société. De même les responsables de la gestion monétaire devront toujours avoir présents à l'esprit les rapports étroits qui doivent éxister entre les besoins, la monnaie et les biens et services, et n'agir qu'avec une profonde conscience des répercussions sur la vie même des populations, des décisions qu'ils sont appelés à prendre en ce domaine.

Section III: *De quelques éléments essentiels à la vie économique.*

82. (*La grandeur du travail*). Dans la vie économique, le travail occupe une place prépondérante. Il procède en effet immédiatement de la personne, marquant de son empreinte la nature et la soumettant à ses desseins. Il est, pour le travailleur et sa famille, le moyen ordinaire de subsistance. Par lui, l'homme devrait pouvoir épanouir les forces de son corps et de son esprit, échanger avec autrui et rendre service à ses frères. De là découlent pour tout homme le droit au travail comme le devoir de travailler.

Comme l'activité économique est le plus souvent le fruit du travail associé des hommes, il est injuste et inhumain de l'organiser au détriment de qui que ce soit. Or il est malheureusement trop courant que des travailleurs soient en quelque sorte asservis à leurs propres œuvres. Il importe donc d'adapter l'ensemble du processus de production aux besoins de la personne et aux rythmes de l'homme, en particulier de sa vie familiale, en tenant compte tant du sexe que de l'âge. Des travailleurs doivent avoir la possibilité de développer leurs qualités et leur personnalité dans le travail lui-même. Ils ont droit, en outre, à un temps de repos et de loisir leur permettant une vie familiale, culturelle, sociale et religieuse. Il faut aussi qu'ils aient la possibilité de s'adonner à des activités libres et de déployer des facultés qu'ils n'ont pas toujours ou trop peu l'occasion d'exercer dans leur travail quotidien.

83. (*Participation dans l'entreprise et dans l'organisation économique*). Dans les entreprises de production, les propriétaires (individus, groupes, collectivités, y compris l'Etat dans les cas où le bien commun le requiert) aussi bien que ceux qui, sans être propriétaires, détiennent effectivement le pouvoir économique, ne sauraient jamais se conduire en maîtres absolus. Les entreprises doivent au contraire tendre à devenir des communautés de personnes, c'est-à-dire d'être libres et autonomes créées à l'image de Dieu.

Selon des modalités adaptées et sans mettre en cause la nécessaire unité de direction, tous les membres de l'entreprise doivent participer à sa vie, à sa gestion, et à ses fruits. Il convient donc qu'ils puissent en avoir les moyens, et ne s'en voient pas contester le droit.

En bien des cas cependant, ce n'est pas au niveau de l'entreprise mais à des instances supérieures que se prennent les décisions économiques et sociales dont dépend l'avenir des travailleurs et de leur famille: ils doivent donc aussi y avoir part et même participer à l'organisation économique dans son ensemble, notamment par l'intermédiaire de représentants librement élus, capables d'exprimer leurs besoins, leurs suggestions, leur point de vue.

Il faut mettre au rang des droits fondamentaux de la personne humaine le droit des travailleurs de fonder librement des associations capables de les représenter de façon valable et de collaborer à la bonne organisation de la vie économique, ainsi que le droit de prendre part librement aux activités de ces associations sans courir le risque de représailles. Grâce à une participation organisée, jointe à un progrès de la formation économique et sociale, le sens des responsabilités grandira de plus en plus chez les travailleurs; et ils se sentiront eux-mêmes engagés, selon leurs moyens et leurs aptitudes propres dans la tâche entière du développement.

En cas de conflit avec les dirigeants de l'entreprise, il faut s'efforcer de trouver une solution pacifique. En cas de besoin, on recourra à des instances indépendantes créées à cet effet, même quand il s'agit de l'Etat entrepreneur. S'il faut ainsi donner la première place à une tentative sincère de dialogue entre les parties, la grève peut néanmoins demeurer aujourd'hui encore un moyen nécessaire pour la défense des droits et la satisfaction des justes aspirations des travailleurs. Même dans la grève, que l'on tienne grand compte des rapports humains et que l'on ait aussi égard au bien des familles de ceux qui ne travaillent plus, aux droits des tiers et plus généralement aux exigences du bien commun. Des conditions plus sévères peuvent être imposées lorsqu'il s'agit de services essentiels. Il faut enfin chercher le plus vite possible la reprise du dialogue.

84. (*La rémunération*). La rémunération du travail est une source essentielle pour la satisfaction des besoins de l'homme et de sa famille. Elle doit être équitable, c'est-à-dire en tout état de cause permettre une vie digne sur le plan matériel, social, culturel et spirituel. Il n'est pas indifférent que dans la mésure du possible la rémunération soit influencée par les qualités et les compétences réelles du travailleur, ainsi que par la nature du service qu'il est appelé à rendre. Il est souhaitable qu'une libre discussion puisse en définir les règles, de même que des règlements colléctifs devront éviter que les rémunérations soient fixées arbitrairement à des niveaux indécents.

Mais la rémunération du travail ne saurait à elle seule, couvrir la totalité des besoins. Sous des formes diverses une saine conception de la solidarité conduit à assumer en communauté ou à procurer aux personnes et aux familles des ressources complémentaires et à pourvoir de plus en plus aux nécessités de la vieillesse, aux risques de la maladie, de l'accident, de l'infirmité.

Il convient d'encourager et d'améliorer constamment cette source non négligéable de revenus ou de services qui permettent aux besoins sociaux

et familiaux de s'exprimer et d'être satisfaits. Une gestion communautaire doit permettre d'éviter le risque de transformer ces formes de solidarité en assistance.

85. (*La propriété: les biens de la terre sont destinés à tous*). Dieu a destiné la terre et tout ce qu'elle contient à l'ensemble du genre humain. Aussi quelles que soient les formes déterminées de la propriété légitimement adaptées aux institutions des peuples, selon des circonstances diverses et changeantes, on ne doit jamais perdre de vue cette destination commune des biens. C'est pourquoi l'homme, dans l'usage qu'il en fait, ne doit jamais tenir les choses extérieures qu'il possède comme privées, mais pour communes: en sorte qu'elles ne profitent pas à lui seul mais puissent aussi servir à autrui. D'ailleurs tous les hommes ont le droit strict d'avoir une part suffisante de biens pour eux-mêmes et pour leur famille. A tel point que selon l'enseignement traditionnel de l'Eglise, ceux qui se trouvent dans une situation d'extrême nécessité ont droit de se procurer le nécessaire à partir des richesses d'autrui. De cette destination commune des biens, il découle de graves responsabilités pour ceux qui disposent des moyens d'investissement, de production et de répartition.

Fréquemment, dans des sociétés économiquement moins développées, la destination commune des biens est partiellement réalisée par un ensemble de coutumes et de traditions communautaires assurant à chaque membre les biens les plus nécessaires; il faut se garder d'attenter imprudemment à ces formes traditionnelles d'économie communautaire aussi lontgemps qu'elles sont encore vivantes et susceptibles, en se modernisant, de continuer à rendre de grands services.

Dans les économies plus développées, un réseau d'institutions sociales peut semblablement contribuer pour sa part à la destination commune des biens. Il importe aussi de poursuivre le développement des services familiaux et sociaux, comme des équipements culturels et éducatifs.

Dans l'aménagement de toutes ces institutions communautaires ou sociales, il faut veiller à ce que le citoyen, par rapport à la société, ne soit pas conduit à adopter une attitude de passivité, d'irresponsabilité, ou de refus de service.

86. (*Accès à la propriété et au pouvoir sur les biens. Problème des Latifundias*). Le pouvoir sur les biens extérieurs a sa racine dans la personne, contribue de manière essentielle à son expression, et fournit l'occasion d'exercer une responsabilité personnelle: c'est là un facteur majeur d'une vie sociale vraiment humaine. Il est donc très important de favoriser l'accès de tous, individuellement ou en groupe, à un certain pouvoir sur les biens extérieurs. Les formes d'un tel pouvoir ou propriété sont aujourd'hui variées, et leur diversité ne cesse de s'amplifier. Les unes et les autres demeurent cependant une source de sécurité non négligeable à côté d'autres formes de sécurité, fonds sociaux, droits et services garantis par la société, capacités professionnelles, etc.

La propriété privée ou un certain pouvoir sur des biens extérieurs assurent aussi à chacun une zone indispensable d'autonomie personnelle et familiale. On doit la regarder comme un prolongement nécessaire et une garantie de la liberté. Enfin, elle stimule initiatives et responsabilité.

La légitimité de la propriété privée qui peut d'ailleurs être personnelle ou sociétaire, ne fait pas obstacle à celle des divers modes de propriétés publiques, à condition que le transfert des biens au domaine public soit effectué par l'autorité compétente selon les seules exigences du bien commun et dans les limites de celui-ci. L'Etat doit par ailleurs empêcher qu'on use de la propriété privée contrairement au bien commun.

Toute propriété privée, quelle que soit la nature des choses auxquelles elle s'applique (biens fonciers, capitaux...) comporte aussi une fonction sociale intrinsèque qui correspond à la loi de commune destination des biens. Là où cette fonction sociale est négligée, la propriété devient l'objet de multiples tentations de cupidité et de graves désordres: spéculations sur les prix des denrées, sur les valeurs mobilières, sur les terrains, à l'occasion de l'équipement du territoire et de l'urbanisation. Tout cela blesse des frères et porte préjudice à la société.

Dans plusieurs pays économiquement moins développés, il existe des domaines ruraux étendus, médiocrement cultivés ou mis en réserve, alors que la majorité de la population est dépourvue de terres ou n'en détient qu'une quantité dérisoire, et que l'accroissement de la production agricole présente un caractère d'évidente urgence. Souvent ceux qui sont employés par les propriétaires de ces grands domaines reçoivent des salaires indignes de l'homme, n'ont pas à leur disposition de logement décent et sont exploités par des intermédiaires. Ils vivent dans l'insécurité et dans une dépendance personnelle telle qu'elle leur interdit presque totalement l'initiative et la responsabilité, toute promotion culturelle, toute participation à la vie sociale et politique. Des réformes s'imposent donc, visant, selon les cas, à accroître les rémunérations, à améliorer les conditions de travail et la sécurité de l'emploi, à favoriser l'initiative, ou même à répartir des propriétés insuffisamment exploitées au bénéfice d'hommes capables de les faire valoir. Dans ce dernier cas, les services indispensables doivent leur être assurés, en particulier les moyens d'éducation et une organisation de type coopératif. En cas d'expropriation exigée par le bien commun, l'indemnisation doit s'apprécier selon l'équité en ne tenant pas seulement compte de la valeur vénale, mais de l'ensemble des circonstances qui entourent cette expropriation.

Section IV: *Conclusions.* 87. (*Liens entre l'économique et le politique*). De tout ce qui précède, il apparaît clairement qu'une économie humaine est un facteur capital pour l'épanouissement des personnes et des sociétés. Elle est donc une condition fondamentale de la paix sociale et de la paix entre les peuples. Son influence déterminante sur le bien commun est telle qu'elle implique des choix et des décisions politiques, en même temps qu'elle appelle

la constitution et le respect d'une autorité aux différents échelons de la société, y compris à l'échelon le plus élévé, c'est-à-dire au plan mondial.

88. (*L'activité économico-sociale et le Royaume de Dieu*). Les chrétiens doivent être convaincus qu'en prenant activement part au mouvement économico-social de leur temps ils peuvent beaucoup pour le bonheur de l'humanité et la paix du monde. Pour cela, tout en s'assurant la compétence professionnelle et l'expérience indispensable, il est nécessaire qu'ils demeurent, au milieu des activités les plus terrestres, les témoins d'une juste hiérarchie des valeurs dans la fidélité au Christ et à l'Evangile.

Tous les hommes, individuellement ou dans les associations qu'ils constituent, sont appelés à un effort vigoureux et permanent de conversion dans leur mentalité et dans leurs habitudes pour atténuer les tensions qui ne manquent pas et ne manqueront jamais.

Bien plus, ces conversions dont l'observation du monde actuel fait apparaître l'urgence, ne sont autres que celles auxquelles l'Evangile convie tous les hommes dans l'esprit des béatitudes:

En effet l'économie devient alors le domaine privilégié d'une authentique charité, fondement même de l'enseignement du Christ puisqu'elle permet à chacun d'œuvrer pour son prochain en l'aimant au travers de ses activités professionnelles.

La nature même de ces services et des échanges qui en résultent expriment la profonde solidarité qui lie tous les hommes comme les liens de la fraternité unissent les fils d'un même père.

Dominant ses propres convoitises en assumant dans le cadre de ses responsabilités professionnelles une gestion des biens ou des compétences dont il dispose en vue d'un réel service, l'homme réalise cette pauvreté authentique dont l'humanité cherche à tâtons la profonde signification.

L'ensemble de l'économie humaine devient ainsi réponse et collaboration de l'homme à la Rédemption du Christ par la Rédemption de la création.

74

EXC.MI PP. CONCILIARES GALLIAE SEPTEMTRIONALIS

I – *Votum.* Praedicti Patres enixe rogant ut retineatur in textu definitivo constitutionis « De Ecclesia in mundo huius temporis » (In capite III: « De vita oeconomico-sociali ») *doctrina de natura et fine doctrinae socialis Ecclesiae in Adnexis schematis contenta* (pag. 37 et 38, n. B: « De Natura et Fine Doctrinae socialis Ecclesiae »).

II – *Ratio* huius petitionis duplex est: *a*) In pag. 86 et 87 schematis (« Historia textus praesentis ». 2 « Modus procedendi in reelaboratione textus »), legimus: « *c*) Secundum desideria a pluribus Patribus expressa, Adnexa quae textum priorem comitabantur, inserenda erunt in novum textum,

saltem quoad substantiam. Quod factum fuit ex iussu em. card. Cicognani, praesidis commissionis de coordinandis laboribus, iuxta epistolam missam em. cardd. praesidibus commissionis plenariae mixtae, die 2 ian. 1965 ».

Atqui praedictis patribus videtur paragraphum in « Adnexis » contentam « de natura et fine doctrinae Socialis Ecclesiae » pertinere « ad substantiam » Adnexorum et non posse omitti sine gravi damno, utpote fundamentalem.

b) In nostris regionibus, natura doctrinae socialis Ecclesiae duplici modo quaestioni et discussioni subiicitur:

— Sive per defectum, aliquibus catholicis in dubium revocantibus ipsam existentiam seu valorem doctrinae socialis Ecclesiae.

— Sive per excessum, aliis catholicis illam doctrinam praesentantibus velut systema oeconomicum et sociale, aptum ex se ad omnia problemata solvenda, et cum aliis systematibus oeconomico-socialibus connumerandum.

Propterea optamus ut Sacra Synodus declarationem claram in « Adnexis » contentam retineat, saltem in suis principalioribus elementis, et illa elementa velut prooemium cap. III solemniter exponat.

III – *Propositio*. Retineantur elementa essentialia in n. B, pag. 37 et 38, in « Adnexis » contenta, scil.: *a*) Finis Ecclesiae et finis doctrinae socialis Ecclesiae: « Finis Ecclesiae assignatus stricte religiosus est ». Sed praecise quia doctrina Ecclesiae totum hominem respicit, non potest ignorare conditiones sociales in quibus vivere debent homines. Ergo, « In Revelatione et in humana ratione fide illuminata, Ecclesia invenit elementa doctrinae, morales exigentias et quasdam indicationes, quorum luce de sensu et de intimo valore cuiusvis realitatis et humanae actionis cum auctoritate iudicare potest ».

Quapropter iure meritoque Ecclesia doctrinam suam de rebus oeconomico-socialibus, id est « doctrinam socialem » proponere potest et debet.

b) Ex alia parte, Ecclesia declarat suam doctrinam his de rebus sitam non esse in eodem plano ac scientiae et systemata oeconomica et socialia, et cum his non connumerari: doctrina Ecclesiae etenim fluit ab ipsius religioso munere, homines scil. ad Deum ducendi. Pro sua natura doctrina haec nequit sibi sufficere nec apta est ad universa problemata solvenda; sed ea omnia sub luce fidei et moralis christianae illuminat. Leges autem et normas cuique disciplinae proprias observat, atque amplum spatium investigationi et studiis tribuit. Sicut Evangelium ipsum, doctrina Ecclesiae diversis institutionibus se accommodare potest, diversis applicationibus explicari, quarum nulla eam in praxim perfecte deducit. Non tamen exinde momentum eius minuitur, et quisquis eam vel ignorat vel praesertim despicit, societates in gravia pericula vocat ».

« Quapropter haec Sancta Synodus, de suis responsabilitatibus conscia, postquam laicos idoneos audivit, non dubitat in omnium christianorum memoriam revocare atque omnibus hominibus amore iustitiae flagrantibus aliqua fundamentalia principia et aliquas indicationes proponere, quarum observantia pro praesente evolutione mundi peculiaris ponderis esse videtur ».

75

EXC.MI EPISCOPI ALGERIAE

N. 88, lin. 11, pag. 70, verbum « dictatorias » est aequivocum; hoc probatur ex versione gallica ubi legitur « totalitaires ».

Dicendum videtur: « At inhumanum est quod gubernium graviter laedat iustam libertatem civium ».

Optandum est ut formae totalitariae severissime damnentur.

76

PLURES EXC.MI EPISCOPI BRASILIAE

A

1. N. 75, pag. 62: ubi sermo est de diversis aspectibus vitae oeconomicae hodiernae, *sequens proponitur observatio*: nonne opportunum esset hic explicite notare cur oeconomiae actuales non recte procedunt? Et nonne hoc advenit ex eo quod istae oeconomiae cum perprimis intendant augmentum « productionis » ad planum secundarium remittunt immediatam satisfactionem necessitatum humanarum tum individualium tum socialium? *Ratio*: propter momentum quaestionis. Placuit 47 Patribus.

2. N. 76, pag. 61, lin. 4: ubi dicitur: vita oeconomica necessario intenditur sufficientem productionem bonorum, addendum esset: et eorum adaequatam distributionem nec non et consumptionem. *Ratio*: obvia est. Placuit 47 Patribus.

3. N. 78, pag. 61-62: ea quae in isto numero tractantur non recto ordine disponuntur. Magna paragraphus (linn. 6-18) de operariis ab aliis regionibus oriundis et migrantibus locum aptiorem habuisset si seorsim consideraretur. Placuit 47 Patribus.

4. N. 79, pag. 62-63: haec duo in hoc numero desiderantur: *a*) mentio explicita (ne quidem implicita invenitur) circa problema sane maximi momenti de sic dicta « automatione »; *b*) aliquid profundius de otio et quiete, nam haec mentionantur in titulo numeri sed fere nihil in textu dicitur. *Ratio est*: *a*) momentum problematis « automationis » tale est ut de illo tractari omnino debeatur non modo propter momentum ipsius quaestionis, verum etiam propter eius serias consequentias. Sic verbi gratia problema reconducendi operarios ad alios ambitus productivos communitatis qui propter automationem sine labore remanent. Necessitas praevidendi in aliqua planificatione globali aequilibrium contractus laboris, ubi oblivisci nefas est « securitas » in casu absentiae contractus (chômage); *b*) problema de tempore relaxationis (loisir) apte ordinando hodie magis ac magis imponitur praesertim quia tendentia in dies ubique augetur diminuendi horas quae labori tribuuntur. Placuit 47 Patribus.

5. N. 80, pag. 63-64: quoad hunc numerum sequentes facimus observationes: *a*) mentio explicita desideratur ad Litteras Encyclicas Sociales ubi sermo de co-proprietate et co-gestione profundius tractatur;

b) in linea 33, pag. 63 explicite sermo est de sensu « responsabilitatis » operariorum, quorum conscientia proprii muneris onerisque in dies augetur et augeri debet. *Quaeritur*: nonne opportunum esset hic vel in alio aptiori loco aliquid simile dicere etiam de conductoribus laboris? Nam illi etiam hunc sensum colere debent. Placuit 48 Patribus;

c) in pag. 64, linn. 3-4 verbum « quamprimum » dematur. *Ratio*: textus substantialiter immutatus manet. Praeterea illud « quamprimum » fortasse favere potest illis qui in dialogo iam potiores habent partes et vis iurium quae humilibus tribuuntur aliquatenus minuitur. Placuit 43 Patribus;

d) in fine numeri: aliquid omnino esset addendum circa problema de sic dicto " lock-out ". Eius usus nonnisi per rationes omnino graves est legitimus et de gravitate harum rationum iudicet auctoritas civilis. Placuit 47 Patribus.

6. N. 81, pag. 64, lin. 20: loco: « vitandum est ne contra illas a maioribus acceptas formas oeconomiae communitatis imprudenter agatur » modo magis positivo et saltem pro quibusdam regionibus minus ambiguo dicatur « transformationes illae per gradus fiant ne contra illas ». *Ratio*: iam dicitur in observatione. Placuit 46 Patribus.

7. N. 82, pag. 64, linn. 35-40: hic tangitur quaestio summi momenti in campo oeconomico. Mentio autem quae in textu datur non videtur congrua tam gravi et tam serio problemati. Quaestio profundius tractetur. Placuit 45 Patribus.

8. N. 83, pag. 66, lin. 3: aliquid etiam dicatur de « assistentia technica ». *Ratio*: experientia teste hoc omnino exigitur. Placuit 48 Patribus.

9. N. 83, pag. 66, lin. 11: loco: « omnibus adiunctis perpensis », dicatur: ratione habita exigentiarum et possibilitatum communitatis totius, nec non et necessitatum personalium et familiarium proprietarii. *Ratio*: textus minus vagus et indeterminatus fit. Placuit 45 Patribus.

B

N. 34, pag. 27, lin. 36: après « disponunt » il faudrait préciser: « Ces privilégiés du pouvoir, de l'économie et de la science, en particulier ceux qui imposeront leurs programmes aux cerveaux électroniques, détermineront à leur gré des décisions d'une telle influence, que la liberté des multitudes s'évanouira. Les assujettis se sentiront alors ... ».

N. 34, pag. 27, lin. 43: remplacer la dernière phrase par celle-ci: « C'est seulement ainsi que l'avenir appartiendra à ceux qui auront su donner aux générations de demain des raisons de vivre, de se donner et d'espérer ».

N. 42, pag. 33, lin. 30: après « bona inveniantur » ajouter: « Le renoncement total que demande Dieu, loin de dépouiller l'homme de ses valeurs

personnelles, les purifie et les élève. L'homme qui renonce à soi-même pour Dieu et pour ses frères en humanité se retrouve lui-même, spirituellement enrichi ».

N. 46, pag. 35, lin. 28: ajouter: « Nous savons, grâce au Christ, que la souffrance est nécessaire pour nous purifier. Elle nous forme à la force intérieure. Acceptée pour aider nos frères, elle nous unit à Jésus, crucifié, et prend une valeur salvatrice. Facteur de notre croissance humaine et spirituelle, elle nous configure au Christ, Homme parfait, et contribue à dilater notre cœur. S. Paul ne disait-il pas aux Galates: « Vous que j'enfante dans la douleur jusqu'à ce que vous ayez pris la parfaite ressemblance au Christ » (*Gal.* 4, 19). Par la souffrance nous apprenons la domination de nous-mêmes et nous triomphons des obstacles que nous rencontrons pour aider autrui. Elément de notre ascension, elle fait partie essentielle du message chrétien devant les civilisations qui se désagrègent dans la recherche des plaisirs et des facilités. Le message de la souffrance acceptée est aujourd'hui plus indispensable que jamais, non qu'il s'agisse de faire de la souffrance une fin et de la rechercher d'une façon morbide. Il ne s'agit pas non plus de refuser les joies qui font grandir. Les joies de la vie chrétienne sont les plus grandes qui puissent être. Elles comportent d'assumer la souffrance pour devenir plus homme et s'insérer de plus en plus dans le Christ. C'est ainsi par la croix que nous règnerons avec Lui ».

N. 75, pag. 60, lin. 7: « l'économie bien ordonnée pourrait devenir ». Lin. 10: « de telles perspectives qui font bien augurer de l'avenir ».

N. 80, pag. 63, lin. 26: il conviendrait ajouter: « Du côté des employeurs, le " lock-out " ne peut être légitime que pour des raisons extrêmement graves, que les pouvoirs publics ont le devoir de préciser. Dans certains ces, leur intervention directe peut être nécessaire, soit pour obliger à la cessation du " lock-out " soit pour permettre à l'entreprise en grande difficulté de continuer ses activités ».

N. 81, pag. 64, lin. 13: ajouter: « cette part étant evidemment fonction des ressources totales du pays, tant que la solidarité internationale ne sera pas correctement organisée ».

N. 81, pag. 64, lin. 14: ajouter: « Cette doctrine s'applique évidemment aux devoirs des pays riches envers les pays encore dans la misère. En cas de défaillance à ce devoir de ceux qui possèdent, les pouvoirs publics ont le droit de les y contraindre en prélevant pour cela sur leurs gains. Mais peu à peu, les lois sociales doivent aménager, par des institutions appropriées, une distribution équitable du revenu national. Les grands organismes internationaux, en se perfectionnant, auront à assumer la même tâche, dans toute la mesure du possible, au plan mondial ». La dernière phrase de l'alinéa deviendrait: « Les Pères et les Docteurs de l'Eglise ont de même enseigné que ceux qui ... Ils ne visaient alors que les personnes, mais on voit les conséquences de cette doctrine pour l'élaboration d'un nouveau droit international ».

N. 83, pag. 65, lin. 10: ce pouvoir pouvant être autre que la propriété au sens strict, il faudrait mettre, pour éviter toute équivoque: « ou de la propriété ».

N. 83, pag. 65, linn. 10-11: dernière ligne: « non de la seule valeur vénale ou du prix de spéculation; mais... ». Le terme « circonstances » semble trop vague. Il faut mettre: « mais de toutes les exigences de la justice sociale, en telle ou telle circonstance déterminée ».

N. 84, pag. 66, lin. 20: au lieu de « le commerce international » mettre « les échanges internationaux », terme plus large qui inclut évidemment le commerce, mais aussi d'autres opérations qu'il y aura lieu d'indiquer dans le chap. V.

[*Subscripserunt*] Helder Camara, arch. Olinda e Recife; J. de Sousa Lima, arch. Manáus; S. Fernandes de Araújo, ep. tit. Verinopoli; José Mauro, ep. Iguatú; M. A. Noronha, ep. Itabira; A. Melillo, ep. Piracicaba; N. Monte, adm. ep. Natal; David, coad. Santos; Ioão, arch. tit. Martiropoli; B. Neto, ep. tit. Cremna; João Batista, arch. Vitória; W. Calheiros, aux. Rio.

77

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE ORIENTALIS

Art. 75, pag. 60, linn. 21-26: totum incisum (« Similes defectus ... ») et imprimis ultima sententia clarius exprimatur, videaturque utrum asserta factis probentur an non.

Art. 77, pag. 61, linn. 32-36: passus hic magni est momenti. Addantur iam hic pauca verba circa collocationes bonorum (investments), quamvis postea in art. 82 de his fusius tractatur. Hoc enim positive confert ad bonum commune promovendum, ut pecunia in tuto loco, sed in patria collocetur.

Art. 78, pag. 62, linn. 3-5: « Eodem modo, peculiaribus agriculturae difficultatibus providendum est »: quae sententia determinismum vel dirigismum quendam sapit. Initiativa, et quidem cooperativa, agricolarum ipsorum excitanda est, ut methodis modernis ad augendos fructus agrorum perveniant, ita ut tunc etiam subsidia publica maiore cum successu collocari possint (id quod maximi momenti est pro regionibus Africae).

Linn. 8 s.: quae dicuntur de operariis migrantibus, maiore cum vi proponenda sunt, cum hodie plurimos attingant. Eodem iure gaudeant oportet ac operarii inhabitantes.

Art. 80, pag. 63, linn. 18-20: participatio non tantum in re pecuniaria, sed etiam in responsabilitate efferenda est. Ita imprimis in sententia: « Participent ergo illi omnes operis socii, modis apte ordinandis, negotia inceptuum (NB. estne error typogr.?), eorumque administrationem (gestion), *responsabilitatem* et fructus ».

Linn. 36 s.: associationes laborantium hic sub respectu occidentali tractantur. Econtra in Africa ius associationum talium ab occidentalibus differt,

imprimis quod operistitium attinet. De relatione inter associationes et gubernium vel rem publicam agendum est. Directores associationum mediatores sint inter gubernium et operarios in ordine ad promovendum bonum commune.

Lin. 41: loco « adiumentum necessarium » dicatur « *medium* necessarium ».

Pag. 64, linn. 1-2: loco: « iura aliorum et universe ea quae bonum commune postulat » dicatur: « iura aliorum et *praesertim* ea quae bonum commune postulat, *idque maxime in terris sese adhuc evolventibus* ».

Art. 81, pag. 64, lin. 20: sententia: « vitandum est ne contra illas a maioribus acceptas formas ... » *positive* potius quam negative formuletur: « illae formae a maioribus acceptae oeconomiae communitatis fundamentum sint evolutionis oeconomicae ».

Art. 83, pag. 65, linn. 5 s.: quae hic dicuntur, non valent e. g. pro Africa. Hic problema non est circa possessionem seu proprietatem, sed circa usum bonorum exteriorum.

Art. 84, pag. 66: addatur sententia circa stabilitatem pretii pro fructibus agriculturalibus, quia ab illa prosperitas et stabilitas multarum rerum publicarum in Africa dependet.

[*Subscripserunt*] A. Kozlowiecki, arch. Lusaka; G. del Mestri, arch. tit. Tuscania; F. Mazzieri, ep. Ndola; T. O'Shea, ep. Livingston; F. Courtemanche, ep. Fort Jameson; A. Fürstenberg, ep. Abercorn; R. Pailloux, ep. Fort Rosebery; J. Corboy, ep. Monze; Cl. Chabukasansha, ep. Kasama; N. Agnozzi, ep. tit. Adramittio; R. Hillerich, praef. ap. Solwezi.

78

PLURES EXC.MI PATRES CONCILIARES

A

1) In cap. III huius secundae partis constitutionis asseruntur hae tres veritates:

a) in n. 44, lin. 21: « Propter peccatum hominis, terra fuit maledicta ...»;

b) in n. 45, pag. 34, linn. 39-40: « In divino igitur redemptionis consilio omnes humanae actiones locum suum obtinent »;

c) in n. 46, linn. 27-28: « Per solam crucem regnare voluit ... relinquens exemplum ut, cum Eo compatientes, cum Eo quoque conregnemus ».

Attamen non explicatur quomodo nos cooperari possumus ad destruendum peccatum; quem locum obtinet dolor et patiens in divino redemptionis consilio et quem valorem habet dolor noster.

Oportet dare solutionem christianam problematis doloris mundo huius temporis. Multi hodie hominem existimant solum ex quantitate rerum quas

ipse producit suo labore et rerum materialium quantitatis usu et asserunt eliminandos homines improductivos.

Adest dolor in mundo: ex quaestione sociali (*Gen.* 3, 17-18); ex malis socialibus, ut fame, bello, genocidio, etc.; ex malis personalibus physicis et moralibus; ex persecutione Ecclesiae et omnis religionis.

Adest dolor cosmicus: « Scimus enim quid omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc » (*Rom.* 8, 22).

Adest dolor in alio mundo: dolor expiatorius in Purgatorio, dolor aeternus in Inferno.

Homines semper et, particulari modo nostris temporibus, has quaestiones sibi posuerunt: cur, quid, unde, sit dolor. Edonismus practicus, pragmatismus, exsistentialismus, communismus, buddhismus solutionem propriam dant sine vel contra Deum et periculosam. Et nos scimus has ideas habere magnum influxum in mundo hodierno ad diffusionem atheismi.

2) Christus dat veram solutionem problematis doloris, non tantum theoreticam sed realem et in seipso. Immo, ut asserit Paulus VI, f. r.: « Cristo non mostra soltanto la dignità del dolore: Cristo lancia una vocazione al dolore » (*Sermo* 27-3-1964).

a) Dolor non est considerandus in homine, sed in voluntate Dei (*Io.* 9, 2-3).

Causa omnium dolorum est peccatum (*Rom.* 5, 12). Malum et calamitas non est dolor sed peccatum, quia a vita ed a mundo aufert omnem valorem, et hominem facit infelicem cum a Deo eum separet et excludat a suo regno et subicit creaturam servituti corruptionis (*Rom.* 8, 18-23).

Iesu ergo missio non est destruere dolorem sed peccatum et quidem per dolorem (*Col.* 2, 13-15; *Mc.* 14, 36).

b) Dolor ergo est exhibitio et probatio caritatis Dei erga homines: « Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam » (*Io.* 3, 16; *Rom.* 5, 6-11; 8, 32): et hominum erga Deum et proximum (*Io.* 15, 12-13; *Rom.* 8, 32-39; *2 Pt.* 4, 12). Immo Deus dolore auget caritatem nostram (*Io.* 15, 2) ut arctius in ipso maneamus (S. IUSTINUS, *Dial. cum Tryph. Iud.* 110).

S. Augustinus « Deus meus, ait, cum me adversis rebus exagitat, aut merita examinat aut peccata castigat mercedemque mihi aeternam pro toleratis pie malis temporalibus servat » (*De Civ. Dei,* l. I, c. 29).

Dolore Deus utitur ut medio educationis populorum et singulorum (*2 Mch.* 6, 12). S. Augustinus sic respondet ad quaestionem: « Cur ergo divina misericordia etiam ad impios ingratosque pervenit? ... Patientia Dei ad poenitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos; sicut severitas Dei puniendos corripit malos » (*De Civ. Dei,* l. I, c. 8, cf. et 9).

c) Ex eo quod quis vocatur inter Christi discipulos vocatur ad dolorem. « Per baptismum facti sumus crucifixi caro », ut asserit S. Leo Magnus (*Sermo* 63, 6; 66, 3); « In Eucharistia Christum passum recipimus ut prius simul compatiamur ut postea simul glorificemur (*Rom.* 3, 17) « ut ait S. Th. III, 73,

6 c. St. 79, 2 ad 1um. Discipulus Christi est qui « communicat Christi passionibus » (2 *Petr.* 4, 12).

Non ergo dolor ipse, sed abnegatio suipsius et acceptio et devota oblatio suae crucis, amore Dei et proximi est conditio electionis et admissionis ad sequendum Christum et signum distinctivum discipuli Christi (*Mt.* 8, 19-22; 10, 39; *Mc.* 8, 34 ss.; 10, 43; 13, 9-13; *Lc.* 9, 57-62; 14, 25-27; 17, 33; *Io.* 12, 24 s.). Ideo Iesus vocat beatos pauperes, patientes et persecutionem ferentes.

d) Ex latere Christi morientis nata est Ecclesia, ex doloribus Christi et Ecclesiae renascitur mundus ad novam vitam. Immo dolor est nota verae Ecclesiae et ratio suae fecunditatis (*Io.* 12, 24-25, 32; *Eph.* 2, 13-18; *Is.* 52, 13; 53, 11-12; *Gal.* 4, 19; *Ap.* 12, 1-2 ss.; *Gal.* 4, 22-27; *Is.* 54, 1 ss.).

Tertullianus, *Apol.* c. 50, 12-13: « Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum » (S. IUSTINUS, *Dial. cum Tryph. Iud.* 110; *Ep. Barn.* 5, 5).

e) Ex hoc oritur apostolatus doloris. Christus dat omni nostro dolori virtutem redemptivam, expiatricem, beatificantem, propriam suae crucis ita ut, « dum unus punitur, plurimi corriguntur ». S. AMBR., *in Ps.* 118, v. 137). (PIUS XII, *Myst. Corp., A.A.S.,* 1943, pag. 245-247; *Serm.* 7 oct. 1957; IOANNES XXIII, *Serm.* 19 mart. 1959; PAULUS VI, *Serm.* 27 mart. 1964; 11 mart. 1964; 16 apr. 1965).

Sic S. Paulus: « ... adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » (*Col.* 1, 24) et: « Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur in Christo Iesu, cum gloria caelesti » (2 *Tim.* 2, 10).

Ideo omnis patiens, praesertim permanenter aegrotus, habet in Corpore Christi Mystico peculiarem locum et missionem positivam activam etiam si indigeat caritate aliorum. Paulus VI f. r. asserit eum habere « una condizione " di favore " rispetto alla redenzione operata dalla Croce del Signore » (*Serm.* 27-3-1964).

Martyrium habet primum locum. Vocatur gratia et gloria. S. Cyprianus adfirmat martyrium esse non solum quoddam remedium vitae, sed esse sicut fluvium aridam terram irrigantem et vivificantem (*De Laude Mart.,* c. 23).

3) Inde humiliter peto, venerabiles Patres: *a*) ut aliquo modo haec doctrina in schemate inseratur ut omnibus clare pateat in mundo hodierno valor doloris et missio patientis, qui non est tantum obiectum sed subiectum operans caritatis.

b) « Dum paene infinita ante oculos nostros adversatur miserorum multitudo, i. e. infirmorum, pauperum, artubus mutilorum, in viduitate vel orbitate degentium » *repetamus* ad eos exhortationem Pii XII in Enc. *Mystici Corporis* (*A.A.S.,* 1943, pag. 246) ut dolorem sanctificent.

c) Ut infirmorum sodalitas in mundo organizetur ad eos docendum propriam vocationem et valorem proprii doloris et ad unienda dolores et me-

rita omnium cruci Christi ut Ecclesia Mater semper sanctior et fecundior fiat ut atheismus destruentur.

d) Ut publica et solemnis fiat a nostro Concilio laus Martyribus nostri temporis, quorum plures Cardinales et Episcopi sunt et aliqui hic sunt. Ipsi praesertim simul cum aliis patientibus sustinent nostrum laborem, fortiorem faciunt nostram fidem et praeparant fructum Concilii, « caelum novum et terram novam ».

[*Subsignaverunt*] B. Musto, ep. Aquino, Sora et Pontecorvo; J. Marafini, ep. Veroli-Frosinone; V. Ottaviani, ep. Alatri; H. R. Compagnone, ep. Anagni; E. Pizzoni, ep. Terracina, Priverno et Sezze; E. Biancheri, ep. Rimini; J. Resende Costa, coad. Belo Horizonte; Iosephus, arch. Fortaleza; G. Casullo, ep. tit. Utica; A. Fragoso, ep. Crateús; Octavius, ep. Palmeira dos Indios; B. Bueno Miele, ep. tit. Bararo; J. Grossi, ep. Bom Jesu de Lapa; A. Pacheco Ribeiro, ep. Barra di Pirai; D. Picchinenna, arch. Cosenza; A. card. Rossi, arch. Sâo Paulo; V. Marchetti Zioni, ep. Bauru; Orlando, arch. Cuiabá; J. A. Coimbra, ep. Patos de Minas; B. da Silva Neto.

B

Votum de minoritatibus nationalibus: in parte II c. IV.

Pag. 68, post linn. 25-26, petitur ut addatur sequens incisa: « Eo magis deploramus quascumque formas oppressionis politicae ... quae libertatem civilem et religiosam aut iura nativa minoritatum nationalium quoad linguam, ingenii cultum, avitas consuetudines, opera et incepta oeconomica praepediunt ».

[*Subscripserunt*] S. F. Čekada, ep. Skoplje; J. Lach, aux. Zagreb; A. Pichler; J. Zoa, arch. Yaoundé; E. Verhille, ep. Fort Rousset; P. Nkou, ep. Sangmelima; L. van Heygen; F. Ndong, aux. Libreville; A. Sana, ep. chald. Aqra; F. Kuharić, ep. tit. Meda; J. Segedi, aux. Krizevci.

CONGREGATIO GENERALIS CXLIII

6 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXLIII

6 octobris 1965

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 143 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Durante hac congregatione, Patres venerabiles, vobis distribuentur textus emendatus et modi schematis declarationis *de educatione christiana,* et est ultimum schema quod distribuitur, et a Concilio definietur.

Durante hac congregatione fient suffragationes, uti heri nuntiatum est, circa integrum schema *de pastorali episcoporum munere,* ac deinceps de singulis quaesitis schematis *de renovata vita religiosa,* ut proponetur suo tempore.

Interim lego nomina eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* circa partem II et specifice quoad cap. V.

Sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis (Lille) in Gallia; Paulus Léger, arch. Marianopolitanus (Montréal) in Canada; Leo Duval, arch. Algeriensis in Algeria; exc.mi ac rev.mi DD. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Angliae O. S. B.; Villelmus Wheeler, ep. aux. Medioburgensis in Anglia; Laureanus Castán, ep. Seguntinus in Hispania; Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Andreas Hamvas, arch. Colocensis in Hungaria; Carolus Grant, ep. aux. Northantoniensis in Anglia; Paulus Rusch, ep. Oenipontanus (Innsbruck) in Austria; Paulus Brezanóczy, adm. ap. Agriensis (Eger) in Hungaria; Marianus Gaviola, ep. Cabanatuanensis in Philippinis Insulis; Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia; Petrus Cantero, arch. Caesaraugustanus (Zaragoza) in Hispania; et Paulus Gouyon, arch. Rhedonensis (Rennes) in Gallia.

Fit igitur prima suffragatio quoad totum schema decreti *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.* Videatis textum.

Iuxta *Ordinem Concilii celebrandi,* integer textus esset legendus in aula ante suffragationem, sed ne fauces meae raucae fiant, neque vos

taedio afficiamini (ex gestibus iam factis hoc notavi), lego tantummodo principium et finem cuiuscumque capitis, sed pro lectis omnibus capitibus haec habeantur. Igitur:

De pastorali episcoporum munere in Ecclesia *

Prooemium. « Christus Dominus, Filius Dei vivi, qui venit ut salvum faceret populum suum a peccatis utque omnes homines sanctificarentur, sicut Ipse missus est a Patre, ita et misit Apostolos suos ...

... haec quae sequuntur statuit.

Cap. I. Episcopi, vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite atque membris, constituuntur membra Corporis episcopalis ...

... Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo Caput Collegii eos ad actionem collegialem vocet, vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur ».

Sequitur deinde n. 5, qui legendus est iuxta variationem iam notam factam Patribus et circa quam suffragatio facta est, i. e.:

« Episcopi e diversis orbis regionibus selecti, modis et rationibus a Romano Pontifice statutis vel statuendis, Supremo Ecclesiae Pastori validiorem praestant adiutricem operam in Consilio, quod proprio nomine *Synodus Episcoporum* appellatur, quae quidem, utpote totius catholici Episcopatus partes agens, simul significat omnes Episcopos in hierarchica communione sollicitudinis universae Ecclesiae participes esse ... ».

Cap. II, pag. 37: « Dioecesis est Populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur ... ».

Denique, cap. III, pag. 105: « Inde a prioribus Ecclesiae saeculis Episcopi, peculiaribus quidem Ecclesiis praepositi, communione fraternae caritatis atque studio permoti universalis missionis Apostolis traditae ... ».

Bene, Patres venerabiles! Circa hunc textum, qui summatim modo lectus est, attamen pro integro lectus habendus est, quaeritur a vobis utrum placeat an non placeat. Responsio duplex est.

Suffragatio est 344. Haec est ultima suffragatio in congregatione generali.

---

* Cf. Vol. IV, pars II, pp. 510 ss.

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis,* cap. V partis II)

1

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Venerabiles et carissimi Fratres,

In mundo huius temporis, dolorosa discrepantia exsistit inter vehemens pacis desiderium quod omnes homines movet, et permanentem belli statum qui ubique instat et in universali ruina exitum habere minatur.

Ecclesia mater, periculi conscia, et spiritui divini sui Fundatoris, qui est iustitiae et caritatis inter omnes homines, fidelis, ad pacem instituendam sollicite curat, quia semper bellum tenuit ut calamitatem pesti et fami similem: « a peste, fame et bello libera nos Domine »; et quia, decursu temporum, bellum quod non exstirpare poterat, ad minus humaniorem reddere sategit.

Sed hodie, signis temporum intenta, doctrinam et operositatem suas latius extendendas esse, percipit Ecclesia. Etenim exsistunt iam arma nova terribilia, quae non solum pugnantes occidere possunt, sed etiam urbes, populationes, regiones immensas et etiam terram ipsam ad nihilum redigere minantur. Crimen esset adversus Deum, creatorem et patrem hominum, et adversus humanitatem ipsam, talem cladem infligere mundo.

Igitur non sufficit amplius distinctio inter bellum iustum et bellum iniustum; consideranda sunt etiam media. Vis armorum ius non habet nisi ad iustitiam vindicandam; quomodo hunc finem attingere possibile esset per inhumana media? Nonne bellum offensivum, quamvis pro legitima causa, ducendum, iniustum fieret hodie ex eo quod usum talium armorum de facto contraheret?

Hora ergo nunc est ut homines non amplius quaerant iurium suorum defensionem, etiam legitimorum, per usum belli; sed iniustitiis de quibus populi dolent et quae bella generant, attenti fiant et cum sensu iustitiae et fraternitatis sincerae, patienter ad solutionem aequam adducere conantur. Potius quam populi huius temporis ad barbariam peiorem quam antea, regrediantur, capaces esse sese demonstrare debent hunc progressum vere humanum aggrediendi.

Haec doctrina nostri schematis firmum fundamentum invenit in Encyclica *Pacem in terris* Papae Ioannis XXIII, quae ab universo mundo nuper cum tam ardenti animo accepta fuit, et quae tam luculenter viam sequendam aperuit. Nostra ergo Synodus omnes homines inducere debet ut viam illam sequantur et ad bellum respuendum et pacem aedificandam unanimiter collaborent, praesertim in organismis internationalibus ad hoc destinatis.

Laudandum est, mea sententia, schema nostrum quod audacter ausum sit hanc spinosam quaestionem fusius tractare et hodiernam reddere; et exopto quod adhuc perficiatur, nihil attenuando de doctrina huius tam opportunae Encyclicae pro mundo huius temporis.

Operositatis Ecclesiae ad pacem promovendam nobis exemplum tradidit Caput nostrum dilectissimum, Papa Paulus VI, qui nuntium pacis ad coetum Nationum Unitarum ipse portare dignatus est.

Videre et audire nos ipsi potuimus cuius ponderis apud omnes de facto fuerit tam discreta et humana interventio, tamque ab omni dominandi cupiditate aliena.

Debemus illum diligenter sequi, ut anxietati mundi remedium praebeamus et realisationi aspirationis eius inserviamus. Dixi.

2

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Circa cap. V quasdam observationes proponere vellem ad textum perficiendum qui iam multa optima continet.

I – *De moralitate belli hodierni.* Conventus Vaticani II cadunt illos in incertos annos ubi humanitas in immane periculum seipsam destruendi obvertitur. His in adiunctis, multi optant ut, pro sua maxima morali auctoritate, Concilium adlaboret ad bellum eradicandum et pacem stabiliter firmandam.

Hoc animo, aliqui multum exspectant sollemnem damnationem bellorum hodiernorum et speciatim reprobationem armorum et actionum bellicarum quae speciali vi destructiva praeditantur. Voto illo art. 98 respondere intendit.

Mihi autem videtur articulum illum remanere non posse sicuti iacet, propter ambiguitatem suam, immo propter internas contradictiones suas.

Tenet enim thesim eorum qui absolute praedicta bella et arma damnant, *et* etiam favet iis qui ea licita censerent in quibusdam tamen circumstantiis. Concilium non potest simul haerere duabus doctrinis contradictoriis.

Problema de moralitate belli sane arduum est, sed mea sententia, novis terminis hodie ponitur. Res ipsae immutatae sunt ita ut in multis suis aspectibus bellum difficiliter iudicari possit secundum normas classicae theoriae. Numerus victimarum, amplitudo ruinarum, exceptionalis nocivitas armorum, indolem novam praestant violentiae.

Rebus sic profunde mutatis quasi irrealis et inapplicabilis facta est theoria classica de moralitate belli. Difficulter ergo appellaretur huic in nostro schemate.

Itaque, mea opinione, in tractando de moralitate belli hodierni vel belli « totalis » vel eius armorum, Concilium intrare non deberet in *distinctionem* [1] technicam conditionum belli sic dicti iusti, nec etiam illa bellum et arma condemnare deberet in abstracto sicuti fit in initio articuli. Aliter procedatur: primo, pertinenter evocentur ingentia novaque pericula et miseriae quae bella hodierna secumferunt; postea breviter, firmiter et clare declaretur hoc tantum, nempe: quod in praxi a ratione alienum fit bellum hodiernum instrumentum aptum et licitum esse ad violata iura sarcienda ...[2]

II – *De officio nationum erga auctoritatem internationalem.* In art. 100, iure meritoque schema firmiter proclamat necessitatem auctoritatis internationalis efficacis. Assentio eis quae in schemate optime de illa necessitate dicuntur. Optarem tamen ut schema adhuc fortius affirmaret officium omnium, praesertim gubernantium, nitendi ad hanc auctoritatem firmandam perficiendamque. In re tanti momenti, exhortatio generalis, etsi firma, non sufficit. Opus est etiam ut moneamus homines de variis modis nocendi bono societatis internationalis: sive inertia, sive cultu anachronicae autonomiae Statuum (La souveraineté des Etats), sive nationalismo exaggerato, sive egoismo collectivo, sive etiam despectu ipsius societatis internationalis in verbis vel in factis, sive neglectu educationis sensus internationalis.

III – *De obiectione conscientiae.* Mihi placent ea quae in ipso textu schematis introducta sunt de sic dicta « obiectione conscientiae ». Proponerem autem ut mutetur textus ita ut motivum conscientiae christianae non appareat esse quaedam superflua virtus quae vocaretur « lenitas » sed ut procedere posse dicatur ex ipsa christiana caritate vel ex evangelico pacis spiritu.

IV – *De collaboratione catholicorum cum asseclis aliarum religionum.* In art. 103, opportune schema catholicos invitat ut cooperationem actuo-

sam et positivam quaerant sive cum fratribus seiunctis sive cum hominibus veram pacem quaerentibus. Et hoc certe laudandum est. Sed non sufficit. Oportet etiam ut catholici sese uniant in hac actione asseclis aliarum religionum etiam non-christianarum, v. g. buddhistis inter quos theoria non-violentiae praevalet. Illo communi nisu, per orbem terrarum socius « hominis politici » erit « homo religiosus » in viam pacis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] discussionem. [2] Illo modo proceditur Encyclicis *Pacem in terris.*

SCHEMA DECRETI DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE *

1 – TEXTUS RECOGNITUS ET MODI A COMMISSIONE CONCILIARI DE RELIGIOSIS EXAMINATI

Textus prior

Sacrosancta Synodus, postquam in Constitutione « de Ecclesia » ostendit sanctitatis prosecutionem per consiliorum evangelicorum professionem a Divini Magistri doctrina et exemplis originem ducere et tamquam signum Regni caelestis apparere, nunc de Religionum, atque, indole propria servata, Societatum vitae communis et Institutorum Saecularium vita ac disciplina intendit agere eorumque necessitatibus, prout tempora nostra suadent, providere.

Quae vero in his propositionibus continentur respiciunt tantum principia generaliora accommodatae renovationis vitae ac disciplinae religiosae. Normae particulares pro

Textus emendatus **

1. Sacrosancta Synodus, postquam in Constitutione « De Ecclesia » ostendit *caritatis perfectae* prosecutionem per *consilia evangelica* a Divini Magistri doctrina et exemplis originem ducere et tamquam *praeclarum* signum Regni caelestis apparere, nunc de *vita ac disciplina institutorum, quorum sodales castitatem, paupertatem et oboedientiam profitentur,* intendit agere eorumque necessitatibus, prout tempora nostra suadent, providere.

Inde ab exordiis quidem Ecclesiae fuerunt viri ac mulieres, qui per praxim consiliorum evangelicorum Christum maiore cum libertate sequi pressiusque imitari intenderunt et suo quisque modo vitam Deo dicatam duxerunt, e

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali 129, die 16 septembris 1965.

** Emendationes, a Commissione introductae, litteris *inclinatis* seu *italicis* significantur. Relatio ad Schema Decreti fasciculo separato mox tradetur.

Textus prior

eorumdem congrua expositione et applicatione post Concilium a competente auctoritate statuendae erunt.

Textus emendatus

quibus multi, Spiritu Sancto afflante, vel vitam solitariam degerunt vel familias religiosas suscitaverunt, quas Ecclesia sua auctoritate libenter suscepit et adprobavit. Unde e consilio divino mirabilis varietas coetuum religiosorum succrevit, quae valde contulit, ut Ecclesia, non solum ad omne opus bonum instructa (cf. 2 *Tim.* 3, 17) *et ad opus ministerii in aedificationem Corporis Christi* (cf. *Eph.* 4, 12) *parata sit, sed etiam variis donis filiorum suorum decorata appareat sicut sponsa ornata viro suo* (cf. *Apoc.* 21, 2) *et per eam innotescat multiformis sapientia Dei* (cf. *Eph.* 3, 10).

In tanta autem donorum varietate omnes, qui ad praxim consiliorum evangelicorum a Deo vocantur eademque fideliter profitentur, Domino se peculiariter devovent, Christum sequentes, qui virgo et pauper (cf. *Mt.* 8, 20; *Lc.* 9, 58) *per oboedientiam usque ad mortem Crucis* (cf. *Phil.* 2, 8) *homines redemit et sanctificavit. Ita caritate impulsi, quam Spiritus Sanctus in cordibus eorum diffundit* (cf. *Rom.* 5, 5), *magis magisque vivunt Christo et corpori Eius quod est Ecclesia* (cf. *Col.* 1, 24). *Quo ferventius ergo tali sui donatione quae totam vitam complectitur, Christo coniunguntur, eo uberior fit vita Ecclesiae et apostolatus eius vegetius fecundatur.*

Ut autem praestans valor vitae per consiliorum professionem consecratae eiusque necessarium munus in praesentis temporis adiunctis ad maius Ecclesiae bonum cedat, haec Sacra Synodus sequentia statuit, quae nonnisi principia generalia respiciunt accommodatae renovationis vitae ac disciplinae *religionum atque, propria indole servata, societatum vitae communis sine votis et institutorum saecularium.* Normae *vero* particulares pro eorumdem congrua expositione et applicatione post

Textus prior

1. [*Regula fundamentalis accommodatae renovationis*]. Cuiusvis instituti spiritualis ac religiosa renovatio atque eius ad praesentes vitae condiciones accommodatio promovendae sunt, Sancta Matre Ecclesia duce, secundum Evangelium et Christi sequelam tamquam supremam regulam, attentisque Fundatorum propositis ac genuino spiritu.

Textus emendatus

Concilium a competenti auctoritate statuendae sunt.

2. [*Principia generalia* accommodatae renovationis]. *Accommodata renovatio vitae religiosae simul complectitur et continuum reditum ad omnis vitae christianae fontes primigeniamque institutorum inspirationem et aptationem ipsorum ad mutatas temporum condiciones. Quae renovatio, sub impulsu Spiritus Sancti et Ecclesia duce, promovenda est secundum principia quae sequuntur*:

a) *Cum vitae religiosae ultima norma sit Christi sequela in Evangelio proposita, haec ab omnibus institutis tamquam suprema regula habeatur.*

b) *In ipsum Ecclesiae bonum cedit ut instituta peculiarem suam indolem ac munus habeant. Ideo fideliter agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt.*

c) *Omnia instituta vitam Ecclesiae participent, eiusque incoepta et proposita ut in re biblica, liturgica, dogmatica, pastorali, oecumenica, missionali et sociali, iuxta propriam suam indolem, sua faciant et pro viribus foveant.*

d) *Instituta, de hominum temporumque condicionibus deque Ecclesiae necessitatibus, congruam cognitionem apud sodales suos promoveant; ita ut mundi huius aetatis adiuncta in lumine fidei sapienter diiudicantes, atque zelo apostolico exardescentes, efficacius hominibus subvenire valeant.*

e) *Cum vita religiosa ante omnia ad hoc ordinetur ut sodales Christum sequantur et Deo uniantur per professionem consiliorum evangelicorum, serio perpendendum est optimas accommodationes ad necessitates tempo-*

Textus prior

2. [*Criteria practica accommodatae renovationis cum fidelitate erga institutum componendae*]. Fideliter serventur natura, finis, spiritus proprius necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt. At ratio vivendi, operandi et orandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon apostolatus necessitatibus, animi culturae requisitis et circumstantiis socialibus et oeconomicis, praesertim in locis missionum, aptanda est. Quapropter, prout necessarium fuerit, Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria », libri precum et caerimoniarum aliique id genus codices congruenter recognoscantur.

3. [*A quibus accommodata renovatio sit perficienda*]. Efficax autem renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus, moderante vero competenti auctoritate.

Textus emendatus

ris nostri peractas effectum non sortiri, nisi animentur renovatione spirituali, cui semper etiam in operibus externis promovendis primae partes tribuendae sunt.

3. [*Criteria practica accommodatae renovationis*]. Ratio vivendi, orandi et operandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon, *prout ab indole cuiusque instituti requiritur,* apostolatus necessitatibus, culturae *exigentiis,* circumstantiis socialibus et oeconomicis, *ubique,* praesertim in missionum locis, *apte conveniat.*

Secundum eadem criteria examini quoque subiiciatur regiminis ratio institutorum.

Quapropter constitutiones, « directoria », libri *usuum,* precum et caeremoniarum aliique id genus codices, congruenter recognoscantur *atque, iis praescriptis suppressis quae obsoleta sint, documentis huius Sacrae Synodi aptentur.*

4. [*A quibus accommodata renovatio sit perficienda*]. Efficax renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus.

Normas autem accommodatae renovationis statuere et leges ferre, necnon sufficienti prudentique experientiae locum dare, competentium tantum auctoritatum est, praesertim capitulorum generalium, salva, quatenus necessaria sit, approbatione Sanctae Sedis aut Ordinariorum locorum, ad normam iuris. Superiores vero, in his quae ad totius instituti sortes spectant, sodales suos apto modo consulant et audiant.

Pro accommodata renovatione monasteriorum monialium, vota et consulta etiam a consessibus foederationum aut ab aliis conventibus legitime convocatis obtineri poterunt.

Textus prior

7. [*De renovatione in observantia consiliorum evangelicorum*]. Religiosi, quamvis in variis et in dies difficilioribus vitae circumstantiis degant, Christum oboedientem, virginem et pauperem imitantes Eiusque praesentiam in hoc mundo speciali modo testificantes, sese renovent in oboedientia, castitate et paupertate quam professi sunt.

Textus emendatus

Meminerint tamen omnes spem renovationis ponendam esse magis in diligentiore regulae et constitutionum observantia quam in multiplicandis legibus.

5. [*De quibusdam elementis quae omnibus vitae religiosae formis communia sunt*]. *Cuiusvis instituti sodales mente recolant imprimis se professione consiliorum evangelicorum vocationi divinae responsum dedisse, ita ut, non solum peccato mortui* (cf. *Rom.* 6, 11) *sed etiam mundo renuntiantes, soli Deo vivant. Totam enim vitam suam Eius famulatui mancipaverunt, quod quidem constituit peculiarem quamdam consecrationem, quae in baptismatis consecratione intime radicatur eamque plenius exprimit.*

Cum autem haec suiipsius donatio ab Ecclesia suscepta sit, eius etiam servitio sese sciant addictos.

Qui Dei famulatus exercitium virtutum in eis urgere ac fovere debet, praesertim humilitatis et oboedientiae, fortitudinis et castitatis, quibus Christi exinanitio (cf. *Phil.* 2, 7) *simulque Eius vita in spiritu* (cf. *Rom.* 8, 1-13) *participantur.*

Religiosi ergo, suae professioni fideles, omnia propter Christum dimittentes (cf. *Mc.* 10, 28), *Ipsum tamquam unum necessarium* (cf. *Lc.* 10, 42) *sequantur* (cf. *Mt.* 19, 21), *Eius verba audientes* (cf. *Lc.* 10, 39), *de iis quae Eius sunt solliciti* (cf. *1 Cor.*, 7, 32).

Quapropter cuiuslibet instituti sodales, Deum prae omnibus et unice quaerentes, contemplationem, qua Ei mente et corde adhaereant, cum amore apostolico, quo operi Redemptionis adsociari Regnumque Dei dilatare nitantur, coniungant oportet.

Textus prior

4. [*Perfectio amoris Dei et proximi ante omnia quaerenda*]. Omnes qui evangelica consilia profitentur, credentes « caritati quam habet Deus in nobis » (*1 Io.* 4, 16), ante omnia, assiduo studio fortique animo consequi nitantur perfectum Dei amorem, ex quo proximi dilectio profluit in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem.

5. [*De institutis vitae contemplativae fovendis et renovandis*]. Instituta vitae contemplativae suas partes in Corpore Mystico Christi semper habent, atque, sua vocatione, quae plene totaque apostolica est, uberrimos sanctitatis fructus Ecclesiae afferunt. At etiam ipsa in ratione formaque vitae suae sese renovent.

Textus emendatus

6. [*De vita spirituali* ante omnia *colenda*]. Qui evangelica consilia profitentur *Deum qui nos prior dilexit* (cf. *1 Io.* 4, 10) ante omnia *quaerant ac diligant et in omnibus rerum adiunctis fovere studeant vitam absconditam cum Christo in Deo* (cf. *Col.* 3, 3), *unde* profluit *et urgetur* proximi dilectio in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem. *Hac caritate etiam ipsa praxis consiliorum evangelicorum animatur et regitur.*

Quapropter institutorum sodales spiritum orationis et orationem ipsam, haurientes e germanis spiritualitatis christianae fontibus, assiduo studio colant. Imprimis vero Sacram Scripturam quotidie prae manibus habeant, ut divinarum scripturarum lectione et meditatione « eminentem scientiam Iesu Christi » (*Phil.* 3, 8) *ediscant. Sacram Liturgiam, praesertim sacrosanctum Eucharistiae mysterium, ad mentem Ecclesiae corde et ore peragant atque ex hoc ditissimo fonte vitam spiritualem alant.*

Ita in mensa divinae Legis et sacri altaris refecti Christi membra fraterne ament, pastores spiritu filiali revereantur atque diligant; magis magisque vivant et sentiant cum Ecclesia eiusque missioni totaliter se devoveant.

7. [De institutis *quae ad contemplationem integre ordinantur*]. *Instituta quae integre ad contemplationem ordinantur, ita ut eorum sodales in solitudine ac silentio, in assidua prece et alacri poenitentia soli Deo vacent, in Corpore Christi mystico, in quo « omnia autem membra non eumdem actum habent »* (*Rom.* 12, 4), *quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, praeclaram partem semper retinent. Deo enim eximium laudis sacrificium offerunt, populum Dei sanctitatis uberrimis fructibus collustrant atque exemplo movent necnon arcana*

Textus prior

6. [*De institutis vitae activae fovendis eorumque actione rite ordinanda*]. In institutis vitae activae tam laicalibus quam clericalibus, opera et apostolatus, utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum, finem constituunt vere specificum, quem sodales, ardenti studio aptisque mediis prosequi debent. Actio autem apostolica ex intima cum Deo unione procedat oportet, inde fit ut caritas ipsa erga Deum et proximum foveatur.

Textus emendatus

fecunditate apostolica dilatant. Ita Ecclesiae decus exstant et caelestium scatebra gratiarum. At eorum ratio vivendi secundum praedicta principia et criteria accommodatae renovationis recognoscatur, sanctissime tamen servatis eorum a mundi secessu atque vitae contemplativae exercitiis propriis.

8. [De institutis vitae *apostolicae dicatis*]. *Permulta sunt in Ecclesia instituta, vel clericalia vel laicalia, variis apostolatus operibus dedita, quae donationes habent secundum gratiam quae data est eis, differentes: sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui miseretur in hilaritate* (cf. *Rom.* 12, 5-8). « *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus* » (*1 Cor.* 12, 4).

In *istis* institutis, *ad ipsam naturam vitae religiosae pertinet actio apostolica et benefica* utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum. *Proinde tota vita religiosa sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica religioso spiritu informetur. Ut igitur sodales vocationi suae ad Christum sequendum imprimis respondeant, ac ipsi Christo in Eius membris deserviant,* actio *eorum* apostolica ex intima cum *Ipso* unione procedat oportet. Inde fit ut caritas ipsa erga Deum et proximum foveatur.

Quapropter instituta illa observantias suas atque usus cum requisitis apostolatus, cui dedicantur, apte componant. Cum autem vita religiosa apostolicis operibus dedita formas multiplices induat, necesse est ut accommodata eius renovatio huiusmodi diversitatis rationem habeat, atque ut apud varia instituta sodalium vi-

Textus prior	*Textus emendatus*
	ta in servitium Christi propriis eorum congruisque mediis sustentetur.

9. [*De vita monastica et conventuali fideliter servanda*]. *Fideliter servetur atque magis in dies elucescat in suo germano spiritu tum in Oriente tum in Occidente venerabile vitae monasticae institutum, quod praeclara merita longo saeculorum cursu in Ecclesia et in humana consortione sibi acquisivit. Monachorum praecipuum officium est divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium praestare intra septa monasterii, sive in umbratili vita integre se divino cultui dedicent sive aliqua apostolatus vel christianae caritatis opera legitime assumpserint. Servata igitur indole propriae institutionis, antiquas beneficas traditiones renovent easque hodiernis animarum necessitatibus ita accommodent ut monasteria veluti seminaria sint aedificationis populi christiani.*

Item religiones quae ex regula vel instituto vitam apostolicam intime consociant officio chorali observantiisque monasticis, ita rationem vivendi cum apostolatus sibi convenientis exigentiis componant ut suam formam vitae fideliter servent utpote quae eximio Ecclesiae bono cedat.

10. [*De vita religiosa laicali*]. *Vita religiosa laicalis, tam pro viris quam pro mulieribus, statum in se completum professionis consiliorum evangelicorum constituit. Quapropter illam, muneri pastorali Ecclesiae in erudienda iuventute, in aegrotis curandis aliisque ministeriis explendis tam utilem, Sacra Synodus magni faciens, sodales in sua vocatione confirmat eosque ut hodiernis exigentiis vitam suam accommodent hortatur.*

Sacra Synodus declarat nihil obstare quo-

Textus prior

9. [*De renovatione in castitate religiosa*]. Castitas « propter regnum caelorum » (*Mt.* 19, 12), ad quam profitendam religiosi vocati sunt, ab omnibus tamquam eximium donum aestimanda est. Cor enim hominis singulariter liberat (cf. *1 Cor.* 7, 32-35), ut ardentius accendatur caritate erga Deum et homines universos, ideoque est peculiare signum transscendentiae bonorum caelestium. Oportet ergo ut religiosi, promissionem suam fideliter servare studentes, verbis Domini credant et, Dei

Textus emendatus

minus in religionibus Fratrum, firma manente earum indole laicali, ex dispositione Capituli generalis, ad subveniendum necessitatibus ministerii sacerdotalis in suis domibus, aliqui sodales sacris Ordinibus initientur.

11. [*De institutis saecularibus*]. *Instituta saecularia veram et completam consiliorum evangelicorum professionem in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferunt. Quae professio viris ac mulieribus, laicis et clericis in saeculo degentibus, consecrationem confert. Proinde iidem totalem suiipsius Deo dedicationem in caritate perfecta praecipue intendant et ipsa instituta propriam ac peculiarem indolem, saecularem scilicet, servent ut apostolatum in saeculo ac veluti ex saeculo, ad quem exercendum orta sunt, efficaciter et ubique adimplere valeant.*

Probe tamen sciant se tantum munus obire non posse, nisi sodales accurate in rebus divinis et humanis ita instituantur, ut revera fermentum sint in mundo ad robur et incrementum Corporis Christi. Moderatores ergo serio curent de institutione praesertim spirituali sodalibus impertienda necnon de ulteriore formatione promovenda.

12. [*De* castitate]. Castitas « propter regnum caelorum » (*Mt.* 19, 12), quam *religiosi profitentur,* tamquam eximium *gratiae* donum aestimanda est. Cor enim hominis *singulari modo* liberat (cf. *1 Cor.* 7, 32-35), ut *magis* accendatur caritate erga Deum et homines universos, ideoque est peculiare signum bonorum caelestium *necnon medium aptissimum quo religiosi alacriter servitio divino operibusque apostolatus sese dedicent.* Sic *ipsi* coram omnibus Christifidelibus mirabile

Textus prior

auxilio confisi, de propriis viribus ne praesumant atque corpus suum in servitutem redigant (cf. *1 Cor.* 9, 27); ita fit ut doctrinis quae continentiam perfectam tamquam impossibilem vel humano profectui nocivam ostentant, non moveantur, et omnia quae castitatem in periculum adducunt sensu quodam spirituali respuant. Sic, coram omnibus Christifidelibus mirabile illud evocent connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum quo Ecclesia unicum Sponsum Christum habet (cf. *2 Cor.* 11, 2). Cum haec obligatio naturam humanam radicitus afficiat, candidati ad votum castitatis ne accedant, nisi post probationem vere sufficientem et cum debita maturitate psychologica atque affectiva.

10. [*De renovatione in paupertate religiosa*]. Ad paupertatem religiosam quod attinet, haud sufficit Superioribus subiici in usu bonorum, sed oportet etiam ut sodales re et spiritu sint pauperes. Congregationes religiosae suis constitutionibus permittere possunt ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient.

Instituta et domus bona quae Divina Providentia iis est elargita, etiam in utilitatem

Textus emendatus

illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum quo Ecclesia unicum sponsum Christum habet.

Oportet ergo ut religiosi, professionem suam fideliter servare studentes, verbis Domini credant et, Dei auxilio confisi, de propriis viribus ne praesumant, *mortificationem sensuumque custodiam adhibeant. Media quoque naturalia ne omittant, quae mentis et corporis sanitati favent.* Ita fit ut *falsis* doctrinis, quae continentiam perfectam tamquam impossibilem vel humano profectui nocivam ostentant, non moveantur, et omnia quae castitatem in periculum adducunt, *instinctu* quodam spirituali, respuant. *Meminerint insuper omnes, praesertim Superiores, castitatem securius servari cum inter sodales vera dilectio fraterna in vita communi viget.*

Cum observantia continentiae perfectae profundiores naturae humanae inclinationes intime attingat, candidati ad *professionem* castitatis ne accedant *neve admittantur,* nisi post probationem vere sufficientem et cum debita maturitate psychologica et affectiva. *Ipsi non solum de periculis castitati occurrentibus moneantur, sed ita instruantur ut caelibatum Deo dicatum etiam in bonum integrae personae assumant.*

13. [*De paupertate*]. *Paupertas voluntaria propter Christi sequelam cuius est signum praesertim hodie multum aestimatum, a religiosis diligenter excolatur atque, si opus sit, novis etiam formis exprimatur. Per eam participatur paupertas Christi, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus* (cf. *2 Cor.* 8, 9; *Mt.* 8, 20).

Ad paupertatem autem religiosam quod

Textus prior

Ecclesiae et indigentium necessitates insumant, vitata omni specie luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis.

8. [*De renovatione in oboedientia religiosa*]. Religiosus, per oboedientiam quam profitetur, holocausto propriae voluntatis Deo libere oblato, Superioribus suis, vices Dei gerentibus, humile pro amore Christi praestat obsequium in omnibus quae ad normam regulae et constitutionum praecipiuntur. Quod sacrificium sui eo fit, quod submisse legitimis

Textus emendatus

attinet, haud sufficit in usu bonorum Superioribus subiici, sed oportet ut sodales re et spiritu sint pauperes, *thesauros in caelo habentes* (cf. *Mt.* 6, 20).

In suo quisque officio communi legi laboris se sentiant obnoxios, atque, dum ita res victui operibusque eorum necessariae comparantur, omnem indebitam sollicitudinem proiiciant et Patris caelestis Providentiae sese committant (cf. *Mt.* 6, 25).

Congregationes religiosae suis constitutionibus permittere possunt ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient.

Instituta *ipsa, ratione habita singulorum locorum, testimonium paupertatis quasi collectivum reddere satagant et libenter ex propriis bonis aliquid conferant ad alias* Ecclesiae *necessitates et egenorum sustentationem, quos religiosi omnes in visceribus Christi diligant* (cf. *Mt.* 19, 21; 25, 34-46; *Iac.* 2, 15-16; *1 Io.* 3, 17). *Institutorum provinciae ac domus aliae cum aliis in bonis temporalibus communicent, ita ut illae quae plus habent alias adiuvent quae egestatem patiuntur.*

Quamvis instituta, salvis regulis et constitutionibus, ius habeant possidendi omnia necessaria ad vitam temporalem et opera, omnem tamen speciem luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis *vitent.*

14. [*De oboedientia*]. *Religiosi per professionem oboedientiae plenam propriae voluntatis dedicationem veluti sacrificium sui Deo offerunt, et per illud constantius et securius divinae voluntati salvificae uniuntur. Inde ad exemplum Iesu Christi, qui venit ut faceret voluntatem Patris* (cf. *Io.* 4, 34; 5, 30; *Hebr.* 10, 7; *Ps.* 39, 9), *et « formam servi*

Textus prior

Moderatoribus paretur, quamvis auctoritas exercenda sit intra fines caritatis et cum respectu personae humanae, et licet haec nostra aetas religiosos vocet ad plura gravioraque munera obeunda et ad incepta alacrius et expeditius suscipienda (ex Alloc. PAULI VI, d. 23 maii 1964: *A.A.S.*, 56 [1964], p. 567).

Textus emendatus

accipiens » (*Phil.* 2, 7) *ex iis, quae passus est, didicit oboedientiam* (cf. *Hebr.* 5, 8), *religiosi, Spiritu Sancto movente,* Superioribus, vices Dei gerentibus, *in fide sese subiiciunt et per eos ad omnium in Christo fratrum ministerium ducuntur, sicut ipse Christus ob suam erga Patrem submissionem fratribus ministravit et animam suam posuit redemptionem pro multis* (cf. *Mt.* 20, 28; *Io.* 10, 14-18). *Ita, Ecclesiae servitio arctius devinciuntur et in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (cf. *Eph.* 4, 13) *pervenire contendunt.*

Sodales ergo in spiritu fidei et amoris erga Dei voluntatem Superioribus suis *ad normam regulae et constitutionum* humile praestent obsequium, *vires intelligentiae et voluntatis necnon naturae et gratiae dona in praeceptorum exsecutione et in expletione munerum sibi commissorum conferendo, scientes se ad aedificationem Corporis Christi secundum Dei propositum operam praestare. Sic oboedientia religiosa, nedum dignitatem personae humanae minuit, illam, ampliata libertate filiorum Dei, ad maturitatem adducit.*

Superiores vero, rationem pro animabus sibi commissis reddituri (cf. *Hebr.* 13, 17), *voluntati Dei in munere explendo dociles, in spiritu servitii pro fratribus auctoritatem exerceant, ita ut caritatem qua Deus illos diligit exprimant. Subditos regant qua filios Dei* et cum respectu personae humanae, *illorum voluntariam subiectionem promoventes. Ideoque speciatim debitam eis libertatem relinquant quoad poenitentiae sacramentum et conscientiae moderamen. Sodales eo perducant ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili oboedientia cooperentur. Itaque Superiores libenter sodales audiant necnon eorum conspirationem ad bonum instituti*

Textus prior	*Textus emendatus*
	et Ecclesiae promoveant, firma tamen sua auctoritate decernendi et praecipiendi quae agenda sunt.
	Capitula et consilia fideliter munus sibi commissum in regimine expleant atque suo quaeque modo sodalium omnium pro bono totius communitatis participationem et curam exprimant.
11. [*De vita in communi ducenda*]. Vita in communi agenda testimonium sit caritatis Christi, secundum exemplum primaevae Ecclesiae, in qua multitudo « credentium erat cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32). Ut autem inter sodales intimius sit vinculum fraternitatis, illi qui conversi vel alio nomine vocantur, vitae et communitatis operibus arctius coniungantur; si autem rerum adiuncta id suadeant curandum est ut in institutis mulierum, ad unum genus sororum perveniatur. Virorum autem monasteria et instituta pro indole sua clericos et laicos pari ratione admittere possunt, salvis obligationibus et iuribus ordinationis sacrae et praescriptis constitutionum.	15. [*De vita in communi*]. Vita in communi agenda, *ad exemplum* primaevae Ecclesiae in qua multitudo credentium erat cor unum et anima una (cf. *Act.* 4, 32), *evangelica doctrina, Sacra Liturgia et praesertim Eucharistia refecta, in oratione et communione eiusdem spiritus perseveret* (cf. *Act.* 2, 42). *Religiosi, ut membra Christi, in fraterna conversatione honore se invicem praeveniant* (cf. *Rom.* 12, 10), *alter alterius onera portantes* (cf. *Gal.* 6, 2). *Caritate enim Dei in cordibus per Spiritum Sanctum diffusa* (cf. *Rom.* 5, 5), *communitas ut vera familia, in nomine Domini congregata, Eius praesentia gaudet* (cf. *Mt.* 18, 20). *Caritas autem plenitudo legis est* (cf. *Rom.* 13, 10) *ac vinculum perfectionis* (cf. *Col.* 3, 14), *eaque scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam* (cf. *1 Io.* 3, 14). *Immo fratrum unitas Christi adventum manifestat* (cf. *Io.* 13, 35; 17, 21) *magnaque virtus apostolica ex ea manat.*
	Ut autem inter sodales intimius sit vinculum fraternitatis, illi qui conversi, *cooperatores* vel alio nomine vocantur, vitae et communitatis operibus *arcte* coniungantur. *Nisi* rerum adiuncta aliud vere suadeant, curandum est ut in institutis mulierum ad unum genus sororum perveniatur. *Tunc illa personarum tantum retineatur diversitas, quam diversorum operum distinctio exigat ad quae sorores vel speciali Dei vocatione vel speciali aptitudine destinentur.*

Textus prior

12. [*De clausura monialium*]. Clausura papali pro monialibus vitae unice contemplativae firma manente sed iuxta temporum locorumque condiciones accommodata, congruit ut aliae moniales, operibus externis apostolatus ex instituto deditae, ab ea eximantur.

13. [*De habitu religioso*]. Habitus religiosus, utpote signum consecrationis, sit simplex ac modestus, pauper simul ac decens, insuper valetudinis requisitis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus. Habitus autem qui iis normis, iudicio Sanctae Sedis, non congruit, immutandus est.

14. [*De alumnorum institutione*]. Institutorum accommodata renovatio ab alumnorum institutione maxime pendet. Ideo, et ipsi sodales non clerici ac religiosae apostolatus operibus immediate post noviciatum ne destinentur, sed eorum institutio religiosa et apostolica, doctrinalis et technica, titulis etiam congruentibus obtentis, in aptis domibus convenienter protrahatur.

Ne vero vitae religiosae ad nostri temporis exigentias adaptatio sit mere externa, neve illi qui externo apostolatui ex instituto vacant muneri suo implendo impares inveniantur, iuxta cuiusque intellectualem dotem et perso-

Textus emendatus

Virorum autem monasteria et instituta *non mere laicalia* pro indole sua clericos et laicos, *ad normam constitutionum,* admittere possunt, pari ratione *paribusque iuribus et obligationibus,* salvis *iis quae ex ordine sacro proveniunt.*

16. [*De clausura monialium*]. Clausura *papalis* pro monialibus vitae unice contemplativae firma *maneat* sed iuxta temporum locorumque condiciones, *iisque usibus sublatis qui obsoleti sint, accommodetur, auditis ipsorum monasteriorum votis.*

Aliae *vero* moniales operibus externis apostolatus ex instituto deditae *a clausura papali* eximantur, *ut concredita sibi munera apostolatus melius adimplere valeant, servata tamen clausura ad normam constitutionum.*

17. [*De habitu religioso*]. Habitus religiosus, utpote signum consecrationis, sit simplex ac modestus, pauper simul ac decens, insuper valetudinis requisitis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus. Habitus autem *tam virorum quam mulierum,* qui iis normis non congruit, immutandus est.

18. [De *sodalium* institutione]. Institutorum accommodata renovatio a *sodalium* institutione maxime pendet. Ideo et ipsi sodales non clerici ac religiosae apostolatus operibus immediate post noviciatum ne destinentur, sed eorum institutio religiosa et apostolica, doctrinalis et technica, titulis etiam congruentibus obtentis, in aptis domibus convenienter protrahatur.

Ne vero vitae religiosae ad nostri temporis exigentias adaptatio sit mere externa, neve illi qui externo apostolatui ex instituto vacant muneri suo implendo impares inveniantur, iuxta cuiusque intellectualem dotem et perso-

Textus prior

nalem indolem, in vigentes hodiernae vitae socialis mores rationesque sentiendi et cogitandi, congruenter instruantur.

Per totam autem vitam hi sodales intendant hanc culturam spiritualem, doctrinalem et technicam sedulo perficere, et Superiores, pro viribus, opportunitatem, adiumenta et tempus ad hoc eis procurent.

Officium quoque est Superiorum curare ut Magistri spiritus et Professores optime seligantur et sedulo praeparentur.

15. [*De novis institutis condendis*]. In novis institutis promovendis, necessitas vel saltem magna utilitas necnon incrementi possibilitas serio ponderandae sunt, ne incaute oriantur instituta inutilia aut sufficienti vigore orbata.

In novellis Ecclesiis, formae vitae religiosae excolantur quae indolis morumque incolarum necnon loci consuetudinum et condicionum rationem habeant.

16. [*De operibus propriis servandis, accommodandis vel relinquendis*]. Instituta iam condita, opera propria fideliter retineant et adimpleant, atque temporum locorumque necessitatibus accommodent, opportunis ac etiam novis mediis adhibitis, illis autem relictis operibus quae cum instituti spiritu et germana indole hodie minus sit consentanea.

Omnia instituta tenentur vitam Ecclesiae participare eiusque proposita v. g. in re biblica, liturgica, sociali et oeconomica, pro viribus fovere.

Spiritus vero missionalis in institutis religiosis omnino servetur, et pro cuiusque eorum

Textus emendatus

nalem indolem, *de vigentibus* hodiernae vitae socialis *moribus rationibusque* sentiendi et cogitandi, congruenter instruantur. *Institutio per harmonicam elementorum suorum fusionem, ita peragatur ut ad unitatem vitae sodalium conferat.*

Per totam autem vitam sodales intendant hanc culturam spiritualem, doctrinalem et technicam sedulo perficere, et Superiores, pro viribus, opportunitatem, adiumenta et tempus ad hoc eis procurent.

Officium quoque est Superiorum curare ut *Moderatores,* Magistri spiritus et Professores optime seligantur et sedulo praeparentur.

19. [*De novis institutis condendis*]. In novis institutis *condendis,* necessitas vel saltem magna utilitas necnon incrementi possibilitas serio ponderandae sunt, ne incaute oriantur instituta inutilia aut sufficienti vigore *non praedita. Peculiari ratione* in novellis Ecclesiis formae vitae religiosae *promoveantur* et excolantur quae indolis morumque incolarum necnon loci consuetudinum et condicionum rationem habeant.

20. [*De operibus propriis servandis, accommodandis vel relinquendis*]. Instituta, opera propria fideliter retineant et adimpleant atque, *attenta utilitate universae Ecclesiae et dioecesium,* temporum locorum necessitatibus *ea* accommodent, opportunis ac etiam novis mediis adhibitis, illis autem relictis operibus, quae instituti *spiritui* et germanae *indoli* hodie minus sint consentanea.

Spiritus missionalis in institutis religiosis omnino servetur et pro cuiusque eorum indole aptetur condicionibus hodiernis, ita ut praedicatio Evangelii *apud omnes gentes* efficacior fiat.

Textus prior

indole aptetur condicionibus hodiernis, ita ut praedicatio Evangelii omnibus populis et gentibus efficacior fiat.

17. [*De institutis et monasteriis languescentibus*]. Instituta vero et monasteria quae iudicio Sanctae Sedis non praebeant fundatam spem ut ulterius floreant, prohibeantur ne in posterum novicios recipiant, et si fieri possit, alii instituto vel monasterio vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat, uniantur.

18. [*De unione inter instituta fovenda*]. Instituta et monasteria sui iuris, pro rei opportunitate et approbante Sancta Sede, inter se promoveant foederationes, si quodammodo ad eamdem familiam religiosam pertinent, aut uniones, si fere pares habent constitutiones et usus eodemque animantur spiritu, praesertim cum nimis sunt exigua, aut associationes, si iisdem vel similibus operibus externis incumbunt.

19. [*De Superiorum Maiorum conferentiis*]. Favendum est conferentiis seu consiliis Superiorum Maiorum a Sancta Sede erectis, quae valde conferre possunt ad finem singulorum institutorum plenius assequendum, ad efficaciorem conspirationem in bonum Ecclesiae fovendam, ad Evangelii operarios in determinato territorio aequiore modo distribuendos, necnon ad communia religiosorum negotia pertractanda. Huiusmodi autem conferentiae etiam pro institutis saecularibus institui possunt.

20. [*De vocatione religiosa fovenda*]. Sacerdotes educatoresque christiani seria conami-

Textus emendatus

21. [*De institutis et monasteriis languescentibus*]. Instituta vero et monasteria quae, *auditis Ordinariis locorum quorum intersit,* iudicio Sanctae Sedis non praebeant fundatam spem ut ulterius floreant, prohibeantur ne in posterum novicios recipiant et, si fieri possit, alii instituto vel monasterio vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat, uniantur.

22. [*De unione inter instituta fovenda*]. Instituta et monasteria sui iuris, pro rei opportunitate et approbante Sancta Sede, inter se promoveant foederationes, si quodammodo ad eamdem familiam religiosam pertinent, aut uniones, si fere pares habent constitutiones et usus eodemque animantur spiritu, praesertim cum nimis sunt exigua, aut associationes, si iisdem vel similibus operibus externis incumbunt.

23. [*De Superiorum Maiorum conferentiis*]. Favendum est conferentiis seu consiliis Superiorum Maiorum a Sancta Sede erectis, quae valde conferre possunt ad finem singulorum institutorum plenius assequendum, ad efficaciorem conspirationem in bonum Ecclesiae fovendam, ad Evangelii operarios in determinato territorio aequiore modo distribuendos, necnon ad communia religiosorum negotia pertractanda, *congrua instaurata coordinatione et cooperatione cum Conferentiis episcopalibus quoad exercitium apostolatus.*

Huiusmodi autem conferentiae etiam pro institutis saecularibus institui possunt.

24. [*De vocatione religiosa fovenda*]. Sacerdotes educatoresque christiani seria conami-

Textus prior

na adhibeant ut vocationibus religiosis, congruenter et accurate selectis, novum detur incrementum Ecclesiae necessitatibus plane respondens. Etiam in praedicatione ordinaria, saepius agatur de consiliis evangelicis et de statu religioso amplectendo. Parentes filios suos christianis moribus educando, vocationem religiosam in eorum cordibus excolant ac tueantur.

Institutis autem fas est sui notitiam, ad vocationes fovendas, divulgare atque candidatos quaerere, dummodo hoc fiat cum debita prudentia et servatis normis a Sancta Sede et Ordinario loci traditis.

Textus emendatus

na adhibeant ut vocationibus religiosis, congruenter et accurate selectis, novum detur incrementum Ecclesiae necessitatibus plane respondens. Etiam in praedicatione ordinaria saepius agatur de consiliis evangelicis et de statu religioso amplectendo. Parentes filios suos christianis moribus educando, vocationem religiosam in eorum cordibus excolant ac tueantur.

Institutis autem fas est sui notitiam, ad vocationes fovendas, divulgare atque candidatos quaerere, dummodo hoc fiat cum debita prudentia et servatis normis a Sancta Sede et Ordinario loci traditis.

Meminerint vero sodales exemplum propriae vitae optimam commendationem esse sui instituti et invitationem ad vitam religiosam capessendam.

25. [*Conclusio*]. *Instituta pro quibus hae accommodatae renovationis normae statuuntur, prompto animo suae divinae vocationi et muneri suo in Ecclesia hisce temporibus respondeant. Magni enim facit Sacra Synodus genus eorum vitae, virginalis, pauperis et oboedientis, cuius Ipse Christus Dominus est exemplar firmamque spem in opera eorum abscondita et aperta tam fecunda collocat. Religiosi ergo omnes fidei integritate, caritate erga Deum et proximum, amore crucis necnon spe futurae gloriae, Christi bonum nuntium in toto mundo diffundant, ut testimonium eorum ab omnibus conspiciatur et Pater noster, qui in caelis est, glorificetur* (cf. *Mt.* 5, 16). *Ita deprecante suavissima Deipara Virgine Maria, « cuius vita omnium est disciplina »,*[1] *ampliora quotidie incrementa capient ac uberiores salutares afferent fructus.*

---

[1] S. AMBROSIUS, *De Virginitate,* l. II, c. II, n. 15.

RELATIO [21]

QUOAD EXPENSIONEM MODORUM IN GENERE ET IN SINGULIS NUMERIS

INTRODUCTIO

I – Schema in aula conciliari: mense novembris 1964

1. *Disceptatio*

Schema « De accommodata renovatione vitae religiosae » a Commissione Conciliari « De Religiosis » pluries abbreviatum et ultimatim retractatum et parum auctum, diebus 10, 11 et 12 mensis novembris 1964 disceptationi Patrum Concilii in Aula subiectum est, cui intervenerunt 8 Eminentissimi Domini Cardinales et 18 alii Patres. Insuper, 19 Patres suas observationes Secretariatui Generali scripto miserunt. Ita, omnes interventiones, orales et scriptae, numerantur 45.

2. *Suffragatio*

Disceptatione die 12 novembris expleta, praeliminaris quaedam suffragatio facta est, nempe: « *An placeat transire ad propositiones suffragandas* »; cuius exitus fuit: 1155 placet; 882 non placet; 3 placet iuxta modum et 2 suffragia nulla.

Sic Congregatione Generali approbante, suffragatio super Propositiones 9 scrutiniis peracta est ut sequitur:

die 14 novembris		*Votantes*	*Placet*	*N. Pl.*	*P. i. M.*	*Nulla*
1ª Suffr.:	prooemium cum prop. 1-3	1.955	871	77	1.005	2
2ª Suffr.:	propositio 4	1.960	1.049	64	845	2
3ª Suffr.:	propositiones 5-6	1.949	883	77	987	2
4ª Suffr.:	propositiones 7-10	1.950	907	66	975	2
5ª Suffr.:	propositiones 11-13	1.946	940	56	947	3
6ª Suffr.:	propositio 14 (Approbata)	1.844	1.676	65	103	—
die 16 novembris						
7ª Suffr.:	prop. 15-17 (Approbatae)	2.122	1.833	63	226	—
8ª Suffr.:	prop. 18-19 (Approbatae)	2.117	1.936	50	131	—
9ª Suffr.:	prop. 20 (Approbata)	2.112	1.639	50	419	4

[22] Ex hac suffragatione sequentia sunt notanda:

i) Nulla propositio est reiecta; vota enim « non placet » exiguo numero sunt: 77, 64, 77, 66, 56, 65, 63, 50, 50.

ii) Prooemium et tredecim (13) priores Propositiones sunt approbatae « iuxta modum », et quidem cum ingenti numero modorum.

iii) Septem posteriores Propositiones (14-20) sunt « simpliciter » approbatae, scilicet, cum plus quam duabus tertiis partibus suffragiorum « placet ». Non desunt tamen alia suffragia « iuxta modum » data, sed quae approbationem non infirmant.

II – Collectiones interventionum et modorum

Munus fuit Secretariatus Commissionis interventiones et modos Patrum colligere et ordinare in usum Commissionis, cui pertinebat eosdem perpendere et schema, habita ratione eorum, retractare.

1. *Compilatio interventionum*

Duae confectae sunt compilationes interventionum Patrum:

i) Prima compilatio est *mera collectio* interventionum, quas, plerumque secundum ordinem temporis quo in Aula Conciliari prolatae sunt vel Secretariatui Generali scripto missae, integre reproducit in uno fasciculo quod constat 167 paginis cyclostylatis, et duobus Supplementis complexive 65 paginarum.

ii) Altera compilatio est *systematica,* exstans in uno fasciculo 44 paginarum. Interventiones distribuuntur secundum ordinem *propositionum* schematis ad quas singulae summatim relatae respective referuntur, cum indicatione loci quo in prima compilatione reperiuntur.

2. *Compilatio systematica modorum*

Longe difficilior fuit opera compilandi modos a Patribus ingenti numero praesentatos.

Schedae modorum, unaquaeque earum proprio numero signata, numerantur 10.216 (cf. Comp. Mod., p. 156, n. 4). Cum vero multae plures modos contineant, numerus modorum facile superat 14.000.

Non autem omnes modi sunt diversi. Idem a pluribus Patribus, et saepissime magno numero, subscribitur ut videri potest in tabella quae invenitur infra, num. 3.

In commodum Patrum Commissionis confecta est ista *compilatio systematica modorum,* iuxta ordinem Propositionum schematis anni 1964, constans 169 paginis cyclostylatis, ad quam subsequens Expensio modorum pro opportunitate remittit. [22]

3. *Modi a pluribus Patribus subscripti* [23]

Ex his modis permulti omnino *similes* sunt, quatenus una eademque formula a pluribus Patribus subscripta fuit, et quidem saepe a magno numero eorum, ut ostendit sequens elenchus.

Omissis modis qui a pluribus Patribus sed infra numerum 15 subscripti sunt, recensentur illi quibus Patres maiori numero subscripserunt:

A) *Modi subscripti saltem a 15 Patribus et infra 100*:

a 18 Patribus:	cf. p. 9, n. 7;	a 79 Patribus:	cf. p. 117, n. 10;
a 23 »	cf. p. 27, n. 9;	a 20 »	cf. p. 125, n. 31;
a 17 »	cf. p. 62, n. 1;	a 15 »	cf. p. 125, n. 32;
a 24 »	cf. p. 66, n. 15;	a 25 »	cf. p. 128, n. 7;
a 24 »	cf. p. 72, n. 8;	a 19 »	cf. p. 133, n. 15;
a 18 »	cf. p. 76, n. 23;	a 26 «	cf. p. 139, n. 28;
a 24 »	cf. p. 90, n. 22;	a 32 »	cf. p. 156, n. 1;
a 27 »	cf. p. 90, n. 23;	a 20 »	cf. p. 157, n. 1;
a 24 »	cf. p. 92, n. 31;	a 54 »	cf. p. 157, n. 2;
a 23 »	cf. p. 98, n. 19;	a 56 »	cf. p. 157, n. 3;
a 23 »	cf. p. 120, n. 9;	a 26 »	cf. p. 165, n. 13.

B) *Modi subscripti saltem a 340 Patribus*:

a 386 Patribus:	cf. p. 26, n. 7;	a 386 »	cf. p. 72, n. 11;
a 385 »	cf. p. 26, n. 8;	a 346 »	cf. p. 102, n. 9;
a 387 »	cf. p. 32, n. 5;	a 393 »	cf. p. 106, n. 12;
a 398 »	cf. p. 33, n. 9;	a 368 »	cf. p. 144, n. 20;
a 399 »	cf. p. 35, n. 17;	a 376 »	cf. p. 146, n. 27.

C) *Modi subscripti saltem a 400 Patribus*:

a 450 Patribus:	cf. p. 11, n. 3;	a 495 »	cf. n. 55, n. 7;
a 406 »	cf. p. 13, n. 1;	a 433 »	cf. p. 68, n. 8;
a 411 »	cf. p. 14, n. 2;	a 403 »	cf. p. 76, n. 26;
a 435 »	cf. p. 23, n. 1;	a 441 »	cf. p. 80, n. 5;
a 404 »	cf. p. 34, n. 13;	a 447 »	cf. p. 80, n. 6;
a 433 »	cf. p. 36, n. 21;	a 454 »	cf. p. 86, n. 10;

[23] a 497	»	cf. p. 39, n. 1;	a 460	»	cf. p. 86, n. 11;
a 410	»	cf. p. 39, n. 2;	a 436	»	cf. p. 95, n. 10;
a 422	»	cf. p. 43, n. 4;	a 483	»	cf. p. 96, n. 11;
a 429	»	cf. p. 45, n. 9;	a 468	»	cf. p. 96, n. 13.
a 413	»	cf. p. 49, n. 1;			

D) *Modus subscriptus a 524 Patribus*: cf. p. 64, n. 9.

[24] Nunc agitur de *expensione* horum modorum quorum, etsi permulti in novum textum schematis sive ex integro sive ex parte sive cum modificationibus transierint, perplures tamen non acceptati sunt, quia vel ad rem minus facere videbantur, vel schema a Congregatione Generali acceptatum et retentum in eius substantia, ultra limites praefixos ampliassent aut eius indolem transformassent.

Expenduntur:

I. Modi indole generali.
II. Modi qui ad Titulum schematis spectant.
III. Modi qui ad Prooemium et ad singulas Propositiones spectant.

III – Opera commissionis in schemate emendando

Die 19 novembris 1964, Commissio Conciliaris « De Religiosis » labores ad schema, post suffragationem Congregationis Generalis necessario emendandum, ordinavit, speciali ad hoc Subcommissione Praeparatoria constituta.

Mox vero Rev.mi Periti Commissionis praeliminare quoddam studium modorum peregerunt atque diebus 12 ad 23 mensis februarii Romae coadunati opus suum compleverunt, quo via sternebatur alicui textui apparando. Eorum conclusiones in uno fasciculo collectae missae sunt ad Patres Subcommissionis, qui deinde Romae cum Peritis die 9 martii usque ad diem 12 sequentem adlaboraverunt in schemate retractando.

Denique, Commissio in Sessione plenaria a die 27 aprilis ad diem 1 maii, textum a Subcommissione apparatum examinavit et, emendationibus non paucis factis, definitive statuit, nunc in Congregatione Generali suffragandum.

EXPENSIO MODORUM GENERALIUM * [25]

1 — Plures Patres petierunt ut schema de integro vel saltem magna ex parte seu notabiliter reficeretur (M/47: cf. p. 4, n. 9).

R. — Cum in votatione circa totum schema, contra 882 vota negativa, data sint 1155 suffragia positiva ad schema retinendum, ipsum schema non poterat de integro refici, sed emendari debebat « iuxta modos » propositos, saltem ad propositiones (1-13) approbatas tantum « iuxta modum » quod attinet.

2 — Unus Pater de nimia schematis brevitate queritur (M/6: cf. p. 1, n. 5).

R. — Ut notum est, reductio schematis ab Auctoritatibus Concilii imposita est; et, data subsequenti generali approbatione schematis in Congregatione Generali, non licet illud ultra modum ampliare.

Attamen de facto, schema iuxta modos Patrum Concilii notabiliter nunc invenitur ampliatum, sive in singulis propositionibus, sive etiam novis propositionibus additis.

3 — Quaedam specialia argumenta proponuntur addenda, nempe:

a) « Brevis enuntietur doctrina et laus vitae religiosae sub aspectu christologico et pneumatico, ecclesiali, apostolico, ita ut renovatio ... imprimis interior sit ... » (M/40: unus Pater: cf. p. 1, n. 3).

b) « Oportet ostendere quomodo vita religiosa potest praebere testimonium caritatis universalis ... Quidam respectus libertatis et dignitatis personae humanae inveniatur in omnibus relationibus religiosorum ... Oportet ostendere quod instituta religiosa necnon et ipsi religiosi debent sentire cum Ecclesia ... » (Unus Pater: M/41: cf. p. 1, n. 6).

c) « Nullomodo alluditur gravissimae crisi vocationum ad vitam religiosam ... Ne una vice quidem in schemate verbum fit de Spiritu ... De relationibus inter Episcopum et religiosos vel religiosas, in schemate nihil dicitur ... Pariter nihil dicit schema

---

* Modi a Patribus propositi semper respiciunt numeros eorumque titulos litteris rectis descriptos *prioris* textus schematis. Gratia commoditatis, singulis iis numeris subiunguntur, litteris *inclinatis,* correspondentes numeri et tituli textus *novi seu emendati* (cf. infra pag. 32).

[26] de relationibus inter conferentias Superiorum maiorum et conferentias episcopales ... » (Unus Pater: M/46: cf. p. 2, n. 8).

d) « Radical changes are needed if the Church's use of Religious Communities is truly to be brought up to date — ... The work of the Church to-day is above all else a parochial work. ... However, Religious limited in their activities to non-parochial service (except for the necessary Missionary Orders) can make a contribution that can in this day be of paramount importance » (Unus Pater: M/39: cf. p. 6, n. 10).

e) « Curent Episcopi seminariorumque rectores sacerdotes de vita religiosa recte docere, praesertim ad religiosarum confessiones audiendas » (Unus Pater: M/9688: cf. p. 6, n. 12).

R. — *Ad a*) *et b*) – Praeter ea quae in Constitutione « de Ecclesia » dicta sunt, nostra Commissio diligenter providit variis in locis praesentis schematis.

Ad c) – Quoad quaestionem de vocatione, Commissio censuit sufficere *n. 24*.

– De relationibus autem religiosorum cum Ordinariis locorum providetur in decreto « de Pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».

– De relationibus inter Conferentias Superiorum maiorum et Conferentias Episcoporum, sermo fit etiam in *n. 22*.

Ad d) – De parte religiosorum in operibus paroecialibus etiam agit praefatum decretum « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».

Ad e) – Suggestio est optima: tamen videtur pertinere potius ad decretum « de Institutione sacerdotali ».

4 — Unus Pater vult ut « servetur distinctio Ordinum et Congregationum ob munera eius specifica ... » (M/1: cf. p. 6, n. 11).

Alter unus Pater optat ut « distinctio inter " Ordines et Congregationes " ultra non habeatur » (M/10204: cf. p. 6, n. 13).

R. — Patet hos modos inter se pugnare. Hae quaestiones iuridicae relinquuntur Codici recognoscendo.

5 — Unus Pater postulat « modum loquendi magis praeceptivum » (M/42: cf. p. 1, n. 1).

R. — Non omnia in hac materia sunt praeceptis urgenda; pars est relinquenda etiam suasioni. De cetero, ea quae vere sunt praecipienda, veris praeceptis imponuntur.

[27] 6 — Unus Pater: « Sit stylus ... minus concisus, contractus et iuridicus, sed magis amplius et biblicus ... » (M/43: cf. p. 1, n. 2).

R. — Provisum est.

7 — Unus Pater vellet quod « renovatio » promovenda « potius eluceat tamquam quaedam approfundatio doctrinae quae semper ab Ecclesia honestata est », ne videatur agi tantum de « aggiornamento » quasi de sola « introductione conceptus omnino novi » (M/44: cf. p. 2, n. 7). [27]

R. — Ad huiusmodi erroneae interpretationis periculum praecavendum proposita est quaedam NOTIO de accommodata renovatione in *n. 2*.

8 — Duo Patres proposuerunt propositionem 4^am^ praevii schematis ANTEPONERE, sive ante Prop. 1^am^ (M/867: cf. p. 11, n. 1), sive ante Prop. 3^am^ (M/49: cf. p. 11, n. 2).

R. — Commissio, omnibus perpensis, censuit praesenti ordini propositionum stare, praesertim post emendationes et ampliationes inductas.

9 — Quoad ordinem consiliorum evangelicorum plures modi proponuntur:

a) Circa 450 Patres postulant ordinem sequentem: « castitas - paupertas - oboedientia » (cf. p. 11, n. 3). Ratio: ut hic ordo respondeat ordini consiliorum in Constitutione dogmatica « De Ecclesia » (M/51: cf. p. 11, n. 4).

b) Alii volunt retinere ordinem: « paupertas - castitas - oboedientia » (M/5299; M/10120; M/52: cf. pp. 11-12, n. 4). Ratio: hic ordo est *traditionalis* et ostendit progressionem quamdam « vi cuius religiosus renuntiat bonis quae habet » (M/52: cf. p. 12, n. 4).

R. — Commissio accessit ad postulationem 450 Patrum.

10 — Unus Pater proponit addere ad finem num. 20: « Sacrosancta Synodus decernit ut nova Iuris Canonici redactio perficiatur secundum ea quae in hoc documento statuit sicut et in aliis, praesertim erga doctrinam Episcopatus et munus Conferentiarum Episcopalium » (M/10126: cf. p. 7, n. 1).

R. — Huiusmodi monitum non est necessarium.

11 — Unus Pater quaedam particularia proponit ad Superiores spectantia, quae ipse autumat potius pertinere ad Codicem recognoscendum, non ad praesens schema de Religiosis (M/38; cf. [28] p. 7, n. 2).

R. — Ita est ut ipse Auctor modi aestimat.

[28] AD TITULUM

12 — 31 Patres proponunt diversos modos de TITULO schematis MUTANDO (M/1: cf. p. 8, n. 1; M/2: cf. p. 8, n. 2; M/3: cf. p. 8, n. 3; M/4: cf. p. 8, n. 4; M/5: cf. p. 8, n. 5; M/6: cf. p. 9, n. 6; M/17-34: cf. p. 9, n. 7; M/35-37: cf. p. 9, n. 8; M/3793: cf. p. 9, n. 9; M/3795: cf. p. 10, n. 10; M/45: cf. p. 10, n. 11; M/10206: cf. p. 10, n. 12).

R. — Cum novi modi nihil novi quod non fuerit ample discussum afferant vel si quid novi proponunt, evincentes rationes non videantur praebere, Commissio censuit praesentem titulum esse retinendum, eo magis quod ab ipsa Congregatione Generali una cum schemate retentus fuerit.

[29] EXPENSIO MODORUM DE SINGULIS NUMERIS

AD PROOEMIUM

(quod sine titulo exstat in priore textu, cui respondet *Numerus 1* textus emendati)

13 — *14 Patres* petunt ut « Novum Prooemium conficiatur in qua recapituletur breviter doctrina biblica theologica de vita religiosa (M/875-888: cf. p. 16, n. 6).

406 Patres integrum novum textum amplioris Prooemii praesentant (M/53-455, M/336 bis, M/1352, M/3790: cf. p. 13, n. 1). Ex illis, quidam proponunt quasdam eiusdem textus minores variationes (M/64, M/452, M/453, M/454-455, M/451, M/452, M/454, M/132: cf. p. 14).

Tres alii Patres alium integrum textum Prooemii amplioris proponunt (M/3784, M/3786-3687: cf. p. 18, n. 14).

His adiungendus alius integer textus Prooemii amplioris ab uno Patre decursu disceptationis proposito (cf. *Interventiones Patrum,* Fasciculum: pp. 37-38). Cf. etiam: M/900: cf. p. 20, n. 21; M/902: p. 21, n. 24; M/908: cf. p. 22, n. 30; M/909: cf. p. 22, n. 31.

Praeterea: nonnulli proponunt novos *breviores textus* in substitutionem praesentis (7 Patres: M/865-871: cf. p. 14, n. 4; 4 Patres: M/872-874 bis: cf. p. 15, n. 5; M/896: cf. p. 20, n. 17; M/911: cf. p. 22, n. 33).

R. — Commissio variis his modis accedens, Prooemium de integro et ampliori mole refecit. [29]

14 — 411 Patres petunt ut in pag. 9, lin. 13 (praevii schematis) addatur: « accommodatae in Spiritu renovationis vitae ... » (M/456-864, M/889, M/1402: cf. p. 14, n. 2).

R. — Provisum est in *num. 2.*

15 — Unus Pater petit ut pag. 9, lin. 14, post verbum « Religiosae » addatur: « ad mentem Concilii Vaticani II » (M/864: cf. p. 14, n. 3).

R. — Additio hoc in loco non est necessaria. Provisum est in *num. 3.*

16 — Unus Pater censet « peropportunum ... ut, in Prooemio (aut aliter in num. 5) nominetur ... etiam *vita eremitica* (M/889: cf. p. 16, n. 7). [30]

R. — Commissio censuit vitae eremiticae discrete innuendum esse; id facit addendo in Prooemio, altero commate: « Inde ab exordiis ... fuerunt viri ac mulieres, qui ... vel *vitam solitariam* degerunt ... ».

17 — Duo Patres: p. 9, lin. 16, dicatur: « ... a competente auctoritate, nempe a capitulis generalibus, approbante Sancta Sede, statuendae » (M/890-891: cf. p. 16, n. 8).

R. — Provisum in *num. 4.*

18 — Unus Pater: « In linea 17 significetur quaenam sit " auctoritas competens " in renovatione: ... (M/4, cf. p. 16, n. 9).

R. — Provisum sufficienter in *num. 4.*

19 — Unus Pater proponit ut « Societates vitae communis sine votis publicis » voce technica simpliciori vocentur uti v. g. « Societates apostolicae » vel « Societates religiosae » (M/1: cf. p. 17, n. 10).

R. — Hoc pertinet potius ad Commissionem Codici recognoscendo.

20 — Unus Pater proponit, p. 9, linn.14-17: « verba: " normae ... statuendae erunt ", sic mutentur: " Pro eorumdem congrua expositione et applicatione speciale Consilium instituatur ... etc. " » (M/892: cf. p. 17, n. 11).

R. — Haec determinatio non pertinet ad praesens schema.

21 — Unus Pater: p. 9, lin. 5, post verba « originem ducere » ADDATUR « et tamquam fructum Spiritus Sancti signum Regni caelestis » (M/893: cf. p. 17, n. 12).

R. — *Num. 1* de integro est refectus.

22 — Unus Pater proponit aliquam ADDITIONEM in pag. 9, lin. 6, post verba: « caelestis apparere », continuetur textus: « nunc de ... etc. » (M/893: cf. p. 17, n. 13).

R. — Idem ac in responso praecedenti.

23 — Unus Pater: p. 9, lin. 12, proponit addere: « ... principia gene-

[30] raliora de vita et disciplina religiosa et de earum renovatione accommodata sub influxu Spiritus Sancti» (M/894: cf. p. 19, n. 15).

R. — Provisum (cf. responsum 14).

[31] 24 — Unus Pater, p. 9, lin. 10, proponit aliquam additionem de fine renovationis (M/895: cf. p. 20, n. 16).

R. — Provisum est in *num. 1.*

25 — Unus Pater: «... vitetur enumeratio et distinctio familiarum religiosarum...» (M/897: cf. p. 20, n. 18).

R. — Distinctio institutorum fit tantum typologice, familiae religiosae non nominantur.

26 — Unus Pater vult delere verba: «tamquam signum Regni caelestis apparere» (M/898: cf. p. 20, n. 19).

R. — Conceptus derivatur ex doctrina Constitutionis «de Ecclesia».

27 — Unus Pater: «... de vita Eremitarum agnoscenda in Ecclesia latina» (M/899: cf. p. 20, n. 20).

R. — Provisum in Resp. 16.

28 — Unus Pater vellet ut in pag. 9, lin. 12 sqq., post verba: «respiciunt tantum» LEGATUR: «... principia generaliora vitae religiosae promovendae atque necessaria accommodatione renovandae. Particulariora vero pro eorumdem ... etc.» (M/901: cf. p. 20, n. 22).

R. — Provisum in *num. 2.*

29 — Unus Pater in p. 9, lin. 5 addere aliquid vult de «Spiritu Sancto» (M/901: cf. p. 21, n. 23).

R. — Provisum in Resp. 14 et 23.

30 — Duo Patres proponunt novam brevem introductionem Prooemio (M/903-903 bis: cf. p. 21, n. 25).

R. — Provisum est.

31 — Unus Pater proponit ut «inseratur verbum plausus quo Synodus ingentia servitia agnoscat quae religiosi et religiosae in Ecclesia universa praestant» (M/904: cf. p. 21, n. 26).

R. — Provisum est in *nn. 1 et 25.*

32 — Unus Pater optat ut de institutis saecularibus «fusius agatur» (M/905: cf. p. 21, n. 27).

R. — Provisum est.

[32] 33 — Unus Pater vellet addere novum comma quo «Invitantur omnes ad quos pertinet ... ut S. C. de Religiosis propositiones non tantum theoreticas, sed etiam practicas transmittant...» (M/906: cf. p. 21, n. 28).

R. — Non pertinet ad nostrum schema.

34 — Unus Pater: p. 9, lin. 5: « omittantur verba: " et tanquam signum Regni caelestis apparere " » (M/907: cf. p. 22, n. 29). [32]

R. — Provisum in Resp. 26.

35 — Unus Pater: « In Prooemio ... dicatur districte et profusiore de
1) Institutis saecularibus,
2) Eremitis eorumque vita et loco in Ecclesia (M/910: cf. p. 22, n. 32).

R. — Ad 1) Provisum.
Ad 2) Provisum in Resp. 16.

AD PROP. 1^{am}: [REGULA FUNDAMENTALIS ACCOMMODATAE RENOVATIONIS] *

NUM. 2 [*Principia generalia accommodatae renovationis*]

36 — Permulti Patres rogaverunt ut initio schematis omnia colligantur principia quae in eodem dispersa inveniuntur, proposito novo textu sive ad priorem de integro substituendum sive ad illum emendandum aut complendum: Ita:
435 PP.: M/472-863; M/912-915; M/1330; M/1381; M/1402-1403: (cf. p. 23, n. 1)
2 PP.: M/1404 et M/1803 (cf. p. 23, n. 2)
2 PP.: M/1380 et 1390 (cf. p. 24, n. 3)
3 PP.: M/1383-1385 (cf. p. 24, n. 4)
5 PP.: M/1386-1389; M/1801 (cf. p. 25, n. 5)
Unus Pater: M/1382 (cf. p. 26, n. 6).

R. — His votis Patrum Commissio voluit respondere nova et longe ampliori redactione huius *num. 2*.

37 — A 386 Patribus proponitur ut in p. 10, lin. 3 paragraphus incipiat hoc modo: « Accommodata renovatio duplicem adspectum complectitur, nempe: et reditum institutorum ac sodalium ad primaevum originum fervorem, et eorumdem ad mutatas temporum condiciones adaptationem ... » (M/951-1322; M/1323-1327; M/1364-1369; M/1802; M/2824; M/3791: cf. p. 26, n. 7). [33]

R. — Nova redactio prioris commatis *num. 2* a Commissione facta est ut horum Patrum desiderii ratio habeatur. Consulto tamen verba « duplici adspectu » omissa sunt, ne renovatio et accommodatio nimis ab invicem separentur.

---

* Cf. Notam ad calcem pag. 25 [*pag. 533*].

[33] 38 — A 385 Patribus petitur ut in pag. 10, lin. 9, addantur verba:

« Cum vero Instituta religiosa nequaquam sint mere associationes pro apostolatu exercendo, sed primario ordinentur ut christifideles per professionem evangelicorum consiliorum Christum imitentur eique arctius uniantur, in renovatione cuiuslibet instituti religiosi procuranda, spirituali sodalium vitae praecipuae semper partes tribuendae sunt. Nunquam falsa illa valeat opinio operibus externis primas dandas esse curas, intimae vero perfectionis studio secundas, quasi id aetatis huius ingenio et Ecclesiae necessitatibus postuletur » (M/951-1325; M/1327-1329; M/1361-1363; M/1802; M/1804; M/2824; M/3791; cf. p. 26, n. 8).

R. — Sub alia forma contextui aptata conceptus a Patribus expressus invenitur in fine *num. 2, e*), et in *num. 6.*

39 — 23 Patres proponunt addere: « Testimonium tamen vitae religiosae in mundo hodierno intelligibile esse debet, ideoque formae iam obsoletae et vix condicionibus modernis adaptatae removendae sunt » (M/1331-1351; M/1397; M/3785: cf. p. 27, n. 9).

R. — Provisum diversis in locis.

40 — Proponitur addere in fine, post verba: « ... genuino spiritu ... »:

a) « et praesertim vita et necessitatibus Ecclesiae » (9 PP.: M/1353-1360; M/1396: cf. p. 27, n. 10).

b) « Cuius vero instituta religiosa vitam Ecclesiae universalis participare tamquam cellulae vivae ... etc. » (Unus Pater: M/1369: cf. p. 27, n. 11).

R. — Ad *a*) Provisum est in fine novi *num. 2, e*).

Ad *b*) Provisum est in *num. 2, c*).

41 — Unus Pater proponit addere in fine: « ... necnon servatis Ecclesiae generalibus et particularibus determinationibus eiusque exigentiis iuxta diversa tempora et loca prae oculis habitis » (M/1400: cf. p. 27, n. 13).

[34] R. — Cum in primo commate huius *num. 2* dicatur renovationem promovendam esse « Ecclesia duce », implicite praescribitur determinationes Ecclesiae esse servandas. Praeterea in fine *num. 1* dicitur: « Normae vero particulares pro eorumdem congrua expositione et applicatione post Concilium a competenti auctoritate statuendae sunt ».

42 — Plures Patres diversa proponunt addere de spiritu et propositis Fundatorum excolendis in ipsa renovatione promovenda:

« attentis fontibus originum et fundatorum genuino spiritu » (Unus Pater: M/140: cf. p. 28, n. 14);

« etiamsi a Iure Canonico hi propositi Fundatorum aboliti sunt » (Unus Pater: M/1398: cf. p. 28, n. 16); [34]

« in quibus diiudicandis ad fundatorum intentionem et genuinum spiritum attendatur magis quam ad historicas formulas quibus expressa sunt » (Unus Pater: M/1800: cf. p. 30, n. 24).

R. — Provisum est in *num. 2, b*).

43 — Unus Pater censet accommodationem requirere « not only a simple consolidation of some communities, but perhaps a regrouping of all Communities ... into three: 1) Contemplative and cloistered. 2) Teaching, and 3) Missionary Communities » (M/39: cf. p. 28, n. 15).

R. — De unione inter instituta fovenda agit *num.* 22 iam approbatus.

44 — Diversae formulae proponuntur ad normam fundamentalem renovationis quae in Christi sequela et Evangelio merito ponitur exprimendam:

« Christi sequela est velut suprema regula omnis christianae perfectionis, ideoque cuiusvis instituti spiritualis ac religiosa renovatio ... secundum Evangelium ... » (Unus Pater: M/1395: cf. p. 28, n. 17);

« ... promovendae sunt secundum Evangelium et Christi sequelam tamquam supremam regulam ... » (Unus Pater: « M/1393: cf. p. 29, n. 19);

« ... Ideo omnis authentica renovatio posita est in vera Christi sequela ... » (2 PP.: M/1370-1371: cf. p. 29, n. 21).

« Cuiusvis instituti spiritualis ac religiosa renovatio ... secundum Evangelium et Christi sequelam, Sancta Matre Ecclesia duce, promovendae sunt ... » (6 PP.: M/1374-1379: cf. p. 30, n. 23).

R. — Commissio hunc conceptum censuit exprimere ut habetur in *num. 2, a*).

45 — Unus Pater vellet delere verba: « Sancta Matre Ecclesia duce » (M/1394: cf. p. 29, n. 18). [35]

R. — Commissio censuit hunc conceptum esse necessarium et retinendum.

46 — Unus Pater censet quod « Schema debet clare dicere quod vera renovatio omnibus necessaria est renovatio spiritualis », non tantum « renovatio formae externae vitae » (M/1392: cf. p. 29, n. 20).

R. — Voto Patris respondent *nn. 2, e*) et *4 in fine*.

47 — Unus Pater proponit ut ad num. 1, pag. 10, lin. 8 et ad num. 2, pag. 10, linn. 13-14: loco « attentisque » dicatur: « attentis quo-

[35] que »; et in lin. 13, post verba: « Fideliter serventur » addantur verba: « vel instaurentur, in quantum conditiones mutatae id permittunt et suadent » (M/1372: cf. p. 30, n. 22).

R. — Ad primam observationem: « attentisque »: totus contextus mutatur in numero emendato (cf. *num. 3*).

Ad secundam observationem: provisum in initio *num. 2*.

48 — Unus Pater proponit novum numerum: « Fundamentum verae renovationis semper remanet amor Dei et proximi; ordinatio vitae religiosae per orationem et actionem exigentiis hodiernae conditionis necnon apostolatus respondere potest et debet » (M/1391: cf. p. 30, n. 26).

R. — Provisum in *nn. 6 et 3*.

49 — Unus Pater exoptat ut « hic detur aliqua definitio religiosorum » (M/2842: cf. p. 31, n. 27).

R. — Non expedire videtur ut Concilium definitionem faciat, circa quam auctores non sunt unanimes.

AD PROP. 2am [CRITERIA PRACTICA ACCOMMODATAE RENOVATIONIS CUM FIDELITATE ERGA INSTITUTUM COMPONENDAE].

NUM. 3: [*Criteria practica accommodatae renovationis*].

50 — Unus Pater proponit ut in p. 10, linn. 21-25, addantur verba: « Quapropter, prout necessarium fuerit, *Codex Iuris Canonici, Instructiones S. Sedis vigensque de eis iurisprudentia,* Constitutiones ... congruenter recognoscantur » (M/2278: cf. p. 32, n. 1, et M/2288: cf. p. 35, n. 18; cf. Interv. F/146).

[36] R. — Non pertinet ad nostrum schema petere recognitionem Iuris Canonici, Instructionum S. Sedis et iurisprudentiae.

51 — Unus Pater petit explanationem horum criteriorum, « quid intendatur per verba v. g. " circumstantiis socialibus ... etc. " » (M/2279: cf. p. 32, n. 3).

R. — Criteria indicantur modo generali; deinde a competenti auctoritate determinabuntur.

52 — Unus Pater petit ut « sodales profundius instruantur in scientiis theologicis et spiritualibus, et ... pastoralibus » (M/2283: cf. p. 32, n. 4).

R. — Providetur in *num. 18*.

53 — 387 Patres petunt ut paragraphus incipiat modo sequenti:

« Ipsum Ecclesiae commune bonum expostulat ut unaquaeque religiosa familia peculiarem suam indolem custodiat ac ita

sodales suos instruat ut proprii instituti missionem in Ecclesia secundum hodiernas circumstantias perfectius adimpleant » (M/951-1322; M/1325-1329; M/2270-2276; M/2287; M/2824; M/3791: cf. p. 32, n. 5). [36]

R. — Provisum in *num. 2, b*).

54 — Duo Patres addere vellent: « Revisioni subiciantur finis, natura, spiritus proprius necnon traditiones cuiusque instituti ... etc. » (M/2241-2242: cf. p. 32, n. 6).

R. — Imponere huiusmodi universalem revisionem quoad elementa fundamentalia institutorum, supponeret ea generaliter defecisse vel praesentibus temporibus non respondere: quod certo esset exaggeratum et fere iniuriosum.

55 — Duo Patres aestimant quod pag. 10, linn. 13-15, « necessarium esset adiungere ut serventur media illa a Sanctis Fundatoribus electa in ordine ad finem proprii instituti adipiscendum saltem quoad eorum substantiam » (M/2239-2240: cf. p. 33, n. 7).

R. — In hunc sensum provisum in *num. 2 b*) et *20*.

56 — 401 Patres proponunt ut transferantur tres lineae 13-15: « Fideliter serventur ... constituunt » (M/2268-2269: cf. p. 33, n. 9).

R. — Provisa est translatio in locum aptum (cf. *num. 2, b*).

57 — 435 Patres petierunt examen « organizationis structuralis singularum communitatum » (M/2243-2244: cf. p. 33, n. 10); « structurae communitatum » (M/1805-2233; M/2255; M/2277; M/2287; M/2292: cf. p. 36, n. 21); « structurae institutionalis religionum, speciatim in institutis religiosarum » (M/2268-2269: cf. p. 37, n. 22). [37]

R. — In hunc sensum provisum est in *num. 3*.

58 — Unus Pater proponit ut in pag. 10, lin. 16 ponatur: « At ratio vivendi et operandi, tempus et modus orandi ... » (M/2291: cf. p. 34, n. 11).

R. — Formula generalior schematis praefertur.

59 — Unus Pater petit ut in pag. 10, lin. 20, post verbum « oeconomicis », addatur: « necnon, *prout ab indole cuiusque instituti requiritur,* apostolatus necessitatibus, aptanda est, praesertim in locis missionum » (M/2289: cf. p. 34, n. 12).

R. — Additio proposita acceptatur.

60 — 404 Patres petunt ut in pag. 10, lin. 20, addatur: « ... *ubique,* praesertim *autem* in locis missionum ... » (M/ 1369; M/1405-1799; M/2245-2248; M/2254; M/2256; M/2280; M/2287: cf. p. 34, n. 13).

R. — Acceptatur « ubique ».

[37] 61 — Tres Patres proponunt ut in pag. 10, lin. 18, post « necessitatibus » addatur: « et efficienti coordinationi universi ministerii pastoralis sub moderamine et responsabilitate Ordinarii loci » (M/2236-2238: cf. p. 34, n. 14).

R. — De hoc argumento providetur in Decreto « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».

62 — Duo Patres proponunt, in pag. 10, lin. 21, debere verba « prout necessarium fuerit » (M/2234-2235: cf. p. 34, n. 15).

R. — Acceptatur.

63 — Unus Pater proponit ut inseratur quidam modus specialis revidendi Constitutiones et Directoria (M/2285: cf. p. 35, n. 16).

R. — Haec suggestio est nimis particularis.

[38] 64 — 399 Patres petunt ut in pag. 10, lin. 24, addatur: « ... codices, *obsoletis suppressis,* congruenter ... » (M/1405-1799; M/2245-2248: cf. p. 35, n. 17).

R. — Provisum est in *num. 3.*

65 — Duo Patres proponunt ut linn. 21-25 ita compleantur: « Quapropter *illi, qui legitima auctoritate pollent, ea omnia quae ad proprii instituti renovationem et reformationem necessaria apparent decernant, necnon Constitutiones,* ... id genus codices, *obsoletis suppressis,* congruenter recognoscant » (M/2254: cf. p. 35, n. 19; M/2256: cf. p. 36, n. 20).

R. — Quoad priorem partem provisum est in *num. 4.* Quoad ultimam partem, cf. Resp. praecedens.

66 — Unus Pater proponit ut in lin. 25, post verba « congruenter recognoscantur », adiungantur haec vel similia verba: « In libris precum conficiendis, suam partem abundantius habeant textus biblici et liturgici ad mentem Ecclesiae diligenter accommodati » (M/2290: cf. p. 37, n. 23).

R. — Praescriptio nimis particularis, attamen in hunc sensum cf. *num. 6.*

67 — Duo Patres desiderant aliquid de forma divini Officii inserendum in linea 25: « ... ut liber precum contineat saltem aliquam partem (vel: aliquas partes) Officii divini ... » (M/2252-2253: cf. p. 37, n. 24).

R. — Praescriptio nimis particularis pro indole huius schematis.

68 — Quatuor Patres proponunt ut in pag. 10, lin. 25, addantur haec vel similia verba: « Haec omnia recognoscenda sunt praesertim prae oculis habitis diversis formis quibus vita religiosa exprimitur in variis institutis ... etc. » (M/2264-2267: cf. p. 38, n. 25).

R. — Hoc principium enuntiatur, licet sub alia forma, in *num. 2, b*). [38]
69 — Unus Pater vellet addere in fine huius propositionis explicitam mentionem singulorum documentorum Concilii, quibus recognitio et aptatio codicum conformari debet, incipiendo a Constitutione « de Ecclesia » usque ad decretum « de Oecumenismo » (M/2286, p. 38, n. 26).
R. — Commissio censuit sufficienter provisum esse in *num. 3.*
70 — Duo Patres proponunt: « Auferantur omnino de Constitutionibus et regulis religiosarum omnes determinationes quae dicunt vel commendant confessores, directores spirituales et praedicatores ... esse debere tales sacerdotes alicuius instituti ... » (M/2281; M/2284: cf. p. 38, n. 27). [39]
R. — Praescriptio nimis particularis.
71 — Septem Patres proponunt ut in linn. 13-15 dicatur: « *Inspiratione,* natura et fine ... *fideliter servatis,* ratio vivendi ... » (M/2257-2263; cf. p. 38, n. 28).
R. — Commissio censuit provisum esse in *num. 2.*

AD PROP. 3am [A QUIBUS ACCOMMODATA RENOVATIO SIT PERFICIENDA]

NUM. 4: [*A quibus accommodata renovatio sit perficienda*]

72 — 498 Patres volunt ut distinctio fiat inter renovationem, ad quam sodales cooperari debent, et accommodationem, quae auctoritati competenti reservanda est (M/951-1322; M/2272; M/2292-2413; cf. p. 39, n. 1; M/2836: cf. p. 40, n. 7).
R. — Provisum est in *num. 4.*
73 — 417 Patres textum sic volunt complere: « Efficax autem renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi *consultis* et cooperantibus ... instituti sodalibus, ... » (M/2414-2823: cf. p. 39, n. 2; M/2825-2827: cf. p. 39, n. 3; M/2837-2838: cf. p. 39, n. 4).
R. — Provisum est in *num. 4.*
74 — Duo Patres petunt ut munus auctoritatis fusius declaretur addendo: « Competens vero auctoritas, cuius est renovationem moderari, opportunis normis provideat ut sodales omnes pro sua quisque facultate et maxima efficacitate instituti renovationi conferre possint » (M/2837-2838: cf. p. 39, n. 4).
R. — Provisum est in *num. 4.*
75 — Tres Patres rogant ut in lin. 31, « addatur aliquid de rationibus

[39] et modis, quibus sodales ad accommodatam renovationem perficiendam cooperentur » (M/2839-2841: cf. p. 40, n. 5).

R. — Praescriptio nimis particularis.

[40] 76 — Unus Pater petit addere post: ... instituti sodalibus, « ad normam iuris particularis uniuscuiusque instituti » (M/2834: cf. p. 40, n. 6).

R. — In textu dicitur «apto modo » in *num. 4.*

77 — Unus Pater proponit novam formulam pro illa propositione: « Efficax autem renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi sub moderamine competentis auctoritatis cooperentur omnes instituti sodales » (M/2828: cf. p. 40, n. 8).

R. — *Num. 4* amplius totam rem explicat.

78 — Tres Patres rogant ut numerus 3 compleatur cum indicatione particulari auctoritatis ad quam pertinet efficax renovatio, nempe: Superiorum maiorum, Provincialium, Generalium, etc. ... » (M/2829-2830: cf. p. 40, n. 9; M/2833: cf. p. 41, n. 10).

R. — Provisum modo generali.

79 — Unus Pater vellet ut « renovatio et recta accommodatio » de quibus in numero 3 et Prooemio, « competenti auctoritati post Concilium demandetur ». Insuper: « Dicatur quaenam futura sit haec *auctoritas,* utrum e. g. S. Congregatio de Religiosis ... » (M/2835: cf. p. 41, n. 11).

R. — Haec determinatio non pertinet ad praesens schema.

80 — Unus Pater rogat: « clarificetur ut omnis renovatio et accommodatio fiat a competente auctoritate ... » (M/2832: cf. p. 41, n. 12).

R. — Provisum est in *num. 4.*

81 — Unus Pater vellet addere sequentia verba: « Idem valet servatis servandis pro opportuna renovatione in tota Ecclesia, quae omnium institutorum commune conamen requirit. Consilium speciale de renovatione exsequenda proinde sic constituatur, ut instituta in eo aequo modo repraesententur ... etc. » (M/2845: cf. p. 41, n. 13).

R. — Non pertinet ad praesens schema.

82 — Unus Pater vellet ut « addatur nova alinea continens obligationem Episcoporum nominandi sacerdotes idoneos ut cappellanos, praedicatores, et confessores pro religiosis non-clericalibus, praesertim mulieribus » (M/2831: cf. p. 41, n. 14).

R. — Non pertinet ad praesens schema.

[41] 83 — Sex Patres proponunt « ut in hoc numero (3°) restructurando seu reficiendo, haec opportunitas arripiatur ad complendam

unam ex praecipuis lacunis ... quae Superiores religiosos ... tangat ... scilicet: « Desiderata propositio ... considerare debet Superiores non tantum tamquam moderatores accommodatae renovationis, sed etiam in se et relate ad multiplices eorum responsabilitates in actuali Ecclesiae momento ... » (M/2846-2851: cf. p. 42, n. 15). [41]

R. — De Superiorum munere pluries agitur sed sobrie pro indole praesentis schematis.

AD PROP. 4am: [PERFECTIO AMORIS DEI ET PROXIMI ANTE OMNIA QUAERENDA]

NUM. 6: [*De vita spirituali ante omnia colenda*]

84 — Unus Pater censet quod « non sufficienter exprimitur momentum caritatis in vita religiosa » (M/3700: cf. p. 43, n. 1).

R. — Satis provisum in novo textu variis in locis.

85 — Unus Pater exoptat ut « amplificetur num. 4 ut ostendatur vita spiritualis sit fundamentum omnis renovationis » (M/3702: cf. p. 43, n. 2).

R. — Provisum est in *num. 6.*

86 — Unus Pater censet: « Cum renovatio magis sanctitatem quam cetera omnia respicere debeat, de ea aliquid amplius dicendum est » (M/3794: cf. p. 43, n. 3).

R. — Provisum est in *nn. 2, e*), et *6.*

87 — 422 Patres petunt ut in prop. 4 introducatur haec phrasis: « a quo et ipsa praxis consiliorum evangelicorum animatur et regulatur » (M/2852-3271; M/3706; M/3709: cf. p. 43, n. 4).

R. — Commissio censuit sufficienter provisum esse in *num. 6.*

88 — 6 Patres proponunt aliam formulam: « Omnes qui evangelica consilia profitentur ... ante omnia plenaque fiducia in gratia Dei, qui in iis operatur et velle et perficere (cf. *Phil.* 2, 13) activaque fidelitate consequi nitantur quam maximam cum Deo unionem, quae est finis omnis vitae religiosae et ex qua profluit proximi dilectio ... etc. » (M/3716-3721: cf. p. 43, n. 5).

R. — Commissio censuit conceptum satis esse expressum variis in locis praesentis schematis.

89 — Unus Pater vellet incipere dicendo: « *Illi* qui evangelica ... » [42]
(M/3701: cf. p. 44, n. 6). Alter: « Omnes qui *in vita religiosa* evangelica consilia profitentur ... » (M/3703: cf. p. 44, n. 7).

R. — Commissio censuit sufficienter provisum esse in novo textu.

[42] 90 — Unus Pater vellet addere: « Omnes qui, *sive intra claustra sive in saeculari instituto, evangelica ...* » (M/3705: cf. p. 44, n. 8).

R. — Ex nova redactione clare apparet omnia instituta comprehendi.

91 — 430 Patres proponunt longiorem additionem numero 4°: « Scientes autem se non solum propter characterem baptismalem, sed novo titulo per votorum consecrationem consociatos esse Christo ... etc. » (M/2293; M/3272-3699; M/3792: cf. p. 45, n. 9; M/3710: cf. p. 45, n. 11).

R. — De relatione inter baptismum et consecrationem religiosam, provisum est in novo textu.

92 — Quatuor alii Patres eamdem proponunt additionem, cui addunt novam, de mutuis relationibus inter Episcopos et religiosos: « Episcopi vero religiosas familias ... paterno amore et sollicitudine amplectantur ... Religiosos ... tamquam adiutores ... habeant oportet (M/3726-3727; M/3788-3789: cf. p. 45, n. 10).

R. — Hoc monitum ad episcopos, non videtur hic opportunum.

93 — Quatuor Patres petunt ut in fine huius propositionis aliquid dicatur de Beata Maria Virgine (M/3722-3725: cf. p. 46, n. 12).

R. — Provisum in *num. 25.*

94 — Tres Patres vellent addere: « Quapropter omnes contemplationem ... consocient oportet cum studio apostolico ... » (M/3713-3715: cf. p. 46, n. 13).

R. — Provisum in *num. 5.*

95 — Unus Pater proponit mutare titulum propositionis in: « De vita spirituali fovenda ac renovanda » (M/3712: cf. p. 47, n. 14).

R. — Commissio novum fere similem titulum posuit.

96 — Idem Pater tres additiones proposuit:

a) « Ad hunc finem obtinendum, vita interior et spiritualis semper de novo est nutrienda ... (specialiter) s. Liturgia ».

b) « Religiosi quotidie prae manibus habeant S. Scripturam ... ».

[43] *c*) « Episcopi et Superiores Ordinum ad moderandam vitam spiritualem religiosorum laicalium et religiosarum, pios, sapientes et doctos sacerdotes eligant » (M/3712: cf. p. 47, n. 14).

R. — Ad *a*) et *b*) Provisum est in *num. 6.*
Ad *c*) cf. resp. 82.

97 — Duo Patres proponunt addere post verba « Deus in nobis », haec verba: « sese habeant plene, immediate et indivise Deo consecratos et ... » (M/3707-3708: cf. p. 47, n. 15).

R. — De consecratione religiosa ample agitur in *num. 5.*

98 — Unus Pater petit, ut explicite prohibeantur ea, quae in domibus religiosorum perfectae dilectioni Dei obstant uti sunt instrumenta televisionis et similia (M/3711: cf. p. 48, n. 16). [43]

R. — In his rebus praeceptum universale inopportunum, immo impossibile est.

99 — Unus Pater petit addere post verbum « profluit »: « in sanctitatem propriam atque familiae religiosae » (M/3704: cf. p. 48, n 17).

R. — Commissio censuit sufficere ea quae in *num. 6* habentur.

100 — Aliqui Patres proposuerunt ut introducatur aliquis textus de vita religiosa laicali post numerum 4 (cf. p. 48, N.B.: et pp. 157-158, nn. 1-5).

R. — Provisum est in *num. 10.*

AD PROP. 5^{am} ET 6^{am} SIMUL:

[DE INSTITUTIS VITAE CONTEMPLATIVAE FOVENDIS ET RENOVANDIS] (Prop. 5)

[DE INSTITUTIS VITAE ACTIVAE FOVENDIS EORUMQUE ACTIONE RITE ORDINANDA] (Prop. 6)

NUM. 7: [*De institutis quae ad contemplationem integre ordinantur*]

NUM. 8: [*De institutis vitae apostolicae dicatis*]

101 — Permulti Patres opponuntur distinctioni inter vitam contemplativam et activam, saltem prout in schemate duobus separatis propositionibus praesentatam (413 Patres: M/4334-4741; M/4749-4752; M/4758: cf. p. 49, n. 1).

Ideo: [44]

— 4 Patres proponunt utrumque numerum in unum redigere: (M/4755-4756: cf. p. 52, n. 5; M/3917, M/3919: cf. p. 53, n. 6);

— 12 alii proponunt novum textum pro utraque propositione in unam redacta: (M/4742-4747: cf. p. 49, n. 2; M/4753-4754; M/4759-4760; M/4762: cf. p. 51, n. 3; M/4761: cf. p. 52, n. 4);

— Duo Patres proponunt pro hac nova propositione unica novum titulum: « De instauratione institutorum vitae contemplativae et activae » (M/4849-4850: cf. p. 53, n. 7).

[44] Insuper unus Pater pro n. 6 proponit novam propositionem de MONACHIS (M/4761: cf. p. 52, n. 4).

R. — Cum in *num. 5* affirmatum fuerit cuiuslibet instituti sodales « contemplationem, qua Deo mente et corde adhaereant, cum amore apostolico » coniungere debere, ut multi Patres petierunt, Commissio censuit varietatem religionum et institutorum quasi typologice describere, ita ut sermo fieret de institutis quae « ad contemplationem integre ordinantur in solitudine ac silentio » (*num. 7*) et « de institutis vitae apostolicae dicatis » (*num. 8*).

Insuper Commissio, variis votis Patrum accedens, novos numeros exaravit, nempe: *num. 9*: « De vita monastica et conventuali fideliter servanda »; *num. 10*: « De vita religiosa laicali », et *num. 11*: « De institutis saecularibus ».

De vita eremitica noluit novam conficere propositionem, ut explicatum est supra: cf. Resp. 16.

AD PROP. 5^am^: [DE INSTITUTIS VITAE CONTEMPLATIVAE FOVENDIS ET RENOVANDIS]

NUM. 7: [*De institutis quae ad contemplationem integre ordinantur*]

102 — Unus Pater optat amplificare n. 5 « ut exprimatur quanti momenti sunt haec instituta » (M/3932: cf. p. 54, n. 2).

R. — Provisum est.

103 — 9 Patres petunt ut clarius exprimatur « pars quam contemplativi agunt in Corpore Christi Mystico: Ecclesiam orantem repraesentant, Ecclesiae apostolatui fecunditatem concedunt, et Ecclesiae praesentiam in mundo patefaciunt » (M/3926: cf.
[45] p. 54, n. 3), ad hoc etiam ampliori textu proposito (M/3898-3904: cf. p. 56, n. 11; M/3912: cf. p. 58, n. 19).

R. — In hunc sensum provisum est in *num. 7*.

104 — Unus Pater proponit ut loco « vita contemplativa » dicatur « vita monastica » (M/3923: cf. p. 54, n. 4).

R. — De vita monastica providetur in *num. 9*.

105 — Unus Pater proponit varias normas pro institutis vitae contemplativae: « ... should be cloistered; with a membership of at least 30 to 40 members; etc. » (M/3934: cf. p. 54, n. 5).

R. — Hae propositiones sunt nimis particulares.

106 — Sex Patres proponunt praemittere propositioni 5^ae^ clausulam sequentem: « Omnis vita religiosa licet secundum formam

diversificatur, utpote ex consecratione baptismali efflorescens, [45]
est insimul contemplativa et apostolica: ita testimonium vitae plene ecclesialis apparet » (M/3908-3910; M/3916: cf. p. 54, n. 6; M/3920: cf. p. 55, n. 9; M/3921: cf. p. 56, n. 10).

R. — In hunc sensum provisum est in *nn. 5 et 7.*

107 — 496 Patres novum textum aliquantulum diversum proponunt: « Instituta vitae contemplativae, quae potiores partes (cf. *Lc.* 10, 42) in Corpore Mystico Christi semper habuerunt ... etc. » (M/3796-3897; M/3941-4333: cf. p. 55, n. 7; M/3922: cf. p. 55, n. 8).

R. — Huic voto amplius in *num. 7* respondetur.

108 — Unus Pater petit ut « deleantur verba " suas partes in Corpore Mystico Christi semper habent " » (M/3940: cf. p. 57, n. 12).

R. — Commissio servavit conceptum, paulo aliter expressum.

109 — Unus Pater proponit dicere: « optimas partes ... » (M/3937: cf. p. 57, n. 13).

R. — Cf. responsum praecedens.

110 — Unus Pater putat melius dicere: « Instituta vitae contemplativae suas partes in Corpore Mystico Christi semper habent, atque *apostolatui Ecclesiae modis propriis multum conferunt ...* » (M/3933: cf. p. 57, n. 14).

R. — Amplius provisum est in novo textu.

111 — Unus Pater proponit aliam formulam ad munus apostolicum [46]
horum institutorum exprimendum (M/3928: cf. p. 57, n. 15).

R. — Provisum in Resp. praecedenti.

112 — Unus Pater aestimat clausulam « suas partes ... semper habent » esse ambiguam, cum insinuare posset alia instituta suas partes non habere in Christi Corpore Mystico (M/3927: cf. p. 57, n. 16).

R. — Provisum est in novo textu.

113 — Unus Pater proponit addere initio: « Non obstante gravi hodierna necessitate actuosioris apostolatus ... etc. » (M/3913: cf. 57, n. 17).

R. — Provisum est in novo textu.

114 — Unus Pater vellet addere, post verbum « suas »: « *speciales* » partes ... (M/3916: cf. p. 58, n. 18).

R. — Provisum est in novo textu.

115 — Duo Patres nolunt retinere locutionem: « vocatio quae plene totaque apostolica est »; ideo alias formulas proponunt (M/3915: cf. p. 58, n. 20; M/3929: cf. p. 59, n. 21).

R. — In *num. 7,* haec locutio non servatur.

[46] 116 — Unus Pater proponit ut in pag. 11, lin. 5 dicatur: « ... quae insimul est vere apostolica, ut omnis vita religiosa tanquam ex consecratione baptismali efflorescens ... » (M/3911: cf. p. 59, n. 22).

R. — Provisum est in *num. 5.*

117 — Unus Pater proponit addere, post « ... Ecclesiae afferunt » (lin. 7), haec verba: « Eorum renovatio ita facienda ut primatus caritatis erga Deum et momentum orationis in vita tum Ecclesiae cum Christifidelium omnibus patefiat » (M/3925: cf. p. 59, n. 23).

R. — Ea quae in genere dicuntur de primatu caritatis (*num. 6*) et de necessitate orationis quae continentur in necessitate renovationis spiritualis cui « primae partes tribuendae sunt » (*num. 2, e*), valent eminenter pro institutis vitae contemplativae, quin necessarium sit ea hic repetere.

[47] 118 — Unus Pater aestimat textum de renovatione ambiguum esse et potius esse redigendum « ne videantur (haec instituta) sese renovanda esse continuis vicibus nec locum praebeatur membris continuo cogitandi an sint vel non sufficienter « renovati » (M/3931: cf. p. 59, n. 24).

R. — Principia et criteria practica de accommodata renovatione apte promovenda exponuntur in *nn. 2, 3, 4.*

119 — Tres Patres aestimant renovationem nimis praeceptive imponi institutis vitae contemplativae, « ... quia probabiliter renovatione plura instituta non indigent » (M/4748: cf. p. 59, n. 25; M/4757: cf. p. 59, n. 26; M/3907: cf. p. 60, n. 30).

R. — Commissio censuit satis provisum esse in novo textu.

120 — Quatuor Patres censent necessarium esse adhibere cautelas in hac renovatione ne vita contemplativa in Ecclesia detrimentum patiatur: (M/3930: cf. p. 59, n. 27; M/3905-3906: cf. p. 60, n. 28; M/3914: cf. p. 60, n. 31).

R. — Cf. Resp. praecedens.

121 — Unus Pater putat necessarium « indicare quasdam saltem normas renovationis ... » (M/3938: cf. p. 60, n. 29).

R. — Praesens schema potest dare tantum normas generales.

122 — Unus Pater vellet addere post ultima verba « ... sese renovent », sequentia: « oratione ac silentioso secessu semper sanctissime servatis, spiritualitatis vero ecclesialis et biblicae, necnon partecipationis liturgicae ampliori ratione habita, etiam, si oporteat, mutatis saecularibus traditionibus » (M/3918: cf. p. 60, n. 32).

R. — Provisum est in novo textu (*nn. 7 et 6*). [47]

123 — Unus Pater vellet addere in fine, post « ... sese renovent », sequentia: « ita ut testimonium suum coram hominibus profundius intelligatur » (M/3935: cf. p. 61, n. 33).

R. — Implicite dicitur in novo textu.

124 — Unus Pater vellet specialem pericopem addere de monacis, textu ad hoc proposito (M/3924: cf. p. 61, n. 34).

R. — Provisum est in *num. 9*.

125 — Unus Pater optat propositionem distinctam de vita mixta, textu ad hoc proposito: « Instituta vitae mixtae ... » (M/4763: cf. p. 61, n. 35). [48]

R. — Ad vitandas controversias doctrinales et historicas, Commissio consulte omisit istam terminologiam « vita contemplativa, vita activa, vita mixta » (cf. supra Resp. 101).

AD PROP. 6am: [DE INSTITUTIS VITAE ACTIVAE FOVENDIS EORUMQUE ACTIONE RITE ORDINANDA]

NUM. 8: [*De institutis vitae apostolicae dicatis*]

126 — 28 Patres desiderant ut in hac propositione de vita activa, appareat quaedam theologia vitae apostolico-activae, finis specificus apostolicus tamquam elementum substantiale huius formae vitae, atque synthesis inter vitam religiosam et actionem apostolicam clare indicetur, ad hoc variis textibus a variis Patribus propositis (M/4822-4838: cf. p. 62, n. 1; M/4847: cf. p. 63, n. 2; M/4843: cf. p. 63, n. 3; M/6753-6759: cf. p. 63, n. 4; M/6760-6761: cf. p. 64, n. 5).

R. — Provisum est in novo textu.

127 — Tres Patres vellent mentionem facere de studio contemplationis quod in ipsis institutis vitae activae deesse non debet (M/3933: cf. p. 64, n. 6; M/4842: cf. p. 64, n. 7; M/4840: cf. p.. 64, n. 8).

R. — Provisum est in *num. 5*.

128 — 524 Patres petunt ut linn. 11-12 ita mutentur: « In institutis vitae activae tam clericalibus quam laicalibus in quibus fratres et sorores vel christianam iuventutis eruditionem vel alia ministeria fortiter navant, opera ... » (M/3941-4333; M/6622-6752: cf. p. 64, n. 9).

R. — In hunc sensum provisum est in novo textu.

[48] 129 — Unus Pater vellet ut in linn. 12 et 15, loco « ... opera et apostolatus ... » et « ... finem constituunt », dicatur: « ... apostolatus ... » « ... finem constituit » (M/4848: cf. p. 65, n. 10).

R. — In hunc sensum provisum est in novo textu.

130 — Unus Pater vult addere, post verba « mediis prosequi debent » (linn. 17-18), sequentia: « Tota disciplina religiosa (constitu-
[49] tiones, « directoria ») spiritu apostolatus per actionem informetur » (M/4839: cf. p. 65, n. 11).

R. — Provisum est.

131 — Unus Pater vellet addere: « Ratio et ordo institutorum (vitae activae) ... ita renoventur, ut non imitentur vitam monasticam, neque eorum exercitia pietatis apostolatui neque opera apostolatus orationi impedimento sint ... » (M/4841: cf. p. 66, n. 12).

R. — In hunc sensum provisum est in novo textu.

132 — Duo Patres vellent addere: « In istis institutis quae ab apostolatus operibus specificum characterem recipiunt, integra vita religiosa in apostolatum converti debet ... etc. » (M/4844-4845: cf. p. 66, n. 13).

R. — Commissio censuit satis provisum esse in novo textu.

133 — Unus Pater monet « ne exigatur ab institutis vitae contemplativae opera apostolatus quae cum eorum peculiarissima vocatione non congruunt » (M/4748: cf. p. 66, n. 14).

R. — Periculum praecavetur in novo textu *num. 7*.

134 — 24 Patres petunt ut « mentio inseratur de oboedientia et reverentia quae debetur Episcopo a religiosis omnibus etiam ut christifidelibus. Non sufficit mentio iam facta in aliis schematibus » (M/6762-6785: cf. p. 66, n. 15).

R. — In hunc sensum aliquid habetur in *nn. 6 et 23*. Ceterum, cum decreta Concilii promulganda sint per modum unius, non est necessarium hic repetere quod alibi dictum est.

AD PROP. 7^{am}: [DE RENOVATIONE IN OBSERVANTIA CONSILIORUM EVANGELICORUM]

NUM. 5: [*De quibusdam elementis quae omnibus vitae religiosae formis communia sunt*].

135 — Unus Pater autumat quod « cum de votis religiosorum agitur, magna differentia facienda esset inter oboedientiam et, ex altera parte, paupertatem et castitatem. Etenim, in Evangelio,

sine dubio agitur de " consiliis " paupertatis et castitatis » [49]
(M/5306: cf. p. 67, n. 1).

R. — In hunc sensum provisum est quoties de consiliis sermo est.

136 — Unus Pater vellet religiosos unicum votum « oboedientiae » [50]
emittere, quatenus in eo cetera continentur (M/5290: cf. p. 67, n. 2).

R. — Commissio censet hoc votum non esse acceptandum, tamquam generali et saeculari praxi, in se plane iustificatae, contrarium.

137 — Unus Pater aestimat « ... unum schema non posse inservire pro religiosis et pro institutis saecularibus atque pro societatibus in commune viventium sine votis. Sed si Commissio manet in proprio iudicio... aliter redigi debet hic num. 7, ita ut *verbis* dicat quid pro religiosis, et quid pro aliis ... » (M/5291: cf. p. 67, n. 3).

R. — Ut monetur in fine Prooemii, ea quae in schemate continentur « ... nonnisi principia generalia respiciunt accommodatae renovationis vitae ac disciplinae religionum atque, propria indole servata, societatum vitae communis sine votis et institutorum saecularium »; quae quidem communia sunt et applicanda sunt, servatis servandis, omnibus statibus perfectionis seu profitentium consilia evangelica (cf. *num. 5*), nisi contrarium appareat ex ipsa rei natura.

138 — Duo Patres volunt ut textus emendetur vel totus reficiatur ad mentem observationum Em.mi D. Card. Döpfner (Interv. F/ p. 24) (M/5294: cf. p. 67, n. 4; M/5295: cf. p. 68, n. 5).

R. — Provisum est.

139 — Unus Pater petit ut « ita apparetur textus ne religiosi anxietatibus obnoxii sint continuo cogitandi an sese sufficienter renoventur vel renovati sint » (M/5300: cf. p. 68, n. 6).

R. — Provisum est in Resp. 118.

140 — Diversae formulae pro numero 7 redigendo proponuntur, e quibus: una agit de relatione inter consecrationem baptismalem et religiosam (M/5301: cf. p. 68, n. 7); alia sic sonat: « Religiosi, quamvis *hodie quandoque* difficilioribus vitae circumstantiis degant, Christum *cui totaliter et indivise sese devoverunt,* virginem, pauperem et oboedientem *imitentur, sicque* eius praesentiam in hoc mundo speciali modo testificentur » (435 Patres: M/4851-5280; M/5302-5304: cf. p. 68, n. 8; M/5298: cf. p. 69, n. 11; M/5305: cf. p. 69, n. 10).

R. — Provisum est in redactione *num. 5.*

[51] 141 — Unus Pater vult addere in lin. 23: « Religiosi, quamvis *hodie quandoque* in variis ... » (M/5296: cf. p. 69, n. 9).

R. — Non acceptatur.

142 — Unus Pater aestimat quod « Praeceptum " sese renovent " firmius est quam oportet, ut iam dixi in numero 5° » (M/5299: cf. p. 69, n. 12).

R. — Provisum in Resp. 119.

143 — Unus Pater vellet in lin. 27 supprimere verba « sese renovent » et phrasim sic finire: « fideliter viventes, Christum eiusque Ecclesiam veraciter repraesentent » (M/5292: cf. p. 69, n. 13).

R. — Textus integre refusus est.

144 — Tres Patres proponunt addere lin. 29: « Quae renovatio ita fiat, ut rationibus temporis moderni plane congruant ... etc. » (M/5287-5289: cf. p. 70, n. 14).

R. — Provisum est in *num. 3*.

145 — Unus Pater petit addere: « In memoriam tenentes quod religionis vota ad virtutes theologales penitius exercendas valde conferunt ... » (M/5297: cf. p. 70, n. 15).

R. — Habitudo consiliorum ad virtutes theologales continetur implicite in toto schemate.

146 — Quinque Patres petunt ut addatur: « deprecante suavissima Deipara Virgine Maria, materna religiosarum virtutum altrice, instituta (perfectionis) ampliora cotidie incrementa capiant, afferantque uberiores usque salutares fructus » (Verba Pauli VI: *A.A.S.* 56 [1964], p. 571) (M/5282-5286: cf. p. 70, n. 16).

R. — Provisum est in conclusione (*num. 25*).

AD PROP. 8am: [DE RENOVATIONE IN OBOEDIENTIA RELIGIOSA]

NUM. 14: [*De oboedientia*].

147 — Unus Pater desiderat ut « insistentia maior ponatur in doctrina theologica votorum ... Insuper explicite affirmetur tria religiosa vota sublimiorem perfectionem habere in consecratione virginum ... » (M/6167: cf. p. 71, n. 1).

[52] R. — De doctrina theologica consiliorum providetur in novo textu schematis. De sublimiori perfectione consecrationis virginum non expedit hic referre.

148 — Unus Pater vellet ut « stylo robustiori et magis biblico, melius enucleentur lineamenta oboedientiae religiosae et perspicue in-

dicetur quomodo libertas filiorum Dei a religiosis in oboedientia ... sit exercenda » (M/6178: cf. p. 71, n. 2). [52]

R. — Provisum est in nova redactione textus (*num. 14*).

149 — Unus Pater putat totum esse reficiendum (M/6182: p. 71, n. 3).

R. — Provisum est.

150 — Unus Pater profundam retractationem propositionis desiderat, speciatim ut notetur « quantum necessarium sit ut ... auctoritas exerceatur intra fines caritatis et cum respectu personae humanae ... » (M/6160: cf. p. 71, n. 4).

R. — Provisum est in *num. 14*.

151 — Unus Pater vult ut « addantur pauca verba de necessitate mansuetudinis ... Superiorum ... » (M/6177: cf. p. 71, n. 5).

R. — Provisum est in *num. 14*.

152 — Unus Pater vult ut « indicetur aspectus ecclesialis oboedientiae religiosae » (M/6162: cf. p. 71, n. 6).

R. — Provisum est in *num. 14*.

153 — Unus Pater optat ut ... « actus oboedientiae ... ut actus fidei repraesentetur in voluntate Dei, quae per Superioris legitimi voluntatem quasi « significatur » (M/6179: cf. p. 71, n. 7).

R. — Provisum est in *num. 14*.

154 — 24 Patres petunt ut inseratur aliquid de Superiorum auctoritatis exercitio ex n. 27 prioris schematis desumptum, ita ut « Superiorum auctoritas uti servitium ... exerceatur » (M/6105-6127 bis: cf. p. 72, n. 8).

R. — Provisum est in *num. 14*.

155 — Unus Pater censet quod de duobus aspectibus oboedientiae, scilicet ex parte subditorum et ex parte superiorum, esset loquendum (M/6163: cf. p. 72, n. 9).

R. — Provisum est in *num. 14*.

156 — 399 Patres novas formulas pro hac propositione praebent, quibus inter alia inculcatur oboedientiam exercendam esse cum sensu personalitatis et maturitatis ex parte subditorum; et intra fines caritatis et cum respectu personae humanae, ex parte Superiorum (M/6128-6133: cf. p. 72, n. 10; M/5707-6086; M/6151-6152; M/6155-6156; M/6165; M/6181: cf. p. 72, n. 11; M/6153-6154: cf. p. 73, n. 13; M/6183-6185; cf. p. 73, n. 14; M/6186: cf. p. 74, n. 15). [53]

R. — Provisum est in redactione ampliata *num. 14*.

157 — Quinque Patres petunt ut « Polleant Superiores omnes ... Maiores religionum clericalium etiam potestate iurisdictionis ... »

[53] M/6150: cf. p. 73, n. 12; M/6183-6185: cf. p. 74, n. 14; M/6186: cf. p. 74, n. 15).

R. — Non pertinet ad praesens schema. Provisum est speciali Rescripto Pontificio d. 4 nov. 1964.

158 — Unus Pater censet melius omittere textum, « nam nihil continet de " renovatione " in hac materia » (M/6166: cf. p. 74, n. 17).

R. — Textus, qui a multis Patribus petebatur, non erat delendus, sed ampliandus.

159 — Unus Pater proponit ut « post verba " eo fit quod " in lin. 37, addantur verba: " postquam, si utile vel necessarium id iudicaverit, libere desideria et necessitudines suas patefecerit "..., et post verba " cum respectu personae humanae " (pag. 12, linn. 1-2), addantur verba: « quae ad veram maturitatem et aptitudinem... etc. " » (M/6172: cf. p. 75, n. 18).

R. — In hunc sensum provisum est.

160 — Unus Pater vult ut in lin. 36, post verbum « praecipiuntur », dicatur: « suorum actuum plene et conscie responsabilis factus » (M/5293: cf. p. 75, n. 19).

R. — Cf. responsum praecedens.

161 — Unus Pater vult ut pag. 12, post lin. 6 addatur: « Itaque Superiores curent ut, per amplas responsabilitates subditis suis concessas, personalitas eorum ... harmonice in Christo evolvatur ... » (M/6161: cf. p. 75, n. 21).

R. — Cf. responsum 159.

[54] 162 — Unus Pater vult addere: « Auctoritas legitima autem exercenda est intra fines caritatis et cum respectu personae humanae adultae... » (M/6158: cf. p. 75, n. 20).

R. — Cf. responsum 159.

163 — Unus Pater proponit dicere, pag. 12, lin. 2, loco « et licet nostra aetas »: « Ratio etiam habeatur hanc nostram aetatem exigentias praebere de indole relationum inter personas atque religiosos vocare ad plura gravioraque... etc. » (M/6175: cf. p. 75, n. 22).

R. — Redactio *num. 14* in suo complexu huic praeoccupationi respondet, etsi non iisdem verbis.

164 — 18 Patres vellent addere: « Sciant sodales se cum Superioribus communitarie co-responsabiles esse de fine instituti vel communitatis attingendo » (M/6087-6104: cf. p. 76, n. 23).

R. — In hunc sensum provisum est in *nn. 4 et 14*.

165 — Unus Pater rogat ut dicatur: « Religiosus, per oboedientiam ... Superioribus suis, *vices Christi gerentibus,* humile pro amore *Dei* praestat obsequium ... » (M/6157: cf. p. 76, n. 24). [54]

R. — Commissio retinuit formulam « vices Dei gerentibus ».

166 — Unus Pater rogat addere in pag. 12, lin. 6: « Inde omnimodo provideatur quod authenticus conceptus oboedientiae religiosae integre servetur » (M/6180: cf. p. 76, n. 25).

R. — Provisum est.

167 — 405 Patres petunt ut « authenticus conceptus oboedientiae religiosae integre servetur » ita ut non concipiatur tamquam « dialogus quo Superior subditum convincere conatur ... » (M/5307-5706; M/6140-6142: cf. p. 76, n. 26; M/6138: cf. p. 77, n. 27; M/6137: cf. p. 77, n. 29).

R. — Provisum est.

168 — Quatuor Patres in eumdem sensum abundantes, petunt addere: « Omni modo provideatur quod authenticus conceptus oboedientiae religiosae integre servetur ... etc. » (M/6134-6136; M/6139: cf. p. 77, n. 28).

R. — Provisum est.

169 — Unus Pater vellet addere aliquam notam « qua principia oboedientiae religiosorum in textu " De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ", capite II, n. 35 affirmata, in hoc textu revocentur » (M/6164: cf. p. 77, n. 30). [55]

Alter petit « ut commemorentur obligationes religiosorum erga Ordinarium loci » (M/6170: cf. p. 78, n. 31).

Tres alii addere vellent: « Virtus oboedientiae Religionem et singulos alumnos ita cum Ordinario Dioecesano ligat, ut exemptio iurisdictionis ... stricte interpretari debeat ... » (M/6173-6174; M/6176: cf. p. 78, n. 32).

R. — Cf. responsum 134.

170 — Unus Pater postulat suppressionem Superiorum ad vitam, etiam Abbatum ...; et repraesentationem subditorum in Capitulis generalibus (M/6159: cf. p. 78, n. 33).

R. — Haec est materia Codicis recognoscendi.

171 — Unus Pater exoptat ut « addantur gravia verba circa libertatem conscientiae in confessione religiosarum ... » (M/6168: cf. p. 78, n. 34).

R. — Provisum est.

172 — Unus Pater vellet addere: « Admittant Superiores relationes minus raras ex parte sodalium cum familiis suis. Praevideantur etiam tempora vacationis ... » (M/6171: cf. p. 79, n. 35).

[55] R. — Non est materia Decreti conciliaris.

173 — Unus Pater vult simpliciter « delere numerum 8 » (M/8326: cf. p. 79, n. 36).

R. — Cf. responsum 158.

Ad prop. 9^{am}: [De renovatione in castitate religiosa].

NUM. 12: [*De castitate*].

174 — Unus Pater petit ut « insistentia maior ponatur in doctrina theologica votorum ... » (M/6826: cf. p. 80, n. 1).

R. — Cf. responsum 147.

[56] 175 — Duo Patres censent melius omittere hunc textum, « nam de " renovatione " vix aliquid habetur » (M/6807-6806: cf. p. 80, n. 2).

R. — Respondetur ut supra in Resp. 158.

176 — Unus Pater proponit textum perficere « verbis adhibitis a Paulo VI in hortatione » ad Superiores Generales, d. 23 maii 1964 prolata (M/6806: cf. p. 80, n. 4).

R. — Redactio *num. 12,* quin ipsa verba Summi Pontificis referat, eiusdem doctrinae consonat. Plus addere non videtur expedire.

177 — 441 Patres petierunt mutationem ordinis consiliorum ita ut in primo loco esset: castitas, deinde paupertas et oboedientia (M/6187-6621; M/6810; M/6817; M/6832-6834; M/6836: cf. p. 80, n. 5).

R. — Provisum est. Cf. Resp. 9.

178 — Unus Pater aestimat totum textum esse reficiendum (M/6832: cf. p. 80, n. 3). Alii ad hoc proponunt novum textum, scilicet: 446 Patres (M/6187-6621; M/6809-6816; M/6817; M/6821; M/6833: cf. p. 80, n. 6). Alius proponit alium textum (M/6834: cf. p. 81, n. 6).

R. — Textus cum *num. 12* retractatus est in eoque ratio habetur modorum praedictorum Patrum prout contextus patiebatur, ita ut etiam valor apostolicus castitatis exprimatur.

179 — Unus Pater, sententiae quae initio legitur: « Castitas " propter regnum caelorum "! ... », vellet addere ibi: « quam *etiam* religiosi profitentur » (M/6823: cf. p. 81, n. 7).

R. — Haec additio non videtur opportuna.

180 — Quinque Patres volunt, in pag. 12, lin. 10 dicere: « eximium *gratiae donum* » (M/6838-6841; 6809: cf. p. 82, n. 8).

R. — Acceptatur.

181 — Unus Pater vult addere post verba: « eximium donum aesti-

manda est», sequentia: «et ferventi amore amplectenda» (M/6828: cf. p. 82, n. 9). [56]

R. — Haec additio non est acceptanda, quia licet «aestimatio» illa ab omnibus haberi debet, «castitas» de qua agitur non ab omnibus est amplectenda.

182 — Unus Pater proponit omittere, in linn. 11-12, referentiam ad I Cor., et loco «liberat» ponatur: «liberare potest» (M/6822: cf. p. 82, n. 10). [57]

R. — Non acceptatur.

183 — Unus Pater vellet addere in lin. 14: (ideoque) «castitas est aptum medium ut religiosus totaliter sese devoveat saluti hominum necnon» (peculiare signum ...) (M/6829: cf. p. 82, n. 11).

R. — In hunc sensum provisum est in novo textu.

184 — Duo Patres vellent omittere linn. 20-23: «ita fit ut doctrinis quae continentiam perfectam ... etc. ... non moveantur» quia «sunt verba inutilia» (M/6825; M/6835: cf. p. 82, n. 12).

R. — Commissio aestimavit conceptum esse retinendum, licet sub alia forma.

185 — Unus Pater vellet delere verba a lin. 20: «ita fit ut ...» usque ad lin. 29 «... Sponsum Christum habet» (M/6827: cf. p. 83, n. 13).

R. — Respondetur ut in resp. praecedenti.

186 — Unus Pater proponit, in lin. 30: loco verborum «naturam humanam radicitus afficiat», dicatur: «quamvis naturae humanae conformis sit ... etc.» (M/6824: cf. p. 83, n. 14).

R. — Aliter providetur in nova redactione.

187 — Unus Pater vellet addere in linn. 30-31: «... nisi, iudicio praesertim Directoris spiritualis» (M/6819: cf. p. 83, n. 15).

R. — Servetur formula generalior.

188 — Unus Pater vellet, ad lin. 33, includere verbum «physica», i. e.: «... cum debita maturitate physica, ...» (M/6820: cf. p. 83, n. 16).

R. — Non acceptatur quia subintelligitur.

189 — Duo Patres volunt addere post lin. 33: «Haec maturitas psychologica atque affectiva adesse nequit, ubi adulescentes (vel puellae) post sic dictas " scholas claustrales " vel " iuvenatos " in novitiatu immediate accipiuntur» (M/6830-6831: cf. p. 83, n. 17).

R. — Non acceptatur. Satis providetur in textu.

190 — Unus Pater vellet addere in lin. 34, post «affectiva»: Nec [58]

[58] quisquam statum castitatis eligere audeat, quia corpus eiusque a Deo datas vires ut amorem matrimonialem despiciat » (M/6836: cf. p. 84, n. 18).

R. — Hoc monitum non videtur hic necessarium.

191 — Unus Pater proponit novum comma quo varia media ad castitatem servandam describuntur (M/6818: cf. p. 84, n. 19).

R. — Satis provisum est in novo textu.

192 — Unus Pater postulat « ut addatur hoc: Extendatur ius consecrationis virginum ad omnes ordines et congregationes feminineas, quae habeant vota perpetua et solemnia » (M/9259: cf. p. 84, n. 20).

R. — Non videtur acceptanda haec propositio.

AD PROP. 10^am^: [DE RENOVATIONE IN PAUPERTATE RELIGIOSA].

NUM. 13: [*De paupertate*].

193 — Unus Pater petit ut « insistentia maior ponatur in doctrina theologica votorum, etc. ... » (M/7422: cf. p. 85, n. 1).

R. — Respondetur ut supra (Resp. 147).

194 — Duo Patres vellent hunc numerum compleri et perfici verbis Pauli VI, in allocutione d. 23 maii 1964 (M/7410: cf. p. 85, n. 2; M/7429: cf. p. 85, n. 6).

R. — Respondetur ut supra (Resp. 176).

195 — Unus Pater autumat totum textum esse reficiendum (M/7411: cf. p. 85, n. 3). Alii Patri textus non placet, quia « deest fundamentum evangelicum *cur* est votum paupertatis et deest explicatio *quod* est paupertas in vita hodierna ... » (M/7426: cf. p. 85, n. 4).

Alius Pater censet quod in propositione deficientia habetur eo quod non loquatur « de hodierna problematica paupertatis religiosae ... » (M/7420: cf. p. 85, n. 7).

Ad textum reficiendum, tunc proponuntur novi textus: a 460 Patribus (M/6842-7297; M/7323-7325; M/7414; cf. p. 86, n. 11); a tribus Patribus (M/7415-7416; M/7430: cf. p. 87, n. 12); a duobus Patribus (M/7394-7395: cf. p. 87, n. 13).

R. — Textus novus redactus est habita ratione horum modorum.

[59] 196 — Unus Pater aestimat necessarium praemittere definitionem paupertatis; nam « prout adest, innumera patitur effugia et interpretationes » (M/7427: cf. p. 85, n. 5).

R. — Omnis definitio est periculosa, et definitio paupertatis religiosae non caret speciali difficultate.

197 — Unus Pater notat « quod proprie paupertas religiosorum reducitur ad oboedientiam ... » (M/7421: cf. p. 86, n. 8). [59]
R. — Haec quaestio non pertinet ad praesens schema.
198 — Duo Patres aestimant hunc numerum nimis negativum « et, saltem pro multis congregationibus, sapere iniustitiam » (M/7417; M/7424: cf. p. 86, n. 9).
R. — Hoc saltem in novo textu non videtur verum.
199 — 454 Patres proponunt mutationem ordinis votorum in sequentem: castitas, paupertas et oboedientia (M/6842-7297; M/7323-7325; M/7414: cf. p. 86, n. 10).
R. — Provisum est. Cf. Resp. 9.
200 — 10 Patres vellent complere hunc numerum addendo quod religiosi debent « e proprio labore » vivere, « immo, inquantum fieri poterit, etiam ad egenorum, societatis et Ecclesiae utilitatem aliquid conferre possint » (M/7355; M/7357; M/7359-7360: cf. p. 87, n. 14; M/7349-7354: cf. p. 88, n. 15).
R. — In hunc sensum provisum est in novo textu.
201 — Tres Patres vellent ut in pag. 12, lin. 36 ad pag. 13, lin. 2, « ... rationes et modi exhibeantur ad renovationem paupertatis religiosae peragendam » (M/7361-7363: cf. p. 88, n. 16).
R. — Novus textus videtur sufficere.
202 — Unus Pater proponit additionem in pag. 12, lin. 39: « ... quod fiet, si, privatione bonorum quibus plerique homines gaudent, acceptabilius sacrificium Deo offerant » (M/7404: cf. p. 89, n. 17).
R. — In hunc sensum provisum est in novo textu.
203 — 11 Patres commendant ut religiosi novas formas paupertatis quaerant ut eorum testimonium in hodierno mundo efficax sit (M/7396-7403: cf. p. 89, n. 18; M/7413: cf. p. 89, n. 19; [60] M/7425: cf. p. 89, n. 20).
R. — Provisum est.
204 — Unus Pater proponit addere in pag. 12, lin. 39, post verbum « pauperes », sequentia: « ut testimonium paupertatis Christi evadant » (M/7432: cf. p. 89, n. 21).
R. — Commissio censuit satis provisum esse in novo textu.
205 — 24 Patres desiderant ut « tractetur diffusius necessitas hodiernis diebus *paupertatis collectivae ...* » (M/7364-7385; M/9531-9531 bis: cf. p. 90, n. 22).
R. — Provisum est in novo textu.
206 — 27 Patres proponunt novam formulam pro normis paupertatis collectivae (M/7298-7322; M/7418: cf. p. 90, n. 23).

[60] R. — Commissio censuit sobrie et sufficienter provisum esse in novo textu.

207 — Sex Patres vellent supprimere omnino distinctionem inter Ordines Mendicantes et alios, et auferre omnem formam mendicitatis « in omnibus institutis religiosis » (M/7386-7390: cf. p. 90, n. 24; M/7428: cf. p. 90, n. 26).

R. — Non pertinet ad praesens schema.

208 — Unus Pater vellet addere, pag. 13, lin. 6, post verba « vitata omni specie luxus », sequentia: « et quaestus, praesertim ostiatim » (M/7419: cf. p. 90, n. 25).

R. — Non acceptatur (cf. Resp. praecedens).

209 — Quatuor Patres desiderant ut in pag. 13, lin. 6: « deleatur verbum " immoderati " » (M/7391-7393; M/7428: cf. p. 91, n. 27).

R. — Non acceptatur.

210 — Unus Pater proponit: 1) omissionem verborum « ... vitata omni specie luxus ... cumulationis »; 2) additionem, post verbum « insumant », sequentium: « ratione praesertim habita necessitatum quibus in aliis regionibus institutum ipsum laboret, ita ut Superioribus Maioribus disponentibus, vero spiritu familiae religiosae domus ad invicem auxilium sibi ferant » (M/7405: cf. p. 91, n. 28).

[61] R. — Quoad primam partem, non acceptatur.
Quoad secundam: provisum est.

211 — Unus Pater vellet addere in fine: « in imitationem Christi Domini, qui non habuit ubi caput requiesceret » (M/7431: cf. p. 91, n. 29).

R. — Commissio censuit sufficienter aliter provisum esse.

212 — Unus Pater vellet in pag. 13, lin. 7, post verba: « ... bonorum cumulationis », addere sequentia: « Cogente necessitate et ipsi sodales institutorum religiosorum ab Ecclesia necessaria ad honestam sustentationem exspectent, praesertim si in bonum Ecclesiarum particularium toti se devovent » (M/7408: cf. p. 91, n. 30).

R. — Non acceptatur.

213 — 24 Patres petunt addere in pag. 13, lin. 8, sequentia: « Qua in re prae oculis habendae sunt conditiones oeconomicae, in quibus societas (natio) versatur » (M/7326-7348; M/7409: cf. p. 92, n. 31).

R. — In hunc sensum provisum est.

AD PROP. 11^{am}: [DE VITA IN COMMUNI DUCENDA]. [61]

NUM. 15: [*De vita in communi*].

214 — Unus Pater optat ut « totus textus reficiatur iuxta observationes Em.mi Card. Döpfner » (M/8470: cf. p. 93, n. 1).

436 Patres hunc in finem proponunt novum textum (M/7433-7852; M/8458-8460; M/8469; M/8484-8485; M/8487-8496: cf. p. 95, n. 10).

R. — Provisum est in novo textu.

215 — Unus Pater vellet ut sit « modus loquendi magis praeceptivus » (M/8475: cf. p. 93, n. 2).

R. — Hic modus probabiliter refertur ad suppressionem classium religiosorum. Commissio vero, omnibus accurate perpensis, censuit caute esse procedendum in hac re quae, in concreto, varia problemata non despicienda ponit.

216 — Unus Pater queritur quod in textu « *deest* explicatio de vita *non* communi, e. g. in institutis saecularibus ..., quia haec vita *solitaria* nunc frequenter necessaria est ... » (M/8474: cf. p. 93, [62] n. 3).

R. — Hic agitur de vita communi in institutis ubi de iure viget rite ordinanda et fideliter observanda; non omnibus institutis imponenda. Ideo, de Institutis saecularibus habetur specialis *num. 11.*

217 — Unus Pater vellet ut « de monasteriis et institutis religiosis mulierum fusius agatur ... » (M/8477: cf. p. 93, n. 4).

R. — Quae dicuntur de omnibus institutis valent etiam, congrua ratione, de institutis mulierum, de quibus praeterea fit explicita mentio variis in locis.

218 — Unus Pater vult ut « evidentius declaretur caritatem Superiorum erga subditos et istorum erga illum primum et maximum esse mandatum ex quo ... etc. » (M/8478: cf. p. 93, n. 5).

R. — Provisum est in *num. 14.*

219 — Unus Pater vellet ut res « tali ordine disponatur ut antea de viris agatur et postea de mulieribus », et hunc in finem novum textum proponit (M/8479: cf. p. 93, n. 6).

R. — Commissio censuit melius esse ut ordo schematis servetur.

220 — Duo Patres proponunt aliam formulam initio propositionis: « Vita in communi ducenda secumfert pertinentiam ad corpus Instituti quo, titulo speciali, exprimitur insertio in corpore mystico et iuridico Ecclesiae ... » (M/7406-7407: cf. p. 94, n. 7).

R. — Hi conceptus exprimuntur variis in locis. De vita in communi, Commissio exaravit de integro ampliorem textum.

[62] 221 — 13 Patres petunt ut Eucharistia praebeatur tamquam centrum fraternitatis christianae in institutis religiosis (M/8449-8457: cf. p. 94, n. 8; M/8480: cf. p. 94, n. 9).

R. — Provisum est.

222 — 483 Patres proponunt mutare linn. 18-19 modo sequenti: « Illi qui Conversi vel alio nomine appellantur et quorum authentica vocatio religiosa ab omnibus magni facienda et promovenda est, vitae et communitatis operibus arcte coniuncti sunt » (M/7959-8431; M/8442-8448; M/8458; M/8461: cf. p. 96, n. 11).

R. — Commissio censuit sufficienter provisum esse in *nn. 10 et 15.*

[63] 223 — Unus Pater vellet addere in lin. 23: « Illi qui conversi ... bene ut veri religiosi agnoscantur, et quoad omnes religiosos vel religiosas ... sensus propriae responsabilitatis efformetur et agnoscatur » (M/8483: cf. p. 6, n. 12).

R. — Quoad aestimationem vocationis conversorum: provisum in Resp. praecedenti.

Quoad sensum responsabilitatis in viris et mulieribus religiosis excolendum, provisum est in *num. 14.*

224 — 468 Patres proponunt addere in lin. 22, post verbum « perveniatur », sequentia: « Si vero diversi ordines personarum aliquando necessarii videantur, illa tantum personarum retineatur diversitas ... etc. » (M/8060-8441; M/8462; M/8465; M/7876-7958: cf. p. 96, n. 13).

R. — Provisum est.

225 — Unus Pater voluisset addere in lin. 20, post verbum « perveniatur », sequentia: « quin omnes sorores ad obligationem chori adstringantur » (M/8481: cf. p. 97, n. 14).

R. — Hoc pendet a singulis institutis, ideo nequit in hoc decreto poni.

226 — 30 Patres petunt ut suppressio classis sororum conversarum obligatorie imponatur, saltem ut ad eam gradatim perveniatur (M/8467: cf. p. 97, n. 15; M/8486: cf. p. 97, n. 16; M/8472: cf. p. 98, n. 17; M/8463: cf. p. 98, n. 18; M/7853-7875: cf. p. 98, n. 19; M/8466: cf. p. 98, n. 20; M/8468: cf. p. 98, n. 21; M/10087: cf. p. 98, n. 22).

R. — Commissio non censuit talem suppressionem ita severe imponere ut supra responsum est (cf. Resp. 215). Attamen rem voluit maiori cum vi urgere, dicendo: « Nisi rerum adiuncta aliud vere suadeant, curandum est ... etc. ».

227 — Unus Pater proponit addere: « In institutis autem virorum conversi non sunt excludendi a moderamine operum sibi con-

venientium nec a iure activo suffragationis in electionibus faciendis nec ab omni participatione in capitulis et consiliis superiorum » (M/8464: cf. p. 99, n. 23). [63]

R. — Commissio censuit sufficienter esse provisum in textu.

228 — Unus Pater vellet addere in lin. 20: « in religionibus apostolicis, si opportunum visum fuerit, ad ordines minores et, in casibus determinatis, studiis sufficientibus peractis, etiam ad diaconatum eleventur » (M/8473: cf. p. 99, n. 24). [64]

R. — Commissio censuit hanc quaestionem non esse tractandam in praesenti schemate.

229 — Unus Pater aestimat quod « except for the missionary orders of men, there is no reason that any Order of men should require as members any more priests than are needed to serve the sacramental needs of the Community » (M/7423: cf. p. 99, n. 25).

R. — Servanda est indoles singulorum institutorum.

230 — Unus Pater vult omittere linn. 23-27: « Virorum autem monasteria ... etc. » (M/8476: cf. p. 99, n. 26).

R. — Haec clausula a multis petita est, praesertim monacis, ut certa via aperiatur non paucis laicis vere excultis.

231 — Unus Pater desiderat paragraphum « de necessitate maioris *otii,* etiam inter parentes suos, pro religiosis, praesertim femineis (M/9258: cf. p. 99, n. 27).

R. — Est potius nimis particularis.

AD PROP. 12[am]: [DE CLAUSURA MONIALIUM].

NUM. 16: [*De clausura monialium*].

232 — Adsunt plures modi qui, modo generali et quasi absque rationibus allatis, ab uno vel duobus tantum Patribus proponuntur, nempe: M/8848: cf. p. 100, n. 1; M/7412: cf. p. 100, n. 1; M/8850: cf. p. 100, n. 3; et, quoad primam partem modorum: M/8855-8856; cf. p. 101, n. 7; M/8845: cf. p. 102, n. 10; M/8851: cf. p. 103, n. 13.

De his modis Commissio rationem habuit in novo textu redigendo.

233 — Unus Pater optaret hanc propositionem de clausura uniri cum illa de vita contemplativa (*num.* 7). (M/8850: cf. p. 100, n. 3).

R. — In praesenti loco melius videtur illam retinere, eo quod agitur non tantum de institutis *unice* contemplativis, sed etiam de aliis monialibus quae operibus externis etiam dedicantur.

234 — Unus Pater proponit « ut clausura non consideretur absolute [65]

[65] sed remaneat compatibilis cum praeparatione antecedenti iuvenum in hodiernis adiunctis » (M/8843: cf. p. 100, n. 4).

R. — Commissio censuit novum textum sufficere.

235 — Tres Patres petunt ut facilius concedatur egressus e clausura « pro bono animae et corporis », et clausura « eximatur a formis extraneis et inveteratis ». Immo, duo ex his Patribus adiungunt ut egressus a clausura concedatur etiam « pro formatione intellectuali » (M/8846: cf. p. 100, n. 5; M/8852-8853: cf. p. 101, n. 6).

R. — Commissio renuit has postulationes prouti sonant in textu inserere, quia ianuam aperiunt nimiae relaxationi clausurae.

236 — Duo Patres rogant ut in prudenti accommodatione clausurae audiantur abbatissae » (M/8855-8856: cf. p. 101, n. 7).

R. — Provisum est.

237 — Unus Pater novam brevissimam formulam vellet substituere praesenti propositioni, scilicet: « Clausura papalis pro monialibus vitae unice contemplativae reformetur iuxta temporum locorumque condiciones. Aliae moniales, operibus apostolatus ex instituto deditae, sic ab ea eximantur ut concreta munera earum apostolatus melius adimplere valeant » (M/8842: cf. p. 102, n. 8).

R. — Commissio censuit illam formulam non esse acceptandam.

238 — 346 Patres petunt addere, post verba « ex instituto deditae », sequentia: « ut concreta munera earum apostolatus melius adimplere valeant » (M/8497-8841: cf. p. 102, n. 9).

R. — Provisum est.

239 — Unus Pater vellet ut « clausura " *monialium* " qui apostolatui sese devovent, sit ut illa Regularium (virorum) plene ministerio suo aptata, hisque religiosis nomen " monialium " non iam applicetur » (M/8845: cf. p. 102, n. 10).

R. — Haec aequiparatio utriusque clausurae monialium et virorum non acceptatur a Commissione, neque suppressio denominationis « monialium » in casu.

[66] 240 — Duo Patres volunt supprimere verbum, lin. 33: « ex instituto »; et unus proponit dicere: « vi constitutionum » (M/8849; cf. p. 103, n. 11; M/8854: cf. p. 103, n. 12).

R. — Non acceptatur.

241 — Unus Pater vellet addere in fine propositionis: « dummodo huiusmodi exemptio non sit in detrimentum vitae contemplativae » (M/8851: cf. p. 103, n. 13).

R. — In novo textu ampliori haec clausula non censetur necessaria.

AD PROP. 13am: [DE HABITU RELIGIOSO]. [66]

NUM. 17: [*De habitu religioso*].

242 — Unus Pater vult ut « textus reficiatur iuxta observationes Em.mi Card. Döpfner » (M/9242: cf. p. 104, n. 1).

R. — Ista propositio est nimis generica.

243 — Duo Patres proponunt diversas normas particulares ad habitum religiosum accommodandum (M/8844: cf. p. 104, n. 2; M/9264: cf. p. 105, n. 11).

R. — Istae vero normae sunt nimis particulares.

244 — Duo Patres de habitu monialium speciatim agunt ita reformando « ut religiosae communitates et sorores vere sint exemplum et testimonium vitae christianae in mundo hodierno » (M/9262: cf. p. 104, n. 3).

R. — Commissio censuit satis provisum esse in textu.

245 — Unus Pater commendat speciatim ut « vitentur formae habitus quae hodie ridiculae omnino videntur » (M/9260: cf. p. 104, n. 4).

R. — Cf. responsum praecedens.

246 — Unus Pater censet verba in linn. 1-4, pag. 14: « et temporum ... » usque ad finem, esse omittenda (M/9256: cf. p. 104, n. 5).

R. — Non acceptatur.

247 — A 9 Patribus proponitur: loco vocis « iudicio Sanctae Sedis », voces: « Auctoritas Ecclesiae competens » (M/9265: cf. p. 105, n. 6); vel: « iudicio Conferentiae Episcopalis et Sanctae Se- [67] dis » (M/9248-9253: cf. p. 105, n. 7); vel: « Conferentiis Episcopalibus » (M/9257: cf. p. 105, n. 8); vel: « aut, Congregationibus suae dioecesis, Episcopi » (M/9263: cf. p. 105, n. 9).

R. — Commissio iudicavit melius esse simpliciter abstinere a mentione auctoritatis competentis.

248 — Unus Pater rogavit addere in pag. 14, lin. 4: « tam pro viris quam pro mulieribus » (M/9261: cf. p. 105, n. 10).

R. — Provisum est.

249 — Unus Pater rogat addere: « Habitus religiosus ... non deponatur sine gravi causa, cum permissu superiorum. Duplex species habitus intra et extra septa monasterii paupertati religiosorum minus convenit ... » (M/9264: cf. p. 105, n. 11).

R. — De habitu religioso deferendo Commissio aestimat sufficere ea quae in Can. 596 Codicis I. C. habentur.

[67] 250 — 393 Patres rogarunt addere: « Habitum religiosum exceptionaliter deponere si vera necessitas et prudentia hoc suadeant, a Superioribus concedi potest » (M/8857-9241; M/9243-9247; M/9254-9255: cf. p. 106, n. 12).
R. — Respondetur sicut in responso praecedenti.

AD PROP. 14^{am}: [DE ALUMNORUM INSTITUTIONE].

NUM. 18: [*De sodalium institutione*].

251 — Unus Pater proponit ut in lin. 8 « pro " alumnorum " scribatur: " sodalium " » (M/9270: cf. p. 108, n. 8).
R. — Acceptatur.
252 — Tres Patres proponunt addere in lin. 22, post secundum comma, sequentia: « Institutio propositum habeat alumnos praeparandi ad synthesim seu unitatem vitae peragendam per harmonicam fusionem eorum omnium ... etc. » (M/9313-9315: cf. p. 111, n. 23).
R. — Acceptatur modus quoad substantiam.
[68] 253 — Unus Pater proponit addere lin. 29: « Moderatores » (M/9274: cf. p. 112, n. 27).
R. — Acceptatur.
254 — Unus Pater proponit ut deleantur verba, lin. 10: « immediate »; lin. 13: « in aptis domibus » (M/9290: cf. p. 108, n. 11).
R. — Acceptatur.
255 — Cum agatur de numero iam approbato in Congregatione Generali, non acceptantur modi qui:

— aut sunt nimis generales et continent nimiam retractationem vel etiam refectionem textus (M/9268: cf. p. 107, n. 1; M/9272: cf. p. 107, n. 2; M/9269: cf. p. 107, n. 3; M/9284; cf. p. 107, n. 4; M/9276: cf. p. 107, n. 5; M/9291: cf. p. 107, n. 6);

— aut praebent materiam nimis particularem (M/9280: cf. p. 108, n. 7; M/9306-9308: cf. p. 108, n. 10; M/9279: cf. p. 109, n. 13; M/9288: cf. p. 109, n. 14; M/9282: cf. p. 112, n. 26; M/9292: cf. p. 112, n. 28; M/9283: cf. p. 113, n. 30);

— aut nimis addunt ad textum approbatum (M/8289: cf. p. 109, n. 12; M/9316: cf. p. 109, n. 16; M/9281, 9285: cf. p. 110, n. 19; M/9275: cf. p. 111, n. 21; M/9286:

cf. p. 113, n. 32; M/9302: cf. p. 113, n. 33; M/9303: cf. [68]
p. 113, n. 34; M/9304: cf. p. 114, n. 35; M/9305: cf. p. 114, n. 36; M/9266-9267: cf. p. 110, n. 20; M/9273: cf. p. 111, n. 22; M/9278: cf. p. 112, n. 29);

— aut tractant de materia quae pertinet potius ad alias propositiones, vel alibi iam tractatur (M/9297-9300: cf. p. 108, n. 9; M/9271: cf. p. 109, n. 15; M/9277: cf. p. 112, n. 25; M/9311-9312: cf. p. 110, n. 17; M/9287: cf. p. 111, n. 24; M/9276: cf. p. 107, n. 5; M/9292-9297: cf. p. 110, n. 18).

AD PROP. 15am: [DE NOVIS INSTITUTIS CONDENDIS].

NUM. 19: [*De novis institutis condendis*].

Ex 12 modis circa hanc propositionem, duo acceptati fuerunt.

256 — Unus Pater rogat ut in pag. 14, linn. 32-36, loco « In novis institutis promovendis ... aut sufficienti vigore orbata », dicatur:
« In novis institutis *approbandis* (vel: condendis) ... aut *insufficienti* vigore *praedita* » (M/9392: cf. p. 117, n. 9). [69]

R. — Acceptatur « condendis », loco « promovendis ».

257 — 79 Patres proponunt textum, in pag. 14, linn. 37-38, sic complere: « Etiam in novellis Ecclesiis *vita religiosa promoveatur et* formae vitae religiosae excolantur ... etc. » (M/9309-9310; M/9317-9391: cf. p. 117, n. 10).

R. — Acceptatur addere: « formae vitae religiosae promoveantur ».

258 — Modi M/9396 et M/9402-9408 (cf. p. 115, nn. 2 et 3) asserunt nova instituta religiosa esse promovenda et fundanda, etiamsi initia sunt humilia.

R. — Hoc subintelligitur in textu ex natura rei.

259 — Unus Pater in pag. 14, lin. 37, vellet dicere: « *Ubicumque contingerit nova instituta erigere,* formae vitae ... » (M/9409: cf. p. 117, n. 11).

R. — Implicite continetur in textu.

260 — Unus Pater vellet dicere in fine: « In novellis Ecclesiis, antiqui ordines in fundationibus suis ne teneantur obligationibus quibus subduntur in Europa. Sic, monachi ne teneantur linguam latinam retinere in officio divino » (M/9410: cf. p. 118, n. 12).

R. — Patet hoc nimiam additionem secumferre, et quidem de rebus nimis particularibus, ut accipiatur in textu iam approbato.

[69] 261 — Ceteri modi non acceptantur quia:

— aut modo valde generali quid asserunt nec ratione comprobatum (M/9393: cf. p. 115, n. 1; M/9398: cf. p. 115, n. 4; M/9394: cf. p. 115, n. 5; M/9395: cf. p. 116, n. 7);

— aut ad alias res referuntur: M/9397 (cf. p. 116, n. 6) refertur ad prop. 11: de vita in communi; M/9399 (cf. p. 116, n. 8) refertur ad instituta saecularia, de quibus agit novus *num. 11*.

[70] AD PROP. 16am: [DE OPERIBUS PROPRIIS SERVANDIS, ACCOMMODANDIS VEL RELINQUENDIS].

NUM. 20: [*De operibus propriis servandis, accommodandis vel relinquendis*].

Ex 32 modis circa hanc propositionem allatis, plures acceptati sunt, sed ex iis plerique de eadem re agunt ut infra patebit. Ceteri non fuerunt admissi quia contrarii textui iam approbato aut proponentes nimis notabiles mutationes.

262 — Modi sequentes, referentes ad Observationem Em.mi Card. Landázuri, petunt ut addatur: « ... opera propria quibus iam utilitate Ecclesiae et dioecesium » ... (M/9514: cf. p. 119, n. 5; M/9513: cf. p. 122, n. 13; M/9520: cf. p. 122, n. 17; M/9524: cf. p. 123, n. 18; M/9507: cf. p. 123, n. 19; M/9506: cf. p. 123, n. 21; M/9504: cf. p. 124, n. 22; M/9503: cf. p. 124, n. 23).

R. — Acceptatur.

263 — Plures modi non acceptantur quia:

— aut modo generali loquuntur (M/9526: cf. p. 119, n. 4; M/9518: cf. p. 124, n. 25);

— aut proponunt quasdam additiones sive nimis generales sive pertinentes ad materiam aliorum numerorum (M/9521: cf. p. 122, n. 15; M/9522: cf. p. 123, n. 20; M/9506; cf. p. 123, n. 21).

— aut ad praesentem materiam non sese referunt: M/9434-9448 (cf. p. 125, n. 32): de distinctione inter Ordines et Congregationes supprimenda; M/9517, M/9512, M/9505 (cf. p. 120, nn. 6, 7, 8): de opera pastorali religiosorum sub regimine Episcoporum, vel inter se concordanter explenda, praesertim de sic dicta v. « pastorale d'ensemble »: haec materia

locum habet in schemate « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ». [70]

264 — Unus Pater petit ut inseratur, lin. 7: « ... illis autem relictis operibus quae *vel obsoleta sunt vel* cum instituti spiritu et germana indole hodie minus sint consentanea » (M/9491: cf. p. 122, n. 16).

R. — Commissio censuit implicite id contineri in textu.

265 — 8 Patres proponunt novam redactionem pro lin. 10 et seq. (M/9400; M/9467-9471; M/9473-9474: cf. p. 121, n. 11). [71]

R. — Haec pars transfertur in *num. 2* ut in proprio loco, eadem forma servata.

266 — 8 Patres vellent addere in lin. 12, post verbum « Liturgica » vel « biblica », verbum « catechetica » (M/9480-9484; M/9501; M/9515-9516: cf. p. 121, n. 12).

R. — Non acceptatur; ceterum propositio translata est in *num. 2, c*).

267 — 11 Patres vellent hanc propositionem supprimere saltem ex parte et in hoc loco (M/9475-9479; M/9511; M/9498-9500; M/9496-9497: cf. p. 119, nn. 1, 2, 3).

R. — Stante approbatione, propositio supprimi nequit, et secundum comma translatum est in *num. 2, c*).

268 — 31 Patres petunt ut non insistatur quod opera propria sunt retinenda, sed accommodanda (M/9412-9433; M/9492-9497; M/9485; M/9509: cf. p. 120, nn. 9 et 10).

R. — Hoc est contra sensum propositionis iam approbatae.

269 — Unus Pater rogat ut in linn. 10-13 omittatur verbum « tenentur » et dicatur: « suadentur » (M/9502: cf. p. 124, n. 24).

R. — Non acceptatur; ceterum propositio translata est in *num. 2, c*).

270 — Unus Pater rogat delere vocem « vero » in lin. 14 (M/9525: cf. p. 124, n. 26).

R. — Acceptatur.

271 — Quatuor Patres petunt ut addatur « verbis et praesertim exemplo », vel quid simile, in linn. 17-18 (M/9487; M/9515-9516: cf. p. 124, nn. 27, 28; M/9508: cf. p. 125, n. 29; M/9510: cf. p. 122, n. 14).

R. — Haec materia spectat ad schema de Missionibus.

272 — 21 Patres petunt ut addatur aliquid de laicis in missionibus et de opera missionali fovenda (M/9523; M/9411; M/9449-9466: cf. p. 125, nn. 30, 31).

R. — Haec materia spectat ad schema de Missionibus.

[72] AD PROP. 17am: [DE INSTITUTIS ET MONASTERIIS LANGUESCENTIBUS]

NUM. 21: [*De institutis et monasteriis languescentibus*].

273 — 41 Patres petunt interventum hierarchiae localis, una cum Sancta Sede, in institutis vel monasteriis languescentibus supprimendis, quod variis modis proponitur:

— generico modo (M/9583: cf. p. 128, n. 8);

— petunt interventum cumulativum, scilicet, iudicio Ordinarii loci et S. Sedis (M/9579-9582; M/9530; M/9532; M/9537-9543; M/9568: cf. p. 127, nn. 5, 6; M/9519: cf. p. 129, n. 13);

— petunt interventum disiunctivum, scilicet: S. Sedis vel competentis Episcopi localis, si agitur de congregatione iuris dioecesani (M/9527; M/9544-9567: cf. p. 128, n. 7).

Unus autem Pater in suo modo, interventum potius Ordinariorum locorum quam Sanctae Sedis requirit (M/9486: cf. p. 129, n. 14).

R. — Commissio censuit satis provisum esse in novo textu.

274 — 11 Patres penitus reiiciunt totum textum propositionis (M/9586; M/9569-9578: cf. p. 127, nn. 3, 4).

Unus alius vellet ut numerus reficiatur ac perficiatur iuxta disceptationes in Aula habitas (M/9529: cf. p. 127, n. 2).

Alius nihil in concreto proponit (cf. Interv. F/41).

R. — Stat textus approbatus.

AD PROP. 18am: [DE UNIONE INTER INSTITUTA FOVENDA].

NUM. 22: [*De unione inter instituta fovenda*].

Commissio censuit nihil esse immutandum in hac propositione.

De modis autem circa eamdem praesentatis sic rationem reddit.

275 — Non acceptantur modi petentes refusionem textus (M/9591; M/9590; M/9615: cf. p. 130, nn. 1, 2, 3).

276 — Aliqui postulant res ad obiectum huius propositionis non spectantes, propterea hic non acceptandas: saltem in praesenti propositione:

[73] a) — De non condendis novis institutis (M/9589: cf. p. 130, n. 4).

R. — Refertur ad *num. 19*.

b) — De unionibus religionum eiusdem generis sub Episcopo et hierarchia nationali (M/9593: cf. p. 132, n. 11; M/9592: cf. p. 132, n. 12). [73]
R. — Nimis mutat textum approbatum.
c) — Petitur ut Episcopus communicet cum religiosis suae dioecesis (M/9620: cf. p. 132, n. 14).
R. — De hac re agitur expresse in schemate « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».
d) — Petitur fusio seu concentratio parvorum seminariorum pro efficaciore institutione (M/9588; M/9598-9614: cf. p. 133, n. 15).
R. — Nimis addit textui approbato.
e) — Etiam inter instituta et monasteria dissimilia fovendum est « intercambium » (M/9587: cf. p. 133, n. 16).
R. — Nimis addit textui approbato.
f) — Unus Pater vult ut a lege clausurae dispensetur ad adsistendum congressibus, etc. (M/9594: cf. p. 133, n. 18).
R. — Cf. responsum 235.
g) — Unus Pater vult ut « consulentur foederationes monialium dependentes a regularibus cum agitur de renovatione facienda (M/9619: cf. p. 133, n. 17).
R. — Provisum est in *num. 4*.

277 — Unus Pater aestimat quod hierarchia localis et nationalis potest melius quam S. Sedes iudicare de quaestione suppressionis, unionis, etc. (M/9486: cf. p. 133, n. 19).
R. — Textus receptus a Congregatione Generali affirmat tantum necessitatem approbationis S. Sedis; ea quae praerequiruntur determinari poterunt in legislatione futura.

278 — Unus Pater petit ne procedatur ad « uniones seu fusiones nisi cum omnimodo sodalium consensu (M/9617: cf. p. 131, n. 5).
R. — Subintelligitur in textu approbato, in hunc sensum provisum. Cf. etiam *num. 4*.

279 — Aliqui postulant res praeter textum, sed nimis graves vel difficiles ut introducantur in textu iam approbato, quem sic notabiliter mutarent:
a) — Post verbum « se » (lin. 31), inserantur verba « praesertim intra unamquamque dioecesim » (M/9621: cf. p. 131, n. 8). [74]
b) — Expresse proponatur scopus harum foederationum, unionum, associationum (M/9616: cf. p. 132, n. 10).
c) — Unus Pater petit Commissionem post-conciliarem quae

[74] studeat et proponat S. Sedi quid in singulis casibus agendum sit (M/9589: cf. p. 130, n. 4).

d) — Unus Pater proponit ut loco « Monasteria promoveant foederationes » dicatur: « foederentur » (M/9595: cf. p. 131, n. 6).

e) — Unus Pater proponit ut in fine addatur: « aut etiam si in eadem natione vel regione apostolatum exercent » (M/9618: cf. p. 131, n. 9).

280 — Unus Pater petit ut in lin. 30, loco « Sancta Sede », dicatur: « Auctoritate ecclesiastica competenti » (M/9597: cf. p. 131, n. 7).

R. — Cf. responsum 277.

281 — Unus Pater proponit dicere: « Episcopo vel Ordinario consulto » (M/9596: cf. p. 132, n. 13).

R. — Cf. responsum 277.

AD PROP. 19am: [DE SUPERIORUM MAIORUM CONFERENTIIS].

NUM. 23: [*De Superiorum maiorum Conferentiis*].

282 — Ex 34 modis et interventionibus Patrum (cf. Interv. S/41-42) hanc propositionem spectantibus, maior pars modorum (nn. 3, 5-27: p. 134-139) cum praedictis interventionibus idem substantialiter proponunt, nempe, quod inter Conferentias Superiorum maiorum et Conferentias Episcopales, sive regionales sive nationales, congrua foveatur adlaboratio et coordinatio, quod attinet ad externam activitatem pastoralem religiosorum, ita ut cum de hoc negotio agitur:

a) — vel in Conferentia Superiorum maiorum admittatur Episcopus delegatus ad hoc a Conferentia Episcopali;

b) — vel eadem negotia tractentur in Commissione mixta;

c) — vel in utraque Conferentia, sive Superiorum maiorum, sive Episcoporum, utrinque habeatur proprius repraesentans delegatus saltem cum agitur de negotiis quae utriusque partis competentiam spectat;

[75] d) — vel ut de actis in Conferentia Superiorum maiorum, relate ad activitatem pastoralem, referatur in Conferentia Episcoporum.

Ita 33 Patres qui praedictos modos praesentarunt.

R. — Ad haec diversa vota inquantum possibile erat satisfacienda, Commissio addidit sequentem clausulam: « congrua instaurata

coordinatione et cooperatione cum Conferentiis episcopalibus quoad exercitium apostolatus ». [75]

Id consonat iis quae in Decreto « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » habentur hac de re.

283 — Duo Patres petunt ut textus plane recognoscatur iuxta observationes factas in Aula (M/9683; M/9684: cf. p. 134, nn. 1, 2).

R. — Non acceptatur quia textus iam approbatus est.

284 — 10 Patres proponunt novam redactionem huius propositionis (M/9622-9631: cf. p. 134, n. 4).

R. — Cf. responsum praecedens.

285 — 26 Patres proponunt novam clausulam propositioni addendam, qua petitur ut « in regionibus (peculiaribus) ... speciales tribuantur a S. Sede facultates Conferentiis Nationalibus Episcoporum ... » (M/9636-9661: cf. p. 139, n. 28).

R. — Esset nimia additio textui approbato, quae de cetero materiam continet quae ad schema « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia » potius pertinet.

286 — Tres Patres postulant, ut ad Conferentias Superiorum maiorum convocentur quoque Superiores maiores religionum laicalium et Superiores societatum vitae communis sine votis (M/9666; M/9676; M/9675: cf. p. 140, nn. 29, 30, 31).

R. — Subintelligitur in textu.

287 — Unus Pater vellet ut provideantur « etiam adunationes magistrorum ac magistrarum novitiatus » (M/9685: cf. p. 140, n. 33).

R. — Propositio nimis particularis.

288 — Unus Pater vellet inserere clausulam: « Religiosi et Religiosae omnino vitent dare impressionem laicis et clero dioecesano se formare dioecesim quandam intra dioecesim independentem ab [76]
Ordinario loci » (M/10209: cf. p. 141, n. 34).

R. — De hac materia agitur in Decreto « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».

AD PROP. 20^{am}: [DE VOCATIONE RELIGIOSA FOVENDA].

NUM. 24: [*De vocatione religiosa fovenda*].

Commissio censuit hunc numerum intactum servare, addita tantum clausula finali, quia iam approbatum a Congregatione Generali.

[76] De modis circa hunc numerum, sic redditur ratio:

289 — Duo Patres petunt ut hic numerus reficiatur et perficiatur. (M/10132; M/10106: cf. p. 142, nn. 1, 2).

R. — Non acceptatur.

290 — Unus Pater petit ut « in hoc numero vel in alio specialiter affirmetur momentosum munus institutorum Fratrum et Sororum doctrinae christianae » (M/10128: cf. p. 142, n. 8).

R. — Provisum est in *num. 10.*

291 — 9 Patres postulant ut initio citentur verba Pauli VI: « ... quo impensius officium laicorum ... » etc. (M/10108-10116: cf. p. 144, n. 15).

R. — Non pertinet ad istum numerum.

292 — Unus Pater proponit ut in linn. 11-12 dicatur: « Sacerdotes ... ut vocationibus *tum ad vitam religiosam tum ad apostolicam consecrationem* congruenter ... » (M/10218: cf. p. 144, n. 18).

R. — Textus agit de vocationibus religiosis in ampla acceptione saepe indicata.

293 — 430 Patres tractant, sensu saepe contrario, de disciplina canonica respectu rationis agendi in candidatis conscribendis, horumque libertatis tuendae, necnon auctoritatis hierarchiae territorialis exercendae (M/10104: cf. p. 142, n. 3; M/10098; M/9694-10052; M/10061-10076; M/10089; M/10086; cf. p. 146, nn. 26, 27, 28; M/10053-10060; M/10108-10116; M/10095-10097: cf. p. 147, nn. 29, 30, 31; M/10099;
[77] M/10118-10120; M/10117; M/10142; M/10067-10076: cf. p. 148, nn. 32, 33, 34, 35; M/10123; M/10135-10138: cf. p. 149, n. 36; M/10090-10091; M/10133; M/10139; M/10141; M/10134; M/10140; M/10143: cf. p. 150, nn. 37, 38, 39; M/10144; M/10101: cf. p. 151, nn. 40, 41.

R. — Videtur sufficienter provisum in textu a Congregatione Generali iam probato, ubi supponuntur normae a Sancta Sede et ab Ordinario loci traditae.

294 — 8 Patres proponunt inserere aliquam reprobationem impugnantium ingressum in religionem vel coelibatum ecclesiasticum (M/10103: cf. p. 142, n. 4; M/10124; M/10122: cf. p. 143, nn. 9, 10; M/9695; M/10218: cf. p. 144, nn. 16, 18; M/10094: cf. p. 151, n. 43).

R. — Subintelligitur in textu.

295 — 5 Patres commendant ut viribus unitis cooperentur quotquot incumbunt conquirendis vocationibus sive religiosis, sive cleri-

calibus (M/10107; M/10125; M/10121; M/10093: cf. p. 143, nn. 11, 12, 13, 14; M/10086: cf. p. 144, n. 17). [77]

R. — Pertinet ad normas dandas.

296 — Tres Patres requirunt theologicam explicationem de conquirendis vocationibus (M/10122: cf. p. 143, n. 10; M/10092: cf. p. 144, n. 19; M/10089: cf. p. 145, n. 21).

R. — Textus practice rem considerat.

297 — 376 Patres petunt ut in linn. 21-22, post verba « candidatos quaerere », addantur sequentia: « praesertim in scholis »; uno addente: « catholicis » (M/9694-10052; M/10061-10076; M/10089: cf. p. 146, n. 27).

R. — Hoc pertinet ad normas dandas.

298 — 368 Patres proponunt addere, in lin. 15: « Cavendum ergo est ne ob doctrinam de universali fidelium vocatione ad sanctitatem germana notio vitae religiosae, ut semper in Ecclesia viguit, obscuretur... etc. » (M/9694-10052; M/10077-10085: cf. p. 144, n. 20).

R. — Sensus horum verborum subintelligitur in textu approbato.

299 — Unus Pater addere vellet in lin. 20: « Ratione habita mirabilis dispositionis Dei, cuius est vocare ad statum sacerdotalem vel ad statum religiosum, Institutis fas est sui... » etc. (M/10105: [78] cf. p. 146, n. 25).

R. — Textus probatus agit de his quae homines debent facere « ratione habita mirabilis dispositionis Dei ».

ALII MODI PRAETER PROPOSITIONES SCHEMATIS

300 — 5 Patres petierunt ut de EREMITIS textus addatur, saltem in Prooemio (M/10213: cf. p. 152, n. 1; M/10214; M/10212; M/10215-10216: cf. p. 156, nn. 2, 3, 4).

R. — Cf. responsum 16.

301 — 32 Patres proposuerunt textum novae propositionis cum titulo: « Aptior Cleri religiosi distributio » (M/9488-9490; M/10145-10170: cf. p. 156, n. 1).

R. — Commissio censuit satis provisum esse in *num. 23*.

302 — 134 Patres postulant novum textum relate ad vitam religiosam laicalem, praesertim quoad Fratres docentes (M/6786-6805; M/4764-4768; M/4770-4816; M/4819-4820; M/3728-3729; M/3731-3783; M/4821: cf. p. 157, nn. 1, 2, 3; M/10211: cf.

[78] p. 158, n. 4; M/47: cf. p. 4-5, n. 9; M/4846: cf. p. 159, n. 6; M/10210: cf. p. 160, n. 7).

R. — Provisum est in novo *num. 10.*

303 — Tres Patres petunt ut non nominentur in schemate « Instituta saecularia »; ideoque haec verba deleantur ubi inveniuntur; unus ex iis addit: « vel titulus schematis sic mutetur: " De iis qui consilia evangelica profitentur " ». Ratio est quia « sodales institutorum saecularium inter laicos, non inter religiosos numerantur » (M/10201; M/40; M/10206: cf. p. 163, nn. 1, 2, 3).

R. — Non acceptatur (cf. modum sequentem).

304 — 40 Patres rogant ut de Institutis saecularibus fusius et separatim a religiosis proprie dictis tractetur; inter hos, tres textus formam proponunt (M/10184; M/10183; M/10207; M/10208: cf. p. 164, nn. 4, 5, 6, 7; M/10180; M/10182; M/10204; M/10177; M/10174; M/10176; M/8-16; M/3936; M/10178; M/10185; M/10187-10200: cf. p. 165, nn. 8, 9, 10, 11, 12, 13;
[79] M/10172-10173-bis: cf. p. 167, n. 20; M/10203: cf. p. 167, n. 21).

R. — Provisum est in novo *num. 11.*

305 — Duo Patres vellent addere aliquam clausulam de secreto quo haec Instituta saecularia generatim adstringuntur (M/10181: cf. p. 167, n. 17; M/9686: cf. p. 140, n. 32).

R. — Commissio censuit hanc quaestionem particularem disciplinae canonicae explanandae relinquere.

QUAESITA PARTICULARIA

AD NUMEROS TEXTUS SCHEMATIS A PATRIBUS IN AULA CONCILIARI « IUXTA MODUM » APPROBATOS VEL EXPOSTULATOS

1. *An placeat ut textus primo loco positus* (in hoc fasciculo, pag. 5, linn. 1-18) *ita immutetur ut*

loco

Sacrosancta Synodus, postquam in Constitutione « de Ecclesia » ostendit sanctitatis prosecutionem per consiliorum evangelicorum professionem a Divini Magistri doctrina et exemplis originem ducere et tamquam signum Regni caelestis apparere, nunc de Religionum, atque, indole propria servata, Societatum vitae communis et Institutorum Saecularium vita ac disciplina intendit agere eorumque necessitatibus, prout tempora nostra suadent, providere.

Quae vero in his propositionibus continentur respiciunt tantum principia generaliora accommodatae renovationis vitae ac disciplinae religiosae. Normae particulares pro eorumdem congrua expositione et applicatione post Concilium a competente auctoritate statuendae erunt.

legatur *

1. Sacrosancta Synodus, postquam in Constitutione « De Ecclesia » ostendit *caritatis perfectae* prosecutionem per *consilia evangelica* a Divini Magistri doctrina et exemplis originem ducere et tamquam *praeclarum* signum Regni caelestis apparere, nunc *de vita ac disciplina institutorum, quorum sodales castitatem paupertatem et oboedientiam profitentur,* intendit agere eorumque necessitatibus, prout tempora nostra suadent, providere.

Inde ab exordiis quidem Ecclesiae fuerunt viri ac mulieres, qui per praxim consiliorum evangelicorum Christum maiore cum libertate sequi pressiusque imitari intenderunt et suo quisque modo vitam Deo dicatam duxerunt, e quibus multi, Spiritu Sancto afflante, vel vitam solitariam degerunt vel familias religiosas suscitaverunt, quas Ecclesia sua auctoritate libenter suscepit et adprobavit. Unde e consilio divino mirabilis varietas coetuum religiosorum succrevit, quae valde contulit, ut Ecclesia, non solum ad omne opus bonum instructa (cf. 2 *Tim.* 3, 17) *et ad opus ministerii in aedificationem Corporis Christi* (cf. *Eph.* 4, 12) *parata sit, sed etiam variis donis filiorum suorum decorata appareat sicut sponsa ornata viro suo*

* Emendationes, a Commissione introductae, litteris *inclinatis* seu *italicis* significantur.

legatur

(cf. *Apoc.* 21, 2) *et per eam innotescat multiformis sapientia Dei* (cf. *Eph.* 3, 10).

In tanta autem donorum varietate omnes, qui ad praxim consiliorum evangelicorum a Deo *vocantur eademque fideliter profitentur, Domino se peculiariter devovent, Christum sequentes, qui virgo et pauper* (cf. *Mt.* 8, 20; *Lc.* 9, 58) *per oboedientiam usque ad mortem Crucis* (cf. *Phil.* 2, 8) *homines redemit et sanctificavit. Ita caritate impulsi, quam Spiritus Sanctus in cordibus eorum diffundit* (cf. *Rom.* 5, 5), *magis magisque vivunt Christo et corpori Eius quod est Ecclesia* (cf. *Col.* 1, 24). *Quo ferventius ergo tali sui donatione quae totam vitam complectitur, Christo coniunguntur, eo uberior fit vita Ecclesiae et apostolatus eius vegetius fecundatur.*

Ut autem praestans valor vitae per consiliorum professionem consecratae eiusque necessarium munus in praesentis temporis adiunctis ad maius Ecclesiae bonum cedat, haec Sacra Synodus sequentia statuit, quae nonnisi principia generalia respiciunt accommodatae renovationis vitae ac disciplinae *religionum atque, propria indole servata, societatum vitae communis sine votis et institutorum saecularium.* Normae *vero* particulares pro eorumdem congrua expositione et applicatione post Concilium a competenti auctoritate statuendae sunt.

2. *An placeat ut textus numeri 1* (in hoc fasciculo, pag. 6, linn. 27-34) *ita immutetur ut*

loco

1. Cuiusvis instituti spiritualis ac religiosa renovatio atque eius ad praesentes vitae condiciones accommodatio promovendae sunt, Sancta Matre Ecclesia duce, secundum Evangelium et

legatur

2. *Accommodata renovatio vitae religiosae simul complectitur et continuum reditum ad omnis vitae christianae fontes primigeniamque institutorum inspirationem et aptationem ipso-*

loco

Christi sequelam tamquam supremam regulam, attentisque Fundatorum propositis ac genuino spiritu.

legatur

rum ad mutatas temporum condiciones. Quae renovatio, sub impulsu Spiritus Sancti et Ecclesia duce, promovenda est secundum principia quae sequuntur:

a) *Cum vitae religiosae ultima norma sit Christi sequela in Evangelio proposita, haec ab omnibus institutis tamquam suprema regula habeatur.*

b) *In ipsum Ecclesiae bonum cedit ut instituta peculiarem suam indolem ac munus habeant. Ideo fideliter agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt.*

c) *Omnia instituta vitam Ecclesiae participent, eiusque incoepta et proposita ut in re biblica, liturgica, dogmatica, pastorali, oecumenica, missionali et sociali, iuxta propriam suam indolem, sua faciant et pro viribus foveant.*

d) *Instituta, de hominum temporumque condicionibus deque Ecclesiae necessitatibus, congruam cognitionem apud sodales suos promoveant; ita ut mundi huius aetatis adiuncta in lumine fidei sapienter diiudicantes, atque zelo apostolico exardescentes, efficacius hominibus subvenire valeant.*

e) *Cum vita religiosa ante omnia ad hoc ordinetur ut sodales Christum sequantur et Deo uniantur per professionem consiliorum evangelicorum, serio perpendendum est optimas accommodationes ad necessitates temporis nostri peractas effectum non sortiri, nisi animentur renovatione spirituali, cui semper etiam in operibus externis promovendis primae partes tribuendae sunt.*

3. *An placeat ut textus numeri* 2 (in hoc fasciculo, pag. 7, linn. 25-39) *ita immutetur ut*

loco

2. Fideliter serventur natura, finis, spiritus proprius necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt. At ratio vivendi, operandi et orandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon apostolatus necessitatibus, animi culturae requisitis et circumstantiis socialibus et oeconomicis, praesertim in locis missionum, aptanda est. Quapropter, prout necessarium fuerit, Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria », libri precum et caerimoniarum aliique id genus codices congruenter recognoscantur.

legatur

3. Ratio vivendi, orandi et operandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon, *prout ab indole cuiusque instituti requiritur,* apostolatus necessitatibus, culturae *exigentiis,* circumstantiis socialibus et oeconomicis, *ubique,* praesertim in missionum locis, *apte conveniat.*

Secundum eadem criteria examini quoque subiiciatur regiminis ratio institutorum.

Quapropter constitutiones, « directoria », libri *usuum,* precum et caeremoniarum aliique id genus codices, congruenter recognoscantur *atque, iis praescriptis suppressis quae obsoleta sint, documentis huius Sacrae Synodi aptentur.*

4. *An placeat ut textus numeri 3* (in hoc fasciculo, pag. 8, linn. 1-5) *ita immutetur ut*

loco

3. Efficax autem renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus, moderante vero competenti auctoritate.

legatur

4. Efficax renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus.

Normas autem accommodatae renovationis statuere et leges ferre, necnon sufficienti prudentique experientiae locum dare, competentium tantum auctoritatum est, praesertim capitulorum generalium, salva, quatenus necessaria sit, approbatione Sanctae Sedis aut Ordinariorum locorum, ad normam iuris. Superiores vero, in his quae ad totius instituti sortes spectant, sodales suos apto modo consulant et audiant.

Pro accommodata renovatione monasteriorum monialium, vota et consulta etiam a con-

legatur

sessibus foederationum aut ab aliis conventibus legitime convocatis obtineri poterunt.

Meminerint tamen omnes spem renovationis ponendam esse magis in diligentiore regulae et constitutionum observantia quam in multiplicandis legibus.

5. *An placeat ut textus numeri 7* (in hoc fasciculo, pag. 8, linn. 22-29) *ita immutetur ut*

loco

7. Religiosi, quamvis in variis et in dies difficilioribus vitae circumstantiis degant, Christum oboedientem, virginem et pauperem imitantes Eiusque praesentiam in hoc mundo speciali modo testificantes, sese renovent in oboedientia, castitate et paupertate quam professi sunt.

legatur

5. *Cuiusvis instituti sodales mente recolant* imprimis se professione consiliorum evangelicorum vocationi divinae responsum dedisse, ita *ut, non solum peccato mortui* (cf. *Rom.* 16, 11) *sed etiam mundo renuntiantes, soli Deo vivant. Totam enim vitam suam Eius famulatui mancipaverunt, quod quidem constituit peculiarem quamdam consecrationem, quae in baptismatis consecratione intime radicatur eamque plenius exprimit.*

Cum autem haec suiipsius donatio ab Ecclesia suscepta sit, eius etiam servitio sese sciant addictos.

Qui Dei famulatus exercitium virtutum in eis urgere ac fovere debet, praesertim humilitatis et oboedientiae, fortitudinis et castitatis, quibus Christi exinanitio (cf. *Phil.* 2, 7) *simulque Eius vita in spiritu* (cf. *Rom.* 8, 1-13) *participantur.*

Religiosi ergo, suae professioni fideles, omnia propter Christum dimittentes (cf. *Mc.* 10, 28), *Ipsum tamquam unum necessarium* (cf. *Lc.* 10, 42) *sequantur* (cf. *Mt.* 19, 21), *Eius verba audientes* (cf. *Lc.* 10, 39), *de iis quae Eius sunt solliciti* (cf. *1 Cor.*, 7, 32).

Quapropter cuiuslibet instituti sodales, Deum prae omnibus et unice quaerentes, con-

legatur

templationem, qua Ei mente et corde adhaereant, cum amore apostolico, quo operi Redemptionis adsociari Regnumque Dei dilatare nitantur, coniungant oportet.

6. *An placeat ut textus numeri 4* (in hoc fasciculo, pag. 9, linn. 15-22) *ita immutetur ut*

loco

4. Omnes qui evangelica consilia profitentur, credentes « caritati quam habet Deus in nobis » (*1 Io.* 4, 16), ante omnia, assiduo studio fortique animo consequi nitantur perfectum Dei amorem, ex quo proximi dilectio profluit in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem.

legatur

6. Qui evangelica consilia profitentur *Deum qui nos prior dilexit* (cf. *1 Io.* 4, 10) ante omnia *quaerant ac diligant et in omnibus rerum adiunctis fovere studeant vitam absconditam cum Christo in Deo* (cf. *Col.* 3, 3), *unde* profluit *et urgetur* proximi dilectio in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem. *Hac caritate etiam ipsa praxis consiliorum evangelicorum animatur et regitur.*

Quapropter institutorum sodales spiritum orationis et orationem ipsam, haurientes e germanis spiritualitatis christianae fontibus assiduo studio colant. Imprimis vero Sacram Scripturam quotidie prae manibus habeant, ut divinarum scripturarum lectione et meditatione « eminentem scientiam Iesu Christi » (*Phil.* 3, 8) *ediscant. Sacram Liturgiam, praesertim sacrosanctum Eucharistiae mysterium, ad mentem Ecclesiae corde et ore peragant atque ex hoc ditissimo fonte vitam spiritualem alant.*

Ita in mensa divinae Legis et sacri altaris refecti Christi membra fraterne ament, pastores spiritu filiali revereantur atque diligant; magis magisque vivant et sentiant cum Ecclesia eiusque missioni totaliter se devoveant.

7. *An placeat ut textus numeri 5* (in hoc fasciculo, pag. 10, linn. 1-7) *ita immutetur ut*

loco

5. Instituta vitae contemplativae suas partes in Corpore Mystico Christi semper habent, atque, sua vocatione, quae plene totaque apostolica est, uberrimos sanctitatis fructus Ecclesiae afferunt. At etiam ipsa in ratione formaque vitae suae sese renovent.

legatur

7. *Instituta quae integre ad contemplationem ordinantur, ita ut eorum sodales in solitudine ac silentio, in assidua prece et alacri poenitentia soli Deo vacent, in Corpore Christi mystico, in quo « omnia membra non eumdem actum habent »* (*Rom.* 12, 4), *quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas, praeclaram partem semper retinent. Deo enim eximium laudis sacrificium offerunt, populum Dei sanctitatis uberrimis fructibus collustrant atque exemplo movent necnon arcana fecunditate apostolica dilatant. Ita Ecclesiae decus exstant et caelestium scatebra gratiarum. At eorum ratio vivendi secundum praedicta principia et criteria accommodatae renovationis recognoscatur, sanctissime tamen servatis eorum a mundi secessu atque vitae contemplativae exercitiis propriis.*

8. *An placeat ut textus numeri 6* (in hoc fasciculo, pag. 10, linn. 20-30) *ita immutetur ut*

loco

6. In institutis vitae activae tam laicalibus quam clericalibus, opera et apostolatus, utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum, finem constituunt vere specificum, quem sodales, ardenti studio aptisque mediis prosequi debent. Actio autem apostolica ex intima cum Deo unione procedat oportet, inde fit ut caritas ipsa erga Deum et proximum foveatur.

legatur

8. *Permulta sunt in Ecclesia instituta, vel clericalia vel laicalia, variis apostolatus operibus dedita, quae donationes habent secundum gratiam quae data est eis, differentes: sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui miseretur in hilaritate* (cf. *Rom.* 12, 5-8). « *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus* » (*1 Cor.* 12, 4).

In *istis* institutis, *ad ipsam naturam vitae*

legatur

religiosae pertinet actio apostolica et benefica utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum. *Proinde tota vita religiosa sodalium spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica religioso spiritu informetur. Ut igitur sodales vocationi suae ad Christum sequendum imprimis respondeant, ac ipsi Christo in Eius membris deserviant* actio *eorum* apostolica ex intima cum *Ipso* unione procedat oportet. Inde fit ut caritas ipsa erga Deum et proximum foveatur.

Quapropter instituta illa observantias suas atque usus cum requisitis apostolatus, cui dedicantur, apte componant. Cum autem vita religiosa apostolicis operibus dedita formas multiplices induat, necesse est ut accommodata eius renovatio huiusmodi diversitatis rationem habeat, atque ut apud varia instituta sodalium vita in servitium Christi propriis eorum congruisque mediis sustentetur.

9. *An placeat textus numeri 9* (in hoc fasciculo, pag. 11, linn. 12-35) *iuxta modos Patrum exaratus, ita ut*

legatur

9. *Fideliter servetur atque magis in dies elucescat in suo germano spiritu tum in Oriente tum in Occidente venerabile vitae monasticae institutum, quod praeclara merita longo saeculorum cursu in Ecclesia et in humana consortione sibi acquisivit. Monachorum praecipuum officium est divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium praestare intra septa monasterii, sive in umbratili vita integre se divino cultui dedicent sive aliqua apostolatus vel christianae caritatis opera legitime assumpserint. Servata igitur indole propriae*

legatur

institutionis, antiquas beneficas traditiones renovent easque hodiernis animarum necessitatibus ita accommodent ut monasteria veluti seminaria sint aedificationis populi christiani.

Item religiones quae ex regula vel instituto vitam apostolicam intime consociant officio chorali observantiisque monasticis, ita rationem vivendi cum apostolatus sibi convenientis exigentiis componant ut suam formam vitae fideliter servent utpote quae eximio Ecclesiae bono cedat.

10. *An placeat textus numeri 10* (in hoc fasciculo, pag. 11-12, linn. 36-40; 1-11) *iuxta modos Patrum exaratus, ita ut*

legatur

10. *Vita religiosa laicalis, tam pro viris quam pro mulieribus, statum in se completum professionis consiliorum evangelicorum constituit. Quapropter illam, muneri pastorali Ecclesiae in erudienda iuventute, in aegrotis curandis aliisque ministeriis explendis tam utilem, Sacra Synodus magni faciens, sodales in sua vocatione confirmat eosque ut hodiernis exigentiis vitam suam accommodent hortatur.*

Sacra Synodus declarat nihil obstare quominus in religionibus Fratrum, firma manente earum indole laicali, ex dispositione Capituli generalis, ad subveniendum necessitatibus ministerii sacerdotalis in suis domibus, aliqui sodales sacris Ordinibus initientur.

11. *An placeat textus numeri 11* (in hoc fasciculo, pag. 12, linn. 12-32) *iuxta modos Patrum exaratus, ita ut*

legatur

11. *Instituta saecularia veram et completam consiliorum evangelicorum professionem*

legatur

in saeculo ab Ecclesia recognitam secumferunt. Quae professio viris ac mulieribus, laicis et clericis in saeculo degentibus, consecrationem confert. Proinde iidem totalem suipsius Deo dedicationem in caritate perfecta praecipue intendant et ipsa instituta propriam ac peculiarem indolem, saecularem scilicet, servent ut apostolatum in saeculo ac veluti ex saeculo, ad quem exercendum orta sunt, efficaciter et ubique adimplere valeant.

Probe tamen sciant se tantum munus obire non posse, nisi sodales accurate in rebus divinis et humanis ita instituantur, ut revera fermentum sint in mundo ad robur et incrementum Corporis Christi. Moderatores ergo serio curent de institutione praesertim spirituali sodalibus impertienda necnon de ulteriore formatione promovenda.

12. *An placeat ut textus numeri 9* (in hoc fasciculo, pag. 12-13, linn. 33-40; 1-19) *ita immutetur ut*

loco

9. Castitas « propter regnum caelorum » (*Mt.* 19, 12), ad quam profitendam religiosi vocati sunt, ab omnibus tamquam eximium donum aestimanda est. Cor enim hominis singulariter liberat (cf. *1 Cor.* 7, 32-35), ut ardentius accendatur caritate erga Deum et homines universos, ideoque est peculiare signum transcendentiae bonorum caelestium. Oportet ergo ut religiosi, promissionem suam fideliter servare studentes, verbis Domini credant et, Dei auxilio confisi, de propriis viribus ne praesumant atque corpus suum in servitutem redigant (cf. *1 Cor.* 9, 27); ita fit ut doctrinis quae continentiam perfectam tam-

legatur

12. Castitas « propter regnum caelorum » (*Mt.* 19, 12), quam *religiosi profitentur,* tamquam eximium *gratiae* donum aestimanda est. Cor enim hominis *singulari modo* liberat (cf. *1 Cor.* 7, 32-35), ut *magis* accendatur caritate erga Deum et homines universos, ideoque est peculiare signum bonorum caelestium *necnon medium aptissimum quo religiosi alacriter servitio divino operibusque apostolatus sese dedicent.* Sic *ipsi* coram omnibus Christifidelibus mirabile illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum quo Ecclesia unicum sponsum Christum habet.

loco

quam impossibilem vel humano profectui nocivam ostentant, non moveantur, et omnia quae castitatem in periculum adducunt sensu quodam spirituali respuant. Sic, coram omnibus Christifidelibus mirabile illud evocent connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum quo Ecclesia unicum Sponsum Christum habet (cf. *2 Cor.* 11, 2). Cum haec obligatio naturam humanam radicitus afficiat, candidati ad votum castitatis ne accedant, nisi post probationem vere sufficientem et cum debita maturitate psychologica atque affectiva.

legatur

Oportet ergo ut religiosi, professionem suam fideliter servare studentes, verbis Domini credant et, Dei auxilio confisi, de propriis viribus ne praesumant, *mortificationem sensuumque custodiam adhibeant. Media quoque naturalia ne omittant, quae mentis et corporis sanitati favent.* Ita fit ut *falsis* doctrinis, quae continentiam perfectam tamquam impossibilem vel humano profectui nocivam ostentant, non moveantur, et omnia quae castitatem in periculum adducunt, *instinctu* quodam spirituali, respuant. *Meminerint insuper omnes, praesertim Superiores, castitatem securius servari cum inter sodales vera dilectio fraterna in vita communi viget.*

Cum observantia continentiae perfectae profundiores naturae humanae inclinationes intime attingat, candidati ad *professionem* castitatis ne accedant *neve admittantur,* nisi post probationem vere sufficientem et cum debita maturitate psychologica et affectiva. *Ipsi non solum de periculis castitati occurrentibus moneantur, sed ita instruantur ut caelibatum Deo dicatum etiam in bonum integrae personae assumant.*

13. *An placeat ut textus numeri 10* (in hoc fasciculo, pag. 13-14, linn. 32-41; 1-3) *ita immutetur ut*

loco

10. Ad paupertatem religiosam quod attinet, haud sufficit Superioribus subiici in usu bonorum, sed oportet etiam ut sodales re et spiritu sint pauperes. Congregationes religiosae suis constitutionibus permittere possunt ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient.

Instituta et domus bona quae Divina Pro-

legatur

13. *Paupertas voluntaria propter Christi sequelam cuius est signum praesertim hodie multum aestimatum, a religiosis diligenter excolatur atque, si opus sit, novis etiam formis exprimatur. Per eam participatur paupertas Christi, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus* (cf. *2 Cor.* 8, 9; *Mt.* 8, 20).

loco

videntia iis est elargita, etiam in utilitatem Ecclesiae et indigentium necessitates insumat, vitata omni specie luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis.

legatur

Ad paupertatem autem religiosam quod attinet, haud sufficit in usu bonorum Superioribus subiici, sed oportet ut sodales re et spiritu sint pauperes, *thesauros in caelo habentes* (cf. *Mt.* 6, 20).

In suo quisque officio communi legi laboris se sentiant obnoxios, atque, dum ita res victui operibusque eorum necessariae comparantur, omnem indebitam sollicitudinem proiiciant et Patris caelestis Providentiae sese committant (cf. *Mt.* 6, 25).

Congregationes religiosae suis constitutionibus permittere possunt ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient.

Instituta *ipsa, ratione habita singulorum locorum, testimonium paupertatis quasi collectivum reddere satagant et libenter ex propriis bonis aliquid conferant ad alias* Ecclesiae *necessitates et egenorum sustentationem, quos religiosi omnes in visceribus Christi diligant* (cf. *Mt.* 19, 21; 25, 34-46; *Iac.* 2, 15-16; *1 Io.* 3, 17). *Institutorum provinciae ac domus aliae cum aliis in bonis temporalibus communicent, ita ut illae quae plus habent alias adiuvent quae egestatem patiuntur.*

Quamvis instituta, salvis regulis et constitutionibus, ius habeant possidendi omnia necessaria ad vitam temporalem et opera, omnem tamen speciem luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis *vitent.*

14. *An placeat ut textus numeri 8* (in hoc fasciculo, pag. 14-15, linn. 31-41; 1-4) *ita immutetur ut*

loco

8. Religiosus, per oboedientiam quam profitetur, holocausto propriae voluntatis Deo libere oblato, Superioribus suis, vices Dei gerentibus, humile pro amore Christi praestat obsequium in omnibus quae ad normam regulae et constitutionum praecipiuntur. Quod sacrificium sui eo fit, quod submisse legitimis Moderatoribus paretur, quamvis auctoritas exercenda sit intra fines caritatis et cum respectu personae humanae, et licet haec nostra aetas religiosos vocet ad plura gravioraque munera obeunda et ad incepta alacrius et expeditius suscipienda (ex Alloc. PAULI VI d. 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 [1964], p. 567).

legatur

14. *Religiosi per professionem oboedientiae plenam propriae voluntatis dedicationem veluti sacrificium sui Deo offerunt, et per illud constantius et securius divinae voluntati salvificae uniuntur. Inde ad exemplum Iesu Christi, qui venit ut faceret voluntatem Patris* (cf. *Io.* 4, 34; 5, 30; *Hebr.* 10, 7; *Ps.* 39, 9), *et « formam servi accipiens »* (*Phil.* 2, 7) *ex iis, quae passus est, didicit oboedientiam* (cf. *Hebr.* 5, 8), *religiosi, Spiritu Sancto movente,* Superioribus, vices Dei gerentibus, *in fide sese subiiciunt et per eos ad omnium in Christo fratrum ministerium ducuntur, sicut ipse Christus ob suam erga Patrem submissionem fratribus ministravit et animam suam posuit redemptionem pro multis* (cf. *Mt.* 20, 28; *Io.* 10, 14-18). *Ita, Ecclesiae servitio arctius devinciuntur et in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (cf. *Eph.* 4, 13) *pervenire contendunt.*

Sodales ergo in spiritu fidei et amoris erga Dei voluntatem Superioribus suis *ad normam regulae et constitutionum* humile praestent obsequium, *vires intelligentiae et voluntatis necnon naturae et gratiae dona in praeceptorum exsecutione et in expletione munerum sibi commissorum conferendo, scientes se ad aedificationem Corporis Christi secundum Dei propositum operam praestare. Sic oboedientia religiosa, nedum dignitatem personae humanae minuit, illam, ampliata libertate filiorum Dei, ad maturitatem adducit.*

Superiores vero, rationem pro animabus sibi commissis reddituri (cf. *Hebr.* 13, 17), *voluntati Dei in munere explendo dociles, in spiritu servitii pro fratribus auctoritatem exerceant,*

legatur

ita ut caritatem qua Deus illos diligit exprimant. Subditos regant qua filios Dei et cum respectu personae humanae, *illorum voluntariam subiectionem promoventes. Ideoque speciatim debitam eis libertatem relinquant quoad poenitentiae sacramentum et conscientiae moderamen. Sodales eo perducant ut in muneribus obeundis et in inceptis suscipiendis activa atque responsabili oboedientia cooperentur. Itaque Superiores libenter sodales audiant necnon eorum conspirationem ad bonum instituti et Ecclesiae promoveant, firma tamen sua auctoritate decernendi et praecipiendi quae agenda sunt.*

Capitula et consilia fideliter munus sibi commissum in regimine expleant atque suo quaeque modo sodalium omnium pro bono totius communitatis participationem et curam exprimant.

15. *An placeat ut textus numeri 11* (in hoc fasciculo, pag. 16, linn. 1-18) *ita immutetur ut*

loco

11. Vita in communi agenda testimonium sit caritatis Christi, secundum exemplum primaevae Ecclesiae, in qua multitudo « credentium erat cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32). Ut autem inter sodales intimius sit vinculum fraternitatis, illi qui conversi vel alio nomine vocantur, vitae et communitatis operibus arctius coniungantur; si autem rerum adiuncta id suadeant curandum est ut in institutis mulierum, ad unum genus sororum perveniatur. Virorum autem monasteria et instituta pro indole sua clericos et laicos pari ratione admittere possunt, salvis obligationibus et iuribus ordinationis sacrae et praescriptis constitutionum.

legatur

15. Vita in communi agenda, *ad exemplum* primaevae Ecclesiae in qua multitudo credentium erat cor unum et anima una (cf. *Act.* 4, 32), *evangelica doctrina, Sacra Liturgia et praesertim Eucharistia refecta, in oratione et communione eiusdem spiritus perseveret* (cf. *Act.* 2, 42). *Religiosi, ut membra Christi, in fraterna conversatione honore se invicem praeveniant* (cf. *Rom.* 12, 10), *alter alterius onera portantes* (cf. *Gal.* 6, 2). *Caritate enim Dei in cordibus per Spiritum Sanctum diffusa* (cf. *Rom.* 5, 5), *communitas ut vera familia, in nomine Domini congregata, Eius praesentia gaudet* (cf. *Mt.* 18, 20). *Caritas autem plenitudo legis est* (cf. *Rom.* 13, 10) *ac vinculum perfectionis* (cf. *Col.* 3, 14), *eaque scimus quoniam translati sumus*

legatur

de morte ad vitam (cf. *1 Io.* 3, 14). *Immo fratrum unitas Christi adventum manifestat* (cf. *Io.* 13, 35; 17, 21) *magnaque virtus apostolica ex ea manat.*

Ut autem inter sodales intimius sit vinculum fraternitatis, illi qui conversi, *cooperatores* vel alio nomine vocantur, vitae et communitatis operibus *arcte* coniungantur. *Nisi* rerum adiuncta aliud vere suadeant, curandum est ut in institutis mulierum ad unum genus sororum perveniatur. *Tunc illa personarum tantum retineatur diversitas, quam diversorum operum distinctio exigat ad quae sorores vel speciali Dei vocatione vel speciali aptitudine destinentur.*

Virorum autem monasteria et instituta *non mere laicalia* pro indole sua clericos et laicos, *ad normam constitutionum,* admittere possunt, pari ratione *paribusque iuribus et obligationibus,* salvis *iis quae ex ordine sacro proveniunt.*

16. *An placeat ut textus numeri 12* (in hoc fasciculo, pag. 16-17, linn. 38-40; 1-3) *ita immutetur ut*

loco

12. Clausura papali pro monialibus vitae unice contemplativae firma manente sed iuxta temporum locorumque condiciones accommodata, congruit ut aliae moniales, operibus externis apostolatus ex instituto deditae, ab ea eximantur.

legatur

16. Clausura *papalis* pro monialibus vitae unice contemplativae firma *maneat* sed iuxta temporum locorumque condiciones, *iisque usibus sublatis qui obsoleti sint, accommodetur, auditis ipsorum monasteriorum votis.*

Aliae *vero* moniales operibus externis apostolatus ex instituto deditae *a clausura papali* eximantur, *ut concredita sibi munera apostolatus melius adimplere valeant, servata tamen clausura ad normam constitutionum.*

17. *An placeat ut textus numeri 13* (in hoc fasciculo, pag. 17, linn. 9-16) *ita immutetur ut*

loco

13. Habitus religiosus, utpote signum consecrationis, sit simplex ac modestus, pauper simul ac decens, insuper valetudinis requisitis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus. Habitus autem qui iis normis iudicio Sanctae Sedis, non congruit, immutandus est.

legatur

17. Habitus religiosus, utpote signum consecrationis, sit simplex ac modestus, pauper simul et decens, insuper valetudinis requisitis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus. Habitus autem *tam virorum quam mulierum,* qui iis normis non congruit, immutandus est.

18. *An placeat textus numeri 25* (in hoc fasciculo, pag. 20, linn. 3-21) *per modum conclusionis schematis exaratus, ita ut*

legatur

25. *Instituta pro quibus hae accommodatae renovationis normae statuuntur, prompto animo suae divinae vocationi et muneri suo in Ecclesia hisce temporibus respondeant. Magni enim facit Sacra Synodus genus eorum vitae, virginalis, pauperis et oboedientis, cuius Ipse Christus Dominus est exemplar, firmamque spem in opera eorum abscondita et aperta tam fecunda collocat. Religiosi ergo omnes fidei integritate, caritate erga Deum et proximum, amore crucis necnon spe futurae gloriae, Christi bonum nuntium in toto mundo diffundant, ut testimonium eorum ab omnibus conspiciatur et Pater noster, qui in caelis est, glorificetur* (cf. *Mt.* 5, 16). *Ita deprecante suavissima Deipara Virgine Maria, « cuius vita omnium est disciplina »*[1] *ampliora quotidie incrementa capient ac uberiores salutares afferent fructus.*

---

[1] S. AMBROSIUS, *De Virginitate,* l. II, c. II, n. 15.

QUAESITUM GENERALE [95]

AD NUMEROS TEXTUS SCHEMATIS A PATRIBUS IN AULA CONCILIARI CUM SALTEM DUABUS TERTIIS PARTIBUS SUFFRAGIORUM « PLACET » SIMPLICITER APPROBATOS

An placeat expensio facta a Commissione Conciliari circa modos reliquos qui numeros 14 (18), 15 (19), 16 (20), 17 (21), 18 (22), 19 (23), 20 (24) (in hoc fasciculo, pag. 17-20; 67-78) *respiciunt.*

Moderator: Antequam incipiant suffragationes *de accommodata renovatione vitae religiosae,* audiatur nunc relator super schemate decreti, nempe exc.mus D. Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus.

2 – RELATIO *

EXC.MI P. D. HENRICI ROMULI COMPAGNONE
Episcopi Anagnini

Venerabiles Patres,

Vestro iudicio subiicitur textus recognitus decreti « De accommodata renovatione vitae religiosae ».

Uti statim apparet, est textus amplior quoad extensionem, ditior quoad materiam, profundior in enunciatione criteriorum ad hanc accommodatam renovationem perficiendam, et vividiori pastorali afflatu animatus.

Commissio conciliaris de Religiosis hunc textum elaboravit attentis tum voto quo Congregatio Generalis diei 12 novembris 1964, statuerat esse transeundum ad propositiones suffragandas, tum suffragationibus ipsis de singulis propositionibus, in quibus Patres innumeros « modos » ad textum perficiendum expresserunt.

Sane praevia ac mere numerica « modorum » computatio (plusquam quatuordecim milia modorum expressorum, qui tamen cum non pauci a

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 139, die 30 septembris 1965.

pluribus, quandoque a plurimis, Patribus proponantur, ad circiter 500 reducuntur) laboriosam et quasi impossibilem textus elaborationem quae posset desideriis Patrum satisfacere praenuntiabat.

Postquam vero Rev.mi Periti studio praeliminari primum modos ipsos deinde eorum materiam systematice compilaverunt, clare innotuit quantum profuerit textui definitivo apparando ipsique renovationi vitae religiosae promovendae tum discussio in Aula conciliari, tum suggestiones Patrum in « modis » expressae.

Immo haec amplissima et perutilis Patrum participatio elaborationi nostri textus signum et pignus exstat peculiaris aestimationis et amoris quibus Ecclesia mater vitam Deo per consiliorum evangelicorum professionem specialiter dicatam prosequitur.

Quapropter nostra Commissio sincera cum reverentia singulos « modos », sive a paucis sive a multis Patribus propositos, accurate consideravit eosque quantum, servatis principiis fundamentalibus et organica textus structura, fieri potuit, in ipsum textum introduxit, sive ipsis a Patribus propositis, sive aequivalenter, aut in ipso loco indicato aut alio in loco aptiori ob generalem materiae ordinem. Nullus e « modis » propositis, nulla Patrum suggestio fuerunt a Commissione levi animo derelicta. De omnibus serio et accurate ratio habita est, quamquam non omnia, ut planum est, acceptari potuerunt.

Textus igitur qui nunc proponitur fructus est, quem acceptum speramus, tum vestrarum suggestionum, tum accurate et reverentis elaborationis Commissionis conciliaris.

I - *Generalis descriptio textus*

In altera parte fasciculi in hac Sessione distributi, videri potest, venerabiles Patres, expensio modorum, concise quidem redacta sed satis ampla et completa, quae de singulis numeris textus rationem dat.

Nunc autem criteria adhibita ad textus recognitionem illustrare iuvat.

1) Praemittendum est nullum e singulis numeris praecedentis textus fuisse simpliciter reiectum Patrum suffragationibus, sicut nec reiectus fuit complexive textus ipse.

Numeri 1-13 fuerunt approbati iuxta modum tantum. Numeri 14-20 fuerunt approbati per praescriptas duas e tribus suffragiorum partibus.

Proinde dum de prioribus numeris amplius erat ius et officium Commissionis ad eorum retractationem peragendam, de his qui fuerant a Congregatione Generali approbati emendationes, ad satisfaciendum « modis » expressis, intra arctiores limites continendae erant.

2) Praeter amplam reelaborationem numerorum praeexistentium, ad quam Commissio inducta est ob vota Patrum, nonnulli sunt numeri novi, a Patribus postulati et secundum indicationes ab ipsis datas redacti.

Insuper quandoque materia praecedentis textus fuit ex toto vel ex parte transposita prout id exigebat consecutio doctrinalis et logica textus emendati.

3) *Numeri notabiliter ampliati.*

N. 1. Ad modum prooemii toti decreto praemittitur, eiusque motivum, indolem et scopum exponit. Haec radicalis textus retractatio fuerat a multis Patribus postulata, proposito etiam textu qui fere integre acceptatus est.

N. 2. Dum in priori textu numerus secundus *unam regulam fundamentalem* exprimebat accommodatae renovationis, nunc huius *principia generalia* continet. Huc igitur translata sunt ea quae in praecedenti textu variis in locis habebantur, additis quibusdam novis, quae a Patribus proposita sunt.

N. 4. Secundum Patrum postulata fuerunt ampliata ea quae referuntur ad significandam competentem Auctoritatem.

N. 5. Ipsa materia ampliata est. Nam non agitur tantum *de renovatione in observantia consiliorum evangelicorum,* ut in praecedenti textu, sed *de quibusdam elementis quae omnibus religiosae vitae formis sunt communia.* Fere singula elementa huius novae ampliatae materiae a Patribus expresse postulata sunt. Sed mutata hoc modo materia, ipse locus mutandus fuit, et ideo n. 7 praecedentis textus substitutus est n. 5 in novo textu.

N. 6. Etiam in hoc numero ampliatur materia secundum postulata plurium Patrum.

Nn. 7-11. Non solum ampliatur materia numerorum 5-6 praecedentis textus, sed, iuxta Patrum vota diversimode expressa, ipsa distinctio veluti typologica formarum *vitae religiosae* [1] indicatur additis numeris 9-11. De unaquaque ex his formis, licet breviter delineatis, expresse commemoratur, prout Patres desiderabant, propria earum habitudo ad vitam Ecclesiae.

Nn. 12-14. Commissio obsecundare sategit Patrum votis et suggestionibus quibus postulabatur ut de singulis consiliis evangelicis profundius et amplius ageretur. Res quidem maximi est ponderis. Ideo accuratiori studio verba ipsa perpendi debuerunt, ita ut simul momentum theologicum, christologicum, ecclesiologicum et asceticum professionis consiliorum locutionibus concisis sed praegnantibus, quae Concilium decent,

significaretur, praesuppositis quidem et in unum coalescentibus his quae doctrinaliter traduntur in Constitutione dogmatica *de Ecclesia,* cap. 5 et 6.

N. 15. Amplior redactio huius numeri eo praesertim spectat ut supernaturalis ratio vitae in communi agendae ditius significetur et ea, quae in altera numeri parte praecedentis textus circa membrorum in institutis distinctionem dicebantur, clarius et fusius exprimantur.

4) *Numeri novi introducti.*

N. 9. Cum a multis Patribus petitum fuerit ut de variis formis vitae religiosae typologice distinctis ageretur, mentio explicita fieri debuit de vita monastica et de vita conventuali. Quam quidem mentionem nonnulli Patres directe petierunt. Ideo textus redactus est secundum indolem generalem totius decreti.

N. 10. Eadem de causa redactus est numerus in quo agitur de forma vitae religiosae quae in institutis non clericalibus agitur. Duo autem hac de re praecipue a Concilio postulabantur. Primo ut contra tendentiam aliquatenus diffusam ad parvipendendum hoc genus vitae religiosae, quasi esset incompletum, Concilium clare affirmaret illud constituere statum in se completum professionis consiliorum evangelicorum et permagnam utilitatem, praesertim in christiana iuventutis institutione, Ecclesiae afferre (quae quidem generalis affirmatio valet etiam pro vita religiosa laicali intra ambitum institutorum clericalium). Secundo ut Concilium mentem suam aperiret circa possibilitatem ut, si Capitula generalia id decernant, aliqui sodales sacris initientur ad subveniendum necessitatibus ministerii sacerdotalis in suis domibus. Commissio post maturam disceptationem, attentis praesertim votis Patrum earum regionum quae graviori Sacerdotum penuria laborant, rem putavit esse sobrie definiendam prout proponitur in textu, firma omnino manente indole laicali horum institutorum.

N. 11. ...[2] Iam in praecedenti schemate habebatur mentio de Institutis saecularibus, distinctis a Religionibus et a Societatibus vitae communis. *In hac Aula autem aperte petitum fuit ut de iis amplius ageretur utpote recentissima forma professionis consiliorum evangelicorum ab Ecclesia agnita. Quod quidem libenter Commissio praestitit, concise declaratis eorum natura, obligationibus et muneribus in sinu populi Dei.*

De canonica conditione membrorum institutorum saecularium non agit expresse textus. Dicitur tamen eos, dum consilia evangelica profitentur in institutis ab Ecclesia agnitis, tamen ex propria ac peculiari indole suae vocationis non tantum in saeculo degere, sed vere saeculares esse et apostolatum exercere « in saeculo et veluti ex saeculo », eo scil. modo

quo a laicis exercetur, ad normam Constitutionis « Lumen Gentium » cap. IV et Decreti « De Apostolatu Laicorum ».[3]

N. 25 additur, iuxta vota Patrum, sub forma *huius*[4] brevis conclusionis pastoralis.

II - *De ipsa novi textus materia*

1) Cum maior Patrum numerus schema acceptaverit ut textum iuxta « modos » proponendos perficiendum, Commissio non poterat eius contentum ita ampliare aut mutare ut eius obiectum fieret substantialiter latius quam postulabat titulus « de accommodata renovatione vitae religiosae ». Moderati igitur tantum excursus poterant fieri extra limites inde impositos.

2) Eadem de causa praesens decretum tantummodo necessitatem et amplitudinem accommodatae renovationis vitae religiosae proclamare intendit, et normas seu principia fundamentalia indicare, quibus legislatio futura, expresse invocata in fine n. 1, attendere debeat in statuendis particularibus praescriptis ad illam accommodatam renovationem perficiendam.

3) Ut notum est, opinionum dissensio quae in disceptatione in Aula manifestata est, ad hoc praecipue reducitur quod quidam Patres solliciti praesertim erant de vera accommodata vitae religiosae renovatione quae Ecclesiae et animarum necessitatibus nunc temporis efficaciter aptaretur; alii e contra solliciti erant ne indoles propria singulorum institutorum, quae varietatem spiritus in Ecclesiae bonum exprimit, intacta maneret, immo si opus esset instauraretur. Commissio utramque sollicitudinem conciliare sategit.

4) Habita ratione difficultatis quae oritur e rigide intellecta distinctione inter instituta vitae contemplativae, vitae activae et vitae mixtae, maluit Commissio typologicam distinctionem institutorum indicare secundum eorum genus vitae, affirmata in n. 5 pro « cuiuslibet instituti » sodalibus necessitate ut « Deum prae omnibus et unice quaerentes, contemplationem, qua Ei mente et corde adhaereant, cum amore apostolico » coniungant.

5) ...[5] Principia seu normae fundamentales ...[6] ita indicantur praecipue in nn. 2-6:

a) Illa accommodata renovatio fundetur ultimo in ea quae est suprema regula vitae religiosae, nempe « Christi sequela in Evangelio proposita » (n. 2 *a*).

b) Fiat servatis spiritu et propriis propositis Fundatorum, necnon sanis institutorum traditionibus, quibus determinantur et exprimuntur

eorum peculiaris indoles et munus in Ecclesia; nam servare hanc spiritus varietatem in Ecclesiae bonum cedit (n. 2 *b*).

c) Renovatio igitur importat continuum reditum tum « ad omnis vitae christianae fontes », tum « ad primigeniam institutorum inspirationem » (n. 2 initio).

d) Accommodatio autem ad mutatas temporum conditiones importat praeprimis quod prout praesentia tempora exigunt « omnia instituta vitam Ecclesiae participent eiusque incepta et proposita (...) iuxta propriam suam indolem sua faciant et pro viribus foveant » (n. 2 *c*). Ideo sodales apte instruantur « de hominum temporumque conditionibus deque Ecclesiae necessitatibus » (n. 2 *d*).

e) Huiusmodi accommodata renovatio magis fundetur in intima renovatione spirituali, quam in multiplicandis legibus (n. 2 *e* et n. 4 in fine). Quam maxime igitur colantur illa interna vitae religiosae constitutiva quae omnibus eius formis sunt communia, praesertim spiritus orationis et oratio ipsa, hauriendo « e germanis vitae spiritualis fontibus » (nn. 5-6).

f) Ample attingat rationem « vivendi, orandi et operandi » et secundum data criteria ipsa regiminis ratio examini subiiciatur. Ideo etiam institutorum interna legislatio congruenter recognoscatur (n. 3).

g) Haec omnia ut recte procedant non pro lubitu singulorum fiant, sed « sub impulsu Spiritus Sancti et Ecclesia duce » (n. 2) « cooperantibus omnibus instituti sodalibus » (n. 4), normis vero statutis et legibus latis a competenti Auctoritate (cf. *ibid.*).

6) Secundum haec principia vere fundamentalia intelligitur accommodata renovatio promovenda, iuxta propriam cuiusque indolem, in singulis formis *vitae religiosae* [7] de quibus in nn. 7-11.

Quinimmo in nn. 12-14 indicatur via ut recte in ipsorum consiliorum praxi fiat renovatio.

Tandem adhuc sub luce illorum principiorum mens Concilii aperitur in nn. 15-24 de quibusdam particularibus quaestionibus quae nostro tempore passim agitantur, sive circa subsidia aut signa externa vitae religiosae, uti sunt vita in communi ducenda, clausura, habitus, sive quae pertinent ad ipsorum institutorum vitam (praesertim institutio sodalium) et mutuam inter se cooperationem.

Schema nostrum validum complementum accipit ab aliis documentis conciliaribus, nempe: a Constitutione dogmatica *De Ecclesia,* cap. VI: *De Religiosis*; a Decreto *De pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* cap. II, ubi Religiosi habentur tamquam Cooperatores Episcoporum in munere suo explendo; necnon a Decreto *De activitate missionali Ec-*

clesiae: in cap. I, *De vita religiosa promovenda*; cap. III, *De Missionariis* et cap. IV, *De ordinatione activitatis missionalis.*

Ea, venerabiles Patres, quae in schemate dicuntur, nec modica sunt, nec accommodatam vitae religiosae renovationem in nebula dissolvunt aut singulorum arbitrio relinquunt. Quae in textu proposito ut mens Concilii proclamantur, eos qui evangelica consilia profitentur ad profundiorem suae vocationis ponderationem, ad efficaciorem sanctitatis prosecutionem et intimiorem cum Ecclesiae vita coniunctionem impellunt.

Sane decretum hoc non est tractatus systematicus de hisce rebus. Materia ipsa posset etiam aliter ordinari, licet satis logice currat praesens ordinatio. Legislatio futura, a qua omnino praescindi nequit, multo fusius et complete de tota re praescribere debebit.

Sed ea quae, post successivas textus elaborationes, inde a primo schemate Commissionis Praeparatoriae usque ad praesens, Patrum votis et suggestionibus confluentibus, in praesenti textu remanserunt, talem constituunt viae indicationem ad vitae religiosae accommodatam renovationem in bonum animarum et totius Ecclesiae, ut si fideliter percurratur abs dubio finis attingatur.

Spes igitur nostrae Commissioni arridet vestrum favorabile suffragium non esse defuturum textui in quem vestra vota, vestrae suggestiones et humilis ac pro posse accuratus noster labor confluxerunt.

In oratione: [1] professionis evangelicorum consiliorum. [2] De n. 11 relatio paulisper ampliatur. [3] Porro ut illa mentio deleretur petierunt duo Patres, quia membra Institutorum saecularium non sunt Religiosi.

Eandem ob causam unus Pater, nomine 82, et praeterea alii 3 nomine proprio, petierunt ut, servata in schemate illa mentione, immo ampliata in speciali paragrapho, mutaretur titulus schematis.

E contra 406 Patribus qui novum prooemii textum proposuerunt omnes, uno tantum excepto, mentionem illam servaverunt, nulla facta petitione de schematis titulo mutando. Immo, nulla pariter facta petitione de titulo schematis mutando, unus Pater nomine 103 aliorum et praeterea alius nomine proprio in Aula ipsa petierunt specialem paragraphum de Institutis saecularibus.

Insuper 50 alii Patres sive in interventionibus scriptis sive modis expressis petierunt ut de Institutis saecularibus « fusius agatur », utpote de recentissima et momentosa forma professionis consiliorum evangelicorum ab Ecclesia agnita. Et ipsum locum insertionis indicaverunt, nempe post nn. 5-6 schematis de quo disceptatio fuerat.

His perpensis, Commissio mutare non potuit schematis titulum, selectum post maturam disceptationem et a longe maiore Patrum numero iam acceptatum. Sed novam paragraphum redegit, cuius textus excludit omnino quominus membra Institutorum saecularium ut Religiosi haberi possint.

De illis Institutis declaratur natura, obligationes et munera in sinu populi Dei.

De canonica conditione membrorum non agit expresse textus. Dicitur autem Instituta quibus adscribuntur « propriam ac peculiarem indolem, saecularem scil. » habere, quo fit ut eorum membra non solum « in saeculo » degant sed vere saeculares sint et apostolatum exerceant « in saeculo et veluti ex saeculo », eo scil. modo quo a laicis exercetur ad normam Constitutionis « Lumen Gentium » cap. IV et Decreti « De Apostolatu Laicorum ». [4] deest. [5] Huiusmodi [6] accommodatae renovationis. [7] professionis consiliorum evangelicorum.

Moderator: Gratias agimus relatori et membris commissionis pro labore completo, ratione habita 14.000 modorum expressorum.

Audiatur nunc secretarius generalis.

Secretarius generalis: Proponitur I suffragatio quoad modos huius schematis, et est suffragatio 345. Videatis pag. 81 fasciculi.

Habentur in primis « *Quaesita particularia* ad numeros textus schematis a Patribus in aula conciliari "iuxta modum" approbatos vel expostulatos ».

Denique habebitur « *Quaesitum generale* ad numeros textus schematis a Patribus in aula conciliari cum saltem duabus tertiis partibus suffragiorum "placet" simpliciter approbatos ».

Lego primum quaesitum particulare: « 1. An placeat ut textus primo loco positus ita immutetur ut legatur... »: [*cf. pag. 581-582*]. *Placet* an *non placet,* Patres venerabiles? Duplex tantum responsio.

3

EM.MUS P. D. LEO STEPHANUS CARD. DUVAL
Archiepiscopus Algeriensis

Venerabiles Patres,

Circa cap. V, quod bonum est sed *perfici* [1] debet, haec notare velim nomine conferentiae episcopalis Africae Septemtrionalis. In hac quaestione tractanda:

1. Optatur maior firmitas, nam agitur de gravissimo periculo pro toto genere humano. Praesertim:

...[2] *Invitatio ad communem actionem* pro pace instauranda fiat verbis fortioribus et cum maxima instantia.

...[3] Exprimitur in *textu* [4] necessitas mutandi oeconomicum commercium hodiernum inter nationes; sed deberet indicari vitium huius commercii ...[5] quo continuo augetur distantia inter nationes evolutas et nationes progredientes. Relative ad nationes divites, nationes pauperes semper pauperiores fiunt.

...[6] *Racismus,* cum sit una ex principalibus causis perturbationis omnium rerum nostri temporis, debet severissimo modo condemnari et non lenibus verbis, ut in schemate; indicari debet eius perversitas intellectualis et moralis, nam secum fert contumeliam erga hominem, iniuriam erga Deum; insistendum est in eius saevissimis consequentiis.

...[7] *Horror belli* hodierni non sufficienter affirmatur. Breviter exponi deberent effectus tardiores ...[8] radioactivitatis, periculum veneficii ...[9] totius vitae in mundo.

N. 98, in tertia paragrapho, verba « conscientiam hominum non facile exonerari » valde ambigua sunt. Pro hac paragrapho alius textus omnino postulatur, v. g.: « Hoc bellum totale, qualibuscumque armis efficiatur, sive thermonucleariis, sive armis conventionalibus maximae potentiae, sive *aliis mediis,*[10] omnino damnandum est. Nullo pacto liberanda est conscientia humana in his armis adhibendis, cum eorum usus sit intrinsece perversus ».

2. *Modus loquendi magis syntheticus* optatur, ita ut magis appareant « imbricationes » exsistentes inter problema famis, ignorantiae et problema pacis. Haec utique inveniuntur in schemate ...[11] sed non cum sufficienti claritate.

Prima « imbricatio »: ex una parte, absentia aequilibrii oeconomici inter nationes ingentibus opibus praeditas et nationes fame, miseria, ignorantia laborantes secum fert permanens periculum belli; ex altera parte, absorptio facultatum intellectualium et materialium ...[12] ad bellum parandum auget distantiam populorum, tum in re oeconomica, tum in cultura.

Secunda « imbricatio »: ex una parte, defectus amicitiae impedit progressum iustitiae internationalis; ex altera parte, praeparatio belli auget in nationibus pauperibus conscientiam iniustitiae, invidiam, iram, et in nationibus divitibus obscuritatem intellectus et duritiam cordis. Pessimus effectus cursus ad arma augenda est crescens odium in mundo.

3. et ultimo. Suadetur *modus magis positivus* tractandi hoc problema pacis.

...[13] Humanum genus in circulo vitioso versatur, in depravato rerum statu a praeteritis temporibus tradito. Novus ordo humanus, respondens hodiernis condicionibus, creari debet, quo excludatur qualiscumque belli usurpatio. Nova ratio sentiendi instauranda est ...[14]. Novi mores politici instituendi sunt. Recolantur verba sollemnia quae prolata sunt a Summo Pontifice Paulo VI in consessu Nationum Unitarum.

...[15] Concilium debet ad omnes verba facere:

a) *Rerum politicarum et oeconomicarum moderatores* superare debent antiquatum nationalismum et materialistas ideologias, se convertentes ad bonum commune universale. Iure meritoque schema ...[16] af-

firmat « urgentem necessitatem » auctoritatis publicae universalis in mundo hodierno; perutile videretur fortiter asserere quam « anachronica » et periculosa sit hodie talis conceptio iurium Statuum qui omnimodum principatum sibi vindicant, nulli auctoritati rationem reddere volentes.

b) *Scientiarum cultoribus* necessaria est tuta ethica inquisitionis scientificae perficiendae (éthique de la recherche); multi eorum conscientiae anxietatem patiuntur; non pauci, vel non catholici, ad Ecclesiam spectant. Haec ethica versatur: circa inquisitionem scientificam in seipsa consideratam ...[17]; *versatur etiam* [18] circa applicationem fructuum inquisitionum scientificarum (recherche appliquée); numquam licet ad fines perversos scientiam adhibere; ad servitium generis humani scientia destinatur et non ad destructionem ...[19]. Peritis scientiarum officium incumbit monendi rerum politicarum moderatores de exitu usus scientiae; ipsi pariter debent formare opinionem publicam.

c) Denique *omnes homines* gravem habent obligationem adlaborandi ad « dynamicam » pacis constructionem. Malum est maxime in mentibus. Mentes individuales et collectivae in profundum debent mutari. Unusquisque, in suo loco, aliquid facere debet, imprimis oratione ad Deum erecta, sed etiam quotidiana actione: requiritur cordis et animi attentio uniuscuiusque ad egentes, ad afflictos qui coram eo vivunt. Idem dicendum est de quovis coetu hominum; requiritur praeterea in hac exercenda caritate animus universalis.

A. v., haec actio ad pacem construendam « concreta » esse debet, i. e. in circumstantiis vitae quotidianae radicata, et simul universalis, i. e. attingens in suo spiritu et cum cooperatione omnium hominum problemata generis humani in eorum globalitate apprehensa ...[20]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] meliorari. [2] (n. 90). [3] (n. 93). [4] secunda paragrapho. [5] internationalis. [6] (n. 101 - cf. 30). [7] (n. 98). [8] (effets à retardement). [9] non solum vitae humanae, sed etiam. [10] mediis chimicis et bacteriologicis. [11] (n. 99). [12] (intelligences et crédits). [13] (Non sufficit condemnare). [14] (Einstein). [15] Haec profunda mutatio requirit cooperationem omnium hominum. Ideoque. [16] (n. 100). [17] (recherche pure): cum scientia sit valor universalis, scientiarum cultoribus ius esse debet, positis ponendis, i. e. dummodo gravia pericula non timeantur, libere communicandi aliis peritis fructus inquisitionum peractarum; pariter vera possibilitas eis danda est dirigendi inquisitiones cum libertate et non ad arbitrium alicuius status politici; inquisitio scientifica nunquam perfici potest cum valorum humanorum essentialium detrimento. [18] deest. [19] (cf. Allocutio SS. D. N. Pauli VI ad radiologos (*L'Oss. Rom.* 29-9-65). [20] Hunc textum subscripserunt episcopi Algeriae (5), Tunisiae (4), Marochii (2).

Animadversiones additae:

N. 91: Quelle que soit l'autorité de S. Augustin, la définition de la paix qu'il a donnée ne semble pas à sa place dans le schéma:

1. parce que cette définition — bien qu'elle soit vraie — semble peu convenir à un monde subissant de profondes mutations comme le monde d'aujourd'hui;

2. parce que le mot « ordre » est susceptible de bien des acceptions et prête à l'équivoque. 90% des hommes d'aujourd'hui entendent ce mot dans un sens bien différent de celui d'Augustin.

N. 92 (in fine). N. 101: Il ne semble pas que le Concile doive se prononcer sur l'action des non-violents ni sur celle des objecteurs de conscience, car ces questions sont discutées. Le Concile pourrait affirmer fortement la nécessité d'épuiser tous les moyens pacifiques pour régler un problème avant d'avoir recours à la force.

N. 95, pag. 75, lin. 18. « Ne scandalo... etc. ». Il y aurait avantage à affirmer la même idée, mais d'une manière positive.

N. 100 (in fine) et 101 (premier alinea). Il ne convient pas que le Concile parle des « bons offices »: 1. il s'agit d'une technique politique particulière; 2. le Concile ne doit pas faire rire de lui.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 346. Pag. 82: « Accommodata renovatio vitae religiosae simul complectitur... » [*cf. pag. 582-583*]. *Placet* an *non placet?*

4

EXC.MUS P. D. GABRIEL GARRONE

Archiepiscopus Tolosanus

Venerabiles Patres,

Huic capitulo schematis nostri revera nec animus nec aequilibrium desunt. Quaedam tamen, ut videtur, adiici possent ad illud perficiendum sive quoad unitatem sive quoad, ut ita dicam, eiusdem efficacitatem.

I. *Quoad unitatem.* Cardo huius capitis est recta ratio pacis verae et plenae: in priori enim parte capitis clare ostensum est qualis sit ista pax et quibus conditionibus subsit. At pars posterior introducitur et evolvitur quin expresse appareat hanc partem a priori parte ordinari et illustrari.

Quam connexionem *tamen* [1] servari et in luce expresse poni omnino oportebat. Etenim quaestio de pace generaliter in mente hominum maxima aequivocatione laborat, ex eo quod pax a plurimis cum « absentia belli » simpliciter confunditur et sub amore pacis nonnisi « timor belli » inveniri potest. Unde verbis firmis asserendum est: « absentiam belli non esse pacem, et multum differre amorem pacis a mero timore belli. Dum pax ad purum silentium armorum reducitur, vix accommodato verbo

veteris auctoris: « ubi "silentium" faciunt pacem appellant »; dum amor pacis ad purum timoris instinctum contrahitur, problema de pace omni spe solutionis destituitur. Quodsi solum in verbo « pacis » vel in solo motu sensibilitatis, conscie vel inconscie, sistitur, nulla est spes *pacis*.[2] Nunquam enim vere et efficaciter evacuabitur immane belli periculum, nisi voluntas hominum firmiter et expresse hanc ipsam pacem quaerere intendat qualis in priori parte definita est, cuius radix in corde est hominum, et cuius perseverantia nonnisi in voluntate patiendi « propter iustitiam » et in passionum mortificatione fundatur. Ideoque a solo « Auctore pacis » tandem aliquando fluere potest: Iesu Christo Domino Nostro.

Hoc quidem vere in secunda sectione subintelligitur, sed expresse a primordio sectionis et per totam sectionem apparere oportet. Nam non potest non iterum et iterum, ex ipsa inertia hominum, aequivocationem renasci; ideoque iterum et iterum denuntianda est.

II. *Quoad efficacitatem*. Haec sectio schematis urgens officium declarare intendit ...[3]. Quod ...[4] imperfectum manebit nisi haec declaratio formaliter ut fons verae spei in animis omnium *apparere possit*.[5]

Ideo necessarium omnino est ut ex modo quo enuntiantur officia spes exsurgere possit: hoc autem solummodo fiet in quantum exigentiae morales allatae praecisae erunt, immediatae, possibiles simul et efficaces ...[6]

Unde necessarium *est*[7] enuntiationes quasdam positivas fortiter in Concilio proferri de hoc puncto: quid, « hic et nunc », in hac materia graviter conscientiae uniuscuiusque moderatoris populorum imperative iniungitur? Obligatio enim gravissima eos urget sive quoad seipsos, sive quoad mentem populorum, quos regunt, scil. ut *dispositi sint postponere*[8] bono pacis omnia non necessaria, ita ut quam primum creentur inter nationes conditiones aptae ad evacuandum recursum ad bellum in difficultatibus solvendis. Hoc dicendum esset, quia logice a textu deducitur: Omnia facienda sunt sub gravi ab his qui populos moderantur ad hoc ut bellum « extra legem » ponatur, etiamsi hoc fieri nequeat quin unusquisque Status « summo suo imperio militari » pro parte renuntiet.

Quae si vera sunt,[9] a Concilio aperte dicantur.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] et debet. [4] opportunum quidem est, sed. [5] appareat. [6] apparebunt. [7] videtur. [8] postponere velint. [9] Si verum est.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 347: « An placeat ut textus numeri 2 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. pag. 584*]. *Placet* an *non placet?*

5

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

Venerabiles Patres,

Loquor de prima linea n. 96.[1] Videmur oculos avertere a facto fertilitatis generativae humanae, i. e. ab incremento rapido *quod haberi potest*[2] generis humani. *Hoc*[3] in memoriam revocat cunctationem diuturnam Ecclesiae erga evolutionismum, erga studia critica biblica et alia, propter quam Ecclesia iam privabatur credibilitate et plures homines doctiores bonae fidei ab ea abalienati sunt.

Verum est, opes mundi inexhaustae sunt et, si bene adhibentur et distribuuntur, sufficere possunt ad longe maiorem numerum hominum sustentandum. Immo etiam in praxi problema insolutum non remanebit; nam quidquid Ecclesia dicat de moralitate, de facto homines numero prolis limitem imponent.

Attamen, num liceat suggerere, ut fit in *alinea citata,*[4] nullum exoriturum esse problema insolubile etiam si — *repeto: etiam si*[5] — homines generatim non impedirent numerum prolis? Hoc omnino negandum esse videtur. Nam si incrementum non impeditur (per limitationem prolis, per bella atomica, alia), numerus hominum iam quadragesimo vel quinquagesimo quoque anno duplicabitur, i. e. intra quingenti annos milliens augeretur, atque intra mille annos deciens centiens milliens (*millioniens*).[6] Tunc iam fallax et futile erit appellare opes mundi inexhaustas vel inexhaustibiles (vel negare hoc problema *in tali casu*[7] tandem spectare non tantum singulas quasque familias sed etiam ipsas auctoritates civiles et mundanas). Immo in tali casu tandem obligatio moralis gravissima oriretur incremento humani generis finem imponendi.

Propter scientiam medicam conditiones in mundo iam valde mutatae sunt. Inde hominum iura et officia in hac re denuo explorari debent. Mirum non est opiniones priores interim praevalere et iudicia nova perturbare conscientias eorum qui ad ea nondum assueti sunt.

Non licebit provocare ad naturam biologicam humanam ut quae clare manifestet obligationem moralem seu voluntatem Dei imperantis. Quaestio est de constantia. Nos christiani iam didicimus non-usum organorum sexualium esse moraliter licitum; Hinduistae autem *fere*[8] generatim, Iudaei antiqui, et alii, matrimonium et generationem prolis obligationem moralem gravem habuerunt *vel*[9] habent. Si non denuntiandus est ut peccatum grave omissionis organorum sexualium non-usus, quo

omnes fines naturae frustrantur, quomodo denuntiari potest usus partialis, quo in matrimonio, propter rationes honestas, aliis naturae finibus servatis, unus finis ad tempus excluditur? Vel aliud exemplum: quamvis agatur de organis ab ipsa natura ad sustentandam vitam destinatis, si quis, etiam sine sufficienti ratione, cibum sumeret non per os et stomachum sed per iniectiones, stultitiae quidem sed non peccati argueretur, vel peccati tantum in quantum valetudini damnum infligeret.

...[10] Constantiae ergo causa dicendum est fines naturae etiam magni momenti, qui ex ipsa structura corporis humani cognoscuntur, non simpliciter aequandos esse cum obligatione morali, quae obligatio iam ex alio capite deduci debet.

Ad cognoscendum fontem obligationis moralis melior via esse videtur ut attente consideremus leges morales quae ab omnibus hominibus ut tales agnoscuntur. Patet autem homines leges morales naturales, i. e. eas quae cognoscuntur sine revelatione, modo sat claro et generali, ex bono maiori humano tuendo vel procurando deduxisse et etiam nunc deducere. Leges ergo etiam naturales propter homines, non homines propter leges. Si autem bonum maius humanum tuendum vel procurandum est fons obligationis moralis, etiam limites legum moralium ex eodem fonte dignoscuntur et probantur, seu, *a. v.,*[11] ex eodem principio probantur et ipsae leges et earum limites.

Videntur moralistae temporibus praeteritis non sufficienter ad hanc legum naturam et vim attendisse, ita ut obligationem omnino generalem et absolutam legibus attribuerunt. Patet, tamen, ex experientia et ex sensu communi humano, leges naturales non imponere obligationem omnino absolutam sed cedere bono humano maiori.

Sic v. g. lex de non-occidendo secundum sensum fere generalem hominum exceptiones admittit: permittitur homini, si ad defensionem sui necessarium est, ut occidat iniustum aggressorem; permittitur in bello occidere hostes; permittitur civitati, cum ad tuendum bonum commune necessarium ducit, ut occidat malefactores. Haec iam permittunt etiam moralistae catholici. Sed sensus communis hominum ultro procedit. Sic v. g. permittit suicidium in casu quo homo praevidet se secus civitatis secreta magni momenti ab hoste defendere non posse; permittit etiam infanticidium in utero matris, cum honeste putatur esse medium unicum quo impediri possit ne et mater et infans ambo moriantur.

Moralistae catholici haec non permittunt eo quod legi naturali de non-occidendo obligationem omnino absolutam tribuunt quae ne quidem obligatione bonum humanum maius in tuto ponendi limitatur vel abrogatur, et strenue in eo laboraverunt ut ostendant exceptiones iam admittendas non esse veri nominis exceptiones.

Quod de lege de non occidendo valet, valet etiam de aliis legibus moralibus ...[12], quae natura sua ad bonum humanum ordinantur. Obligatio legis tunc cessat, cum bonum humanum maius tuendum id postulat. A. v., obligatio legum cum earum limitibus aequiparatur legi caritatis quae et ipsa bonum maius humanum postulat.

Cum quaestione praesenti nonnulla problemata moralia faciliorem et sensui communi consonam solutionem habent, cum leges naturales non divertuntur a bono maiori humano tuendo vel procurando. In determinando tamen bono maiori non tantum, ut patet, ad bonum particulare vel individuale attendendum est, nempe quod bono maiori communi obstare potest. In praxi et propter conditiones continuo mutantes non semper immediate apparet quid bonum maius humanum vere postulat vel, ut iam factum est in quaestione de usu matrimonii, dubium legis exoritur. Tunc valet principium: in dubio legis libertas. Lex dubia urgeri nequit.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Haec attitudo. [4] prima alinea n. 96. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] et. [10] Aut fines magni momenti naturae biologicae aequantur cum voluntate Dei imperantis, et tunc in uno casu habetur peccatum grave omissionis et in altero casu, propter frustrationem unius finis, probabiliter peccatum grave commissionis. Aut fines naturae biologicae non aequantur cum voluntate Dei imperantis, et tunc in utroque casu optio habetur propter rationes honestas eligendi unam vel alteram agendi rationem. [11] deest. [12] naturalibus.

Animadversiones additae:

Ad n. 31, pag. 25, lin. 2. Hae inaequalitates non causantur ab aliqua actione discriminationis sed ex eo quod aliquae gentes per actionem strenuam educationis et per laborem scientificum et technicum sese magis evolverunt. Earum progressus non est ratio scandali, sed spei pro omnibus. Scandalum, si adest, in eo est quod quaedam gentes adhuc non sufficienter laborant in sese evolvendo. Obligatio tamen habetur ut magis evolutae magis adiuvent eas qui sese evolvere cupiunt et adiumentum utiliter adhibent.

Ad nn. 42 ss., n. 52. Duo fines operis et duo fines operantis, unus saecularis, alter moralis seu religiosus, melius distinguendi sunt eorumque relatio ad invicem clarius indicanda. Nam quamvis distingui debent, nec semper iunctim habentur, tamen *natura sua* intime ad invicem ordinantur. Per actionem enim conscie *recte* ordinatam ad efficiendum mundum perfectiorem socialem, culturalem, oeconomicum, ipse homo *recte* se ordinat ad finem suum moralem seu religiosum. Rectus ordo enim est ordo moralis et generatim obligatio moralis saltem obscure cognoscitur. Aliis verbis, eo ipso quod homo operatur ad perficiendum mundum (includuntur omnia verba et opera cotidiana etiam humillima, quae ad recte ordinandam vitam humanam requiruntur), *quia* Deus id vult — vel saltem, obscurius, *quia* rectus ordo moralis seu obligatio moralis seu caritas id postulat — homo seipsum etiam moraliter perficit et coaedificat Regnum Dei.

Addendum: Ad fovendam religionem addere iuvabit quod etiamsi omnis actus sit moralis, religiosus et meritorius qui ex aliqua conscientia procedit adimplendi obligationem moralem saltem obscure recognitam ut talem, tamen valor religiosus actuum multum augeri potest tum ex promptitudine qua obligatio moralis recipitur, tum ex relatione intimiore actuum ad Deum, nempe qui procedere possunt vel ex intimo amore Dei vel tantum ex rationibus aliis plus minusve inferioribus seu a Deo remotis.

De bello condemnando et de pace condenda.

1. Concilium certe bella in genere condemnare potest et debet. Fortasse hoc efficacius fieri potest si breviter indicantur rationes propter quas bella condemnanda sunt ut *medium inertum* ad procurandam iustitiam inter nationes, immo ut medium magis magisque *intolerabile et facinosum*. Nam bella *a*) plura iura laedunt quam reddunt; *b*) favent nationibus fortioribus et ambitiosioribus, non iustioribus. Natio iustior debilior sine remedio iniuriae relinquitur; *c*) propter iniurias non resolutas vel de novo conditas bella fiunt causae bellorum ulteriorum; *d*) iam secum ferunt magnum periculum belli generalis nuclearis quod destruere potest magnam partem generis humani.

2. Inde, belli et armorum nationalium loco, genus humanum indiget medio vere apto ad resolvendum disputationes et iniurias inter nationes. Quia nulla natio est iustus iudex in causa propria, hoc consistere videtur tantum in tribunale vere independente, neutrius partis, cum potestate imponendi iudicia sua. Ad medium tale aptum instituendum omnes nationes, imprimis potiores, obligatione gravi tenentur. Quae sacrificia solvenda sunt a nationibus ut sese submittant tali tribunali, pretium exiguum est pro eo ut omnes salventur a holocausto atomico.

3. De cetero, dum conditiones praesentes perseverant, vix negari posse videtur haberi posse bella iusta defensiva et licitum esse ad defensionem suam praeparare arma nuclearia. Immo in bello moderno sic dicto totali, in quo fere totus populus aliquo modo ad gerendum bellum cooperatur et maxime voluntas bellandi adversarii frangi debet, actio bellica qua tota aliqua civitas destruitur, ut fiebat in bello praeterito, fortasse iustificari poterit si ex tali actione bellum valde abbreviatur et vita millionum hominum salvatur.

Pag. 78, linn. 38-40 omittantur: Nam in praxi saepissime in armis gignendis etiam *novae* divitiae creantur, maxime in iis casibus frequentioribus in quibus multi sine labore vivunt ("unemployment"). Dum occupantur in producendis armis, totae oeconomiae magnus impetus datur. Etiam, propter conatus producendi arma optima, novae « inventiones » habentur ex quibus etiam productioni aliarum rerum impetus additur.

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 348. Pag. 84: « An placeat ut textum numeri 3 ita immutetur ut legatur... » [*cf. pag. 584-585*]. *Placet* an *non placet?*

6

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Superior generalis Congr. Angliae O.S.B.

Venerabiles Patres,

Vellem loqui de nn. 98-101: de pace firmanda et de bello vitando. Difficultates nostrae in his rebus satis obviae sunt. Quarum una, opinor, haec est, quod omnes nos habemus suam quisque patriam. *Et pietas* [1] circa patriam est virtus, et ex eis virtutibus quibus sentimus nos civibus nostris *intime* [2] consociatos esse. Sed iam in hoc Concilio *Oecumenico* [3] officio tenemur, in momento urgentis periculi pro tota humanitate, responsum dandi, *sive* [4] Populo Dei *sive* [5] omnibus hominibus, responsum vere catholicum, vere universale. In *tali* [6] discrimine debemus, omnibus particularibus commodis posthabitis, sentire et ostendere nos omnes in Christo unum esse, ubi non est Iudaeus neque Graecus, non Orientalis neque Occidentalis, sed omnes unum corpus mysticum efficimur. Debemus loqui Populo Dei et mundo pro Populo Dei et pro omnibus hominibus.

Iamvero textus [7] noster cum aliqua cautela praeparatus est, ita ut si quis putet aliqua in eo emendanda esse, debet et ipse caute procedere, ne aequilibrium totius tractationis pessum eat. Nihilominus, sunt quaedam emendationes quas velim proponere et ...[8] scripto tradam, quarum aliqua forsan etiam oraliter vobis explananda sunt.

1. Pag. 79, n. 100, linn. 31 ss.; *et est haec sententia* [9]: « Quamdiu tamen institutiones internationales pacem satis communire non valent, possessio illorum armorum — nempe armorum hodiernorum atomicorum vel biologicorum vel chimicorum — solum ad deterrendum adversarium, eisdem armis instructum, non affirmari potest ut in se illegitima ».

Suadeo ut haec sententia omnino omittatur. Et ratio haec est. Quod ad arma nuclearia attinet, vera quaestio non est de mera possessione *armorum.*[10] Nemo putat quod potestates sic dictae nucleares habent meram possessionem talium armorum. Quod re vera exsistit, et quidem ex utraque parte ...[11], est praeparatio complexa quasi ad usum talium armorum — et quidem ad usum qui esset omnino illicitus quia esset usus sine debita discriminatione. Si ...[12] — aliquis dicat — talem praeparationem licitam esse putamus, debemus hoc dicere sincere et aperte, neque refugium invenire in referentia ad meram possessionem.

Sed in hoc casu, nonne necessarium esset ultra procedere, et clare affirmare quod non solum exsecutio illius praeparationis esset illicita,

sed etiam intentio, quamvis hypothetica vel « sub conditione », talis exsecutionis esset graviter criminosa? Et nonne hoc verum esset, sive talis intentio haberetur inter gubernatores Statuum sive etiam inter subordinatos eorum et in populo ipso?

Sed tunc in quaestionem spinosissimam incurrimus, utrum scil. possit de facto *talis* [13] praeparatio exsistere quin necessarie exsistat etiam intentio, saltem hypothetica, eis armis utendi. Ne igitur in casuisticam nimis implicatam labamur, suadeo *ut sententia omnino omittatur, ne quidquam pro ea substituatur.*[14]

2. Pag. 80, linn. 16 ss. *a*) Peto ut non loquamur hic de praesumptione iuris in favorem gubernatorum ...[15] Hoc principium, quamvis in abstracto habeat aliquam veritatem, occasio fuit quare saepissime et recentissime multa scelera in exsecutionem venerunt propter cooperationem subiectorum cum superiorum consiliis criminosis. Et est aliquid aliud quod debemus considerare *hic.*[16] In praesenti statu rerum omnes homines habent relationem moralem non solum neque primo loco ad patriam et gubernatores eius sed ad totam humanitatem, ad fraternitatem universalem, sicut bene exposuit Prior Generalis Ordinis Praedicatorum. Nonne igitur omnes debent se monstrare tanquam oboedientes illi mundiali auctoritati quae nondum exsistit sed omnino postulatur et requiritur pro bono communi humani generis? Omittamus igitur referentiam illam ad praesumptionem iuris ...[17]

b) Iamvero laudo quod *in eodem inciso* [18] referentia facta est ad obiectiones conscientiae. Sed non laudo elenchum rationum talium obiectionum ...[19]. *Et vellem ut simpliciter dicamus quod loquimur* [20] de obiectionibus ex recta ...[21] conscientia provenientibus ...[22]. Potest *enim* [23] accidere ut aliqui ex obiectoribus istis sint vere prophetae moralitatis integre evangelicae.

Concludendo, liceat mihi hoc dicere. Occasionem — *precor* [24] — arripiamus in hoc capite clare affirmandi Ecclesiam, seu Populum Dei, quod ad ipsam attinet et ad missionem eius, non tali auxilio quale est bellum, praesertim hodiernum, velle ab adversariis, quicumque sint, protegi. Neque enim Christus, caput nostrum, caput corporis sui mystici quod nos sumus, voluit se et missionem suam protegere neque per gladium discipulorum neque per legiones angelorum ...[25] iustitiae et caritatis Dei. Arma *evangelica* [26] non sunt nuclearia sed spiritualia; non bellando superat *Ecclesia et Evangelium* [27] sed patiendo.

Et velim finaliter quod sublineemus quod, quamvis intentiones gubernatorum laudemus et aestimemus, nihilominus actus permali sive in exsecutione sive in intentione, sive in intentione simplici sive in inten-

tione hypothetica, semper mali et damnandi sunt.[28] Adiutorium nostrum in nomine Domini qui fecit caelum et terram! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] pietas autem. [2] deest. [3] deest. [4] et. [5] et. [6] hoc. [7] Textus autem. [8] ideo. [9] deest. [10] eorum. [11] mundi septemtrionalis. [12] igitur. [13] haec. [14] ut (a) de mera possesssione talium armorum nihil dicamus, quia, ad arma nuclearia quod attinet, quaestio est propemodum irrealis et academica; (b) ut de praeparatione illa quoque taceamus. Alioquin omnibus patet quod *intentio* bellum illicitum gerendi est illicita. [15] et eorum qui militibus praesunt. [16] deest. [17] quae per se revera exsistit, sed quae potest in peccata tam facile inducere. Multo potius interesset ut officium in aliquo casu ab obedientia abstinendi sublineamus. [18] deest. [19] tamquam essent propriae hominum qui habent conscientiam vix adultam. [20] Melius esset si simpliciter loqueremur. [21] (sive vera sive erronea). [22] cum referentia ad illa quae in declaratione *de libertate religiosa* de hac re inveniuntur. Quippe. [23] deest. [24] deest. [25] quamquam ministri sunt. [26] Evangelii. [27] deest. [28] Iamvero, quod ad gubernatores rerum publicarum attinet, omnem quidem sympathiam ostendamus pro immensis difficultatibus quibus laborant, et bonas intentiones eorum certe cum profunda gratitudine laudemus. Sed si placet, addamus verbulum et monitionem aliquam non licere bonos fines promovere, nedum per actus malos, sed neque per intentionem etiam hypotheticam contra tales actus reagendi per actus similiter perversos.

Elenchus emendationum:

1. Pag. 77, n. 98, lin. 18: loco « omnis actio bellica... ad destructionem fere plenam » ponatur: « omnis actio bellica qua indiscriminatim intenditur destructio urbium » et sic porro. *Ratio*: quia intentio est elementum formale in re morali.

2. Pag 78, n. 99, lin. 32: loco « deforme » ponatur « monstruosum ». *Ratio*: quia « deforme » est vocabulum nimis debile in hoc contextu.

3. Pag. 79, n. 100, linn. 31 ss.: omittatur sententia « quamdiu tamen institutiones etc. » et sequens sententia leviter mutetur exhinc. *Ratio*: vide supra: arma nuclearia non mere habentur sed ad bellum totale de facto orientantur.

4. Pag. 80, n. 101, linn. 16 ss.: *a*) in prima sententia omittatur verbum « evidenter », et omittatur tota prima pars secundae sententiae. *Ratio*: non est conveniens in hoc momento temporis nimis insistere in principiis praesumptionis iuris. Vide supra.

b) Lin. 22 sic mutetur: « Insuper in hodiernis adiunctis conveniens est et a Concilio valde commendatur ».

c) Loco « vel propter testimonium... omnem vim exercendi » ponatur « propter conscientiam rectam sive veram sive etiam erroneam » (cf. declaratio *de libertate religiosa*).

Rationes ad *b*) et *c*): vide supra. Obiectores pro conscientia non sunt a *nobis* tolerandi sed roborandi.

5. Pag. 79, lin. 36: addantur sequentia: « Quod autem ad se vel ad suam missionem attinet, Ecclesia non petit ut adiuvetur armis hodiernis ad repellendos

eos qui impugnant populum Dei, sed Caput suum Iesum Christum secutus in manus omnipotentis Dei se committit. *Ratio*: ne fautores aequilibrii terroris vel belli totalis fingant se protectores communis boni christianorum esse.

Animadversiones additae:

Neminem latet momentum eorum quae nn. 98-101 inclusive huius schematis proponuntur. Subcommissioni cura erat ut ea quae suggereret veritati consona essent. Tamen via quadam media ingrediendum erat, praesertim quia sententiae vestrae in diversum abierunt. Itaque si aliqua in textu proposito emendanda sunt, debemus caute procedere, ne aequilibrium, ut ita dicam, totius tractationis laedatur.

Nihilominus, sunt aliqua de quibus emendationes proponere vellem:

Pag. 77, n. 98, lin. 18. Propono ut incisum hoc modo incipiatur: « Omnis actio bellica qua indiscriminatim intenditur destructio urbium integrarum cum earum incolis, a fortiori destructio fere plena regionum etc. ». *Ratio*: quia ipsa subcommissio, ni fallor, approbavit textum: « Omnis actio bellica quae intendit etc. ». Mutatio facta est in textu typis impresso fortasse Latinitatis causa. Sed locutio « pertinet ad » est nimis vaga; deberet textus loqui de *intentione,* quippe quae in actione morali est formalis.

Pag. 78, n. 99, lin. 32. Peto ut sententia incipiens « Quamdiu tamen institutiones » a textu amoveatur et, si placet, in notas transferatur. Tum sequens sententia deberet sic incipere: « Denique enixe agendum est ut praesenti statui rerum etc. ». *Ratio*: quamquam textus typis impressus quin positive laudet aequilibrium terroris, tantum dicit quod non est in se illegitimum, tamen periculum haud parvum est ne intelligatur Concilium positive approbavisse hoc aequilibrium. Et hoc periculum, meo iudicio, debet excludi. Satis patet Concilium non damnare absolute aequilibrium terroris, neque necessarium est ut hoc explicite dicatur; immo, talis explicita enuntiatio omnino periculosa esset.

Pag. 80, n. 101, incisum incipiens lin. 16. Plura sunt quae meo iudicio in hoc inciso melioranda sunt. *a*) In prima sententia omittatur vocabulum « evidenter ». *Ratio* est quia hoc vocabulum non est necessarium, cum omnes noverimus pondus certitudinis in re morali. Si igitur hoc vocabulum nihilominus usurpetur, daretur praeiudicium iniustum in favorem eorum qui mandata edunt. *b*) Tota prima pars secundae sententiae, usque ad vocabulum « parendum » inclusive, omittatur. Et ratio est quia non est necessaria in hac Constitutione Pastorali repetitio principii alioquin bene noti inter moralistas. Et si repeteretur, tunc iterum praeiudicium daretur in favorem gubernatorum et contra liberum iudicium conscientiae subiectorum. Id autem quod pertinet ad necessitates hodiernas non est inculcare oboedientiam respectu auctoritatis civilis saepius sua potestate abutentis, sed potius inculcare responsabilitatem eorum qui nimis facile oboedientiam praestant. Debemus in memoriam revocare eos qui rei fiant de criminibus in bello admissis regulariter appellare ad officium oboedientiae respectu Status; sed nos non debemus homini praesertim parere, sed Deo. Si haec omissio placet, tunc reliqua pars sententiae leviter immutanda erit, e. g.: « Illi autem qui iussa impertiunt et rei publicae rationem moderantur gravi obligatione etc. ».

Ultima sententia huius incisi debet meo iudicio roborari. Primo dicatur lin. 22: « insuper in hodiernis adiunctis conveniens est et a Concilio valde commendatur etc. ». Et lin. 25 post « vim exercendi » addatur: « vel alia seria ratione ».

Ratio huius ultimae emendationis est quia nisi talia verba addantur catalogus rationum deficiens remanebit.

Concludendo, liceat mihi quae sequuntur observare. Hodie ex una parte pericula ex bello oriunda talia sunt qualia nunquam antea in historia humana acciderunt; ex altera parte, crevit aestimatio et vitae humanae et dignitatis personae et iurium conscientiae sive verae sive erroneae, modo sit rectae. Totus orbis terrarum expectat quid Concilium de praesenti rerum statu dicturum sit. Videtur mihi omnino necessarium ut omne periculum excludatur ne videamur horrorem belli moderni quasi condonare, vel auctoritati civili nimis indulgere; hoc dico, quamvis non obliviscar moderatores supremos civitatum hodie in maxima perplexitate et difficultate versari circa obligationes conscientiae quae videntur inter se discrepare. Similiter cavendum est ne videamur conscientiam hominis moraliter adulti nimis praepedire vel parvipendere. Has ob rationes commendo vobis, Patres venerabiles, emendationes iam propositas.

N. 98. Emendatio proposita. Ut in secunda alinea, pag. 77, linn. 18 ss., pro verbis uti iacent substituatur: « Omnis actio bellica qua indiscriminatim intenditur destructio urbium integrarum cum earum incolis, a fortiore destructio fere plena regionum... » et sic porro ut in textu iacet. *Ratio*: ipsa subcommissio, nisi fallor, approbavit textum: Omnis actio bellica quae intendit etc. Substitutio vocabuli « pertinet ad » pro « intendit » facta est forsan Latinitatis causa. Sed vocabulum « pertinet ad » est nimis vagum, et ex altera parte deberet textus loqui de *intentione,* quippe quae est formalis in crimine. Ideo, ut Latinitati consulatur et simul sensui desiderato, emendatio ut supra proponitur. Si sensus aequivoce sonat, tunc propono ut, in emendatione, ante *destructio* (primo loco) inseratur *vel,* et iterum ante *a fortiori* inseratur *vel.*

Secretarius generalis: Proponitur suffragatio 349. Pag. 84: quaeritur: « An placeat ut textus numeri 7 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. pag. 585*]. *Placet* an *non placet?* Manet tantum una suffragatio facienda mane.

7

Exc.mus P. D. VILLELMUS GORDIUS WHEELER

Episcopus tit. Theudalensis, coad. Medioburgensis

Venerabiles Patres,

In par. 3, n. 94, bene loquitur schema, de munere oeconomico a communitate internationali praestando, ut nationes progredientes se perficiant. Recte postulatur tale auxilium oeconomicum quali eveniant maxima efficacia et aequitas, necnon iustitia et respectus erga valores morales et spirituales.

Sed hoc eodem loco etiam oportet insistere, necessarium esse dialogum cum prae-eminentibus doctrina oeconomica moderna inire, secundum voluntatem Summi Pontificis, principia in *Ecclesiam Suam* exponentis.

His diebus nimis praevalet opinio, caritatem in hac re, subsidiis monetariis, et initium et finem suam habere. Ex schemate iam apparet quod caritas revera postulat alia elementa in mente revocari. Tanta cum perspicuitate agere debemus, ut auxilium oeconomicum suam propriam finem attingat, utque eo modo distribuatur, quo maxime egestatem allevet.

Ex hoc tamen oriuntur multae aliae quaestiones, quas profundius investigare oportet. Oeconomistae quidam opinantur, cum mundus occidentalis ingentes sumptus ad nationes progredientes adiuvandas solveret, modo particulari solvendi spectato, revera in quibusdam casibus miseriam augeri magis quam imminui.

Ad quam difficultatem solvendam, hi oeconomistae docerent, oportere totis viribus incrementum regionis limitatae componere, in qua maior vis insita esset, quam in territorio integro, necnon stimulare incrementum locale et regionale. Oporteret insuper migrantibus dissuadere, quin confines illas sordidas magnarum urbium, de die in diem crescentes, quaererent. Animadvertendum est quod multa in nomine agentiarum episcopalium catholicarum incepta, et a missionariis devotis prosecuta, una cum aliis nationes progredientes bene cognoscentibus, quodam quasi instinctu, secundum hanc theoriam, in hac quaestione valde iam recognitam, persoluta sunt.

Hac theoria sic dictae « technologicae intermediatae » perspecta, videtur maximi momenti, fundamenta vitae tolerabilis condere, pro illis octoginta per centum qui ad nationes progredientes pertinentes extra confines urbium degunt. Quo faciendo ad has regiones stabiliendas, tale auxilium praestaretur, ut cum magis excultis in artibus technologicis contendi posset. Primum enim et essentiale ad oeconomiam nationis certo cum aequilibrio promovendam, est progressus in agricultura rite colenda, necnon in opibus ruris pandendis.

Hoc pro uno exemplo habeatur, ex quo appareat quanti momenti sit, christianos dialogum cum peritis in theoria oeconomica inire, ita ut solutio quaedam inveniatur quaestionis de optima forma auxilii praestandi. Ut haec solutio impleatur, dummodo rite examinata visa fuerit optanda, postularetur a multis, magna organisationis conamina.

Quomodo vero talia conamina ineunda sunt, salvis iuribus et libertate nationum progredientium? Sine dubio hoc faciendum esset sub influxu spiritus cooperationis fraternae. Hic modus agendi solummodo optime eveniet, adiuvante nova forma servitii voluntarii et generosi. Prompto animo nationes adiuvantes, oeconomistas suos optimos mittant, ad consilium nationibus progredientibus dandum, ad scientiam suam, cum eis communicandam, sine ullo praeiudicio aut scopo imperialistico vel oeconomico. Difficultatibus non obstantibus, maxime valeret cona-

tus iste, cum recta intentione et sui obliti agente, ita maius auxilium praestarent, quam ingentes opes sine cogitatione et sine consilio disponentes. Tanta enim est vis rectae rationis in hac materia, quanta in omnibus aliis humanae activitatis problematibus.

Oporteret dialogum de quo locutus sim, iniri in nomine Ecclesiae, ab eis qui maxime idonei inter catholicos invenirentur. Qua ratione motus, toto corde approbo secretariatum pro iustitia et accretione mundiali propositum. Qui ut instrumentum Ecclesiae esset, quo veluti matrimonio quodam coniungeretur cum mundo, re oeconomica, re sociologica, re demographica progredienti, potestas moralis caritatis iustitiaeque Populi Dei, qui prae oculis habet realitatem minime christianam mundi egestate laborantis. His diebus, forsan in nullo alio ambitu tam apta inveniuntur verba S. Augustini quae sonant: « Caritas sine scientia aberrat; scientia sine caritate inflat; scientia cum caritate aedificat (vel potius: caritas cum scientia aedificat) ». Sed ad has res recte intelligendas, maxime oportet quaestiones studere, media ita exquirere, ut dialogus sit vere fructuosus. Ad quae munera, propositio de tali secretariatu iam spectat.

Omnes scimus quomodo paucis his annis secretariatus pro unitate christianorum promovenda, in melius emendaverit totam mentem Ecclesiae in re oecumenica. Secretariatus pro iustitia mundiali, cum non necessario eiusdem structurae vel functionis esset, eodem tamen modo, emendare posset rationem sentiendi et agendi Ecclesiae, et quidem illa celebritate qua problema tam urgens indiget.

In sectione 98 hoc schema proclamat doctrinam a Romanis Pontificibus, scil. a Pio XII, a Ioanne XXIII, a Paulo VI nunc feliciter regnante promulgatam, quae docet quam a ratione alienum sit bellum armis nuclearibus gestum. Haec sententia nobis una voce ac verbis vel magis perspicuis confirmanda et promulganda est.

Certe, etiam in sectione 100, schema manifeste docet finem nostram debere esse et omnino vitationem belli et reductionem armorum mutuam et simultaneam esse solam solutionem validam.

In sectione 99 damnatur quidem istud aequilibrium terroris quod vocant ut « aliquid in se omnino deforme ». Attamen in ultima paragrapho de hac deformitate ita loquitur ut et praeviam condemnationem attenuat et forsan doctrinae Ioanninae in Encyclicis *Pacem in terris* contradicat; quae doctrina his verbis exprimitur: « Id autem poscit, ut pro suprema lege, qua hodie pax continetur, alia prorsus subiiciatur qua statuatur, non in pari rei militaris apparatu, sed in mutua tantummodo fide, veri nominis pacem inter populos firmam posse consistere ».

Certo, tamen, schema ultra Encyclicis *Pacem in terris* tendit quando dicit possessionem « illorum armorum solum ad deterrendum adversa-

rium non in se illegitima esse ». Nusquam numquamque in *Pacem in terris* verba talia inveniuntur. Haec sententia a schemate nostro expungatur.

Doctrina in hac materia explicita evadet nonnisi vocationem nostram christianam ut semper et ubique pacificam vindicaverimus. « Beati pacifici... ». Iam Summus Pontifex feliciter regnans nobis viam praestare ostendit, in quam omnibus oportet incedere.

In sectione 101, lin. 18, verba illa qualificatoria « praesumptio iuris » necessaria non sunt. Validitatem huius doctrinae in contextu suo vero cognoscimus. Aeque cognoscimus abusum in diebus nostris.

Prorsus idcirco defendenda est libertas conscientiae quippe quae hoc nostrum Concilium tam magni facit. Vitiosum enim videtur hanc libertatem modo agnoscere, modo negare.

Profecto integram de « praesumptione iuris » doctrinam nova consideratione indiget, scil. in luce conceptuum recentiorum de unico orbis terrarum gubernio. Sic etiam scopus pondusque notionis « auctoritatis competentis » mutari posset.

In lin. 23 schema loquitur de cive qui conscientia duce servitium militare vel quosdam actus bellicos immanem crudelitatem secum ferentes recuset: tam superbe autem loquitur talem civem nonnisi ut mollem et parum virum repraesentet. Ille, e. g., non est condemnandus sed commendandus qui conscientia duce vitam militarem recusat: idem enim his in diebus libertatis testis est praeclarus.

Has emendationes velim proponere: ut verba « propter testimonium lenitatis christianae, vel propter reverentiam erga vitam humanam, vel ex sincero fastidio omnem vim exercendi » mutentur in verba « propter testimonium vocationis christianae ad afferendam pacem ». Etiam si conscientia nobis semper non vetat servitium in re militari, nonne conscientiis aliorum tali modo obsequi possumus?

Illis mutationibus in schemate factis nostrum Concilium exemplar omnibus gentibus utilissimum tradet...

Moderator: Velis concludere, Pater!

Orator: ... haud quaquam exceptione debilitatum ...[1]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Tandem, nil plus nostris temporibus necessarium mihi videtur quam illa publica auctoritas in schemate commendata et optata quae potestatem realem atque effectivam per totum orbem terrarum exerceret.

Secretarius generalis: Lego 350 suffragationem, quae est ultima hoc mane. « An placeat ut textus n. 4 ita immutetur ut legatur... » [*cf. pag. 586*]. *Placet* an *non placet?*

8

EXC.MUS P. D. LAUREANUS CASTÁN LACOMA

Episcopus Seguntinus-Guadalajarensis

Venerabiles Patres,

Ex omnibus problematibus urgentioribus de quibus schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* agit in parte II, nullum certe gravius quam problema de pace et bello. Ideo dignissimum est ut a Concilio luce christianae doctrinae illuminetur.

Iam tempore Conc. Tridentini hoc problema positum fuit, cum quidam egregius vir, beatus Ioannes de Avila, a Patribus illius sacrosanctae Synodi postulavit ut de eo agerent, innuens solutionem valde similem huic quae a nostro schemate proponitur, nempe constitutionem cuiusdam *tribunalis* [1] supranationalis cum iurisdictione ad lites inter nationes arbitrali iudicio definiendas et cum vi satis idonea ad suam sententiam exsequendam ...[2]. Tempora, tamen, nondum ad hoc erant forsan matura, et res non fuit in illo Concilio discussioni subiecta ...[3]

Nunc vero Concilium nostrum arduam hanc et maximi momenti quaestionem considerationi nostrae subiicit ...[4]

Fere omnia quae in textu nobis oblato circa hanc rem dicuntur, optima sunt et respondent profecto exigentiis et necessitatibus huius temporis. Attamen, quasdam animadversiones facere mihi liceat, ex quibus aliae sunt circa ordinem expositionis aliae vero circa ipsam doctrinam.

I – *Circa ordinem expositionis.* Schema nostrum hanc aggreditur materiam loquendo de bello totali ...[5], prosequitur agendo de aequilibrio terroris ...[6], proponit deinde actionem ad bellum vitandum ...[7] et tandem agit de bellis minoribus ...[8]

Iam vero, in hoc ordine non adest sufficiens illatio logica. Vix ponuntur principia ac tamen deinde gravissimae inferuntur conclusiones. In textu uniuscuiusque paragraphi saepe sententiae sunt inconnexae et mere iuxtapositae.

Modum ordinandi hunc textum meliori, ut puto, ratione, scripto trado secretariae generali.[9]

II – *Circa ipsam doctrinam.* ...[10] Tria mihi videntur animadvertenda. *a*) *De iustitia belli totalis.* Inter omnia quae dicuntur circa hanc rem, ea quae continentur in n. 98, pag. 77, linn. 18-26 maximum momentum doctrinale habent. Ibi bellum totale incunctanter damnandum dicitur eo quod non dentur tres conditiones quas schema exigit, nempe, 1) respectus

ad personas et bona bellantium; 2) proportionalitas inter magnitudinem causae et effectuum in bello, et 3) possibilitas praevidendi et dominandi effectus armorum.

Theologi catholici maxime a saec. XIII egerunt de conditionibus requisitis ad hoc ut bellum iustum et licitum esse posset. Conditiones quas enumerant, maiori aut minori numero, plerumque reduci possunt ad tres quae a S. Thoma Aquinate indicantur, scil. auctoritas competens, causa iusta et intentio recta ...[11]. *His addi debet alia conditio quae a multis auctoribus iustus modus in bello dicitur. Principia haec classica omnino retinenda sunt, quia praecise ex applicatione eorum ad circumstantias hodiernas iniustitia infertur belli atomici.*[12]

Textus noster nihil dicit de prima conditione, scil. de auctoritate competenti ad bellum indicendum. Sed non expedit oblivisci huius rei. Effectus enim belli cuiusdam atomici alias nationes non bellantes afficere possunt sine dubio. In hac autem hypothesi, auctoritas unius tantum nationis non sufficit profecto ad indicendum bellum quod aliis etiam gentibus potest gravissime nocere. Unde, etiam ex hoc capite bellum totale, sive atomicum sive bacteriologicum, *est omnino illicitum et iniustum.*[13]

Reliquis conditionibus sufficienter satis fit in nostro schemate.[14]

Iamvero, hae omnes[15] conditiones simul sumptae requirerentur ut bellum atomicum *hypothetice*[16] dici posset iustum, ita ut una tantum deficiente eo ipso iniustum dici debeat. Hoc textus noster non sufficienter exprimit, nam conditiones enumerat quin dicat utrum una tantum sufficiat ad iniustitiam belli vel e contra omnes simul adesse debeant. Ad hoc ut veritas haec clarius pateret hae conditiones per disiunctionem « vel » copulari deberent in textu.

Haec omnia quae dixi omnino et sine ambagibus tenenda sunt quando agitur de bello atomico vel totali offensivo. Sed quid dicendum de bello mere defensivo, scil., si praecesserit actio bellica atomica ex parte adversarii? En quaestio gravissima de qua schema nihil expresse et explicite. Sed si linn. 27-34 pag. 77 inspiciantur, potius concludendum videtur etiam bellum atomicum defensivum, ...[17] quando praecesserit aggressio atomica, esse intrinsece malum et proinde omnino illicitum et contra ius. Sed quis est qui non videat hoc modo totum mundum venire posse in dominium cuiuslibet populi seu nationis effrenatae arma nuclearia possidentis?

Ideo, tota vis nostrae damnationis ponenda est in eum qui primus armis atomicis utatur. Si aggressio atomica non praecesserit ...[18], usus armorum nuclearium aut similium omnino interdicendus est, et tota responsabilitas coram Deo et Historia et Humanitate est in eo qui ad haec lugenda arma primus recursum fecerit. Omnes strages et calamitates

a bello atomico exortae, illi imputandae sunt qui primus contra Deum et homines, contra humanitatem et mundum, ad haec nefanda arma recursum fecerit ...[19]. *Ut hoc nunquam eveniat, ad progressivam armorum nuclearium reductionem et tandem destructionem deveniendum est.*[20]

b) Aliam observationem facere, non spernendi momenti, necessarium puto. Non sine apparenti saltem contradictione schema nostrum nimis facile admittere videtur *liceitatem belli civilis aut seditiosi.* Ait enim in n. 101, pag. 80 ...[21], hos conflictus « in nonnullis casibus, ultimum suffugium hominum iniuste laesorum vel oppressorum » effici.

Pro casibus conflictus internationalis, ad bellum vitandum, iure meritoque constituenda dicitur auctoritas internationalis competens quae, per arbitrale iudicium rem definiat; e contra, pro conflictibus intra ipsas nationes internis, ubi iam supponitur auctoritatem competentem exsistere, libere permittitur recursus ad armorum vim, saltem in « nonnullis casibus ». Haec quam periculosa et illogica sint nemo est qui non videat. Unde, auferenda penitus sunt praedicta verba a nostro schemate.

c) Tandem, pauca verba *circa sic dictam obiectionem conscientiae* [22] ... circa ea quae ...[23] de sic dicta obiectione conscientiae asseruntur ...[24]. Cum de liceitate huius obiectionis libere disputent theologi, cur Concilium nostrum hanc quaestionem dirimere vult? Aliunde haec quaestio est res quae valde in praxi contribuere potest ad auctoritatem potestatis civilis minuendam. Quid si maior civium pars hanc obiectionem poneret? Ideo prudentius puto hanc quaestionem auctoritati civili solvendam relinquere ...[25]

Utinam noster textus de pace firmanda et de bello vitando his et aliis observationibus per alios factis ita perficiatur ut possit ab omnibus approbari et hoc modo maximum influxum in mundi pacificatione habere, ita ut nova quaedam aurea aetas advenire possit in qua pax perpetua fulgeat sine occasu in firmamento Historiae. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] auctoritatis. [2] (B. Ioannes de Avila, *Memorial primero para el Concilio de Trento,* n. 63, ed. ABAD, *Miscelanea Comillas,* III, 1945, p. 68. Circa hoc cf. Jedin (Hubert), *Juan de Avila als Kirchenreformer, Zeitschrift für Aszese and Mystik*, II (1936), 124-138). [3] (cf. circa hoc meum opus *Un proyecto e. de Tribunal Internacional de arbitraje obligatorio en el s. XVI,* Tarragona, 1957). [4] in secunda parte huius schematis de Ecclesia in mundo hodierno. [5] (in n. 98). [6] (in n. 99). [7] (in n. 100). [8] (in n. 101). [9] Multo melius mihi videretur sequens procedendi modus: 1. brevissime exponere magnum nisum theologorum catholicorum, ex quo ortum est Ius Internationale modernum, ad hoc ut bella reducerentur ad limites iustitiae, et conflictus internationales per media pacifica solverentur. 2. Principia catholica circa ius belli et pacis ad bella vitanda brevissime enumerare. 3. Praesentem rerum sta-

tum, propter nova arma atomica et conventionalia, exponere. Hic dici possent quae in prima paragrapho n. 98 et in toto n. 99 de aequilibrio terroris dicuntur. 4. Principia catholica ad praesentem rerum conditionem applicare hoc modo: *a*) de necessitate constituendi auctoritatem internationalem ad bella vitanda, de modo procedendi huius auctoritatis ad conflictus solvendos, de mediis ad suas decisiones imponendas et de armorum reductione; *b*) de principiis ad bella vitanda antequam haec auctoritas de facto plene constituta sit, et hoc in duplici hypothesi: 1) quando agitur de bello offensivo, seu ad vindicandum ius aliquod, et 2) quando est quaestio de bello defensivo, scil. de repellenda iniusta aggressione non provocata. In utroque casu, h. e. tanto quando agitur de bello defensivo ac quando est sermo de bello offensivo, duplex hypothesis consideranda est, nempe, si arma classica adhibeantur et bellum non sit totale, et si arma adhibeantur moderna conventionalia terrorifica, ut bacteriologica etc. vel atomica; *c*) epilogus posset esse n. 101, de bellis minoribus, exclusis aliis rebus quae sunt in hoc loco et ad rem proprie non pertinent. Ita, ni fallor, ordo et claritas in hac re esset multo maior, et nonnullae vitarentur confusiones quae in nostro schemate non sunt superatae. [10] Relate ad doctrinam ipsam schematis. [11] (*Summ. Theol.* II-II, q. 40 a. 1). [12] deest. [13] potest omnino illicitum et iniustum esse. [14] Schema nostrum praecipue considerat secundam condicionem quae ab Aquinate exigitur ad liceitatem belli, nempe iustitiam causae. Hanc vero iustitiam considerat, et quidem merito, sub respectu relativo, scil. perspecta proportione inter ius laesum sive iniuriam nationi illatam et alia duo, hoc est poenam quae ad ius reparandum imponitur inimicis, et sacrificium quod ad victoriam obtinendam a propriis civibus exigitur. Iamvero, quando de bello atomico aut totali hodierno agitur, omnino haec duplex proportionalitas deficere videtur. In hoc ergo recte nostrum schema dicit. Auctores classici catholici de iure belli aliam etiam condicionem saepe addebant, nempe *modus iustus* in bello (cf. v. g. S. Bellarminum, *De controversiis christianae fidei,* 5ª controversia, lib. III, cap. XV. - Josse Clichtove, *De bello et pace opusculum,* Parisiis, 1523, fol. 32 v. hanc condicionem appellat « disciplina militaris, reprimens auctoritate ducum in militibus ... concutiendi insontes et reprimendi insontes licentiam »), scil., accurata observatio illarum legum quae, ex praescripto iuris gentium, etiam in bello inviolabiles remanent. Inter has condiciones plerumque haec enumeratur: respicere inter hostes personas non bellantes et earum vitae ac bonis nullo modo nocere. Iamvero, hic modus iustus vix dari potest in bello atomico aut totali per arma potentissima hodierna. In hoc etiam bene se habet nostrum schema. [15] Hae omnes ergo. [16] deest. [17] scil. [18] tam in bello offensivo quam in bello defensivo. [19] (Populus qui aggressionem atomicam passus est, vix alium modum se defendendi habet quam recursus ad eadem arma, ut hostem aliquo modo continere possit; unde non omnino apparet qua ratione condemnari possit si tamen servet, quantum possibile sit, moderamen inculpatae tutelae). [20] deest. [21] linn. 11-12. [22] deest. [23] in pag. 80, linn. 22-27. [24] mihi dicere liceat. [25] Haec propositio in ore Concilii interpretari posset non tantum tanquam approbatio modi agendi eorum qui talem obiectionem ponunt, verum etiam, saltem implicite, tanquam censura pro iis qui eam non ponunt, eo quod viderentur agere sine christiana lenitate et sine reverentia erga vitam humanam. Saltem distinctio fiat inter tempus belli et tempus pacis, nam in hoc ultimo nulla fit a militibus sanguinis effusio.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH MARLING

Episcopus Civitatis Jeffersoniensis

Venerabiles Patres,

Quaeri potest utrum nostrum schema attingat centrum problematis, quod respicit incrementum demographicum, non obstantibus suis de eo aequis iudiciis in nn. 96-97 expressis. Numerus civium, magis in dies in mundo accrescens, constituit hodie problema severum, cuius molestia autem non praecipue est de carentia victus et terrae frugiferae. Haec minatio manifesta, in futurum potius incumbens, impediri potest per latifundii reformationem, per restaurationem fecunditatis deterioris terrae, et per technicarum artium progressum. Altera et gravioris difficultas incrementum respicit collocationis pecuniarum et omnium mediorum productionis, ita ut semper amplius sit quam incrementum demographicum. Hoc est pondus quod sustinere non possunt regiones non excultae, et quod semper in deterius mutat condicionem earum.

Rerum oeconomicarum periti adfirmant quod si numerus civium cuiusvis nationis singulis annis centesimis ternis crescit (i. e. three per cent) — quod fit, per exemplum, in America Latina — haec natio amplificare debet collocationes pecuniarum centesimis denis (quod est ten per cent), ita ut asservari possit illa pro capite ratio vitae quae sit consueta. Nationibus pauperibus hoc est impossibile.

Proponitur subinde ut exemplar modus excolendi agros Hollandiae, et adfirmatur quod India, eodem modo adhibito, suis multitudinibus cibum facile praebere posset. Sed condicio vitae civium et cultura agrorum Hollandiae sustentatur ex collocatione pecuniae pro capite, quae relate ad Indiam, singulis annis in sequentibus centum annis indigeret supraddictionem duodecim millium milies dollarorum (12 billion dollars) etiamsi fingamus numerum civium Indiae non mutari. Quis tamen non videret hoc nullo modo, in usu hodie habito, possibile esse?

Quando agitur de victu vel de mera subsistentia potest recursum fieri ad nationes opulentas, uti in nostro schemate observatur, sed non attingit haec suggestio *plenam* [1] solutionem quando agitur de problemate sublevandi vel etiam servandi rationem vitae singulorum, dum ex adverso stat rapidum incrementum demographicum. Quare non mirari debemus si nationes ad hanc rerum condicionem evertendam, mediis utuntur quae in schemate vocantur: « solutiones quae legis moralis nullam rationem habent ». Mentes nostrae denuo vertuntur ad disparitatem vastam inter

nationes locupletas et egentiores. Quae recte habetur ut problema primum et fundamentale in nostro ordine oeconomico, et ad *quod solvendum* [2] nihil usque adhuc est propositum satis audax ut sit efficax.

Apte statuitur in nostro schemate quod deliberatio circa numerum prolis ...[3] a recto iudicio parentum pendet. Certe tamen non vult prohibere ut auctoritas publica sese immisceat officio praevidendi et ordinandi incrementum civium. Quod videtur illis verbis schematis significari: « De progressibus scientificis tamen quorum moralitate habetur sufficiens certitudo, homines, si res postulat, certiores fiant ». Forsan melius esset Concilium aperte et sincero animo hortari publicas auctoritates ut conatus dirigant in medicas investigationes limitationem prolis respicientes quae leges morales observant, et in divulgationem harum notitiarum.

Uti omnes sciunt, ubique terrarum coadunantur conventus, qui in problemata demographica operam dant. Quidam ex eis sic et simpliciter habent finem promovendi media anticonceptionalia, *sed non omnes*.[4] Attentione digna est relatio finalis conventus quem vocant « First Pan-American Assembly on Population », qui abhinc duos menses habitus est in civitate Cali, Columbia. Quarum deliberationum efficacitatem prompte agnoscere possimus. Conventus huius generis magni momenti sunt et ideo promovendi et quidem Ecclesia per delegatos expertos continuare eisdem praesens esse deberet.

Animadversio mea secunda est de elemento communiter praetermisso in nostris scriptis et dictis circa incrementum demographicum. Quod tamen a Concilio in bono lumine collocari debet, nam ipso omisso, nullum consilium vel decretum attingere potest sensum plene christianum, vel ab Evangelio inspiratum vocari. Ad illa verba memorabilia refero quae in cap. VI S. Matthaei inveniuntur, et in cap. XII S. Lucae. In his textibus bene notis Christus Dominus suos discipulos admonet ne inordinate solliciti sint de necessitatibus materialibus in futuro, eisque praebens exemplum ex volatilibus caeli, illos docet de amore Patris, qui suppeditat omnia in quacumque necessitate.

Clare indicare debemus (quod facile fieri potest) illam promissionem Christi non repugnare necessarios conatus sociales et oeconomicos ad hoc demographicum periculum obeundum, sed potius eis supplementum praebere et quidem stimulos. Non commendamus desidiam vel quoddam genus quietis orientalis. Hac mente erat Christus ut homines sua talenta strenuissime negotiari deberent in consulendo sibi et aliis. Cum autem haec omnia fecerimus, tunc inest nobis illud ius adeundi fiducialiter Patrem caelestem et repetendi auxilium promissum. Nonne manifestamus aliquatenus saltem spiritum huius temporis saecularismi, eiusque

inter res spirituales et res mundanas divortium, si verba Christi silentio praetereamus?

Quae omnia sequuntur etiam ab asservatione nos esse Populum Dei. Quod nomen gloriosum certe non pertinet tantum ad campum liturgicum vel theologicum. Quando Dominus populo iudaico aiebat: « Vos eritis mihi in populum et ego ero vobis in Deum », Ipse exquirebat ex Israel ut se suaque omnia in manus suas ponerent, atque simul repromittebat protegendi opes eorum. Et hoc per Ieremiam Ipse exploratum dat in illis verbis: « Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, O domus Israel » ...[5]. Si declaramus nos esse « populus pascuae eius, et oves manus eius », convenienter agere debemus coram hominibus nostri temporis.

Insuper competat nostro populo fideli ius solacii ex promissione Christi manantis. Ultimum, proclamando verba Christi ut pars integra disceptationis de hodierno incremento demographico — sed non ut substitutio pro illis quae schema iam *vocabat*[6] « amplas societatis immutationes inducendas » ...[7] — docebimus omnes nationes (ut sane nostrum est) quod iis primum regnum Dei quaerentibus, omnia alia adiicientur. Ostendimus quoque nos esse sinceros quando scribimus (n. 24, pag. 22): « Dei Spiritus, qui cursum temporis dirigit ... ab hac tam decretoria evolutione alienus non est ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] quam solvendam. [3] gignendae. [4] deest. [5] (18, 6). [6] vocat. [7] (n. 24, pag. 22).

Animadversiones additae:

Nn. 96-97. *Incrementum dictum demographicum* ut una ex gravissimis huius aetatis rite habetur, et tantae deliberationis de eadem agitatae dignissimum est. Difficile autem est comprehensu quomodo solutio quaevis proposita ut vere christiana vel evangelio inspirata haberi possit, si illa verba memorabilia Christi in capitulo sexto Evangelii secundum Matthaeum vel in capitulo undecimo secundum Lucam praetermittantur.

Quibus in locis bene notis, Christus discipulos suos commonuit ne immoderate de rebus materialibus solliciti essent, sed ut exemplum de volatilibus caeli caperent, et recordarentur Deum patrem esse amantem, suppeditantem quodcumque hominibus vere necessarium sit. Nosque admonet ut Providentiam divinam agnoscamus eique plenam fiduciam praebeamus.

Clare demonstrandum est (et demonstrari facile potest) Christum non commendare torporem vel quandam quietem Orientalem in rebus magis adversis huius vitae. Fiducia enim divinae providentiae nobis a Christo proponitur ut compleat nostros peractos in comprehendendis solvendisque huius vitae difficultatibus, non vero ut illos substituat vel eliminet. Ita enim intelligendus est sensus verborum Domini. Etiam volucres caeli quidem operam assidue impendere debent in cibum capiendum, in nidos pro parvulis construendos. Deus vero media necessaria eis in

rerum natura suppeditat. Volatilia secundum propriam naturam irrationalem agunt. Homo sapiens, vero, secundum naturam suam intellectu ad suas difficultates solvendas quam maxime uti debet. Quo tamen effecto, talentisque omnibus omnino adhibitis, secundum verba Domini, homo optimo iure cum confidentia sese Patri caelesti concredere, et subsidium ab ipso promissum exspectare licet. Quo in casu eum viam mandatorum sane sequi oportet. Primum ei quaerendum est regnum Dei et iustitia eius, et tunc alia omnia ultro adiicientur.

Memores sententiae eorum qui contendunt religionem aeternitatem solam spectare, et nihil omnino offerre ad sublevandas huius mundi miserias, exspectare debemus prolationem verbi Christi quando de incremento demographico agitur sensui vel animo puro religioso attributum iri. Sed his diebus saepe saepius postulat tempus ut cum S. Paulo clamemus: Non erubesco evangelium. Promissum Christi haereditatem uberem populi Dei exprimit, quibus solamen vel solatium huius verbi iure exspectare licet. Eiusdem praetermissio efficiet ut populus Dei patrimonium suum obliviscatur.

Huius loci Sacrae Scripturae omissio in textu praesentato eo magis elucet propter multas alias citationes ex Sacra Scriptura quae schema XIII in aliis partibus ornant. Praeterea evangelicis textibus iterum demonstratur quomodo argumenta Ecclesiae in Sacris Scripturibus bene fundata sunt, quod toties a fratribus separatis dubitatur.

10

Exc.mus P. D. CAROLUS ALEXANDER GRANT

Episcopus tit. Alindensis, aux. Northantoniensis

Venerabiles Patres,

...[1] Loqui velim de duobus problematibus de quorum *consideratione* [2] a nobis prolata, mundus hanc sanctam Synodum magna ex parte iudicabit: ...[3] problema de egestate maioris partis mundi, et problema de pace firmanda ...[4], quae problemata arcte inter se coniunguntur, cum iniustitia socialis et famis inter causas bellorum emineant.

I – *De egestate maioris partis mundi.* (Pag. 75, n. 95). Annis recentibus quidem, populus Dei in multis regionibus mundi, a suis episcopis ductus, doctrinam huius sectionis schematis anticipat, ita ut mihi videatur, veritatem illius adagii demonstratam iam esse quod ita sonat: « Multa parva, uberrime licet modeste ab humilibus facta, ingentem habent exitum ». Exemplum ex activitate illius instituti proferrem, cui praesidere mihi honori est. Dono nempe parvo mille librarum sterlinarum, sacerdos quidam in India degens, conditionem quadringentorum hominum hucusque miseria laborantium transformavit. Methodus iste optimus est pro societatibus voluntariis quae redditibus ingentibus carent. Insuper verum est quod catholici, in spiritu vero oecumenico cum

fratribus nostris seiunctis, et cum omnibus hominibus bonae voluntatis laborantes, magnas partes habuerunt in opinione publica formanda, de vera natura huius ingentis problematis, necnon in moderatoribus rerum publicarum inducendis ad adiutorium nationibus *progredientibus* [5] praestandum.

Sed hac in re Ecclesiam oportet maiores etiam conatus proferre. Tantummodo cum cives omnes nationum progressorum clare perspexerint se revera divites esse prae vicinis suis, moderatoribus rerum publicarum persuadere, et ad actionem ab eis postulatam incitare intendent.

Ex altera parte tamen verum est, quod ab anno 1950 ad annum 1961, nationes progredientes, pretiis productorum primariorum imminutis, millies tredecim millia millium dollarorum perdiderunt (thirteen billion dollars). Talia perspicientes, intelligere debemus, nec opus institutorum auxilii, nec auxilium quidem moderatorum rerum publicarum sufficere. Ut hoc problema solvatur, talis adaptatio in systemate mundi oeconomico et monetario (problema ut aiunt liquiditatis) fieri debet, quali nationes progredientes iustitia sociali perfrui possint.

Ope instituti coordinatorii, praesidente em.mo card. Frings cui gratias quam plurimas agimus erecti, longe efficaciora fient instituta particularia auxilium praebentia, et nihil aliud ad hanc finem assequendam requiritur. Mea tamen humili sententia, supradictis consideratis, summum opus est ut coetus cuiusdam supremi et quasi in intimo corde Ecclesiae positi, qui studium persequatur de problematibus complexis, quae ad victoriam de fame et egestate mundiali reportanda spectant, et quae Summus Pontifex tam intime in corde habet. Talis coetus *seu secretariatus* [6], perpetuus et summa auctoritate praeditus, quasi partes Concilii militaris Ecclesiae agere posset, sub Summo Pontifice, ad actionem Ecclesiae dirigendam in omnibus regionibus ubi opus esset.

Huius rei consideratio, et maxime sub aspectu oeconomico, in idem ducit ac consideratio pacis. Victoria de egestate mundiali reportabitur belloque finem ponetur nonnisi cum mundus cognoverit se unam esse societatem, in qua omnes sunt fratres, Deum ut Patrem invocantes. Et haec et illa, necessitatem ostendunt, auctoritatis mundialis erigendae, quae vera potestate gauderet. Demonstrando iustitiam et caritatem Christi ...[7], Ecclesia contra communismum optime luctabitur.

II – *De pace firmanda seu de bello vitando.* Schema nostrum in hac materia laudandum est *et multum,*[8] sed primo aspectu — et aspectus primus in hac materia quae mundo universo et omnibus hominibus maxime interest, *momentum non parvum habet* [9] — primo aspectu dico, schema nostrum videtur condemnare ut crimen contra Deum et ipsum

hominem, destructionem urbium integrarum cum earum incolis, et, eodem tempore, tolerare aequilibrium terroris, et speciatim videtur condonare intentionem arma hodierna in extremo discrimine utendi.

Verba quae hanc impressionem dare possunt, pag. 79, linn. 31-34 inveniuntur: « Quamdiu tamen institutiones internationales pacem satis communire non valent, possessio illorum armorum, solum ad deterrendum adversarium, iisdem armis instructum, non affirmari potest ut in se illegitima ». Iamvero verba « solum ad deterrendum adversarium » ita intelligi possent, vel etiam deberent, hoc sensu, ut omnis intentio illis armis ad urbium destructionem utendi penitus excludatur; sed lectori cursim legenti haec interpretatio minime patet. Immo vero haec verba intelligentur a longe pluribus *lectoribus* [10] hoc sensu: possessio armorum ad urbium destructionem destinatorum in se illegitima dici non potest, dummodo intentio sit eis solum utendi ad propriam defensionem, numquam vero ad aggressionem faciendam. Attamen, si talem usum armorum declaremus crimen esse contra Deum et ipsum hominem, iuxta normas istius theologiae moralis in qua omnes nos nati et educati sumus, omnino sequitur omnem intentionem crimen tale patrandi, quaecumque sit finis, quaecumque sit provocatio, etiam in se illegitima esse.

Propono igitur ut verba praecitata e textu schematis penitus tollantur — *quae est melior solutio* [11] —, vel saltem ita emendentur ut omnis ambiguitas excludatur — v. g., addendo in fine citationis, post verbum « illegitima », verba: « seclusa omni intentione eis unquam utendi ».

Textus prioris paragraphi etiam recognosci debet, a lin. 1, pag. 79, ad lin. 10, ita ut sine ulla ambiguitate appareat sanctam Synodum exsistentiam aequilibrii terroris mere agnoscere, sine ulla adprobatione huius facti.

Denique me coniungere velim, cum eis Patribus qui urgent, ut textus roboretur, qui tractat de illis hominibus qui ex conscientia, servitium militare, vel quosdam actus bellicos recusent. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Inter illas quaestiones quae in parte II huius schematis proponuntur. [2] solutione. [3] in mente habeo. [4] et de bello vitando. [5] perficiendis. [6] deest. [7] qui etiam his diebus miseretur super turbam quae non habet quod manducet. [8] deest. [9] maximi momenti est. [10] deest. [11] deest.

11

EXC.MUS P. D. PAULUS RUSCH
Episcopus Oenipontanus

Venerabiles Patres,

In capite [1] de bello evitando et de pace firmanda *damnatur quidem bellum totale, sed* [2] nonnulla desunt, quae tamen iure exspectantur.

1. *Ad n. 98.* In hoc numero bellum offensivum non damnatur. Hoc autem ad minimum generatim *exspectandum est.*[3] Natura enim belli nostris temporibus mutata est *quia moderamen* [4] inculpatae tutelae hodiernis condicionibus practice teneri iam non potest. Arma moderna tam efficacia, exclusis adhuc armis atomicis, etiam personas non bellantes passim laedunt vel etiam occidunt, puta ...[5] in incursione ex aere. Multo magis hoc valet in bello atomico.

Cum ergo moderamen inculpatae tutelae practice teneri iam non possit et ideo bellum per se iniustum fiat, patet, bellum offensivum damnandum esse. Solummodo bellum defensivum ex causis proportionate gravibus ...[6] admitti potest.

Quare *rogo ut textus sequens addatur* [7]:

« Concilium *expresse* [8] declarat hodiernis condicionibus omne bellum aggressivum iniustum esse, ad quod bellum pertinet etiam bellum subversivum, quod ergo eodem modo damnatur ».

2. *Ad n. 100.* In hoc numero bene statuitur, auctoritatem ...[9] universalem necessariam esse *et bellum omnino excludendum; sed ordo mediorum ad finem non ea claritate, firmitate et integritate indicatur, quae desiderari possit. Propono ergo sequentem textum*:

« *Quae auctoritas universalis ut finem proximum sibi proponat proscriptionem belli atomici per pacta sarciendam. Medium ad hoc melius obtinendum sit mutua restrictio armorum; ut finis autem ultimus statuatur proscriptio simpliciter omnis belli. Medium ut haec proscriptio efficax fiat in eo est, quod unice haec auctoritas universalis arma fortiora habeat, ut ergo omnem laesionem pacti et pacis repellere possit; patet scil. finem ultimum per gradus tantum obtinendum esse. Hanc definitivam proscriptionem omnis belli* [10] exspectant populi et conscientia totius humanitatis ».

3. *Ad n. 102.* In hoc numero agitur de praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali. Quae praesentia magis efficax fieret, si Ecclesia instrumentum proprium et ad pacem servandam aptum in ma-

nibus suis haberet, quo instrumento praesertim in periculo uti posset. *In qua re recordare liceat in nonnullis Statibus iam exsistere instituta scientifica ad omnes quaestiones pacis tractandas. Hac de re autem em.mus card. Alfrink iam heri locutus est, quare haec praetermitto. Ergo etiam Ecclesia aliquod instrumentum aptum habere debet ut in quaestione de pace in campo internationali efficaciter praesens reddi possit.*[11]

Quare rogo ut *textus sequens*[12] addatur: « Ad quod efficacius obtinendum, erigatur apud Sanctam Sedem *consilium pacis,* quod constituitur ex peritis in re morali, technica, politica, militari. *Quod*[13] consilium officium *habeat*[14] efformandi conscientiam christianorum et populorum, declarandi pericula quae ex cursu ad arma eveniunt, in casu urgenti ...[15] indicandi media *apta*[16] ad pacem servandam, *denique*[17] sese iungendi cum auctoritatibus internationalibus *in hisce quaestionibus,*[18] et generatim omne medium aptum adhibendi, quo perveniatur *tandem*[19] ad proscriptionem omnis belli, ut ...[20] humanitas *post atroces experientias huius saeculi feliciter*[21] liberetur a servitute *belli.*[22] ».

4 *et ultimo. Nihil dicitur de bello sic dicto ideologico. Bellum sic dictum ideologicum exoritur ex eo quod in mundo exsistunt motus politico-sociales, ut communismus, nationalismus exaggeratus, qui excessivam habent libidinem dominandi et nonnunquam super totum mundum regnare cupiunt. Ideo propter causas ideologicas odia seminant inter nationes vel inter populum et eius regimen et alia huiusmodi. Haec autem libido dominandi totum mundum ius de libertate gentium adversatur. Quare, illicita est. Sciant omnes qui tales ideas fovent se contra conscientiam totius humanitatis et eius progressus agere.*

Rogo ergo, ut talis vel similis textus in fine n. 101 admittatur: « *Ille autem qui dixit " Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur " excitet in Ecclesia sua spiritum quo non solum singuli christiani sed totus populus christianus pacificus fiat, i. e. pacem efficiens fiat, et sic dignus ut qua totus a Domino Beatus nominetur* ».[23] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In hac sectione. [2] deest. [3] exspectatur. [4] Moderamen enim. [5] e. g. [6] ad interim. [7] peto ut pag. 17 imprimis dicatur. [8] solemniter. [9] publicam. [10] sed nihil dicitur de proscriptione belli simpliciter, ne de proscriptione belli atomici quidem agitur. Generatim mendum huius capitis in eo est, quod verba plus iusto lenia adhibentur. Dicitur e. g. « conscientiam hominum non facile exonerari » scil. si media graviter iniusta adhibent. Nonne declaratio nostra firmior esse deberet, adhibendo stylum magis propheticum quam casuisticum? Quare rogo ut pag. 79 n. 100, post lin. 36 addatur: « Haec autem auctoritas universalis ut finem ultimum sibi pro-

ponat proscriptio omnis belli. Sed iam nunc urgens officium habet proscribendi omne bellum atomicum, quae proscriptio deinde per pacta internationalia firmetur. Hoc enim. [11] deest. [12] pag. 81, post lin. 18. [13] Hoc. [14] habet. [15] autem. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] denique. [20] tandem. [21] deest. [22] armorum. [23] deest.

12

Exc.mus P. D. PAULUS BREZANÓCZY

Episcopus tit. Rotariensis, adm. ap. Agriensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine omnium Patrum Conciliarium ex Hungaria.

Quoad cap. V partis II schematis sequentia liceat humiliter adnotare.

1. *Placet* [1] nobis ipsa descriptio pacis. Recte effertur ...[2] indoles pacis *dynamica* iuxta quam pax minime consistit in aliquo mero facto (v. g. in quodam pacto internationali), sed in habitudine *incessanter* [3] operosa. Huic additur indoles pacis *organica*: clare enim ostenditur pacem intime cohaerere cum vitae humanae componente oeconomico, politico et sociali. Denique *pacis indoles inculcatur* [4] *universalis,* ope cuius pax mundi promovenda est viribus consociatis omnium veram pacem exoptantium ...[5]

Ex hac completa indole pacis (*fuse accurateque* [6] descripta et *parte nostra* [7] ope quoque divina semper supposita) consequi videtur, ut ad pacem in mundo *convenienter* [8] fovendam et servandam Opus aliquod ...[9] centrale ecclesiasticum (sive in Urbe, sive alibi) erigatur. Sic Ecclesia modo sibi proprio in *toto* [10] mundo praesens et operans, tempestive, apte et debita cum auctoritate vires suorum unire et mobilisare posset. Altera vero ex parte, *per hoc opus cum aliis quoque consociationibus pro mundi pace certantibus optimo cum successu* [11] communicare valeret.

Offertur adhuc cogitatio, ut ipsa Sancta Sedes habeat occasionem permanentem interveniendi in coetu nationum *coniunctarum. Inauguratio sollemnissima ponderis perennis per Patrem communem Paulum VI, pacis nuntium, toto auscultante et applaudente mundo, die 4 huius mensis iam locum habuit.*[12]

2. *Concilium nostrum, Ecclesiae iam tot bona adducens, magna quoque exspectatio gentium habetur. Mundus vero huius temporis maxima premitur anxietate ob bellum totale ipsi imminens.*[13] Eliminanda videtur *ideo, in hoc capite,*[14] inconcinnitas saltem apparens in condemnando bello totali quibusvis armis praeprimis autem sic dictis nuclearibus gerendo.

Tale bellum totale clare quidem damnatur in n. 98 (in linn. 18-21), damnatio haec autem in eodem numero (lin. 33) apparenter *saltem* [15]

debilitari sentitur, *cum* [16] sermo movetur « de conscientia non facile exonerabili ». *Talis* [17] debilitatio, *etsi apparens tantum,*[18] eo minus conveniens dici retinerique *videtur, qua clarius* [19] iterum *iterumque* [20] strictam prohibitionem legimus in n. 100, in linn. 29-31, et in n. 101, in lin. 16, ubi occisio innocentium scelus evidens contra legem Dei exhibetur.

Iuxta nostram humilem et sinceram opinionem, *omnino* [21] desideratur *ut ab omnibus hominibus bonae voluntatis — et ab omnibus hominibus bonae voluntatis — iure meritoque exspectatur,*[22] ut damnatio belli totalis, nuclearis et alii sit solemnis, clara, gravissima et absoluta. Tale enim bellum *totale* [23] sine dubio evacuaret ipsum quintum Decalogi praeceptum, nam foret scelus pessimum tum contra Creatorem, tum contra *universam* [24] familiam humanam. *Per desideratam proclamationem mentis Concilii, feliciter firmaretur hac in re, ipse consensus generis humani.*

Animet nos, Patres venerabiles, hac in quaestione celebre dictum Doctoris Ecclesiae S. Augustini [25]: « Melius est occidere bellum verbis, quam homines armis ». *Applicetur haec sententia auctoritate suprema et gravitate summa. Nam de exstinctione totius humani generis agi sentitur. Si doctrina et monitio Concilii unicam admittens interpretationem eamque stricte prohibentem negligeretur, Sancta Mater Ecclesia saltem ab omni* [26] responsabilitate liberaretur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Praeplacet. [2] enim. [3] deest. [4] indoli pacis coniungitur aspectus necessarius. [5] (quod nos attinet, omnium christifidelium per mirabilem praesentiam Ecclesiae in mundo). [6] exhaustive. [7] deest. [8] deest. [9] pacis. [10] deest. [11] convenientius cum aliis centris pro pace certantibus. [12] unitarum. [13] deest. [14] deest. [15] quasi. [16] nam. [17] Haec. [18] apparens. [19] potest, nam de eadem re. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] deest. [25] Consensus generis humani per convenientem declarationem Concilii feliciter firmaretur. Iam tempore S. Augustini celebre erat dictum Doctoris Ecclesiae. [26] A fortiori applicetur sententia haec, quando de exstinctione totius generis humani agi videtur. Si monitio et doctrina unicam admittens interpretationem negligeretur, saltem a.

Secretarius generalis: Notum facio, venerabiles Patres, exitum suffragationis quoad totum schema *de pastorali episcoporum munere;* suffragatio finalis, uti dixi:

Patres erant praesentes votantes	2.181
Dixerunt *placet*	2.167
non placet	14

Ergo schema est definitive in congregatione generali approbatum [*Plausus*].

Idem schema deferetur ad Summum Pontificem qui, si censeat et quatenus censeat, illud deferat ad sessionem publicam.

En exitus aliarum suffragationum, quae scil. respiciunt schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

Suffragatio 345:

Patres praesentes votantes	2.176
Dixerunt *placet*	2.163
non placet	9
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	3

Suffragatio 346:

Praesentes votantes Patres	2.124
Dixerunt *placet*	2.113
non placet	9
Suffragia nulla	2

Suffragatio 347:

Patres qui suffragium dederunt sunt	2.062
Dixerunt *placet*	2.057
non placet	5

Suffragatio 348:

Patres praesentes votantes	2.064
Dixerunt *placet*	2.057
non placet	5
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Suffragatio 349:

Inter Patres praesentes votantes	2.057
Dixerunt *placet*	2.040
non placet	15
Suffragia nulla sunt	2

Denique *suffragatio 350,* ultima huius diei:

Inter Patres praesentes votantes	2.055
Dixerunt *placet*	2.049
non placet	3
Suffragia nulla	3

Et satis, Patres!

Moderator: Congregatio proxima erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium!

CONGREGATIO GENERALIS CXLIV
7 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXLIV
7 octobris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Celebratur hodie congregatio generalis 144, quam moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Bruxellensis-Mechliniensis; et prosequetur disceptatio circa partem secundam *de Ecclesia in mundo huius temporis* ac suffragatio circa modos schematis *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

De Ecclesia in mundo huius temporis loqui postulaverunt, ad cap. V et ultimum em.mi ac rev.mi cardd. Ioseph Maria Martin, arch. Rothomagensis (Rouen) in Gallia; Alfridus Ottaviani; exc.mi DD. Marianus Gaviola, ep. Cabanatuanensis in Philippinis Insulis; Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia; Petrus Cantero, arch. Caesaraugustanus in Hispania (Zaragoza); Paulus Gouyon, arch. Rhedonensis (Rennes) in Gallia; Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia; Georgius Beck, arch. Liverpolitanus in Anglia; Aemilius Guerry, arch. Cameracensis in Gallia (Cambrai); Petrus Boillon, ep. Virodunensis (Verdun) in Gallia; Villelmus Philbin, ep. Dunensis in Hibernia; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco; Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis (Lyon) in Gallia; Thomas Roberts, arch. tit. Sugdaei in Anglia; Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; et Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis.

Patres venerabiles, lego textum 351 suffragationis circa modos schematis *de accommodata renovatione vitae religiosae.* Videatis paginam 86. Quaeritur: « An placeat ut textus n. 5 ita immutetur ut legatur [*cf. pag. 587*]. *Placet* an *non placet,* Patres?

PATRUM ORATIONES

(*De Ecclesia in mundo huius temporis,* cap. V partis II)

1

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. MARTIN
Archiepiscopus Rothomagensis

Post nonnullos oratores dicens, veniam peto, venerabiles Patres, si in sequentibus cogitationibus aliqua resumantur quae iam audistis *de pace firmanda seu de bello vitando.*[1]

1. *De stylo* (sive de « genere litterario ») ...[2]: modus quo exprimuntur sententiae, quae apte verae sunt, ...[3] mihi videtur « animo carens », cum agatur de materiis quae genus humanum angoribus premunt, et ad vitam aut mortem totius humanitatis pertinent.

Timendum est ne frustrata habeatur *magna*[4] turba coaevorum nostrorum, si ...[5] Concilium nesciat invenire cum verba tum loquendi modum quibus exprimatur quantopere moveantur corda nostra *humana,*[6] simul ac iudicium rationis nostrae quod sane nimis frigidum videri nequeat.

2. *De distinctione inter bellum offensivum et bellum defensivum.* ...[7] Theoretice apta est huius modi distinctio, *sed practice*[8] omnino precaria et insufficiens videtur, si ad calamitates quae humanitati imminent, mentem *intendamus*[9].

« *Hélas!* », « *Eheu!* », *exclamavit Sanctissimus Pater, non Urbi sed Orbi, cum altera die*[10] actualem et dolendam necessitatem evocavit defensivorum armorum.

Clarum[11] est enim quod, huiusmodi distinctione, in « circulo vitioso » relinquimur, cum mala voluntas unius (aut quorumdam) trahat ius pro alio (aut quibusdam) armis se munire, et ita inducat in furialem cursum ad paranda bellorum instrumenta, ut provideatur horrendum « terroris aequilibrium », quod vorat summas *argenteas immensas,*[12] quae alibi utiliora forent, et facit ut gradiatur Humanitas ...[13] super tumentes ignes (*gallice: un volcan*[14]), quorum scintilla (« *une étincelle* »[15]) eruptionem per mundum extendere potest.

3. *De bello iusto et iniusto.* Item, clarum videtur quod iam non possimus de bello loqui uti faciebant praeteriti temporis theologi, cum « bellum totale » hodiernum, iam non sit bellum quod noverunt anteactae aetates. *Revera, de vita aut morte ipsius mundi nostris diebus agitur.*[16]

4. Quibus positis, ipsa notio belli — *ipsa notio belli* [17] — et cuiuslibet belli, ut *medium* [18] ad quod recurratur ut solvantur internationales difficultates, *est reprobanda* [19] et a vocabulario necnon a moribus humanitatis tollenda.

5. Ad hunc effectum obtinendum, necesse est ut christiani — *ut sic, ut tales, prae omnibus* [20] — et omnes quidem christiani — cum populus, tum clerus, tum pontifices — primas partes agant in *promovenda universali motione* [21] in favorem Pacis, nomine Humanitatis necnon Principiorum Evangelii Christi.

« Bellum in bellum », « *guerre à la guerre », dixit olim* [22] Summus Pontifex Pius XII in quodam ex nuntiis Nataliciis.

« Iam nunquam bellum, iam nunquam bellum », « *jamais plus la guerre, jamais plus la guerre », heri dixit* [23] Summus Pontifex Paulus VI, coram illo singulari coetu Unitarum Nationum.

6. *Denique tandem, pendet ex huiusmodi motione necessitas confortandi Auctoritatem illam Superiorem,* [24] quae ius et potestatem habeat cum arbitrandi internationales conflictus, tum de eis iudicium ferendi.

7. Priusquam dies illa advenerit — nonnisi forsan post longum tempus — sed ad quam conatibus nostris tendendum — Sanctissimus Pater iam perseveranter ostendit medium quo contineatur cursus ad paranda bellorum instrumenta, invitans scil. Nationum Rectores ut partem expensarum quae ad rem militarem destinantur, adhibeant ad opera socialia et caritativa, ad « melius esse » Humanitatis.

8. Christiani pro sua parte omnia facere debent ut menti Summi Pontificis assentiant, et totis viribus in opinionem publicam agant ut a verbis ad acta deveniatur, iuxta expressum Pauli VI mandatum.

Concludo. Verba mea, ni fallor, nonnisi repercussa sunt: ex multis aliis verbis quae iam in Concilio audita sunt; ex verbis et gestis Summorum Pontificum nostri temporis, et praesertim Illius Magni Apostolici Peregrini ad O.N.U.; ex mandatis ipsius Christi: in medio *turbarum quae patiuntur,* [25] discipuli *veri Christi* [26] filii lucis sint, et nuntii Pacis.

Si volumus ut Pax in terris maneat, ne « bellum paremus », iuxta sententiam paganarum Nationum praeteritorum temporum, sed Pacem paremus, veram Pacem, illam quae sola est Pax vera, quae omnia instaurat in unico fundamento Christi et Evangelii Christi. Amen. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] cap. V, partis II schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* quod inscribitur « De communitate gentium et pace promovenda ». [3] quasi iners, ut. [4] immensa. [5] uti fecerunt Summi Pontifices Pius XII, Ioannes XXIII et Paulus VI. [6] hominum.

[7] Quamquam. [8] deest. [9] intendas. [10] « Eheu » dicens, Sanctissimus Pater coram conventu qui dicitur ONU. [11] Clarius. [12] milies milium et milium auri. [13] — et quidem ad mortem —. [14] deest. [15] deest. [16] bellum scil. armis utens effectus circumscriptos habentibus in brevi spatio; iam non bellantes se invicem aggrediuntur; nunc de vita ipsius mundi agitur, et de periculo in quo versatur. [17] deest. [18] medii. [19] in discrimen est adducenda. [20] deest. [21] instituenda universali contentione. [22] sic aiebat. [23] ut heri dicebat. [24] Clarum est etiam ex huiusmodi contentione effici ut instituatur Auctoritas illa Superior, de qua locutus est Pontifex. [25] populi qui patitur. [26] eius.

Secretarius generalis: Legitur textus suffragationis 352. Pag. 87: « An placeat ut textus n. 6 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. pag. 587-588*]. *Placet* an *non placet?*

2

EM.MUS P. D. ALFREDUS CARD. OTTAVIANI

Bellum esse omnino interdicendum multi Patres optime asseruerunt, et iis quae iam dicta sunt prorsus subscribo. In nostro autem schemate sub n. 98 nimis breviter innuitur ad media quae necessaria sunt, quae necessario adhibenda sunt ad praecavenda bella; essent igitur fusius explicanda. Humillime mihi videtur haec ea esse:

Primum omnium: educationem. Educationem sive infantium sive iuvenum sive populorum, quae quidem educatio excludit omnia illa quae sive in mediis communicationis socialis sive in iocis pro pueris et iuvenibus exhibent nimium arma et bella. Debet nostra iuventus ad spiritum lenitatis educari.

Secundo: magis fovenda idea fraternitatis, non solum inter membra unius nationis, sed inter omnes homines, cuiusve stirpis, cuiusve linguae, cuiusvis nationis, et evitandus omnino quilibet imperialismus sive colonialis sive etiam ad divitias acquirendas et cumulandas, sed fovenda est etiam distributio bonorum sicut inter fratres unius familiae humanae.

Dein mihi videtur omnino necessarium luctandum contra omnia gubernia totalitaria. Regimina totalitaria sunt prima causa bellorum. Igitur quantum fieri potest debent evanescere ex mundo.

Aliud medium est ut foveatur recursus ad media pacis praevia quae exhibentur ab organis ad id creatis, ut est Arbitratus vel etiam Tribunalia, vel Tribunal v. g. Agecomitis vel etiam Societas Nationum (ONU). Et sanctiones adhibendae sunt contra contraventores dispositionum horum organorum.

Insuper notandum volo quod sub nomine belli, quod est nomen multum vagum et multa potest comprehendere, est etiam « guerrilla » v. g. qua utuntur frequenter communistae sub specie liberandi populos quos dicunt subiectos a regimine oppressori. Nam communistae, ut scitis, habent vocabularium sibi proprium: aggressionem vocant liberationem, gubernium totalitarium proprium vocant gubernium populi, democraticum, et alia huiusmodi, ita ut frequenter habeantur aggressiones sub specie liberationis, sicut nunc est in quadam parte Asiae. Igitur omnes formae istorum bellorum, istarum luctarum, istarum violentiarum reprobandae sunt, et reprobandum est etiam bellum ideologicum. Quia bellum ideologicum protractum artibus quae violentiam moralem quamdam excitant, est maxime producturum bella realia.

Dein vulganda sunt, ea vulganda sunt, ea principia, quae in Ecclesia saepe a Summis Pontificibus traduntur ad servandam pacem, v. g. principia relationum internationalium quae Pius XII, in suo nuntio radiophonico anni 1941, edidit quando grassabat bellum mundiale. Item ea quae nostris diebus Summus Pontifex Paulus VI sive in ONU sive in hac Basilica edixit ad servandam pacem.

Ceterum Sanctus Thomas aperte dicit tum oratores populi tum plebs ipsa evertere posse a gubernio illos qui parant ruinam populi speciatim cum bellis. Hoc in libro « de Regimine Principum ».

Igitur oro Deum verbis Psalmistae: « Dissipa gentes quae bella volunt », et aliquod votum in hac Aula facio, quod nempe sicut nunc laboratur ut habeatur Europa Unita, sicut facta est unio Statuum Foederatorum sive in America Septemtrionali sive in Brasiliis et in aliis locis, ita perveniamus ad rempublicam universalem, ad unionem omnium populorum sub unica patria, mundus, mundus qui fiet christianus, tunc enim regnabit pax Christi in regno Christi. Dixi.

Textus scripto traditus:

In schemate constitutionis pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* n. 98, innuitur brevissime ad media praemittenda in controversiis inter Nationes ut bellum evitetur; at, meo humili consilio; fusius de his mediis esset agendum ut Concilium Oecumenicum suggerat lenitatis via quibus pax servatur.

Exponenda sunt igitur arma iustitiae et caritatis quae praevenire debent bella. Illae autem haec erunt:

a) educatio civilis et religiosa populorum quae animum plebium (ideoque et gubernantium ab eis selectorum) ad cooperationem inclinet et ad mutuam inter gentes iurium et officiorum honestam agnitionem et permutationem, exclusa lucta classium, lucta stirpium et lucta imperialismi sive politici sive oeconomici, quae omnia constituunt praecipuos bellorum fomites;

b) spiritus fraternitatis populorum iuxta principia evangelica ita ut quaelibet

gens parata sit sacrificia obire pro bono communitatis, totius humanae consortionis, quemadmodum et individui in propria republica pro bono communi aliquid de suo semper conferre debent;

c) impedire gubernia totalitaria, quae sunt primae scaturigines bellorum;

d) recurrere quantum fieri potest ad arbitratum;

e) reddere magis obligantia dictamina organorum internationalium ad solvendas controversias statutorum, ut sunt « Tribunal Internationale Agecomitis (seu LA AIA) » et Societas Nationum (ONU).

Aliam deficientiam invenio in hoc schemate circa conflictus inter Nationes. Videlicet omissionem descriptionis variarum specierum violentiae per arma rerum publicarum vel factionum illatae.

Bellum est verbum sub hoc aspectu nimis vagum et amplum. Debent autem reprobari etiam ea quae cum bello filiationem habent quandam. Talia sunt: revolutio armis excitata cui potest sequi bellum civile; item, bellum sparsum seu « guerriglia » quae est methodus bellandi praesertim a communistis adhibita ad promovendam subiectionem populorum communismo; item, subdola media bellica quae res publica una adversus alia adhibet qualia sunt « sabotages » et actus terroristici. Non debemus oblivisci communismum provocare bella seu suas aggressiones sub specie liberationis, nam pro communistis locutiones sensum diversum seu potius quandoque sensum contrarium assumunt ab illo qui communiter verbis inest.

Tandem aliquando acriter reprobandum est bellum quod ad imponendas ideologias excitatur.

Ceterum, iuxta doctrinam ab ipso Divo Thoma exhibitam in Tractatu *de Regimine Principum* (lib. 1, c. 6), oratores populi ipsaeque plebes quae evidenter aspiciunt proprium gubernium parare caedem et ruinam populi bello quod aggressurum sit, illud regimen evertere iustis modis possunt et debent: et in Psalmis oramus: dissipa gentes quae bella volunt.

Omnino autem curandum est ut praesertim causae bellorum praeviae removeantur, ea adhibendo remedia, quae in quinque punctis synthetice collecta sunt a Pio XII in insigni Nuntio radiophonico natalitio anni 1941, grassante ultimo bello. In iis, enim Summus Pontifex fundamenta pacifica novi ordinis internationalis mirifice conlustravit (*A.A.S.*, vol. XIX, pag. 16 ss.).

Demum bella erunt tantummodo in memoria praeteritorum si verba quae fecit recenter Summus Pontifex Papa Paulus VI Neo Eboracensi et postea in hac ipsa aula fixa semper erunt in corde tum gubernantium tum populorum.

Optandum denique erit tanquam votum emissum a Concilio ut ex omnibus mundi nationum una res publica mundialis fiat in qua igitur non amplius erunt iurgia pluritatum nationum sed toto orbe in pace composito fiat Pax Christi in Regno Christi.

Secretarius generalis: Lego textum suffragationis 353. Pag. 87, n. 9: « An placeat textus n. 9 iuxta modos Patrum exaratus, ita ut legatur ... » [*cf. pag. 588-589*]. *Placet* an *non placet?*

3

Exc.mus P. D. MARIANUS GAVIOLA
Episcopus Cabanatuanensis

Venerabiles Patres,

In cap. V, partis II schematis, dum palam sermo fit de praerapido incremento demographico quod nostra aetate genus humanum obtinet, altum et mirandum sane silentium servatur circa ea quae per Magisterium Ecclesiae dicta sunt circa quaestionem, quae nunc tot hominum animos praeoccupat, illam nempe de sic dicta « explosione populationis », et ...[1] superpopulatione terrae. Adhuc amplius: Quae in art. 96 et 97 cap. V dicuntur simul cum iis quae asseruntur in art. 60 et 63 cap. I, in quibus ius affirmatur parentum determinandi numerum filiorum, videntur consentire illi theoriae quod superpopulatio terrae factum certum erit in tempore a nostro non nimis distante.

Quin studium nostrum dirigamus ad quaestiones, quarum definitionem Sanctissimus Dominus sibi suo iudicio determinandas reservavit, adhuc haec Sacrosancta Synodus deberet aperte et sine ulla ambiguitate proclamare immutabilia praecepta ordinis moralis, quae semper sancte tenenda sunt et servanda.

Ignorat nemo propugnatores limitationis procreationis « birth-control », necnon sic « planned parenthood », sensu quidem multoties *minime*[2] catholico, praecipuum argumentum trahere ex illa theoria superpopulationis. Etiam satis notum est propugnatores illos diffundere conari praxes anti-conceptionales, et quidem inter cives regionum quae dicuntur « depressae », itemque eos in sua actione — quasi ansam sumentes ex conditione religionis necnon civilis culturae dictarum regionum — nullum scrupulum facere in promovendis mediis sive licitis sive illicitis ad finem intentum praeveniendi factum superpopulationis.

Felicis recordationis Ioannes Papa XXIII, expresse in suis litteris encyclicis *Mater et Magistra,* de hac theoria loquens ...[3] non cunctatus est aperte asserere *cum dicit*[4]: « In omni casu principia et facta ex quibus quis tales conclusiones posset eruere sunt incerta nimis et mutabilia ».

Ne quae ab hoc Concilio dicuntur, ad fines suos adhibeant improbi propugnatores limitationis procreationis, qui saepe intentione lucri moventur potius quam vera sollicitudine boni communis, et qui praecipue propositum sibi finem consequuntur ob timorem quem multorum animis intulerunt imminentis superpopulationis, haec Synodus deberet clare

doctrinam proferre circa praevie ordinatam familiam, et alte proclamare immutabilem doctrinam circa praeventionem procreationis, et illicitis mediis impediendi opus naturae in filiorum procreatione.

Commissio Conciliaris deberet etiam perpendere oppositas theorias scientificas, quae theoriam superpopulationis dimittunt ut quid nullatenus probabile, saltem relate ad universam terram homini ad habitandum concessam.

Admissio theoriae superpopulationis (quae videtur etiam acceptata in supradictis articulis huius schematis) homines etiam credentes inducere potest ut in discrimen vertant Dei sapientiam in opere creationis. Vel in dubium vocat ipsam Providentiam divinam, quasi Deus, qui talem hominibus concessit potestatem vitam multiplicandi, defuerit in providendis mediis ad vitam servandam necessariis; cum tamen Dominus dicat: « Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. » ...[5]

Diligens cura habenda est ne homines temere inducantur ut credant omnino necessarium esse limites statuere incremento hominum; praesertim si ratio habeatur investigationum quae demonstrant deminutionem civium effectus inducere adversantes oeconomicae stabilitati nationum. Quod facta ipsa demonstrant quae contingunt in ipsis nationibus quae dum maiore fruuntur prosperitate oeconomica, talem tamen experiuntur penuriam operariorum ut cogantur ingentes turbas admittere ab exteris nationibus.

Opportune quoque deberent colligi et considerari statisticae circa effectus, physicos, morales, oeconomicos, sociales, psychologicos, etc., quae in quibusdam regionibus derivantur ex praxi praeventionis natalitatis, ubi illa, ratione praesertim praeveniendi incrementum demographicum, per leges admissa est, vel modo satis generali adhibetur.

Illud etiam observandum est, quod inaequilibrium inter multitudinem hominum et progressus oeconomicos quod affirmatur exsistere in quibusdam regionibus, verum quidem esse in quibusdam partibus vel magnis civitatibus, *sed non* [6] in tota regione; et illud malum saepe ab ipsa ordinatione sociali esse causatum, eo quod homines agros deserant et ingenti numero in urbes conveniant, deserta relinquentes amplissima loca quae possent, debite exculta, uberrime necessitatibus hominum providere.

Observatione dignum est praxim limitationis procreationis magis communem esse in regionibus quae prosperitate oeconomica gaudent, quam in illis quae illam assequi conantur. Semper tamen ratio invocata communiter est indolis oeconomicae vel socialis. Ratio quidem multoties vere exsistit. At ipsae publicae auctoritates, aliaeque institutiones socia-

les, utique possent malis remedium afferre, e. g. subsidia numerosioribus familiis concedendo, providendo educationi filiorum, curae ministrandae in casu infirmitatis, etc.

Venerabiles Patres! Humiliter rogo ne oblivioni tradamus familias vere christianas sat plurimas quae adhuc tenent verum amorem sacrificiis acceptis puriorem et intensiorem evolvi, quae bene persuasae sunt statum coniugalem non esse viam triumphi sed sanctificationis, quae constanter sunt dispositae ut crucem suam tollant et Christum sequantur. Non igitur conferamus nos ut Populus Dei fiat segnis et mollis, neque causa simus ut illi aliquando viam deserant quae adeo insignia merita illis afferre potest. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quae exinde timetur ventura. [2] non. [3] quod nempe « nisi opportune remedium provideatur ut limites apponantur incremento generis humani, in futuro tempore non longe distante gravem experientur homines defectum proportionis inter numerum hominum et media ipsis necessaria ad vitam ». [4] deest. [5] (*Mt.* 6, 34). [6] non autem.

Secretarius generalis: Suffragatio 354, pag. 88: « An placeat textus numeri 10 iuxta modos Patrum exaratus, ita ut legatur ... » [*cf. pag. 589*]. *Placet* an *non placet?*

4

Exc.mus P. D. MICHAËL KLEPACZ
Episcopus Lodzensis

Venerabiles Patres,

Cunctae orbis nationes omniaque earum gubernia saepe saepius de pace alte loquuntur. Pax enim ab ipso secundi mundialis belli fine particularibus in terrae continentibus non habetur. Addi debet metus tertii mundialis eiusque fortasse atrocissimi belli. Omnes imaginantur fore, ut sufficiet bella condemnare ideasque pacis diffundere et aurea mundi aetas adveniet et nationes progressui propriarum urbium et vicorum incumbent ac cum aliis pacifice coëxistent. Sed in praesenti, reposito multiloquio de pace et de bellis vitandis, anima humana intimius perscrutanda est et insimul scrutandae sunt institutiones sociales et oeconomicae in terrarum orbe. Et in anima praecise humana pax non habetur et ibi quaerenda est causa dissensionum inter singulos homines et inter nationes. Egoismus profundus in hominibus regnat, cupiditas dominatur,

instinctus morales contra naturam evolvuntur, vis physica tantummodo timetur, responsabilitas coram conscientia parvipenditur cum reiecta ceteroquin basi, quae est coram Deo responsabilitas — haec sunt motiva, quae praesentat actualis « homo sapiens » ...[1]

Ulterius, oeconomicae mundi conditiones ad optimismum non incitant. Undique querelae adveniunt binam tertiam hominum partem ob famem sufferre, corpora sua extenuare et mortem accelerare. Una tertia tantum hominum pars in *relativa conditione* [2] vivit et paucissimus solum eorum numerus bonis gaudet conditionibus ...[3]

His omnibus minime exaggeratis observationibus addendum est magnam hominum partem commoratam fuisse vel adhuc commorari in memori non dignis et saepe maledictis concentrationis campis. Nuper fuit occisio totius fere nationis, annihilatio millionum nonnatorum, coacta sterilizatio, etc., etc. ...[4]

Quid ergo? 1. Christi doctrina in Evangeliis contenta et a duobus annorum millibus hominibus praedicata, omnem continet veritatem omneque bonum et adaequata eius communicatio sistere facere potest humanitatem in suo marathonico cursu versus praecipitium.

Ecclesia problemata haec omnia sensu maxime reali praesentare cupit, nam ipsa in lumine Veritatis, Boni et Pulchri vivere desiderat ...[5]

Bellum tale uti maximam considerat Ecclesia catastrophen, et ideo vocem suam elevat et elevabit versus omnia orbis terrarum gubernia, ne aurem praebeant hominum fere dementium provocationi, ne civilisatio nostra et cultura pereant ...[6]

Unicum tamen remedium efficax constituitur propagatione pacis singulis humanis in animis per verba et salvifica media sanctificationis Ecclesiae a Divino Fundatore relicto.

2. Profunda reverentia et amor erga homines, quae a divina Christi doctrina emanant, non potest non conciliare sibi afflictam animam humanam. Ecclesia quoque eo facto innixa, quod ad imaginem et similitudinem Dei sumus creati, quod a Deo magnam potentiam intellectus recepimus cum inexhausto caritatis thesauro, quod ulterius media materialia exsistunt, via scientiae et technicae multiplicata, quae permittunt Ecclesiae iam nunc adhuc magis coniungi scientiarum progressui. Quia autem caritas maximum constituit praeceptum et divinum mandatum, Ecclesia maximam bonorum summam pro Dei creaturis offerre desiderat.

3. Quamvis pax desiderabilis, immo ad progressum humanitatis necessaria sit, tamen excessivo optimismo favere nullo modo possumus. Peccatum originale, hominis proclivitas ad malum, crescens numerus hominum ...[7] nos monent ad longum tempus pacem terris dominare posse

sperare difficile est. Id non est pessimismus sed realismus christianus qui non permittit alios et se ipsos seducere.

Conclusio: 1. Realem rerum statum humanitatis in nostro schemate ostendere debemus.

2. Possibilitatem mutationis condicionis vitae humanae clare manifestare.

3. Omnes conatus adhibere, ut mundum de modis quibus pax assequi posset edocere, quod Papae Ioannes XXIII et Paulus VI cum optimo effectu assequuntur, e. g. iter Sancti Patris ad ONU.

4. Pacem ut fructum iustitiae et moralitatis prae oculis statuere.

5. Defendere iura nationum quae sunt pauperes et debiles.

6. Omnem adhibere conatum ut colonizatio Statuum et nationum, quae etiam nunc viget, cesset.

7. et ultimo. Docere: Pax, ita, sed non pro omni pretio. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Utrumque mundiale xx saeculi bellum tantam depravationem monstravit, tantam spiritualem devastationem, tam violata fuere omnia humana divinaque iura, ut homo modernus insensibilis evaserit, et omnia neglexerit, quae immediatam utilitatem non praebeat. Et hic rerum status exsistere pergit durare. Saepe viri guberniis praepositi, politicam tectantes, librorum et diariorum scriptores omnimodam dant curam, ne verbis talibus, ut « veritas », « iustitia », « ius », « solidaritas », et ante omnia « caritas » nihil respondeat reale, sed notiones hae ingenuos nutriantur eosque qui realem statum minime intelligunt. [2] relativis conditionibus. [3] Mundus attamen hodiernus iuri subest, quod iuxta physicorum dicta, ius coniunctorum vasorum appellatur. Propter optima communicationis instrumenta, tum in idearum sphaera, ut sunt radiophonia et televisio, tum in possibilitate celerrimi itineris de loco in locum faciendi, neuralgicus status uno in loco apparens, totum organismum socialem facillime inficere valet. Unde non solum imperium rationis, sed et instinctus seipsum salvum faciendi omnes et singulos imperiore praemovent. [4] Mundus hodiernus magno cum pessimismo et metu ventura tempora respicere posset. Quaedam tamen adsunt symptomata humanitatem non tantum posse ab interitu et a fame salvari, sed etiam posse eam ad talem omnimodum progressum converti, qui illi certam et magnam mutationem sortis in tuto ponetur. In hominis activitate non datur enim determinismus. Ab eius intellectu et libero arbitrio tantum pendet! Dum quoque Deum — tam saepe hac idea ab hominum stultitia reiecta — in cursum rerum ab hominibus gestarum includemus, cum fundata spe ac fiducia tempora in futura respicere possumus. Et hic est campus activitatis Ecclesiae, qui fere illimitatus dici valet. Ab Ecclesia humanitas salutem obtinendam sperat. Magnum officium est « mystici Corporis Christi » et insimul eius participatio in bona hominum terrena est monstrare vias evolutionis mundi ut melius proles divina vivat. [5] Missionaria Ecclesiae activitas Evangelii lumen ad omnes homines cunctasque gentes ferendi, nunc adhuc potentius et clarius lucet; sentit enim et scit Ecclesia suam hanc activitatem salutem toti

mundo allaturam. Ecclesia scit apprime non haberi fundamentum pro optimismo, malas tendentias naturae humanae respicit. Scit quoque ab ipso humanitatis exordio bella in mundo fuisse, alia aliis crudeliora. Non ignorat in praesenti crescens inter homines odium, crescentemque amorem sui tragicis consectariis minantur. Multiplicati tantum conatus singulorum hominum, societatum et guberniorum salvare potest mundum — in sensu hypothetico — a suicidio, quod foret bellum nucleare. [6] ne omnes occidantur homines. [7] (anno 2000 circa sex miliardi).

Secretarius generalis: Suffragatio 355, pag. 89: « An placeat textus n. 11 iuxta modos Patrum exaratus, ita ut legatur ... » [*cf. pag. 589-590*]. *Placet* an *non placet?*

5

EXC.MUS P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres Conciliares,

Cap. V partis II huius schematis mihi valde placet. Immo, quamvis in illo agitur de problematibus internationalibus difficilioribus, tamen, mea humili opinione, in suis principiis, in sua thematica et in dispositione suorum elementorum doctrinalium, hoc caput est maturius, cohaerentius et magis conciliare omnium capitum tum primae tum secundae partis huius schematis.

In specie, quando agit in sua secunda sectione « De pace firmanda seu de bello vitando », valoratio moralis et iuridica « De aequilibrio terroris » valde laudanda est, ex una parte propter suam elevationem ad principia moralia fundamentalia, et, ex altera parte, propter suum realismum practicum, quin descendat ad formulationes casuisticas.

Certe « aequilibrium terroris » non potest admitti neque sub aspectu christiano neque sub aspectu iuridico, tamquam medium melius et unicum ad pacem firmandam seu bellum vitandum; sed hodie, proh dolor! in circumstantiis actualibus mundi huius temporis adhuc non est inventa alia *formula* [1] practica concreta efficax, ut vitetur periculum contra securitatem et pacem in relationibus internationalibus.

Ut dixit nuper noster dilectissimus Papa Paulus VI, in sua ...[2] profunda et humili Allocutione homiletica apud Organizationem Nationum Unitarum, dum homo sit debilis et volubilis et peccator, arma defensiva sunt, proh dolor! necessaria, et rectores Civitatum debent quaerere instanter garantias securitatis internationalis, si possibile sit sine recursu ad possessionem armorum.

Liceat mihi aliquas parvas animadversiones humiliter facere.

1. Hodie omnes homines et omnia gubernia nationalia bonae voluntatis vere nolunt et abhorrent bellum. In persuasione omnium est quod si humanitas non destruit armamenta nuclearia, haec armamenta destruent humanitatem.

Revera rectores civitatum habent ius et officium adoptandi omnia media licita praeventiva necessaria, ut periculum, saltem imminens, belli dispareat; sed quando schema nostrum loquitur (in n. 100) « De actione internationali ad bellum vitandum », enumerat *certe* [3] officium grave omnium christianorum « una cum omnibus hominibus bonae voluntatis » formandi opinionem publicam ad pacem promovendam, tamen mihi videtur quod *debet* [4] insistere magis ac magis in hac idea, quam noster Sanctissimus Pater Paulus VI nobis dat in sua praedicta Allocutione *homiletica* [5] apud Organizationem Nationum Unitarum, quando affirmat « Tempus advenit " metanoia " transformationis personalis, renovationis interioris ».

Tandem aliquando, periculum belli est in ipso homine, qui possidet armamenta et potest illis uti *etiam* [6] ad destructionem ipsius hominis. In ultimo extremo, natura semper imponitur historiae humanitatis. Et datur hic una quasi lex sociologica quae posset formulari ita, nempe: Quanto in societate humana minor sit desarmamentum morale (Desarme, désarmement moral) conscientiarum hominum, tanto maior erit necessitas publica armamenti militaris; et e contra, quanto in societate humana maior sit desarmamentum morale conscientiarum hominum, tanto minor erit necessitas publica armamenti militaris.

Ideo puto quod nisi consequatur et roboretur per educationem hoc desarmamentum morale, nisi ipsa opinio publica tum nationalis tum internationalis non exigat constanter et fortiter a rectoribus civitatum ut quamprimum adoptentur convenia internationalia ad destructionem armorum nuclearium et ad vitandum quod hodie denominatur « Proliferatio nuclearis », difficile erit rectoribus civitatum initiare vias deminutionis vel eliminationis armamentorum. Possessio armorum nuclearium est legitima, sed eorumdem extensio debet detineri. Quia hodie est verus timor inter populos si bellum irrumpat, vel in initio vel in fine eiusdem haec arma utentur a suis possessoribus contra bonum totius communitatis humanae. Ideo si opinio publica sic efformatur, tunc rectores civitatum possent melius inter se ad hoc convenire, ex coactione morali et politica opinionis publicae mundialis.

2. In paragrapho n. 101, quando agitur « De bellis minoribus et actibus cum bello connexis » enumerantur tamquam « Bella minora » illa bella quae hodie dicuntur « Bella revolutionaria et subversiva ».

Non desunt qui appellant haec ipsa bella sub determinatione « Liberationis nationalis ». Mea humili opinione haec bella revolutionaria et subversiva non debent includi inter bella minora, tum propter suam extensionem geographicam, tum propter suum finem specificum. In praxi aliquando sunt bella ideologica, aliquando tumultus ac seditiones internae, sed in his omnibus bellis non raro oritur grave periculum non tantummodo bellorum civilium sed etiam explosionis belli internationalis.

3 et ultima. In ipso n. 101 agitur de problemate « Obiectionis conscientiae ad servitium militare ». Certe conveniens est ut prae oculis habeatur hoc problema in complexu ordinationis iuridicae positivae Civitatis terrestris; sed mihi videtur quod haec obiectio conscientiae ad servitium militare non potest admitti modo indiscriminato et absoluto, sicut est in nostro schemate, quia potest esse contraria exigentiis iuridicis ordinis socialis.

Optandum est, denique, ut omnes catholici suis viribus foveant elaborationem et divulgationem doctrinae christianae, iuxta mentem magisterii ecclesiastici circa pacem, collaborationem positivam et fraternitatem inter omnes homines atque populos, tum cooperando institutis internationalibus et nationalibus, tum intra Motum Internationalem Catholicum sub nomine « Pax Christi » ad communitatem gentium pacificam et fraternam construendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] forma. [2] magnifica. [3] deest. [4] deberet. [5] deest. [6] deest.

Exc.mus P. D. IOANNES KROL, arch. Philadelphiensis Latinorum, *Ss. Concilii subsecretarius*: Proponitur suffragatio 356, quod invenitur in pag. 89: « An placeat ut textus n. 9 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. pag. 590-591*]. *Placet* an *non placet?*

6

EXC.MUS P. D. PAULUS GOUYON
Archiepiscopus Rhedonensis

Venerabiles Fratres,

Nomine 75 Patrum loquor.[1] Quod in mundo hodierno bellum sit possibile, grave problema ponit conscientiis nostris spiritualium pastorum. In imo pectore, bellum omnino prohibere vellemus; sed historia etiam hodierna et ipsa natura humana constat quod, forsan, omnes pro-

positum nostrum sequi nolint et ita timendum est ne, per longum tempus, libertas personarum ac populorum minas et destructionem adhuc patiatur ...[2]

Evangelium tamen, etsi non praebet, stricte loquendo, aliquam « strategiam pacis », nobis iniungit munus quaerendi vias quae ad pacem perducant, hortaturque ut violentia vitetur, *et saltem in concreto.*[3]

Certe,[4] nullo populo denegatur, mediis licite proportionatis, ius resistendi iniusto aggressori; sed optamus ut damnentur — habita ratione huius temporis — quilibet prior actus aggressivus, quaelibet prior violentia, quocumque motivo aut praetextu innitantur. Optamus etiam — ceteris aliunde paribus — ut legitima defensio sola retineri possit.

His tribus punctis constat mea propositio:

Primum punctum: Cuiusvis generis bellum, etiam limites habens quoad extensionem geographicam et methodos, calamitas est singularis gravitatis.

a) ...[5] Distinctio inter bellum limites habens et « bellum totale » revera fundatur. Sed in ea distinctione nimis non commorandum est: periculum enim adest ne legitimum dicatur quodcumque bellum limitatum, quod conscientia iam tolerare nequit. Nam conscientia tolerare nequit declarare horrendos esse caedes infantium, mulierum ac senum et simul videri occisionem praeliantium legitimam tenere.

Attamen, plerique praeliantes nullam partem habent in negotiis et iniustitiis quae ad bellum ducunt. Nemo habet ius viros illos vita privandi. Praeterea, populationes civiles aliquo modo semper laeduntur bello huiusmodi limitato.

b) Quia bellum nullo modo testatur causam ob quam inceptum est iustam esse.

Constat historia iustas causas saltem tam frequenter victas esse quam iniustas. Bellum, quatenus habetur ut medium probandi iustitiam causae, non minus contemnendum est ac ista « iudicia Dei » aut « ordalia », ad quae remittebant mores et tribunalia aetatis barbarae.

c) Quia ex concatenatione causarum, quodlibet bellum etiam limitatum, in se fert periculum indefiniti belli quoad tempus, locum et horrores.

Secundum punctum: Quaelibet natio bellum sponte incipiens quacumque ex causa damnanda est a conscientia universali.

Bellum a qualibet natione inceptum, iustum dici nequit. Finis enim non iustificat media. Meminerint omnes huius, quod Sacra Scriptura *docet de bello, sicut dixit hodie mane em.mus card. Ottaviani.*[6] Aliunde,

si violentiae initium inter personas non admittitur, cur inter nationes admitteretur?

Dicitur contra: non est semper facile determinare quis sit prior aggressor. Historia constat eiusmodi difficultatem non tantam esse quantam primo aspectu videatur. Nam per observatores ad hanc cognitionem perveniendi facultas est, et ad bonam fidem statuendam natio cui bellum iam imminet, citra fines suos copias regredi potest.

Etiamsi obscuritas quibusdam in casibus remaneret, principium condemnationis efficax esset.

Tertium punctum: Solius auctoritatis internationalis iam est tueri violata iura, salvo iure, in conditionibus praesentibus, iniusto aggressori resistendi.

Nemo potest prohibere aliquam nationem violata iura vindicare.

Sed auctoritatis internationalis est efficaciter invigilare: prius, talem nationem adiuvando in eiusmodi iuribus vindicandis et utendo ad hunc finem assequendum « sanctionibus » ordinis moralis et oeconomici; deinde, illam defendendo, si invadatur, per copias quae dari possunt ac debent auctoritati internationali.

Nunc ergo nationes haec debent facere: illam auctoritatem internationalem magis ac magis firmiorem reddere; proprios cives instituere de momento illius auctoritatis internationalis, de reverentia erga illam, simul ac de genuina doctrina quoad potestatem nationalem, quae a certis limitibus excedere nequit; debent etiam nationes illi auctoritati internationali ex suis praerogativis militaribus aliquid simul et gradatim cedere ...[7]

Haec doctrinalis positio nullo modo destruit, ut patet, omnia quae opportune dicit schema de bello atomico, de « aequilibrio terroris », de modis quibus deminutio progrediens et universalis armorum in omnibus nationibus simul et quam primum ab observatoribus inspiciatur, necnon de educatione conscientiarum.

Haec autem doctrinalis positio ultra conclusiones schematis, quae sunt *paululum* [8] timidae, progredi intendit, ut ad maturationem mentis christianae perveniatur; in qua doctrina, sola responsio positiva inveniri potest exspectationi et angori hominum aetatis nostrae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Quamquam hoc periculum adest, homines magno animo obsecrant ut cautiones in agendo et loquendo praetereamus, actumque ponamus quem propheticum vocant. Tunc evocatur historia Fratrum Macchabaeorum qui, ne sabbatum violarent, caesi sunt quin defensionem opponerent; sed tam ingens fuit clades eorum ut filii decreverint in posterum etiam die sabbati sese defendendos. [3] deest. [4] deest. [5] Quia istud bellum calamitas magna est. [6] dicit: « Dissipa gentes quae bella volunt » et illius deprecationis ab Ecclesia in Litaniis propositae: « Libera nos Domine a peste,

fame et bello ». [7] Sic melius iusta officia Patriae redduntur. Amplius, sic melius definitur munus regendi nationes: duces enim nationum rationem reddere debent de bono communi efficiendo; nam bonum commune tam nationale quam internationale est fundamentum naturale huius firmae doctrinae. [8] nimis.

Observationes additae:

Ad n. 98. Prima paragraphus huius numeri integra retinetur; deinde mutatur reliquus textus paragraphi modo qui sequitur:

Quod attinet ad praesens, Concilium conscium est se teneri ad haec declaranda:

In praesentibus adiunctis, quodlibet bellum, sive generale sive quod limites habet, apparet malum tam immane ut ortus eius iam nequeat tolerari.

Quodlibet enim bellum quod limites habet, etiamsi abstineat a necandis pueris, mulieribus et senibus, et a violandis civitatibus apertis (quod hodie omnino impossibile videtur), misere secum fert cruciatus et mortem innumerabilium militum, qui sunt innocentes erga iniustitias quae bellum movere potuerunt vel alieni a negotiis, pro quorum tutela indictum est. Pertinacia ad vincendum pervicacem adversarium ducit ad actus qui in ipsum Ius Gentium committuntur, et qui, adhibitis scientificis mediis quae atrocius efficiunt bellum, hominem reducent ad barbariem ex qua, heri, gloriabatur se evasisse: ita physica tormenta; ita etiam actio sic dicta « psychologica » quae iam non timet uti ulla methodo qua conscientiae violentur et collectivi sensus creentur aut destruantur tam apud fautores quam apud adversarios, ut deveniatur ad exitum quem bellantes prosequebantur.

Bellum vivas vires dissipat quas nationes bellantes tenentur adhibere ad construendum futurum suum et ad humanitati inserviendum. Bellum, quod malum est in suo proposito, nullo modo probat iustitiam causae. Illud enim quod felicem exitum belli inducit non est iustitia causae quam propugnat, sed gravius pondus militarium virium quas paravit illa natio quae victrix evadit. Denique, in mundo hodierno, ex concatenatione causarum cui nullo modo resisti possit, bellum quam maxime in spatio circumscriptum et limitatum, converti potest in conflictum universalem quo deveniatur ad totalem destructionem immensarum regionum, ad caedem millies millium hominum, et denique ad quoddam suicidium collectivum planetae nostrae.

Erga eos qui huiusmodi horrendarum rerum habent responsabilitatem, et erga eorum conscientiam, Ecclesia non intendit ferre iudicium quod ad solum Deum pertinet. Sed exemplum sequens eius qui ad salvandos omnes homines venit, compatiens Ecclesia primum ad innumeras victimas quae tunc pereunt convertitur. Nomine omnium innocentium victimarum vocem extollit, expostulans a tota humanitate quae nunc suiipsius conscia est: « Quo iure istae caedes? ». Bellum totale iam non est instrumentum quo ius violatum restaurari queat. Neque ulla natio ius habet sibi proponendi tanquam finem annihilationem populi adversarii quantumlibet sit momentum damnorum ab illo effectorum.

Quapropter hoc Sacrosanctum Concilium declarat quod omnis natio quae prior intendit armorum virtute obtinere ut agnoscantur quae sibi vindicat vel etiam ut reparentur laesa iura, facinus committit cuius responsabilitatem coram Deo et hominibus assumit, cum finis nunquam iustificet media. Bellum aggressivum iam licitum esse nunquam potest. E contra, in praesenti statu mundi, nulli populo denegari potest ius sese defendendi contra aggressorem armis instructum nisi illum provocaverit.

Quodsi autem populus aliquis ad bellum defensivum cogatur, tenemur in omnium mentes revocare quod existit, in ordine ad solvendas huiusmodi angustias — quae minus ac minus tolerari possunt cum humanitas nunc ad sufficientem maturitatem pervenerit — aliquis Codex Iuris Gentium, necnon aliquot internationalia pacta, quae semper valent et imperant. Quae institutiones nullo modo superantur pro novis et commentitiis iuribus violentiae et annihilationis inter diversos coetus hominum; e contra, illae sunt primum fundamentum quo circumscribantur nefandi effectus ad quos ducunt incrementa militarium mediorum, et quo quaeratur mitigatio horrorum belli. Nemo ius habet semetipsum subtrahendi ab his minimis limitibus. Quae iubentur, posthabitis huiusmodi institutionibus, iniusta sunt; et renuere oboedientiam talibus iussis est, pro quolibet homine, non solum sanctissima libertatum, sed etiam sanctissima obligationum. Concilium tenetur in mentes omnium revocare quod ex belligeratione non omnia licent hominibus qui inter se pugnant, et quod ille qui leges morales praeterit ut alterum efficacius devincat, ducit humanitatem ad abyssum, abyssum quidem in quam ipse absumetur.

Deleatur n. 101.

Secretarius generalis: Suffragatio 357, quae est ultima hodie: « An placeat ut textus n. 10 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. pag. 591-592*]. *Placeat* an *non placet?*

Audiatis, Patres! Aliqui Patres petierunt ut circa schema decreti *de institutione sacerdotali* quaesita particularia quoad modos plura proponerentur quam quae habentur in fasciculo distributo. Commissio competens his quaesitis annuit et Moderatores approbaverunt. Itaque quaesita particularia circa schema *de institutione sacerdotali* erunt 14 et postea sequetur quaesitum generale uti moris est.

Crastina, vobis dabitur elenchus horum quaesitorum, ita ut feria II proxima, prouti dictum est, possint incipere suffragationes quae fient diebus iam statutis. Sunt duo dies statuti. Quapropter his diebus fiet suffragatio circa hoc schema, sed respondendo ad quaesita particularia, quae vobis crastina distribuentur. Gratias.

Moderator: Loquatur exc.mus D. Aloisius Carli et ad microphonium accedat exc.mus D. Georgius Beck, arch. Liverpolitanus in Anglia. Et postea quaestio ponitur a Moderatoribus. Velint ergo Patres vel sedem suam occupare, vel ad eam redire!

7

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres,

Quaedam doctrinae in schemate proponuntur nondum, meo quidem iudicio, maturae, de quibus proinde Concilio prudens servandum esset silentium, ita ut theologorum inquisitionibus eaedem adhuc relinquerentur ...[1]

Una ex his quaestionibus ea mihi esse videtur quae respicit sic dictam « obiectionem conscientiae » contra servitium militare, quaeque tangitur in n. 101, pag. 80, linn. 22-27.

Inter omnes constat haec quaestio, intime connexa cum quaestione de liceitate belli, quantum nostris hisce temporibus agitetur et quam magnam habeat in mundo hodierno resonantiam sive per edita scripta, sive per spectacula theatralia vel cinematographica, sive denique per processus civiles contra obiectores conscientiae passim celebratos.

Rebus sic stantibus, aut erat congrue de obiectione conscientiae agendum, aut prudenter silendum: quorum neutrum in schemate factum esse videmus.

I. Silentium fortasse hac ratione suadebatur quod summa Concilii auctoritas obliganda non erat in quaestionem quae aliquid de fere unanimi hucusque habito theologorum consensu in praesenti amisisse videtur. Doctrina hucusque inter probatos auctores communis, verbis quoque recentiorum Summorum Pontificum suffulta, sequentibus propositionibus contineri potest:

1. Etiam hac nostra aetate atomica dari potest bellum iustum; proinde

2. servitium militare est moraliter legitimum tempore iusti belli et, per consequens, moraliter illicita est obiectio conscientiae, scil. recusatio servitii militaris, quacumque demum de causa fiat;

3. a fortiori, servitium militare est moraliter legitimum et, per consequens est moraliter illicita obiectio conscientiae tempore pacis, scil. ante et extra bellum:

a) quia tali tempore nulla committitur violentia in praestando servitio militari;

b) quia, in hypothesi, nondum certo constat an eventuale futurum bellum sit iniustum necne;

c) quia, supposita possibilitate iusti belli, auctoritas civilis non solum potest sed etiam, inspectis hodiernis adiunctis, probabiliter debet defensionem militarem parare ad id ut propositum iniusti potentialis aggressoris deterrere et, quando dura necessitas urgeat, nationem ab iniusta aggressione efficaciter defendere valeat;

d) quia servitium militare est necessarium ad praestanda idonea auxilia illis Organis Internationalibus, quibus nobilis finis est efficaciter tuendi pacem internationalem communibus militaribus copiis.

Haec est thesis quam communiorem simulque veriorem esse non dubito; quam demonstrare non est nunc mea intentio, cum id unum mihi proponam, scil. crisi subiicere rationem agendi schematis in hac materia ...[2]. Tamen cum contra talem thesim, praesertim post atomica instrumenta bellica inventa, voces quaedam non spernendae auditae sint, censeo melius esse ut Concilium a iudicio ferendo de hac re prudenter abstineat, donec a theologis profundius investigetur.

II. At vero, quandoquidem schema nostrum de hac re silere noluit, stricta tenebatur obligatione digne ac competenter loquendi, ea nempe perfectione et profunditate et claritate quam Concilium addecet. E contra schema deprehendimus illogice, incomplete et obscure loquens.

1. *Illogice.* Paragraphus initium sumit a principio quodam generali: « Nemini licet dare vel exsequi mandata quae evidenter legi Dei adversantur ... Ubi autem violatio legis Dei non manifeste patet, praesumptio quidem iuris auctoritati competenti agnoscenda est, eiusque iussis est parendum ... ». Optimum sane principium, et valde ad rem nostram pertinens! Exspectares *tamen*[3] ut schema ad practicam applicationem descenderet *huius principii*[4] daretque clarum responsum obviae quaestioni, quam et magistratus civiles constat saepe sibi posuisse: « Numquid servitium militare est habendum tamquam manifesta violatio legis Dei? » Schema silet, negatque responsionem quae unice competit Ecclesiae, quaeque esset decisiva pro tota quaestione. Nam, si Ecclesia responderet servitium militare manifeste violare legem Dei, tunc obiectio conscientiae esset non solum moraliter licita, immo vero pro omnibus et semper obligatoria, essetque proinde iniusta quaevis poena civilis contra obiectores statuta. Si e contra Ecclesia responderet servitium militare minime violare, aut saltem non manifeste violare, legem Dei, tunc obiectio conscientiae esset moraliter illicita essetque proinde, ex hoc capite, legitima poena civilis contra obiectores statuta.

Schema autem nostrum, quin responsum dederit puncto vere cruciali et decisivo quaestionis, illogice et inconsequenter transit ad affirmandam magnam quamdam congruentiam ut auctoritates civiles obiectioni con-

scientiae occurrant per aliquod speciale statutum iuridicum. *Dicit enim* [5]: « Insuper, in hodiernis adiunctis, sat conveniens videtur ut leges " positive " eos respiciant qui, vel propter testimonium lenitatis christianae, vel propter reverentiam erga vitam humanam, vel ex sincero fastidio omnem vim exercendi, ex conscientia servitium militare vel quosdam actus qui ad immanem crudelitatem in bello conducunt, recusent ».

Ex hac pericope vix non arguitur auctores schematis inclinare in opinionem affirmantem liceitatem moralem obiectionis conscientiae — quod contradicit communiori doctrinae theologicae — aut saltem suadere indiscriminatam convenientiam ut auctoritates civiles suo iuri renuntient in favorem obiectionis conscientiae — quod, meo quidem iudicio, est indebita ingerentia in campum alienum.

Etenim ista magna convenientia, de qua schema loquitur, intelligenda est aut in ordine morali, aut in ordine politico. Si in ordine morali, dico: *a*) illogicum est proponere convenientiam moralem alicuius rei, antequam statutum sit de eiusdem rei morali obligatione necne; *b*) Ecclesia potest quidem suis subditis consulere id quod, cum conveniens dicatur, praetergredi intelligitur strictum praeceptum; sed non videtur idipsum consulere posse etiam Auctoritati Civili quae, cum sit suprema et independens in suo ordine, ab Ecclesia tangi non potest nisi sub respectu stricti officii moralis promanantis ex certa lege divina naturali vel positiva.

Si autem illa magna convenientia sumitur in ordine politico, dico: *a*) Ecclesia incompetens est ad iudicandum, in genere et in specie, utrum statutum speciale pro obiectoribus conscientiae sit politice conveniens necne; *b*) unaquaeque auctoritas civilis competens est, et quidem exclusive, ad iudicandum sitne politice conveniens obiectoribus conscientiae speciale concedere statutum, inspectis, secundum prudentiam politicam, particularibus circumstantiis temporum ac locorum.

2. *Incomplete et obscure* denique tractat schema de obiectione conscientiae. Nam non distinguit, ut erat omnino necessarium, inter servitium militare voluntarium et obligatorium; inter servitium militare tempore belli et tempore pacis; inter bellum iustum et bellum iniustum.

Obiectionem denique conscientiae extendit schema etiam ad « quosdam actus qui ad immanem crudelitatem in bello conducunt »; at in incerto relinquit quinam sint in concreto illi actus, quisnam et iuxta quam normam iudicare debeat utrum ad crudelitatem immanem illi actus reapse conducant, necne.

Conclusio. Ob supradictas, et alias similes rationes, peto ut expungatur e textu schematis, *pag. 80, linn. 22-27,*[6] totum comma quod incipit

per verba « Insuper, in hodiernis adiunctis » et desinit per verbum « recusent ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Neque dicatur in Conciliis et per Concilia doctrinas acerbas maturescere posse; nam talis agendi ratio et praxi contradicit Ecclesiae, et prudentiae virtuti minime congruit, a qua promissa Spiritus Sancti adsistentia vel ipsa Concilia non eximit. [2] (cf. in hoc sensu Alfredo Gomez de Ayala, *Aspetti giuridici e teologici dell'obiezione di coscienza al servizio militare,* Milano, Giuffré, 1965, pp. 411). [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

8

Exc.mus P. D. GEORGIUS ANDREAS BECK
Archiepiscopus Liverpolitanus

Venerabiles Patres,

Cap. V schematis summi momenti est. Omnia enim alia proposita, oeconomica, socialia, culturalia, dependent de modo quo notiones in hoc capite expressae in effectum deducuntur. Donec homines potuerint « Gladios in vomeres et lanceas in falces conflare », media oeconomica adaequata ad exsequenda egregia illa consilia auxilii et progressus *in mundo* [1] praesto non erunt. Praesto esse poterunt, si *illi* [2] insano cursui armorum finis impositus erit. Revera si hic finis non imponetur, vix fieri potest quin bellum ingentis gradus eveniat.

Tria puncta proponere velim.[3]

In sectione I et II schema communitatem gentium ordinem sibi constituere postulat, qui praesentibus suis muneribus congruat. Creare praesertim debet institutiones internationales effectivas, ad iustitiam pacemque praeservandam. Non satis, tamen, urget *schema,*[4] quod maximum obstaculum formationi huiusmodi institutionum est illa sic dicta « fragmentatio societatis », in iam plures quam centum et viginti nationes seu civitates iuris supremi (anglice: sovereign states), quae nullum limitem actionis independentis tolerabunt, nisi per foedera quae ultima ratione revocare possunt. Periculum maximum quod diebus nostris paci imminet, est potentia utilitatum sectionalium, *ut dicam,*[5] quae plurimae fructus sunt eventuum horum ducentorum annorum. Suprema iura nationum (national sovereignty), imperii cupido, bella inter classes, inter stirpes, coactio politica vel oeconomica (political or economic exploitation) cedere necesse est notioni unitatis generis humani; quod effici potest praesertim a nationum moderatoribus. Res est tamen quae nobis quoque omnibus scrutanda est, iisque qui educationi intersunt.

Opus est, e. g., serio examinare modum quo historiam doceamus. Ubique terrarum superbia nationalis et praeiudicia nativa nobis suadent ut historiam intelligamus doceamusque ad patriam laudandam et iustificandam. Unde oriuntur illi animi affectus qui cum ulli supremi iuris diminutioni resistant, obstaculum sunt cooperationi internationali, et formationi illarum institutionum iuridicarum quae auctoritatem sanctionesque effectivas habere possint.

Secundo [6]: Fortiter schema affirmat (pag. 79) conditiones creandas esse in quibus bellum quodcumque non possit amplius ut instrumentum considerari legitimum, etiam ad defensionem iuris. Declarat etiam liberum usum armorum hodiernorum moraliter admitti non posse, et metam esse eorum eliminationem definitivam. Omnes *itaque* [7] laborare oportet ut instituatur auctoritas publica potestatem effectivam habens per totum orbem.

Interea *tamen* [8] nobis necesse est vivere sub periculo belli, et umbra ruinae totalis. Quid hoc intervallo faciendum? Quamdiu hoc ipsum intervallum durabit? Mihi videtur schema recte dicere quod quamdiu institutiones internationales *nullam cautionem,* [9] nullum praesidium adaequatum praestent, possidere haec arma exclusive ut hostis iisdem armis praeditus deterreatur, per se malum dici non potest. *Quid iuvabit hanc periodum e textu omittere, ut aliqui Patres postulaverunt? Talium armorum possessio res est et omnibus nota in mundo huius temporis. Mundus consilium in hac re a nostro Concilio exspectat. Quare hoc onus officii silentio evadere? Reapse de possessione non agitur sed de intentione.* [10]

Quid *itaque* [11] dicere de moralitate deterrendi? Quousque progredi licet retaliationes minando? Licetne civitati minari, per modum deterrendi, illam indiscriminatam destructionem urbium integrarum plenarumque regionum quae (in verbis schematis) ut « crimen contra Deum et ipsum hominem firmiter et incunctanter damnandum est »? Quid significat illa locutio « retaliatio massiva »? An elaboravimus etiam inter peritos ethicam minarum, et ut ita dicam, contra-minarum? Potestne Ecclesia aliquid nationum moderatoribus afferre de moralitate illius modi agendi, qui adversarium in statu coniecturae tenere velit? Quid de moralitate ut vulgo dicitur: bluff and counter-bluff?

Mihi manifestum videtur gubernium arma nuclearia ad deterrendum possidens, ipsisque qua talibus se usurum minans, in proxima occasione gravis peccati esse, *crimen pessimum considerans.* [12] Argui tamen potest quod donec institutiones internationales effectivae fiant, ita ut civitas arma deterrentia sacrificare possit, sine gravi discrimine pro libertate *civium* [13] bonisque suis culturalibus et spiritualibus, haec proxima occasio ea est quam moralistae « occasionem necessariam » vocant; accipiendam

ut medium temporarium, donec creatum erit illud aequilibrium fiduciae et disceptationis quod huic aequilibrio terroris succedere debet. Nostrum est in mentem huiusmodi nationum revocare, eorum praesentis gravisque officii, ut hanc peccandi occasionem remotam faciant, se promptos praebendo ad accipiendam tantam limitationem iuris supremi, quanta necessaria sit ut formetur auctoritas internationalis effectiva.

...[14] Praesumptio quod auctoritas legitima ad oboedientiam ius habet, clare in textu affirmatur. (*Tertio*)[15]. Fortius tamen affirmari oportet, et id quod auctoritas publica numquam aut facere aut minari licet sub poena amittendi ius ad omnium civium oboedientiam, et iura conscientiae omnium civium in quibusdam adiunctis. Abhinc aliquot diebus in hac Aula longe disceptatum est de iure quod omnis homo possidet libertàtis religiosae. Sed libertas religiosa in rebus actionis moralis applicanda est aeque ac in rebus doctrinae. Sicut medicus nolle obligatur innocentem infantem in utero matris occidere abortu agendo, ita miles seu dux aeroplanii ius habere debet nolendi uti missili atomico, quod totam urbem aut regionem obliterabit, vel partem habere in quavis actione bellica indiscriminata. Rogare debemus ut moderatores rei publicae conscientiam revereantur illorum civium qui quasdam formas belli putent numquam iustificari posse, etiam defensionis causa. Non agitur tantum de lenitate christiana aut de fastidio vim exercendi, *ut sonat schema.*[16] Plurimi homines in mundo huius temporis, pro certo habent quasdam formas belli hodierni semper et in omnibus circumstantiis graviter esse immorales. Si nostra declaratio de libertate religiosa aliquid valet, in hoc campo certe adhibenda est. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] Possessio armorum nuclearium in situatione quadam particulari legitima esse potest. [11] autem. [12] deest. [13] deest. [14] Remanet problema oboedientiae et iurium conscientiae. [15] deest. [16] deest.

Moderator: Velint audire Patres! Moderatores putant disceptationes de cap. V sufficienter amplas fuisse et rogant utrum placeat Patribus finem imponere discussioni. Si placet finem imponere, surgant Patres; secus in sede remaneant. [*Intervallum*].

Gratias!

Secretarius generalis: Incipit igitur disceptatio circa schema *de activitate missionali Ecclesiae*. Post relationes, loquentur ex ordine em.mi ac rev.mi DD. cardd. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochiae Maro-

nitarum; Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii (Rio de Janeiro) in Brasilia; Rufinus Santos, arch. Manilensis in Philippinis; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Carolus Journet; exc.mi ac rev.mi DD. Martinus Legarra, prael. null. Buccae Taurinae (Bocas de Toro), Panama; Sixtus Mazzoldi, vic. ap. Jubaënsis in Sudan; Vincentius McCauley, ep. Arcis Portal (Fort Portal) in Uganda; Radulfus Koppmann, vic. ap. Vindhoekensis in Africa; Mauritius Quéguiner, sup. gen. Societatis Parisiensis Missionum; Andreas Sapelak, vis. ap. pro Ucrainis in Argentina; Ernestus Gonçalves Costa, ep. Inhambanensis in Mozambico; Ioseph Busimba, ep. Gomaënsis (Goma) in Congo; Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis (Karachi) in Pakistan; Marcus McGrath, ep. S. Iacobi (Santiago) in Panama; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis (Tainan) in Sinis.

DISCEPTATIO [5]

1 – SCHEMA DECRETI DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE *

1. [*Prooemium*]. Ad gentes divinitus missa ut sit « universale salutis sacramentum »,[1] Ecclesia ex intimis propriae catholicitatis exigentiis, mandato sui Fundatoris oboediens (*Mt.* 16, 15), Evangelium ad omnes homines afferre contendit. Ipsi enim Apostoli super quos Ecclesia est fundata, vestigia Christi sequentes, « praedicaverunt verbum veritatis et genuerunt Ecclesias ».[2] Ad eorum successores pertinet hanc missionem continuare ut Regnum Dei ubique terrarum annuntietur.

---

* *In initio fasciculi legitur*: Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die 28 mensis Maii, anno MCMLXV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

[5] In praesenti autem novo rerum ordine, ex quo nova exsurgit humanitatis condicio, Ecclesia, sal terrae et lux mundi (*Mt.* 5, 13-14), vocatur ad omnem creaturam renovandam, ut omnia in Christo instaurentur, et in Ipso homines unam familiam unumque populum Dei constituant.

Quare Sancta Synodus, dum ob tam praeclara opera per generosam Ecclesiae filiorum industriam peracta Deo gratias agit, missionalis activitatis principia delineare, et vires omnium fidelium colligere cupit, ut populus Dei, per angustam viam crucis procedens, regnum Christi, Domini historiae, ubique diffundat eiusque adventui vias paret.

Caput I

DE PRINCIPIIS DOCTRINALIBUS

2. [*Propositum Patris*]. Ecclesia natura sua missionaria est, cum ipsa ex missione Filii missioneque Spiritus Sancti procedat secundum Propositum Dei Patris.[1] Hoc autem Propositum ex « fontali amore » seu caritate Dei Patris profluit, qui, cum sit Principium sine Principio, ex quo Persona Filii et Persona Spiritus Sancti originem ducunt, ex nimia et misericordi benignitate sua, libere creans et insuper gratiose vocans nos ad Secum communicandum in vita et gloria, bonitatem suam liberaliter diffudit ac diffundere non desinit, ita ut qui Conditor est omnium, tandem fiat « omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 28), gloriam suam simul et beatitudinem nostram procurando. Placuit autem Deo homines non singillatim, quavis mutua connexione seclusa, ad vitae Suae participationem vocare, sed eos in populum constituere, in quo filii sui, qui erant dispersi, in unum congregarentur (cf. *Io.* 11, 52).

[6] 3. [*Missio Filii*]. Hoc universale Dei propositum pro salute generis humani perficitur non solummodo quasi secreto in mente hominum vel per incepta, etiam religiosa, quibus ipsi multipliciter Deum quaerunt, si forte attrectent eum aut inveniant quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum (cf. *Act.* 17, 27): haec enim incepta indigent illuminari et sanari, etsi, ex benigno consilio providentis Dei, aliquando pro paedagogia ad Deum verum vel praeparatione evangelica possint haberi.[2] Deus autem ad pacem seu communionem Secum stabiliendam fraternamque societatem inter homines, eosque peccatores, componendam, in historiam hominum manifeste intrare decrevit mittendo Filium suum in carne nostra, ut homines per illum eriperet de potestate tenebrarum ac Satanae (cf. *Col.* 1, 13; *Act.* 26, 28; 10, 38) et in eo mundum Sibi reconciliaret (cf. *2 Cor.* 5, 19). Illum ergo, per quem fecit et saecula,[3] constituit haeredem uni-

versorum, ut qui omnia creavit, in seipso homine facto, omnia denuo [6] instauraret (cf. *Eph.* 1, 10).

Christus enim Iesus missus est in mundum verus mediator Dei et hominum. Cum Deus sit, in ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* 2, 9); secundum humanam autem naturam, novus Adam, novae humanitatis caput constituitur, plenus gratiae et veritatis (*Io.* 1, 14). Itaque per vias verae Incarnationis processit Filius Dei ut homines divinae naturae participes faceret, « propter nos egenus factus cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus » (*2 Cor.* 8, 9). Filius Hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis, id est pro omnibus (cf. *Mc.* 10, 45). Hinc Sancti Patres constanter proclamant non esse sanatum quod assumptum a Christo non fuerit.[4] Assumpsit integram humanam naturam qualis apud nos miseros et pauperes invenitur, absque tamen peccato (cf. *Hebr.* 4, 15; 9, 28). De seipso enim dixit Christus, quem Pater sanctificavit et misit in mundum (cf. *Io.* 10, 36): « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum » (*Lc.* 4, 18), et rursus: « Venit Filius Hominis quaerere et salvum facere quod perierat » (*Lc.* 19, 10).

Cum autem semel, morte et resurrectione sua, complevisset in seipso mysteria salutis nostrae et renovationis universorum, Dominus Iesus, omnem potestatem adeptus in caelo et in terra (cf. *Mt.* 28, 18), priusquam assumeretur in caelum (cf. *Act.* 1, 11), Ecclesiam suam ut sacramentum salutis fundavit, apostolosque in universum mundum misit sicut et ipse missus fuerat a Patre (cf. *Io.* 20, 21). Quod enim semel a Domino praedicatum est vel in ipso pro salute generis humani actum, usque ad ultimum terrae (*Act.* 1, 8) proclamandum et disseminandum est, incipiendo ab Hierosolyma (cf. *Lc.* 24, 47), ita ut quod semel pro omnibus patratum fuit ad salutem, in universis, decursu temporum effectum suum consequatur.

4. [*Missio Spiritus Sancti*]. Ad hoc autem perficiendum misit Chri- [7] stus Spiritum Sanctum a Patre, qui salutiferum opus suum intus operaretur, et Ecclesiam suam ab intus ad sese dilatandam moveret: vel ecclesiastica instituta quasi anima eorum vivificando[5] vel eundem missionis animum, quo ipse Christus actus fuerat, in cordibus instillando. Dominus enim Iesus, priusquam vitam suam libere pro mundo poneret, ita apostolicum ministerium disposuit et Spiritum Sanctum mittendum promisit, ut ambo consociarentur in opere Christi ubique et semper ad effectum adducendo.[6]

[7] Procul dubio Spiritus Sanctus iam in mundo operabatur antequam Christus glorificaretur.[7] Die tamen Pentecostes in Apostolos supervenit, ut cum eis maneret in aeternum (cf. *Io.* 14, 16), Ecclesia coram multitudine publice manifestata est, diffusio Evangelii exordium sumpsit, et tandem praesignata est unio populorum in Fidei catholicitate, per Novi Foederis Ecclesiam, quae omnibus linguis loquitur, in caritate omnes linguas intelligit et amplectitur, et sic dispersionem Babelicam superat.[8]

5. [*Ecclesia a Christo missa*]. Apostoli a Christo hoc mandatum acceperunt: « euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes servare quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20; *Mc.* 16, 15). Quod munus post eos haereditavit Ordo episcoporum, una cum Successore Petri Ecclesiaeque visibili Capite. In exsequendo vero hoc mandato Ecclesia tota cooperatur, unusquisque secundum locum, officium et gratiam in corpore. Missio ergo Ecclesiae adimpletur operatione qua Populus Dei messianicus, mandato Christi oboediens et Spiritus Sancti caritate motus, hominibus vel gentibus in Christum non credentibus pleno actu praesens fit, ut eos, praedicatione, sacramentis ceterisque gratiae instrumentis, ad finem, libertatem et pacem Christi adducat, ita ut eis via libera ac firma patefiat ad plene participandum mysterium Christi in unitate Ecclesiae quae est Populus Dei, Corpus Christi et Spiritus Sancti templum.

Cum haec missio Ecclesiae continuet et propaget ipsius Christi missionem, eadem via, instigante Spiritu Christi, procedere debet ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem. Nam sic in spe ambulaverunt omnes Apostoli, qui tribulationibus multis et passionibus adimpleverunt ea quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia (cf. *Col.* 1, 24). Saepe etiam semen fuit sanguis christianorum.[9]

6. [*Activitas missionalis*]. Hoc munus ab Ordine Episcoporum, cui praeest Successor Petri, cooperante toto Ecclesiae corpore, adimplendum unum idemque exsistit, ubique et in omni condicione, licet non eodem pro rerum condicione modo exerceatur. Distinctiones proinde, quae in missionali Ecclesiae activitate agnoscendae sunt, non sumuntur ex in- [8] tima natura ipsius missionis, sed ex condicionibus in quibus missio haec exercetur.

Dependent vero hae condiciones sive ab Ecclesia, sive etiam a populis a coetibus vel ab hominibus ad quos missio dirigitur. Ecclesiam enim, quamvis de se totalitatem seu plenitudinem instrumentorum salutis comprehendat, nec semper nec statim secundum omnia agit nec agere potest, sed initia et gradus in actione sua experitur, qua propositum

Dei ad effectum adducere conatur; immo quandoque, post feliciter inchoa- [8]
tam progressionem, regressum iterum deplorare cogitur, vel saltem in quodam semiplenitudinis et insufficientiae statu moratur. Quod autem ad homines, coetus et populos attinet, eos gradatim tantum tangit ac penetrat, et sic in eis radices agit, quibus substantia eorum in catholicam plenitudinem assumitur.

In hac missionali activitate Ecclesiae, diversae condiciones aliquando permixtae occurrunt: inceptionis primum seu plantationis, deinde novitatis seu iuventutis. Quibus tamen superatis, missio Ecclesiae non statim desinit, sed, saltem per activitatem missionalem Ecclesiae particularis perfecte constitutae, ad singulos quoque qui adhuc foris sunt dirigitur. Coetus insuper, inter quos Ecclesia versatur, ob varias causas non raro funditus mutantur, ita ut condiciones omnino novae oriri possint. Ecclesiae tunc est iudicare utrum hae condiciones activitatem eius missionalem denuo requirant. Insuper, rerum adiuncta aliquando talia sunt ut possibilitas pro tempore desit praeconium evangelicum directe ac statim proponendi: tunc quidem missionarii possunt ac debent patienter, prudenter ac simul magna cum fiducia saltem caritatis et beneficentiae Christi testimonium reddere, et sic, obstacula removendo, vias Domino praeparare.

Cum qualibet autem condicione vel statu actus proprii seu apta instrumenta congruere debent.

Incepta peculiaria quibus Ecclesia munus penetrationis christianae erga populos vel coetus nondum credentes exsequitur, communiter « missiones » nuncupantur, per activitatem proprie missionalem perficiuntur, et plerumque exercentur in certis territoriis a Sancta Sede agnitis. Finis proprius activitatis huius missionalis est dilatatio seu plantatio Ecclesiae apud gentes in quibus nondum radicata est, ita ut Ecclesiae autochtonae particulares ubique in mundo sufficienter condantur, viribus quidem propriis ac maturitate praeditae, cum hierarchia propria et instrumentis christianae vitae plene ducendae quasi affinibus et sufficientibus.[10] Ex quo patet activitatem missionalem intime cum ipsa natura connexam esse Ecclesiae, cuius catholicam unitatem dilatando perficit, cuius apostolicitate sustentatur, cuius collegialem affectum exercet, cuius sanctitatem testificatur, diffundit ac promovet. Itaque differt activitas missionalis apud gentes, tam ab activitate pastorali erga fideles exercenda, quam ab in-
ceptis suscipiendis ad unitatem christianorum redintegrandam. Attamen [9]
duo haec cum missionali navitate Ecclesiae arctissime coniunguntur.

7. [*Rationes et necessitas missionalis activitatis*]. Ratio huius missionalis activitatis non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum

[9] evangelizandorum procuranda sumitur. Ecclesia enim tenet Deum viis sibi notis homines ad Fidem adducere posse, sine qua impossibile est Ipsi placere, etiamsi Evangelium non audierint; simul autem scit, per cognitionem Christi et Eius Evangelii homines incomparabiliter illuminari et donis spiritualibus ditari; insuper tenet Dei voluntatem esse ut homines per Fidem, Ecclesiae praedicatione suscitatam, et per Sacramenta christiana iustificentur ad salutem, ac proinde missionalem activitatem vim suam et necessitatem hodie servare ac semper integre servaturam esse.[11] Ad eam prosequendam impelluntur membra Ecclesiae caritate, qua Deum diligunt gloriamque eius procurare satagunt, et qua cum omnibus hominibus cupiunt communicare in spiritualibus bonis tam praesentis quam futurae vitae.

Ratio autem missionalis activitatis Ecclesiae maxime deducitur ex proposito Dei, cui Christus oboedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum,[12] ut universi ex quibus genus humanum constat, unum Populum efforment Dei, in unum corpus coalescant Christi, in unum coaedificentur templum Spiritus Sancti: quod sane, cum fraternam concordiam referat, intimo universorum hominum voto sublimiter respondet. Ad hoc vero perficiendum Ecclesia suapte natura urgetur: necessitas ei incumbit (cf. *1 Cor.* 9, 16). Corpus enim Christi mysticum ad suum proprium incrementum vires indesinenter colligit et ordinat (cf. *Eph.* 4, 11-16). Sic tandem consilium Creatoris, hominem ad imaginem et similitudinem suam condentis, revera adimpletur, cum omnes qui humanam participant naturam, in Christo per Spiritum Sanctum regenerati, unanimiter gloriam Dei speculantes, dicere poterunt: « Pater noster ».[13]

Ex hoc Dei proposito ad effectum adducendo, sequitur ut activitas missionalis Ecclesiae absolute necessaria dicenda sit. Nonnisi enim per eam propositum Dei fideliter manifestatur et oboedienter ad effectum deducitur, ad gloriam eiusdem Dei.

8. [*Activitas missionalis in vita historiaque hominum*]. Etiam cum ipsa natura humana eiusque adspirationibus missio intimam habet connexionem. Christum enim manifestando, eo ipso Ecclesia hominibus genuinam eorum condicionis atque vocationis veritatem revelat, cum Christus perfectio sit huius humanitatis novae, fraterno amore, sinceritate et pacifico spiritu imbutae, ad quam omnes adspirant. Christus, et Ecclesia quae de Ipso per evangelicam praedicationem dat testimonium, omnem peculiaritatem stirpis vel nationis transcendunt, ideoque nemini et nullibi ut extranei reputari possunt.[14]
[10] Ipse Christus est veritas atque via, quas evangelica praedicatio omnibus patefacit, dum ad aures

omnium eiusdem Christi verba perfert: « Paenitemini et credite Evangelio » (*Mc.* 1, 15). Verba haec simul iudicii sunt et gratiae, mortis et vitae. Etenim solum vetustati mortem inferendo ad novitatem vitae accedere possumus: quod non solum de singulis personis valet, sed et de diversis bonis mundi huius, quae simul peccato humano et Dei benedictione signantur: « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei » (*Rom.* 3, 23). Nemo ergo per seipsum et suis viribus a peccato liberatur et supra seipsum elevatur, nemo penitus a sua infirmitate vel solitudine vel servitute liberatur; omnes vero indigent Christo exemplari, magistro, liberatore, salvatore, vivificatore. Revera Evangelium in historia hominum, etiam temporali, fermentum libertatis ac progressus fuit seseque iugiter praebet fermentum fraternitatis unitatis et pacis. Non ergo sine causa Christus a fidelibus celebratur ut « Expectatio gentium et Salvator earum ».[15] [10]

9. [*Indoles eschatologica activitatis missionalis*]. Itaque tempus missionis est inter priorem adventum Domini et alterum, in quo Ecclesia ex quatuor ventis sicut messis colligetur in regnum Dei.[16]

Missio igitur nihil aliud est et nihil minus quam propositi Dei manifestatio seu Epiphania in mundo et in historia. In hac historia mundi Deus per missionem historiam salutis manifestando perficit. Non enim per verbum praedicationis et celebrationem sacramentorum Christum salutis auctorem praesentem reddit tantum, sed quidquid veritatis et gratiae iam apud gentes quasi secreta Dei praesentia inveniebatur, a contagiis malignis liberat et Auctori suo Christo restituit, ut per Ipsum omnibus notum et amatum efficiatur, et « quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, non tantum non pereat, sed sanetur, elevetur et consummetur ad gloriam Dei, confusionem daemonis et beatitudinem hominis ».[17] Sic missio ad plenitudinem eschatologicam tendit:[18] per eam enim, usque ad mensuram et tempus quae Pater posuit in sua potestate (cf. *Act.* 1, 7), dilatatur Populus Dei, cui prophetice dictum est: « Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende! Ne parcas! » (*Is.* 54, 2),[19] augetur Corpus mysticum usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 13), templumque spirituale, ubi Deus adoratur in spiritu et veritate (cf. *Io.* 4, 23), crescit et superaedificatur super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (*Eph.* 2, 20).

[11]

Caput II

DE IPSO OPERE MISSIONALI

10. [*Introductio*]. Ecclesia a Christo missa ad caritatem Dei omnibus hominibus et gentibus manifestandam opus missionale adhuc ingens sibi faciendum intelligit. Vicies enim milies centena milia hominum, qui stabilibus vitae culturalis nexibus, antiquis religionis traditionibus, firmis socialium necessitudinum vinculis in magnos et determinatos coetus coalescunt, nuntium evangelicum nondum audierunt; quorum alii unam ex magnis religionibus sequuntur, alii vero notitiae ipsius Dei extranei manent, immo eius existentiam quandoque expresse negant. Ecclesia, ut omnibus mysterium salutis vitamque a Deo allatam offerre possit, sese omnibus his coetibus inserere debet eodem motu, quo ipse Christus incarnatione sua se obstrinxit certis socialibus et culturalibus conditionibus hominum cum quibus conversatus est.

Art. 1

De Praeambulis Evangelizationis

11. [*De dialogo cum Non-Christianis*]. Ecclesia his coetibus humanis praesens esse incipit per suos filios, qui inter eos conversantes, exemplo vitae et testimonio verbi novum hominem, quem per baptismum induerunt, ita manifestant, ut ceteri bona eorum opera considerantes glorificent Patrem, et genuinum vitae humanae sensum, et communionis hominum universale vinculum percipiant.

Ut ipsi hoc testimonium Christi fructuose dare possint, cum illis hominibus aestimatione et caritate iungantur, se ut membra coetus hominum inter quos vivunt agnoscant, et in vita culturali et sociali partem habeant per varia humanae vitae commercia et negotia; familiares sint cum eorum traditionibus nationalibus et religiosis; laete et reverenter detegant semina Verbi in eis latentia; simul vero ad transformationem profundam attendant, quae inter gentes fit, et adlaborent ne homines nostrae aetatis scientiae et technologiae mundi moderni nimis intenti a rebus divinis alienentur, immo vero ad impensius desiderium veritatis et caritatis divinitus revelatae expergefiant. Sicut ipse Christus cor hominum scrutatus est eosque colloquio vere humano ad lucem divinam perduxit, ita eius discipuli cognoscant homines ad quos mittuntur et cum eis conversentur, ut ipsi dialogo sincero et patienti discant, quas divitias Deus munificus Gentibus dispensaverit; simul vero istas veritates luce evan-

gelica collustrare, liberare, et in Dei Salvatoris dominum reducere conentur. [11]

12. [*De praesentia caritatis*]. Praesentia christifidelium in coetibus humanis illa caritate animetur, qua nos dilexit Deus, qui vult ut et nos alterutrum eadem caritate diligamus (cf. *1 Io.* 4, 11). Sicut enim Christus circuibat omnes civitates et castella, non tantum docens et praedicans, sed et curans omnem languorem et infirmitatem (cf. *Mt.* 9, 35 ss.; *Act.* 10, 38), ita et Ecclesia iungitur cum hominibus cuiuscumque conditionis et libenter pro eis impenditur (cf. *2 Cor.* 12, 15). Participat enim eorum gaudia et dolores, novit vitae adspirationes et problemata, eis in anxietatibus mortis compatitur. Pacem quaerentibus respondere cupit fraterno dialogo afferens eis pacem et lucem ex Evangelio. [12]

Laborent christifideles et cum nationibus inter quas degunt collaborent in rebus oeconomicis, socialibus et educativis recte ordinandis. Partem sumant in conatibus eorum populorum qui, famem, ignorantiam et morbos debellando, humaniores conditiones condere et pacem in mundo firmare satagunt. In hac activitate fideles sociam operam suam praestare exoptant inceptis quae ab Institutis privatis et publicis, a guberniis, ab organis internationalibus, a diversis communitatibus christianis necnon religionibus non-christianis promoventur.

Ecclesia nullo modo vult suam operam imponere, nec se in moderamen terrenae civitatis ingerere. Nullam aliam auctoritatem sibi quaerit nisi ut, Deo adiuvante, caritate et fideli servitio hominibus ministret (cf. *Mt.* 20, 26; 23, 11).[1]

In sua vita et operatione intime cum hominibus coniuncti, Christi discipuli eis vera praeambula evangelizationis se oblaturos, et in eorum salutem se operaturos sperant, etiam ubi Christum plene annuntiare nequeunt. Non enim quaerunt progressum et prosperitatem mere terrenam hominum, sed eorum dignitatem et fraternam unionem promovent, docentes veritates religiosas et morales, quas Christus luce sua illustravit, sicque gradatim aditum pleniorem ad Deum aperiunt. Ita homines iuvantur in assequenda salute per caritatem erga Deum et proximum et elucere incipit mysterium Christi, in quo novus homo apparuit, qui secundum Deum creatus est (cf. *Eph.* 4, 24), et in quo caritas Dei revelatur.

Art. 2

De Praedicatione Evangelii et de Congregando Populo Dei

13. [*De evangelizatione et conversione*]. Animis ad suscipiendum Verbum dispositis annuntietur « publice et per domos » (*Act.* 20, 20) Deus vivus et, quem ad omnium salutem misit, Iesus Christus, ut non-

[12] christiani, Spiritu Sancto cor ipsorum aperiente (cf. *Act.* 16, 14), credentes ad Dominum convertantur, Eique sincere adhaereant qui, cum sit « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6), omnes eorum exspectationes spirituales explet, immo infinite superat.

[13] Quae conversio necessario initialis intelligenda est, sufficiens tamen ut homo percipiat se, avulsum a peccato, introduci in mysterium amoris Dei, qui eum vocat ad personale commercium cum Se ipso in Christo ineundum.

De libertate huius conversionis constare debet. Ecclesia enim severe prohibet ne quis ad fidem amplectendam cogatur vel artibus importunis inducatur aut alliciatur, sicut et fortiter vindicat ius ne ullus iniquis vexationibus a fide deterreatur.

Iuxta perantiquam Ecclesiae consuetudinem, motiva conversionis investigentur et, si necesse est, purificentur.

14. [*De catechumenatu et initiatione christiana*]. Qui fidem a Deo per Ecclesiam acceperunt,[2] liturgicis caeremoniis admittantur ad catechumenatum; qui non est mera dogmatum praeceptorumque expositio, sed totius vitae christianae institutio et tirocinium sat longum, quibus discipuli cum Christo suo Magistro coniunguntur. Catechumeni ergo apte initientur mysterio salutis et exercitio morum evangelicorum sacrisque ritibus, successivis temporibus celebrandis,[3] introducantur in vitam fidei, liturgiae et caritatis Populi Dei.

Deinde per initiationis christianae sacramenta liberantur a daemone [4] et Christo commortui, consepulti ac conresuscitati, Spiritum accipiunt adoptionis filiorum et memoriale mortis et resurrectionis Domini cum cuncto Populo Dei celebrant.

Desiderandum est ut liturgia temporis quadragesimalis et paschalis ita restauretur ut animos catechumenorum componat ad celebrationem paschalis mysterii in cuius sollemnibus peragendis per baptismum Christo regenerantur.

Initiatio autem illa christiana in catechumenatu non a solis catechistis vel sacerdotibus, sed a tota communitate fidelium est procuranda, ita ut catechumeni inde ab initio sentiant se esse membra populi Dei. Cumque vita Ecclesiae sit apostolica, catechumeni item discant testimonio vitae et fidei professione ad evangelizationem et Ecclesiae aedificationem actuose cooperari.

Status tandem iuridicus catechumenorum in novo Codice clare ponatur. Iam enim cum Ecclesia coniuncti sunt,[5] iam de domo sunt Christi [6] et non raro iam vitam agunt fidei, spei et caritatis.

Art. 3 [13]

DE COMMUNITATE CHRISTIANA EFFORMANDA

15. [*De formatione communitatis christianae*]. Spiritus Sanctus, qui omnes homines per semina Verbi praedicationemque Evangelii ad Christum convocat et in cordibus obsequium fidei suscitat, cum credentes in Christum in baptismalis fontis sinu ad novam vitam generet, eos congregat in unum Populum Dei qui est « genus electum, regale [14] sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (*1 Pt.* 2, 9).[7]

Missionarii ergo, cooperatores Dei (cf. *1 Cor.* 3, 9), tales suscitent fidelium congregationes quae, digne ambulantes vocatione qua vocatae sunt (cf. *Eph.* 4, 1) triplex a Deo sibi concreditum exerceant munus, sacerdotale scilicet, propheticum et regale. Hoc modo communitas christiana signum fit praesentiae Dei in mundo: ipsa enim sacrificio eucharistico incessanter cum Christo ad Patrem transit,[8] verbo Dei sedulo enutrita [9] testimonium Christi praebet,[10] et caritate denique ambulat spirituque apostolico fervet.[11]

Haec fidelium congregatio, divitiis culturae propriae gentis praedita, in populo profunde radicetur: efflorescant familiae spiritu evangelico imbutae [12] atque scholis idoneis iuventur; associationes et coetus erigantur per quos laicorum apostolatus totam societatem spiritu evangelico permeare valeat. Splendescat denique caritas praesertim inter catholicos diversi ritus.[13]

Spiritus oecumenicus nutriatur inter neophytos, qui probe aestiment fratres separatos esse Christi discipulos, baptismate regeneratos, perplurium bonorum Populi Dei consortes. Quantum sinunt condiciones religiosae, actio oecumenica ita promoveatur ut, seclusa omni tam indifferentismi quam insanae aemulationis specie, communi professione fidei in Deum et in Iesum Christum coram Gentibus atque cooperatione in re tam sociali et technica quam culturali et religiosa, catholici fraterne collaborent cum fratribus seiunctis ad normas Decreti de Oecumenismo.

Fideles Christi ex Gentibus cunctis in Ecclesia congregati, « neque regimine, neque sermone, neque politicis vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti »,[14] ideoque in consuetudine vitae gentis suae Deo et Christo vivant; ut boni cives, amorem Patriae vere et efficaciter colant, alienae tamen stirpis contemptionem et nationalismum exacerbatum vitent omnino.

Communitas christiana inde ab initio ita efformari debet ut suis necessitatibus, quantum fieri potest ipsa providere queat.

Verum ad Ecclesiae plantationem et ad incrementum communitatis

[14] christianae necessaria sunt varia ministeria, quae vocatione divina ex ipsa fidelium congregatione suscitata, omnibus diligenti cura sunt fovenda atque colenda; inter quae habentur munera sacerdotum, diaconorum et catechistarum. Item Religiosi et Religiosae ad regnum Christi in animis radicandum et corroborandum illudque ulterius dilatandum sive oratione, sive actuosa opera plurimum conferunt.

16. [*De clero locali constituendo*]. Gaudio magno Ecclesia gratias agit pro inaestimabili vocationis sacerdotalis dono, quod inter Gentes nuper ad Christum conversas tot iuvenibus Deus elargitus est. Firmiores enim radices Ecclesia in unoquoque coetu humano figit, cum
[15] variae communitates fidelium ex suis membris proprios habent salutis ministros in ordine diaconorum ac presbyterorum fratribus suis inservientes, immo episcopali munere fungentes.

Quae de sacerdotali vocatione et formatione ab hoc Concilio statuta sunt, sancte serventur ubi Ecclesia primo plantatur et apud novellas ecclesias. Maximi facienda sunt quae dicuntur de institutione spirituali cum doctrinali et pastorali arcte connectenda, de vita secundum formam evangelii gerenda, de intimo sensu mysterii Ecclesiae excolendo. Inde mirabiliter discent totos se ipsos in servitium Corporis Christi et ad opus evangelii dedicare, proprio episcopo tanquam fidos cooperatores adhaerere et sociam confratribus operam praestare.[15]

Ad quem generalem finem assequendum, tota alumnorum formatio ordinetur sub luce mysterii salutis uti in Scripturis exhibetur. Hoc mysterium Christi et salutis humanae in Liturgia praesens inveniant et vivant.[16]

Quae exigentiae communes sacerdotalis institutionis, ad normam Concilii,[17] componantur cum studio obviam eundi peculiari cogitandi agendique modo propriae gentis. Alumnorum mentes ergo aperiantur et exacuantur ut bene cognoscant et iudicare valeant suae gentis culturam; in disciplinis philosophicis et theologicis perspiciant rationes quae traditiones ac religionem patriam inter et religionem christianam intercedunt.[18] Item componantur cum necessitatibus pastoralibus regionis: alumni discant historiam, finem et methodum actionis missionalis Ecclesiae, et speciales condiciones sociales, oeconomicas, culturales proprii populi. In spiritu oecumenismi educentur, et ad dialogum fraternum cum non-christianis rite praeparentur.[19] Haec omnia postulant, ut studia ad sacerdotium peragantur, quantum fieri potest, in consuetudine et convictu cum sua cuiusque gente.[20]

Attamen, ut clerus localis ad omnia munera ecclesiastica magis magisque idoneus evadat, seligantur sacerdotes qui, post praxim aliquam

pastoralem, in studiorum Universitatibus etiam exteris, maxime in Urbe, aliisque Institutis scientificis studia superiora perficiant. [15]

Curent Conferentiae Episcopales ut statis temporibus cursus renovationis doctrinalis, spiritualis et pastoralis instituantur eo consilio, ut inter rerum varietates et mutationes clerus pleniorem cognitionem scientiae theologicae et methodorum pastoralium acquirat.

Ubi Conferentiis Episcoporum opportunum apparuerit, ordo diaconatus ut status vitae permanens restauretur ad normam constitutionis « de Ecclesia ».[21] Iuvat enim viros, qui ministerio vere diaconali funguntur, vel verbum divinum tanquam catechistae praedicantes, vel nomine parochi et episcopi dissitas communitates christianas moderantes, vel caritatem exercentes in operibus socialibus seu caritativis, per impositionem manuum inde ab Apostolis traditam corroborari, ut ministerium suum per gratiam sacramentalem diaconatus efficacius expleant.

17. [*De catechistarum institutione*]. Item laude dignum est agmen illud, de opere missionum ad Gentes tam optime meritum, catechistarum scilicet, tam virorum quam mulierum, qui spiritu apostolico imbuti, magnis laboribus singulare et omnino necessarium adiumentum conferunt ad dilatationem fidei et Ecclesiae. [16]

Nostris diebus, cum ad tot multitudines evangelizandas et ad ministerium pastorale exercendum pauci sint missionarii, catechistarum officium maius quam praeteritis temporibus momentum habet. Eorum ergo institutio ita perfici debet et culturali progressui accommodari, ut tanquam validi cooperatores ordinis sacerdotalis quam optime exsequi possint munus suum novis et amplioribus oneribus ingravescens.

Multiplicentur ergo scholae dioecesanae et regionales in quibus futuri catechistae cum doctrinam catholicam, praesertim in re biblica et liturgica, tum etiam methodum catecheticam praximque pastoralem excolant, seque ad mores hominum christianorum [22] forment pietatem sanctitatemque vitae colere indesinenter satagentes. Insuper conventus vel cursus habeantur quibus catechistae in disciplinis et artibus suo ministerio utilibus certis temporibus renoventur et eorum vita spiritualis nutriatur et roboretur. Praeterea, status vitae decens et securitas socialis eis procuretur per iustam remunerationem.

In voto est ut formationi et sustentationi catechistarum modo congruo provideatur subsidiis S. Dicasterii de Propaganda Fide specialibus. Si necessarium et aptum apparebit, Opus pro Catechistis fundetur.

Insuper Ecclesiae grato animo agnoscent generosam operam catechistarum auxiliarium, quorum adiutorio indigebunt. Ipsi in suis communitatibus precibus praesident et doctrinam tradunt. De eorum forma-

[16] tione doctrinali et spirituali rite curandum est. Praeterea optandum est ut, ubi opportunum videbitur, catechistis debite formatis missio canonica in actione liturgica publice celebranda conferatur, ut apud populum maiore auctoritate fidei deserviant.

18. [*De vita religiosa promovenda*]. Inde a periodo plantationis Ecclesiae vita religiosa sedulo promoveatur, quae non solum pretiosa omninoque necessaria auxilia activitati missionali affert, sed praeprimis lucide manifestat et significat intimam vocationis christianae naturam.[23]

Congregationes religiosae, plantationi Ecclesiae adlaborantes, mysticis divitiis, quibus traditio religiosa Ecclesiae insignitur, penitus imbutae, eas pro suo cuiusque gentis ingenio et indole exprimere et tradere conentur. Attente considerent quomodo traditiones asceticae et contemplativae, quarum semina iam ante Evangelii praedicationem nonnunquam antiquis culturis a Deo indita sunt, in vitam religiosam assumi possint.

In novellis Ecclesiis variae formae vitae religiosae excolendae sunt, ut diversos aspectus missionis Christi exerceant. Attamen Episcopi in
[17] Conferentia videant ne Congregationes, eundem finem apostolicum prosequentes, condantur cum detrimento vitae religiosae et apostolatus.

Speciali mentione digna sunt varia ad vitam contemplativam radicandam incepta, quibus alii, essentialia Institutionis monasticae elementa retinentes, divitissimam traditionem sui Ordinis implantare satagunt, alii vero ad antiqui monachismi simpliciores formas redeunt: omnes tamen genuinam aptationem ad conditiones locales quaerere studeant. Cum enim vita contemplativa ad plenitudinem praesentiae Ecclesiae pertineat, oportet apud novellas Ecclesias ubique instauretur.

Art. 4

De Ecclesiis Particularibus

19. [*De Ecclesiarum localium incremento*]. Opus plantationis Ecclesiae in determinato humano coetu certam attingit metam, cum congregatio fidelium, in sociali vita iam radicata culturaeque loci aliquatenus conformata, quadam stabilitate et firmitate fruitur: propria nempe, etsi insufficienti, instructa copia localium sacerdotum, religiosorum laicorumque, iis ministeriis et institutis ditatur quae ad vitam populi Dei ducendam ac dilatandam necessaria sunt sub ductu Episcopi proprii.

In huiusmodi Ecclesiis novellis, vita Populi Dei maturescere debet per omnes campos vitae christianae ad normas huius Concilii renovan-

dae: congregationes fidelium magis in dies conscie vivae efficiuntur com- [17]
munitates fidei, liturgiae et caritatis; laici per civilem et apostolicam operositatem ordinem caritatis et iustitiae in civitate instaurare nituntur; instrumenta communicationis socialis adhibentur; familiae per vitam vere christianam seminaria evadunt vocationum sacerdotalium et religiosarum. Fides denique per catechesim aptatam edocetur, in liturgia ingenio populi consona celebratur et per legislationem canonicam congruam inducitur in honesta instituta et consuetudines locales.

Episcopi vero, una cum suo quisque presbyterio, sensu Christi et Ecclesiae magis magisque imbuti, cum universali Ecclesia sentiant atque vivant. Intima permaneat ecclesiarum novellarum communio cum tota Ecclesia, cuius traditionis elementa culturae propriae adiungant ad augendam mutuo quodam virium effluvio vitam Corporis Mystici.[24] Quae communio perfecta erit cum et ipsae navitatem missionalem ad alias Gentes actuose participabunt.

Hae vero Ecclesiae, saepissime in pauperioribus orbis partibus sitae, gravissima plerumque sacerdotum penuria et subsidiorum materialium inopia adhuc laborant. Quare summopere indigent ut continuata totius Ecclesiae actio missionalis ea subministret adminicula quae Ecclesiae localis incremento vitaeque christianae maturitati praeprimis inserviant. Attamen istae Ecclesiae commune pastorale studium aptaque opera in- [18]
staurent, quibus vocationes sacerdotales et religiosae numero augeantur, securius diiudicentur et efficacius excolantur,[25] ita ut paulatim sibimetipsis providere valeant.

20. [*De diversitate in unitate*]. Semen quod est verbum Dei, germinans ex terra bona, rore divino irrigata, succum trahit, illum transformat sibique assimilat ut denique fructum multum afferat. Equidem ad instar oeconomiae Incarnationis, Ecclesiae novellae in Christo radicatae Apostolorumque fundamento superaedificatae, in admirabile commercium assumunt omnes divitias nationum quae Christo datae sunt in hereditatem (cf. *Ps.* 2, 8). Ipsae e suorum populorum consuetudinibus et traditionibus, sapientia et doctrina, artibus et disciplinis, ea omnia mutuantur quae ad gloriam Creatoris confitendam, ad gratiam Salvatoris illustrandam et ad vitam christianam rite ordinandam conferre possunt.[26]

Ad hoc propositum assequendum necesse est, ut in unoquoque magno territorio socio-culturali, uti aiunt, ea consideratio theologica stimuletur qua, praelucente Traditione universalis Ecclesiae, facta et verba a Deo revelata, in Sacris Litteris consignata, novae investigationi subiiciantur. Sic clarius percipietur quibus viis fides, ratione habita philosophiae vel sapientiae populorum, quaerere possit intellectum, et quibus modis

[18] consuetudines, vitae sensus et socialis ordo, cum moribus revelatione divina significatis componi queant. Inde patebunt viae ad profundiorem aptationem in toto ambitu vitae christianae. Hoc agendi modo omnis syncretismi et falsi particularismi species secludetur, vita christiana ingenio indolique cuiusque culturae accommodabitur,[27] traditiones particulares cum propriis cuiusque familiae gentium dotibus luce Evangelii illustratis, in unitatem catholicam assumentur. Novae denique Ecclesiae particulares, suis traditionibus exornatae, locum suum habebunt in ecclesiastica communione, integro manente Primatu Petri Cathedrae, quae universo caritatis coetui praesidet.[28]

Caput III

DE MISSIONARIIS

21. [*De vocatione missionaria*]. Christus Dominus opus suum perenne reddere omnesque gentes ad fidem adducere volens semper vocat quos vult ipse, ut sint secum et ut mittat eos praedicare (*Mc.* 3, 13 s.). Quare per Spiritum Sanctum, qui charismata prout vult ad utilitatem dividit (*1 Cor.* 12, 11), peculiarem vocationem missionariam in cordibus singulorum inspirat simulque in Ecclesia suscitat Instituta, quae munus evangelizationis ad totam Ecclesiam pertinens quasi proprium officium suscipiant.

[19] Speciali enim vocatione signantur, qui congrua naturali indole praediti, dotibus et ingenio idonei, parati sunt ad opus missionale suscipiendum.[1] A legitima auctoritate missi, fide et oboedientia exeunt in locum, quem arandum et inseminandum acceperunt, « sanctificare Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.* 15, 16).

22. [*De spiritualitate missionaria*]. At vero Deo vocanti homo respondere debet tali modo, ut carni et sanguini non acquiescens totum — et quidem per totam vitam — sese devinciat operi Evangelii, ad quod segregatus est (cf. *Gal.* 1, 15; *Act.* 13, 2). Hoc vero responsum dari nequit nisi Spiritu Sancto incitante et roborante. Missus enim intrat in vitam et missionem Eius, qui « seipsum exinanivit formam servi accipiens » (*Phil.* 2, 7). Ideo paratus esse debet renuntiare omnibus quae hucusque sua habuit (*Eph.* 3, 7) et similem sese reddere eis ad quos missus est.

Minister Evangelii factus in Gentibus, scandalum crucis superans, cum fiducia notum faciat mysterium Christi, pro quo legatione fungitur,

ita ut in ipso audeat, prout oportet, de Ipso loqui (cf. *Eph.* 6, 19 s.; *Act.* [19]
4, 31). Vestigia premens Magistri sui, mitis et humilis corde, manifestet iugum Eius suave esse et onus leve (*Mt.* 11, 29 s.). Vita revera evangelica,[2] in multa patientia, in longanimitate, in suavitate, in caritate non ficta (cf. *2 Cor.* 4, 6), testimonium reddat Domini sui, si necesse est, usque ad sanguinis effusionem. Virtutem et fortitudinem a Deo impetrabit, ut cognoscat in multo experimento tribulationis et altissimae paupertatis abundantiam esse gaudii (cf. *2 Cor.* 8, 2). Persuasum habeat oboedientiam esse virtutem peculiarem ministri Christi, per quem sermo Dei currit et clarificatur (*2 Thess.* 3, 1).

Evangelii praecones, ne gratiam quae in eis est, neglegant, renoventur spiritu mentis de die in diem (cf. *1 Tim.* 4, 14; *Eph.* 4, 23; *2 Cor.* 4, 16). Ordinarii vero et Superiores statutis temporibus missionarios coadunent ut spe vocationis suae roborentur.

23. [*De formatione spirituali et morali*]. Ad tam praeclarum opus futurus missionarius diligenti formatione spirituali et morali praeparandus est.[3] Debet enim esse promptus ad initia capienda, constans ad opera perficienda, perseverans in difficultatibus, patienti et laeto animo ferens solitudinem, defatigationem, infructuosum laborem. Mente aperta et corde dilatato hominibus occurret; quaelibet officia libenter suscipiet; alienis populorum moribus et variantibus conditionibus sponte se aptabit, concordi animo et mutua caritate sociam operam dabit fratribus et omnibus qui eidem operi sese dedicant.

Hae animi habitudines iam tempore formationis sedulo exerceantur, excolantur et vita spirituali eleventur et nutriantur. Fide viva imbutus, missionarius sit vir orationis; ardeat spiritu virtutis et dilectionis et so- [20]
brietatis (cf. *2 Tim.* 1, 7); discat in quibus sit sufficiens esse (cf. *Phil.* 4, 11); spiritu sacrificii mortem Iesu in seipso circumferat, ut vita Iesu operetur in eis ad quos mittitur (cf. *2 Cor.* 4, 10 ss.); zelo animarum libenter omnia impendat et superimpendatur ipse pro animabus (cf. *2 Cor.* 12, 15 s.). Ita voluntati Patris oboediens cum Christo missionem Eius sub auctoritate hierarchica Ecclesiae continuabit, et mysterio salutis cooperabitur.

24. [*De formatione doctrinali*]. Qui vero vocationi divinae oboedientes ad varias gentes mittentur, ut boni ministri Christi, enutriti sint « verbis fidei et bonae doctrinae » (*1 Tim.* 4, 6).

Quare omnes missionarii — sacerdotes, fratres, sorores, laici — pro sua quisque conditione praeparandi et efformandi sunt, ne exigentiis futuri operis impares inveniantur.[4] Ab ipsis iam initiis formatio doctrinalis eorum ita instituatur, ut et universalitatem Ecclesiae et diversitatem

[20] gentium comprehendat. Quod de omnibus disciplinis valet, per quas ad ministerium obeundum parentur, necnon de aliis scientiis, quibus utiliter edoceantur, ut communem habeant populorum, culturarum, religionum cognitionem, non tantum ad praeteritum, sed et ad praesens tempus spectantem. Quicumque nempe alium populum aditurus, magni aestimet eius patrimonium et linguas et mores. Futuro missionario necessarium est cognoscere doctrinam et normas Ecclesiae circa activitatem missionalem, scire quas vias nuntii Evangelici decursu saeculorum percurrerint, necnon praesentem missionum conditionem simul ac methodos, quae nunc temporis efficaciores recensentur.[5]

Fratres et sorores quamplurimi arte catechetica bene edoceantur et praeparentur, ut magis adhuc in apostolatu collaborare possint.

Haec vero formatio in terris, ad quas mittentur, ita compleatur, ut missionarii fusius cognoscant historiam, structuras et consuetudines populorum, perspiciant ordinem moralem et praecepta religiosa necnon ideas intimas, quas secundum sacras suas traditiones de Deo, de mundo et de homine efformaverint.[6] Linguas vero ediscant tali gradu, ut illis expedite et polite uti queant, et ita faciliorem ad hominum mentes et corda aditum inveniant.[7]

Aliqui vero profundiore ratione praeparentur apud Instituta Missiologica vel alias Facultates aut Universitates, ut efficacius specialibus muneribus fungi[8] et ceteris missionariis eruditione sua adiutorio esse possint in exercendo opere missionario quod nostris praesertim temporibus tot difficultates et opportunitates praebet. Valde insuper optandum, ut Conferentiae Episcoporum Regionales talium peritorum copiam praesto habeant, eorumque scientia et experientia fructuose utantur in sui muneris necessitatibus. Nec desint qui sciant quam perfectissime uti instru-
[21] mentis technicis et communicationis socialis, quorum momentum omnes magni faciant.

25. [*De Institutis in Missionibus laborantibus*]. Quae omnia, quamvis unicuique ad gentes misso omnino necessaria sint, a singulis vix reapse attingi possunt. Cum etiam ipsum opus missionale a singulis impleri nequeat, communis vocatio singulos ad Instituta[9] congregavit, in quibus, collatis viribus, apte formarentur et illud opus nomine Ecclesiae et ad nutum hierarchicae auctoritatis exsequerentur. Quae Instituta multis abhinc saeculis pondus diei et aestus portaverunt, sive integre labori missionali sese devoverunt sive ex parte. Saepe vasta territoria illis evangelizanda a Sancta Sede commissa sunt, in quibus Deo novum populum coadunaverunt, Ecclesiam localem propriis pastoribus adhaerentem. Ecclesiis suo sudore, immo et sanguine suo, fundatis, zelo atque

experientia in servitium erunt fraterna cooperatione vel curam animarum [21]
gerendo vel munera specialia ad bonum commune persolvendo.

Aliquando pro toto alicuius regionis ambitu urgentiores quosdam labores in se sument, e. g. evangelizationem coetuum vel populorum qui forsan nuntium evangelicum ob peculiares rationes nondum acceperunt vel ei hucusque restiterunt.[10]

His de causis, et cum multae adhuc exstent gentes ad Christum adducendae, Instituta apprime necessaria manent.

Caput IV

DE ORDINATIONE ACTIVITATIS MISSIONALIS

26. [*Introductio*]. Christifideles, etsi donationes habeant differentes (cf. *Rom.* 12, 6), pro sua quisque opportunitate, facultate, charismate ac ministerio (cf. *1 Cor.* 3, 10), in Evangelio collaborare debent; omnes proinde, qui seminant et qui metunt (cf. *Io.* 4, 37), qui plantant et qui rigant, unum sint oportet (cf. *1 Cor.* 3, 8), ut « ad eundem finem libere et ordinatim conspirantes »,[1] unanimiter ad aedificationem Ecclesiae cooperentur.

Quamobrem Evangelii Praeconum labores et auxilia christifidelium ita dirigenda et colliganda sunt, ut « omnia secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 10) in cunctis activitatis et cooperationis missionalis campis.

27. [*Ordinatio generalis*]. Cum enim cura Evangelium ubique terrarum annuntiandi ad corpus Episcoporum pertineat,[2] coetus seu Consilium Centrale Summi Pontificis [3] inter generalis momenti negotia,[4] activitatis missionalis, maximi sanctissimique Ecclesiae muneris, specialem habeat rationem.

Pro omnibus Missionibus et pro tota activitate missionali unum tantum sit oportet Dicasterium competens, nempe « De Propaganda [22]
Fide », a quo dirigantur necnon coordinentur ubique terrarum et ipsum opus missionale et cooperatio missionaria. Ab eo promoveantur vocatio et spiritualitas missionaria, zelus et oratio pro missionibus, necnon nuntia de missionibus; suscitentur et secundum urgentiores necessitates regionum distribuantur missionarii. Ab eo disponatur ordinata operandi ratio, profluant normae directivae et principia pro Evangelizatione adaptata, dentur impulsus. Ab eo incitetur et coordinetur efficax collectio subsidiorum, quae distribuantur secundum rationes necessitatis vel utilitatis necnon extensionis dicionis, numeri fidelium et infidelium, operum et Institutorum, ministrorum et missionariorum.

[22] Itaque necesse est ut hoc Dicasterium sit tam instrumentum administrationis quam organum directionis dynamicae, quod utatur methodis scientificis et instrumentis huius temporis condicionibus adaptatis, ratione nempe habita hodiernae investigationis theologicae, methodologicae et pastoralis missionariae.

Hoc Dicasterium constituatur membris selectis ex omnibus illis qui in opere missionali collaborant: Cardinales nempe, Patriarchae et Episcopi ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon Moderatores Institutorum et Operum Pontificalium. Hi omnes, statutis temporibus convocandi, collegialiter sub auctoritate Summi Pontificis, supremam gubernationem totius operis missionalis exerceant.

Huic Dicasterio praesto sit Secretariatus Consultorum peritorum permanens, cuius inter alia erit cum de conditione variarum regionum locali et de modo cogitandi diversorum coetuum hominum, tum de methodis evangelizationis adhibendis opportunas notiones colligere et conclusiones scientifice fundatas pro opere et cooperatione missionali proponere.

Opera regionalia pro Missionibus necnon organizationes etiam laicorum internationales modo congruo repraesententur.

28. [*De ordinatione locali in Missionibus*]. Ut in ipso opere missionali exercendo fines et effectus attingantur, omnibus operariis missionalibus sit « cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32).

Episcopi est, uti rectoris et centri unitatis in apostolatu dioecesano, activitatem missionalem promovere, moderari et coordinare, ita tamen, ut spontanea navitas eorum qui in opere partem habent, servetur et foveatur. Ad hoc constituat in quantum fieri potest Consilium Pastorale, in quo clerici, religiosi et laici per delegatos selectos partem habeant. Curet insuper ne activitas apostolica ad solos iam conversos limitetur, sed aequa pars et operariorum et subsidiorum evangelizationi non-christianorum destinentur.

29. [*De coordinatione regionali*]. Conferentiae Episcopales com-
[23] muni consilio graviores quaestiones et problemata urgentia tractent, quin tamen differentias locales negligant. Ne insufficiens personarum et subsidiorum copia dissipetur, neve incepta sine necessitate multiplicentur, commendatur ut opera bono omnium inservientia collatis viribus condant, uti e. g. seminaria, centra pastoralia, catechetica, liturgica necnon instrumentorum communicationis socialis.

Eiusmodi cooperatio pro opportunitate etiam inter diversas conferentias episcopales instituatur.

30. [*De coordinatione activitatis Institutorum*]. Expedit quoque [23] coordinare activitates quae ab Institutis vel Associationibus Ecclesiasticis exercentur. Quae omnia, cuiusvis sint generis, in universis quae ipsam activitatem missionalem spectant, obsecundent Ordinario loci. Quare multum proderit particulares inire conventiones, quibus relationes inter Ordinarium loci et Moderatorem Instituti regantur.

Quando Instituto cuidam commissum fuit territorium, Superiori Ecclesiastico et Instituto cordi erit omnia ad hunc finem dirigere ut nova communitas christiana in Ecclesiam localem crescat, quae opportuno tempore a proprio Pastore cum suo clero regatur.

Cessante territorii commissione nova oritur conditio. Quamquam Instituta parata erunt continuare opus inceptum, collaborando in ministerio ordinario curae animarum, tamen crescente clero locali, providendum erit ut Instituta, in quantum eorum fini congruit, in ipsa Dioecesi radices figant et opera specialia vel aliquam regionem sibi assumant.

Conferentiae vero Episcoporum et Instituta, communi consilio, novas proponant normas, a Sancta Sede approbandas, quae statuant relationes inter Ordinarium loci et Instituta.

31. [*De coordinatione inter Instituta*]. Instituta vero, quae in eodem territorio activitati missionali incumbunt, vias et modos inveniant oportet, quibus opera coordinentur. Quare summae utilitatis sunt Conferentiae Religiosorum et Uniones Religiosarum, in quibus omnia eiusdem nationis vel regionis Instituta partes habeant. Hae Conferentiae inquirant, quaenam communi conatu peragi possint, et arcta relatione cum Conferentiis Episcopalibus connectantur.

Quae omnia pari ratione ad collaborationem Institutorum missionalium in terris patriis extendi possunt et debent, ita ut quaestiones et incepta communia facilius et minoribus cum expensis solvi queant, ut puta formatio doctrinalis futurorum missionariorum, necnon cursus pro missionariis, relationes ad publicas auctoritates vel organa internationalia et supra nationalia.

32. [*De coordinatione inter Instituta scientifica*]. Cum rectum et ordinatum exercitium actuositatis missionariae requirat ut operarii evangelici ad munera sua, praesertim ad dialogum cum religionibus et culturis [24] non-christianis, scientifice praeparentur, desideratur ut in favorem missionum inter se fraterne et generose collaborent quaelibet Instituta scientifica quae colunt missiologiam aliasque disciplinas vel artes missionibus utiles, uti ethnologiam, historiam et scientiam religionum, sociologiam, artes pastorales et similia.

[24] CAPUT V

DE COOPERATIONE

33. [*Introductio*]. Cum tota Ecclesia missionaria sit, et opus evangelizationis officium Populi Dei fundamentale, Sacra Synodus omnes ad profundam renovationem interiorem invitat, ut vivam conscientiam propriae responsabilitatis in Evangelii diffusione habentes, partes suas assumant in opere missionali apud Gentes.

34. [*Missionale officium totius Populi Dei*]. Ut membra viventis Christi, Ipsi per Baptismum necnon per Confirmationem et Eucharistiam incorporati et configurati, omnes fideles officio tenentur ad Eius Corporis expansionem et dilatationem cooperandi, ut quamprimum Illud ad plenitudinem adducant.

Quare omnes Ecclesiae filii vivam suae erga mundum responsabilitatis conscientiam habeant, spiritum vere catholicum in seipsis foveant, suasque vires in opus evangelizationis impendant. Attamen, sciant omnes, primum ac potissimum suum debitum pro fidei diffusione esse, vitam christianam profunde vivere. Eorum enim fervor in Dei servitio et erga alios caritas novum spiritualem afflatum toti Ecclesiae afferent, quae apparebit ut signum levatum in nationes (cf. *Is.* 11, 12), « lux mundi » (*Mt.* 5, 14) et « sal terrae » (*Mt.* 5, 13).

Ex hoc renovato spiritu preces et paenitentiae opera Deo sponte offerentur ut opus missionariorum sua foecundet gratia, vocationes missionariae ortum habebunt, opes quibus missiones indigent promanabunt.

Ut autem omnes et singuli christifideles praesentem Ecclesiae in mundo condicionem plane noverint, et vocem audiant multitudinum clamantium: « Adiuva nos » (cf. *Act.* 16, 9), notitiae missionales, modernis etiam instrumentis communicationis socialis adhibitis, tales praebeantur, ut activitatem missionalem suam sentientes, ad tam immensas et profundas hominum necessitates cor aperiant eisque subvenire valeant.

Necessaria quoque est coordinatio notitiarum et cooperatio cum organis nationalibus et internationalibus.

[25] 35. [*Missionale officium communitatum christianarum*]. Cum autem Populus Dei in communitatibus, praesertim dioecesanis et paroecialibus vivat, et in ipsis quodammodo visibilis appareat, ad istas etiam pertinet Christum coram Gentibus testificari.

Gratia renovationis in communitatibus crescere nequit nisi una-

quaeque spatia caritatis ad terminos terrae dilatet, similemque curam habeat de iis qui longe ac de illis qui propria membra sunt. [25]

Sic tota communitas precatur, cooperatur et activitatem inter gentes exercet per filios suos quos Deus ad hoc praestantissimum munus elegit.

Perutile erit, dummodo ne negligatur opus missionale universale, specialem servare coniunctionem cum missionariis ex ipsa communitate oriundis, vel cum paroecia aut dioecesi aliqua missionum, ut communio inter communitates ad manifestum effectum deducatur, et in mutuam cedat aedificationem.

36. [*Missionale officium episcoporum*]. Episcopi omnes, sive singuli sive ut membra corporis episcoporum collegio apostolorum succedentis, non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute consecrati sunt. Mandatum Christi praedicandi Evangelium omni creaturae (*Mc.* 16, 15) eos, cum Petro et sub Petro, primo et immediate afficit. Inde oritur illa communio et cooperatio Ecclesiarum quae hodie tam necessaria est ad opus evangelizationis prosequendum. Vi istius communionis singulae Ecclesiae sollicitudinem omnium aliarum ferunt, proprias necessitates sibi invicem aperiunt, res suas mutuo communicant, ita ut dilatatio Corporis Christi opus totius Collegii Episcoporum sit.

In tota sua dioecesi episcopus opus missionale suscitans, promovens, dirigens, spiritum et ardorem missionalem Populi Dei praesentem et quasi visibilem reddit.

Episcopi erit in suo populo, praesertim inter infirmos et pauperes, animas suscitare quae orationes et paenitentiae opera Deo corde aperto pro mundi evangelizatione offerant; vocationes iuvenum et clericorum ad Instituta missionalia libenter fovere, grato animo ferens, si Deus quosdam eligat qui actuositati Ecclesiae missionali inserantur; Congregationes dioecesanas hortari et assistere ut propriam partem in missionibus assumant; opera Institutorum missionalium, et praesertim Opera Pontificalia Missionalia, quibus iure primus locus concedi debet quaeque media sunt ad catholicos inde ab infantia sensu vere universali et missionario imbuendos, apud suos fideles promovere.

Cum vero in dies crescat necessitas operariorum in vinea Domini, et sacerdotes dioecesani desiderent et ipsi partes semper maiores in mundi evangelizatione habere, Sancta Synodus exoptat ut episcopi, gravissimam considerantes penuriam sacerdotum qua evangelizatio multarum regionum impeditur, aliquos e melioribus suis sacerdotibus, debita praeparatione peracta, ad dioeceses clero carentes, generatim ad tempus, [26]
mittant, qui in terris missionum spiritu servitii laborent.

[26] Ut autem episcoporum activitas missionalis efficacius exerceri possit, expedit eam per conferentias episcopales in bonum totius Ecclesiae ordinari.

Conferentiarum episcopalium est negotia moderari quae ad ordinatam cooperationem regionis spectant; numerum indicare sacerdotum quos singulae dioeceses ad missiones destinare deberent; stipem statuere quam eaedem propriis redditibus proportionatam pro opere missionum quotannis dare tenentur; varia media missionibus directe subveniendi dirigere ac ordinare; Instituta Missionalia et seminaria cleri dioecesani pro missionibus adiuvare, et si opus est fundare; opera instituere ac promovere quibus illi qui studii vel laboris causa ex terris missionum immigrant fraterne excipiantur et congruenti cura pastorali adiuventur.

37. [*Missionale officium sacerdotum*]. Presbyteri personam Christi gerunt et cooperatores sunt ordinis episcopalis in sacerdotio et in missione. Penitus ergo intellegant totam suam vitam in servitium Missionis Ecclesiae consecratam esse. Cum autem per proprium suum ministerium — quod praecipue in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit — cum Christo Capite communicent et alios ad hanc communionem adducant, non possunt non sentire quantum adhuc Ipsi ad plenitudinem Corporis desit, et quantum proinde praestandum sit ut in dies crescat. Curam ergo pastoralem ita ordinabunt, ut dilatationi Evangelii apud non-christianos prosit.

Presbyteri in cura pastorali zelum pro mundi evangelizatione inter fideles excitabunt et conservabunt, per catechesim et praedicationem eos instruendo de munere Ecclesiae Christum Gentibus annuntiandi; familias christianas edocendo de necessitate et honore vocationes missionales inter proprios filios et filias colendi; in iuvenibus scholarum et catholicarum associationum fervorem missionalem fovendo ita ut ex illis futuri Evangelii Praecones oriantur. Fideles doceant pro missionibus orare et ab eisdem eleemosynas quaerere ne erubescant, quasi mendici pro Christo animarumque salute facti.[1]

Professores Seminariorum et Universitatum iuvenes veram condicionem mundi et Ecclesiae docebunt, ut necessitas impensioris evangelizationis non-christianorum eis appareat et eorum zelum nutriat. In tradendis vero disciplinis dogmaticis, biblicis, moralibus et historicis rationes missionales in illis contentas in lucem ponant, ut hoc modo conscientia missionaria in futuris sacerdotibus formetur.

38. [*Missionale officium Institutorum Perfectionis*]. Instituta religiosa, vitae contemplativae et activae, maximam hucusque partem in mundi evangelizatione habuerunt et habent. Eorum merita Sacrosancta

Synodus libenter agnoscit et Deo gratias agit pro tot impensis in Dei [27] gloriam et in servitium animarum praestitis, eademque hortatur ut indefessi in opere incepto prosequantur, scientes virtutem caritatis, quam ex vocatione perfectius colere tenentur, ad spiritum et laborem vere catholicum eos impellere et obligare.

Instituta vitae contemplativae per suas orationes, paenitentiae opera et tribulationes, maximum momentum habent in conversione animarum, cum Deus sit qui rogatus mittit operarios in messem suam (cf. *Mt.* 9, 38), animos non-christianorum ad audiendum Evangelium aperit (cf. *Act.* 16, 14), et verbum salutis in eorum cordibus foecundat (cf. *1 Cor.* 3, 7). Immo, ubi fieri potest, rogantur haec Instituta ut domus in locis missionum condant, sicut non pauca iam fecerunt, ita ut eorum praesentia testimonium caritatis et unionis in Christo inter non-christianos praeclarum reddat.

Instituta vero vitae activae, sive finem stricte missionalem prosequuntur sive non, sincere coram Deo sese interrogent utrum actuositatem suam in expansionem Regni Dei inter Gentes extendere valeant; utrum quaedam ministeria aliis relinquere possint, ita ut suas vires pro missionibus impendant; utrum activitatem in missionibus incipere possint, aptantes, si necesse fuerit, suas Constitutiones, ad mentem tamen Fundatoris; utrum sodales sui pro viribus in activitate missionali participent; utrum eorum consuetudo vitae sit testimonium Evangelii indoli et condicioni populi accommodatum.

Cum autem, Spiritu Sancto inspirante, in dies crescant in Ecclesia Instituta saecularia, eorum opera, sub auctoritate Conferentiarum Episcopalium, multiplici ratione in missionibus utiles esse potest, ut signum plenae deditionis laicorum ad evangelizationem mundi.

39. [*Missionale officium laicorum*]. Laici ad commune opus Ecclesiae cooperantur [2] et tamquam testes simul et viva instrumenta missionem eius salvificam participant.[3]

In terris iam christianis laici ad evangelizationis opus cooperantur, cognitionem et amorem erga missiones in seipsis et in aliis fovendo, vocationes in propria familia, in associationibus catholicis et in scholis excitando, subsidia cuiusque generis offerendo, ut donum fidei, quod gratis receperunt, aliis donari possit.

In terris autem missionum laici, sive advenae sive autochtoni, in scholis doceant, res temporales gerant, in activitate paroeciali et dioecesana collaborent, varias formas apostolatus laicorum instituant atque promoveant, ut fideles novellarum Ecclesiarum quamprimum propriam partem in vita Ecclesiae assumere possint.

[27] Laici tandem cooperationem oeconomico-socialem populis in via
evolutionis libenter praebeant; quae cooperatio eo magis laudanda est,
quo magis eadem ad instituta fundanda spectat, quae structuras funda-
[28] mentales vitae socialis attingunt, vel ad formationem eorum ordinantur,
qui responsabilitatem publicae rei habent.

Peculiari laude digni sunt illi laici qui, in Universitatibus vel Institutis scientificis, suis investigationibus historicis vel scientifico-religiosis cognitionem populorum et religionum promovent, Evangelii Praecones adiuvando et dialogum cum non-christianis praeparando.

Cum aliis christianis, cum non-christianis necnon cum membris consociationum internationalium fraterno animo collaborent, semper id prae oculis habentes, ut « aedificatio terrenae civitatis in Domino fundetur ad Ipsumque dirigatur ».[4]

Ad haec omnia munera obeunda, necessaria indigent laici praeparatione technica et spirituali, quae in Institutis ad hoc destinatis dari debet, ut eorum vita testimonium inter non-christianos pro Christo sit, secundum verbum Apostoli: « Sine offensione estote Iudaeis et Gentibus et Ecclesiae Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant » (*1 Cor.* 10, 32-33).

Conscii autem Deum esse qui efficit ut Regnum suum in terris adveniat, preces effundant fideles omnes, ut quamprimum Gentes ad agnitionem veritatis adducantur. « In his orationibus nata est, et crescit, et crevit Ecclesia ».[5]

Conclusio

Patres Concilii una cum Romano Pontifice gravissime sentientes officium Regnum Christi ubique totis viribus diffundendi, omnibus Evangelii Praeconibus eorumque adiutoribus gratos animi sensus exhibent. Peramanter quoque salutant eos, qui propter Evangelium persecutionem patiuntur.

Hodie eodem amore, qui ex corde Christi profluit, Ecclesia erga omnes homines exardescit. Afflante Spiritu Sancto, christifideles, conscii propriae responsabilitatis, fratribus donum Fidei communicare exoptant.

Actuosa voluntate quisque respondeat, ut quam primum gentibus evangelizentur investigabiles divitiae Christi et illuminentur omnes, « quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo qui omnia creavit, ut innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo Domino nostro » (*Eph.* 3, 8-11).

NOTAE [29]

PROOEMIUM.

1 Const. Dogm. *De Ecclesia,* 48.
2 S. AUGUSTINUS, *Enarr. in Ps.* 44, 23 (*PL* 36, 508).

CAPUT I.

1 Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 1.
2 Cf. S. IUSTINUS, *I Apol.* V, 3 et *II Apol.* XIII (*PG* 6, 336 et 465); S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 18, 1: « Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, et qui semper aderat generi humano... » (*PG* 7, 932); id. IV, 6, 7: « Ab initio enim assistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, et quando vult et quemadmodum vult Pater » (ib. 990); cf. IV, 20, 6 et 7 (ib. 1037); Demonstratio n. 34 (*Patr. Or.,* XII, 773; *Sources Chrét.,* 62, Paris 1958, p. 87); CLEMENS ALEX., *Protrept.,* 112, 1; *Strom.* VI, 6, 44, 1; 13, 106, 3 et 4 (W. BIERBAUM, *Geschichte als Paidagogia Theou: die Heilsgeschichtslehre des Klemens von Alex.*: Muenchener Theol. Zeitschr. 5, 1954, 246-272); EUSEBIUS CAESAR., *Praeparatio Evangel.,* I, 1 (*PG* 21, 28). Cf. H. BUTTERFIELD, *Christianity and history,* London 1949. Pro doctrina ipsa c. PIUS XII, *Nuntium radiophon.* 31 dec. 1952; Const. Dogm. *De Ecclesia,* 16.
3 Cf. *Hebr.* 1, 2; *Io.* 3 et 10; *1 Cor.* 8, 6; *Col.* 1, 16.
4 Cf. S. ATHANASIUS, *Ep. ad Epictetum,* 7 (*PG* 26, 1060); S. CYRILLUS HIEROS., *Catech.* 4, 9 (*PG* 33, 465); MARIUS VICTORINUS, *Adv. Arium,* 3, 3 (*PL* 8, 1101); S. BASILIUS, *Epist. 261,* 2 (*PG* 32, 969); S. GREGORIUS NAZ., *Epist. 101* (*PG* 37, 181); S. GREG. NYSS., *Antirrheticus, Adv. Apollin.,* 17 (*PG* 45, 1156); S. AMBROSIUS, *Epist. 48, 5* (*PL* 16, 1153); S. AUGUSTINUS, *In Ioan. Ev.* tr. XXIII, 6 (*PL* 35, 1585); insuper hoc modo manifestat Spiritum Sanctum nos non redemisse, eo quod incarnatus non est: *De Agone Christ.,* 22, 24 (*PL* 40, 302); S. CYRILLUS ALEX., *Adv. Nestor. I,* 1 (*PG* 76, 20); S. FULGENTIUS, *Epist. 17, 3, 5* (*PL* 65, 454); *Ad Trasimundum,* III, 21 (*PL* 65, 284: de tristitia et timore).
5 S. AUGUSTINUS, *Sermo 267,* 4 (*PL* 38, 1231): « Hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia quod agit anima in omnibus membris unius corporis ». Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 7 (cum nota 8).
6 Cf. *Io.* c. 14-17; S. S. PAULUS VI, *Alloc.* in Concilio habita die 14 sept. 1964 (*A.A.S.,* 1964, 807).
7 Spiritus est qui locutus est per prophetas: *Symb. Constantinopol.* (DENZ.-SCHOENMETZER, 150); S. LEO MAGNUS, *Sermo 76* (*PL* 54, 405-406): « Cum in die Pentecostes discipulos Domini Spiritus Sanctus implevit, non fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis: quoniam et patriarchae, et prophetae, et sacerdotes, omnesque sancti qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt Spiritus sanctificatione vegetati... quamvis non eadem fuerit mensura donorum ». Etiam *Sermo 77,* 1 (*PL* 54, 412); LEO XIII, Enc. *Divinum illud* (*A.S.S.,* 1897, 650-651). Etiam S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, quamvis insistat in novitate missionis Spiritus Sancti in die Pentecostes: *In Eph.* c. 4, Hom. 10, 1 (*PG* 62, 75).
8 De Babel et Pentecoste saepe loquuntur SS. Patres: ORIGENES, *In Genesim,* c. 1 (*PG* 12, 3); S. GREGORIUS NAZ., *Oratio 41,* 16 (*PG* 36, 449); S. IOANNES CHRYSOST., *Hom. 2 in Pentec.,* 2 (*PG* 50, 467); *In Act. Apost.* (*PG* 60, 44);

[29] S. AUGUSTINUS, *Enn. in Ps. 54,* 11 (*PL* 36, 636); *Sermo 271* (*PL* 38, 1245); S. CYRILLUS ALEX., *Glaphyrum in Genesim II* (*PG* 69, 79); S. GREGORIUS MAGN.,
[30] *Hom. in Evang.,* Lib. II, Hom. 30, 4 (*PL* 76, 1222); S. BEDA, *In Hexaem.,* lib. III (*PL* 91, 125). Vide insuper imaginem in atrio Basilicae S. Marci Venetiis.

Ecclesia omnes linguas loquitur, et sic omnes colligit in Fidei catholicitate: S. AUGUSTINUS, *Sermones 266, 267, 268, 269* (*PL* 38, 1225-1237); *Sermo 175, 3* (*PL* 38, 946); S. IOANNES CHRYSOST., *In Ep. I ad Cor.,* Hom. 35 (*PG* 61, 296); S. CYRILLUS ALEX., *Fragm. in Act.* (*PG* 74, 758); S. MAXIMUS TURIN., *Sermo 50* (*PL* 57, 636-637); S. FULGENTIUS, *Sermo 8,* 2-3 (*PL* 65, 743-744).

De Pentecoste ut consecratione Apostolorum ad missionem, cf. J. A. CRAMER, *Catena in Acta SS. Apostolorum,* Oxford, 1838, p. 24 ss.

[9] TERTULLIANUS, *Apologeticum,* 50, 13 (*PL* 1, 534; ed. Rauschen, Bonn, 1906, 141).

[10] Iam S. THOMAS AQ. loquitur de munere apostolico plantandi Ecclesiam: cf. *Sent.* Lib. I, dist. 16, q. 1, a. 2 ad 2 et ad 4; a. 3 sol.; *Summa Theol.,* I^a, q. 43, a. 7 ad 6; I^a II^{ae}, q. 106, a. 4 ad 4. Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud,* 30 nov. 1919 (*A.A.S.,* 1919, 445 et 453); PIUS XI, *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926 (*A.A.S.,* 1926, 74); PIUS XII, 30 apr. 1939 ad Directores OO.PP.MM.; ID., 24 iun. 1944, ad Directores OO.PP.MM. (*A.A.S.,* 1944, 210; rursus in *A.A.S.,* 1950, 727, et 1951, 508); ID., 29 iun. 1948 ad clerum indigenam (*A.A.S.,* 1948, 374); ID., *Evangelii Praecones,* 2 iun. 1951 (*A.A.S.,* 1951, 507); ID., *Fidei Donum,* 15 ian. 1957 (*A.A.S.,* 1957, 236); IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum,* 28 nov. 1959 (*A.A.S.,* 1959, 835); PAULUS VI, *Hom.* 18 oct. 1964 (*A.A.S.,* 1964, 911).

Tam SS. Pontifices quam Patres et Scholastici saepe loquuntur de *dilatatione* Ecclesiae: S. THOMAS AQ., *Comm. in Matt.,* 16, 28; LEO XIII, Enc. *Sancta Dei Civitas* (*A.S.S.,* 1880, 241); BENEDICTUS XV, Enc. *Maximum illud* (*A.A.S.,* 1919, 442); PIUS XI, Enc. *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.,* 1926, 65).

[11] Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 16.

[12] Cf. *Io.* 7, 18; 8, 30 et 44; 8, 50; 17, 1.

[13] De hac synthetica idea apud S. Irenaeum, quae in eius theologia de Recapitulatione continetur, vide G. NYGREN, *Manniskan och Incarnationen enlight Ireneus.* Lund 1947 (*Man and Incarnation. A Study on the Biblical Theol. of Irenaeus.* Edinburgh-London, 1959). Cf. etiam HIPPOLYTUS, *De Antichristo,* 3: « Omnes volens omnesque salvare desiderans, omnes Dei filios praestare volens sanctosque omnes in unum hominem perfectum vocans... » (*PG* 10, 732); *Benedictiones Iacob,* 7 (T.U., 38-1 p. 18, lin. 4 ss.); ORIGENES, *In Ioann.* Tom. I, n. 16: « Tum enim cognoscendi Deum una erit actio eorum qui ad Deum pervenerint, duce eo Verbo quod est apud Deum; ut sic sint in cognitione Patris formati omnes accurate filii, ut nunc solus Filius novit Patrem » (*PG* 14, 49); S. AUGUSTINUS, *De sermone Domini in monte,* I, 41: « Diligamus quod nobiscum potest ad illa regna perduci, ubi nemo dicit: Pater meus, si omnes uni Deo: Pater noster » (*PL* 34, 1250); S. CYRILLUS ALEX., *In Ioan.* I: « Sumus enim omnes in Christo et communis humanitatis persona in ipsum reviviscit. Nam et novissimus Adam idcirco nuncupatus est... Habitavit enim in nobis, qui per naturam Filius est ac Deus; ideoque in eius Spiritu clamamus: Abba Pater! Habitat autem Verbum in omnibus in uno templo, scilicet quod propter nos et ex nobis assumpsit, ut omnes in seipso habens, omnes in uno corpore, sicuti Paulus ait, reconciliaret Patri » (*PG* 73, 161-164).

[14] BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 445): « Nam ut Ecclesia Dei catholica est nullamque apud gentem vel nationem extranea... ». Cf. IOANNES XXIII, Enc. *Mater et Magistra*: « a iure divino ad universas pertinet gentes... Ecclesia, cum in populi alicuius quasi venas vim suam inseruerit, idcirco neque est neque se existimat institutum quoddam, eidem populo extrinsecus impositum... Atque ideo quidquid bonum honestumque sibi esse videatur, idem confirmant atque perficiunt (hi qui in Christo renati sunt » (*A.A.S.*, 1961, 444). [30] [31]

[15] Ant. O diei 23 decembris.

[16] Cf. Didachè 10, 5 (FUNK I, p. 32).

[17] Const. Dogm. *De Ecclesia,* 17. S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* 19, 17 (*PL* 41, 646). Instr. S. C. P. F. (*Collectanea* I, n. 135 p. 42).

[18] De indole eschatologica Missionis secundum S. Paulum Apost., cf. MUNCK, *Paulus und die Heilsgeschichte* (Acta Jutlandica, XXVI, 1, *Theol. ser.,* 6), Aarhus-Copenhague, 1954; O. CULLMANN, *Le caractère eschatologique du devoir missionnaire et de la conscience apostolique de S. Paul,* in Rev. Hist. Phil. Relig., 1936, pp. 210-245; alia in A. SEUMOIS, *Apostolat. Structure théologique,* Roma, 1961, p. 206, n. 5. Secundum Originem, Evangelium praedicari debet ante consummationem mundi huius: *Hom. in Luc.,* XXI (C.G.S., Orig. Werke, IX, p. 136, 21 sq.); *In Matth. comm. ser.,* 39 (XI, p. 75, 25 sq.; p. 76, 4 sq.); *Hom. in Ierem.* III, 2 (VIII, p. 308, 29 s.); S. THOMAS, *Summ. Theol.* I^{a} II^{ae}, q. 106, a. 4, ad 4. Pro Medio Aevo, cf. A. SPOERL, *Das Alte und das Neue in MA,* in Histor. Jahrbuch, 1930, p. 316 sq.

[19] HILARIUS PICT., *In Ps.* 14 (*PL* 9, 301); EUSEBIUS CAESARIENSIS, *In Isaiam* 54, 2-3 (*PG* 24, 462-463); CYRILLUS ALEX., *In Isaiam* V, cap. 54, 1-3 (*PG* 70, 1193).

CAPUT II.

[1] Cf. Alloc. PAULI VI die 21 nov. 1964 in Concilio habita (*A.A.S.*, 1964, 1003).

[2] Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 11.

[3] Cf. Const. *De Sacra Liturgia,* 64-65.

[4] De qua liberatione a servitute daemonis et tenebrarum, in Evangelio cf. *Mt.* 10, 1; 12, 28; *Mc.* 13-15; 6, 7 sq.; 16, 17; *Lc.* 9, 1; 10, 17 sq.; 11, 20; 22, 32. In Liturgia Baptismi cf. Rit. Rom. In primis saeculis, cf. S. FOSTER, *After the Apostles,* London 1951.

[5] Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 14.

[6] Cf. S. AUGUSTINUS, *Tract. in Ioann.* 11, 4 (*PL* 35, 1476).

[7] Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 9.

[8] Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 10, 11, 34.

[9] Cf. Schema Const. *De Divina Revelatione,* 21.

[10] Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 12, 35.

[11] Ib. 13, 36.

[12] Ib. 11, 35, 41.

[13] Cf. Decr. *De Ecclesiis Orientalibus,* 30.

[14] *Epist. ad Diognetum,* 5 (*PG* 2, 1173); cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 38.

[15] Schema *De Institutione Sacerdotali,* 4, 8, 9.

[16] Cf. Const. *De Sacra Liturgia,* 17.

[17] Cf. Schema *De Institutione Sacerdotali,* 1.

[31] 18 Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 843-844).

19 Cf. Decr. *De Oecumenismo,* 4.

20 Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 842).

21 Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 29.

22 Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 855).

23 Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 31, 44.

24 Cf. IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 838).

[32] 25 Cf. Schema *De Ministerio et Vita Sacerdotali,* 11; *De Institutione Sacerdotali,* 2.

26 Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 13.

27 Cf. Alloc. PAULI VI in Canon. Ss. Mart. Ugandens. (*A.A.S.*, 1964, 908).

28 Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 13.

CAPUT III.

1 Cf. PIUS XI, *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.*, 1926, 69-71); PIUS XII, *Saeculo exeunte* (*A.A.S.*, 1940, 256); *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 506).

2 Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 449-450).

3 Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 448-449); PIUS XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 507).

4 Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 440); PIUS XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 507).

5 BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 448); Decr. S.C.P.F. 20 maii 1923 (*A.A.S.*, 1923, 369-370); PIUS XII, *Saeculo exeunte* (*A.A.S.*, 1940, 256); *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 507); IOANNES XXIII, *Princeps Pastorum* (*A.A.S.*, 1959, 843-844).

6 Cf. PIUS XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 523-524).

7 Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud* (*A.A.S.*, 1919, 448); PIUS XII, *Evangelii Praecones* (*A.A.S.*, 1951, 507).

8 Cf. PIUS XII, *Fidei donum* (*A.A.S.*, 1957, 234).

9 « Institutorum » nomine hic veniunt Ordines, Congregationes ceteraque Instituta quae in Missionibus laborant.

10 Cf. De Ministerio et vita presbyterorum, 10, ubi de dioecesibus et Praelaturis personalibus et aliis huiusmodi sermo fit.

CAPUT IV.

1 Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 18.

2 Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 23.

3 Cf. Schema Decr. *De Pastorali Episcoporum Munere in Ecclesia,* 5.

4 Cf. PAULUS VI, *Alloc.* die 21 nov. 1964, in Concilio habita (*A.A.S.*, 1964, 1011).

CAPUT V.

1 Cf. PIUS XI, *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.*, 1926, 72).

2 Cf. Const. Dogm. *De Ecclesia,* 30.

3 Cf. ib., 33.

4 Cf. ib., 46.

5 S. AUGUSTINUS, *De dono perseverantiae,* 23 (*PL* 45, 1031).

RELATIO [33]
CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST

Postquam schema Propositionum De Activitate Missionali Ecclesiae in Aula Concilii diebus 6-8 novembris discussum et ad Commissionem reficiendum remissum fuit, Commissio die 16 novembris congressa est et ratione habita interventionum iam in Aula Conciliari dictarum, statuit novum schema, et quidem forma plena, esse conficiendum. Ad hoc elegit Subcommissionem quinque Patrum qui, Praeside Rev.mo P. Schuette, adscitis quibusdam peritis, novum textum praepararent. Quae subcommissio die 20 novembris apud Em.mum Commissionis Praesidem convenit ad rationem agendorum statuendam et nomina peritorum proponenda.

Iam statim Secretariatus Commissionis incepit multiplis exemplaribus transcribere omnes interventiones et animadversiones scriptas quas recepit, easque systematice ordinare; quae omnia die 15 decembris singulis Commissionis Membris ac peritis transmisit.

Interim etiam singula membra Subcommissionis cum suis peritis novum schema privatim elaboraverunt.

Die autem 12 ad 27 ianuarii huius anni 1965 apud domum nemorensem Societatis Verbi Divini munifice convocata, subcommissio novum textum composuit et statim ad omnia membra et peritos Commissionis necnon ad aliquos Patres Conciliares qui tempore tertiae sessionis interventus maioris momenti fecerunt, transmisit petens eorum animadversiones in novum textum. Istae similiter, textualiter et in ordine systematico, fuerunt omnibus membris et peritis distributae pro sessionibus plenariis, item apud Missionarios Verbitas in Nemi munifice habitis a die 29 martii ad 3 aprilis, in quibus textus definitive est redactus.

In hoc textu, iuxta petitum plurimorum Patrum (179c, 180c, 181a, 181d, 182c, 183c, 183d, 184d, 199c, 201d) in speciali capite ponitur fundamentum theologicum activitatis missionalis Ecclesiae, in quo et notio missionis clare circumscribitur (174d, 175, 176b, 177a, 179a, 181f, 182a, 183e, 186d, 186e, 186f, 194a, 194c, 196d, 197d, 198f, 198g).

Similiter illustratur urgentia et necessitas operis missionalis (175, 176a et alii) eo quod tota Ecclesia est missionaria.

Secundum orientationem generalem Concilii, schemati insuper data est nota pastoralis (183a), non tantum in capite II quod explicite de opere missionali tractat, sed et in aliis capitibus.

[34] CAPUT I: Missiones, iuxta postulata Patrum Concilii (181a, 182c, 191b et alii), fundantur in doctrina de Ipso Deo Trino, prout profunde iam innuit S. Thomas; et connectitur cum missione universali Ecclesiae, unica et eadem, ubicumque exerceatur.

N. 2-4: Iuxta Propositum Dei Patris, « fontalis amoris » (cf. Dionysium, Thomam, Bonaventuram) ex quo Filius et Spiritus Sanctus procedit, qui creavit et vocavit nos, missus est Filius, verus Mediator, qui per viam Incarnationis salvavit quod assumpsit, et Ecclesiam instituit quae in singulis hominibus ad effectum deducat quod Ipse iam in se semel perfecit. Missus est et Spiritus Sanctus, qui interna operatione Ecclesiam ad hoc opus efficiendum moveat et assistat.

N. 5-6: Sublineatur indoles hierarchica missionis, fundata in missione Apostolorum. Definitio, seu potius descriptio, datur iuxta quatuor causas, omni tamen vitato sapore scholastico. Dein a missione Ecclesiae universaliter sumpta, fit transitus ad activitatem missionalem stricte dictam, quae est peculiaris forma exsecutionis unius missionis seu mandati, diversa iuxta diversas condiciones, quarum praecipuae sunt inceptio seu plantatio, et novitas seu maturatio Ecclesiae localis particularis.

In schemate adhibita est vox « Activitas missionalis » potius quam « Apostolatus missionalis » (quae quidem altera vox saepe invenitur in Documentis Summorum Pontificum) eo quod ex una parte in ipso titulo schematis habetur, et ex altera parte « Apostolatus missionalis » quendam pleonasmum implicat.

Uti finis activitatis missionalis assignatur non sola « plantatio » Ecclesiae, sed et « dilatatio », quia haec vox apud Sanctos Patres in usu est.

N. 7: Concluditur ad absolutam necessitatem activitatis missionalis (167b, 175, 176d, 177c, 178c, 180c, 181c, 183c, 184b, 185b, 194a, 196b, 201d, 202d, 202f, 206a).

N. 8-9: Tandem exponitur locus quem activitas missionalis habet in vita historiaque hominum, eam ordinando ad consummationem eschatologicam.

CAPUT II: Hoc Caput respondere intendit desideriis multorum Patrum qui petierunt ut res pastorales secundum totum suum ambitum tractarentur, et ita quidem ut nova lux impulsusque novus orirentur pro ipso exercitio activitatis missionalis.

Materia summatim delineatur, semper referendo ad alia Decreta Concilii, ita ut christifideles, religiosi et sacerdotes, in missionibus, sentiant se plene participare vitam et spiritum quibus tota animatur Ecclesia.

Quatuor articulis successivis tractatur de praecipuis aspectibus acti- [34]
vitatis missionalis, nempe de penetratione christiana, de evangelizatione, [35]
de plantatione Ecclesiae et de actione missionaria relate ad novellas Ecclesias. Hi aspectus non debent intelligi uti stadia chronologica sibi succedentia: activitas missionalis est realitas vitalis, ideoque complexa, ubi divisiones semper aliquo modo fictitiae apparent.

N. 10: In lucem ponitur necessitas attingendi homines in coetibus culturalibus et religiosis in quibus vivunt (167b, 174, 176a, 178c, 179c, 180c, 183e, 191d, 196b, 197e, 199b, 199e, 206c).

N. 11-12 seu Art. 1: Post descriptionem naturae testimonii (155b, 174a) agitur de dialogo cum culturis (172, 176a, 176b, 178b, 179c, 181d, 183e, 184b, 184d, 188a, 188d, 193b, 199b); dein in num. 12 de praesentia caritatis (178b, 179c, 180c, 181d, 182b, 184b, 186c, 187e, 195b, 197c, 201a, 201d).

Textus ita redactus est ut ex una parte actio missionaria videatur adaptata hodiernis adiunctis (167b, 178c, 180c), et ex altera parte appareat eius character essentialiter spiritualis (178a, 187e, 195b, 197d). Hunc articulum vocavimus « De Praeambulis Evangelizationis » in anologiam cum notis « Praeambulis Fidei ». Facta hic descripta a diversis diversimode — praesertim « Prae-evangelizatio » — denominantur, sed Subcommissio nomen Praeambula Evangelizationis aptius iudicavit.

N. 13-14: Interventus Patrum de hoc argumento sequentes sunt: 155a, 174b, 180c, 181d, 184d, 186c, 191b, 197f.

N. 15: In prima paragrapho nexus stabilitur inter conversionem, baptismum et aggregationem in communitatem christianam. Secunda indicat finem attingendum in formatione huius communitatis. Tertia paragraphus enumerat quasdam condiciones communitatis christianae efformandae a Patribus significatas (155b, 167b, 174a, 174b, 176c, 180b, 181c, 182c, 183a, 184a, 186c, 188d, 201d). Fontes quartae paragraphi sunt: 184c, 186c, 187f, 195e, 197c, 199b, 206b; quintae vero paragraphi: 179d, 180b, 186b, 200e.

N. 16: Materia huius numeri ordinata est sub forma alicuius dyptici, cuius prima facies respicit exigentias universales vitae et institutionis sacerdotalis (par. 2 et 3), altera loquitur (par. 4) de adaptationibus. Optatur ut quisque in sua patria ad sacerdotium instituatur, iuxta votum plurium Conferentiarum Episcopalium; non tamen excluditur praxis contraria. Cf. 166a, 174, 175, 180a, 186b, 195d, 195e, 202e.

N. 17: Multi Patres rogaverunt ut fusius de catechistis ageretur (166a, 167b, 176a, 178a, 178e, 179a, 179d, 181c, 184a, 186c, 197a, 201a).

[35] N. 18: Interventus Patrum quae inservierunt redactioni huius numeri: 166a, 183c, 185d, 186c.

[36] N. 19: De ecclesiis novellis quae ex labore missionariorum ortum habuerunt et de eorum principalioribus officiis pastoralibus; necnon de modo quo activitas missionalis totius Ecclesiae erga eas exerceri debet (174a, 174d, 175, 177b, 178b, 179g, 180a, 180c, 184c, 194b, 197c, 197d, 198f, 199e).

N. 20: Quod in toto capitulo passim affirmatur, hic in fine reassumitur, scil. indigenizatio Ecclesiarum localium. Adaptatio sane fieri nequit, nisi vires conspirent omnium quorum interest, omnium nempe simul Ecclesiarum eiusdem culturae, ut notabiles vitentur diversitates in vita christiana in uno eodemque ambitu culturali. Quapropter ad notionem devenimus Ecclesiae particularis, prout in Constitutione De Ecclesia n. 13 descripta est, cuius momentum missionale in Aula durante disceptatione illius Constitutionis a Patribus missionariis in luce positum est. Ipsi nempe constanter rogaverunt ut, salva transcendentia Ecclesiae suaque unitate, plena ratio tribuatur diversitatibus in genere humano (155b, 174a, 176a, 176c, 178b, 179a, 179c, 180b, 181c, 182c, 184b, 187c, 188b, 194c, 199b, 199d). Quod argumentum, de cetero, complectitur etiam in capite IV, n. 32, et n. 29 eiusdem capitis IV sub fine.

Caput III: Commissio, interventionibus Patrum obsecundans (143, 174c, 181f, 183e, 188d, 188e, 196b, 197d, 199d), amplius et distinctius de vocatione, de spiritualitate, de formatione Evangelii Praeconum tractavit, addito numero de Institutis in missionibus laborantibus.

Vocatio missionaria describitur vocatio specialis, totum hominem, et quidem per totam vitam, devinciens.

Spiritualitas missionaria uti responsum hominis Deo vocanti datum concipitur. Omnia in forma positiva, et generatim terminis biblicis, exponuntur, ne videantur vituperatio missionariorum.

Ex hac spiritualitate concrete deducuntur elementa formationis moralis et spiritualis.

Formatio vero doctrinalis triplici passu progreditur: generalis seu communis, quae etiam in patria dari potest; specialis in loco destinationis generatim complenda; et specialistarum.

Caput IV: In coordinatione activitatis missionalis generalis, tanquam organum Supremi Pontificis, maximum momentum habet Sacra Congregatio de Propaganda Fide. Ratione habita non paucarum interventionum Patrum (143, 146, 152, 155b, 156, 158, 167b, 173, 176a, 181c, 182a, 183b, 183d, 183e, 186b, 186f, 187d, 190b, 190d, 195d,

199a, 199e), Commissioni visum est praecisius explicare quid esse debeat [36]
illud Consilium Centrale Evangelizationis de quo in priore schemate Propositionum. Cum interim clarius perspectiva de Curiae Romanae reorganizatione prodierit, visum est in hac linea optatam efficaciorem coordinationem generalem obtinere. Patet Supremum Consilium Summi [37]
Pontificis in regenda Ecclesia, de activitate Ecclesiae missionali peculiarem habiturum esse curam. Unde non videtur inter Supremum Pontificem (cum suo Consilio) et Eius Dicasterium pro activitate missionali proponi posse aliud organum (173, 183b, 187d, 195d). Quare necessaria efficacitas ex reorganizatione Curiae Romanae in genere, et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide in specie, exspectatur et proponitur (173, 182a, 183d, 186b, 190b, 190d, 199e).

Pro coordinatione locali asseritur Episcopum esse centrum unitatis in apostolatu dioecesano (176a, 180a, 188b); pro coordinatione regionali insistitur ut Conferentiae Episcopales non solum activitatem suae regionis coordinent, sed etiam in largiore ambitu inter se communi consilio collaborent.

Pro relationibus inter Ordinarios loci et Instituta missionalia, proculdubio requiruntur novae normae (145, 179e, 180a, 181c, 190a, 190d). Hae autem, utpote nimis particulares, a Concilio dari non possunt, sed postulantur a Sede Apostolica, consilio inito cum utraque parte quarum interest.

Caput V: Iuxta petita Patrum quatuor praecipue in lucem ponuntur:

1) necessitas conversionis interioris tanquam praesuppositum omnis cooperationis ad diffusionem fidei (183g, 186c, 198b);

2) urgentia cooperationis laicorum ad totum opus missionale Ecclesiae (142b, 155b, 167b, 177c, 182d, 187f, 197b, 197d, 197g);

3) consequentiae missionales collegialitatis episcoporum (173, 182d, 184b, 187d, 193c, 201d);

4) cooperatio communitatum christianarum (153, 181c, 183e, 197d). Commissio cooperationem ita praesentare studuit, ut in tota Ecclesia motus suscitaretur in favorem missionum.

Tota quaestio in sex paragraphis absolvitur. In unaquaque indicatur fundamentum theologicum cooperationis, eiusque applicationes concretae describuntur: quod fortasse, aliquando, speciem repetitionis prae se ferre videri potest.

Quoad cooperationem totius Populi Dei indicatur fundamentum theologicum in incorporatione et configuratione Christo per Baptismum,

[37] Confirmationem et Eucharistiam. Fundamentale officium Populi Dei est testimonium vitae (183g, 186c, 198b).

In officio missionali Episcoporum distinximus inter ea quae ab Episcopis praestanda sunt in propria dioecesi, et ut membra Collegii Episcopalis.

In cooperatione laicorum distinximus inter ea quae a laicis in terris iam christianis et in missionibus praestari possunt (142b, 155b, 167b,
[38] 182d, 187f, 197d, 197g). Expresse fit mentio de organizatione apostolatus laicorum in missionibus (177c, 197b, 197d).

Quoad Instituta Perfectionis, in specie invitantur Instituta contemplativa ut domus in locis missionum aperiant.

Sic sperat Commissio schema novum desideriis Patrum respondere, parata ultimas emendationes acceptare, ut tota Ecclesia incitetur ad proprium officium missionale profunde sentiendum et in propagando Evangelio per mundum totis viribus cooperandum.

Moderator: Loquatur per modum introductionis em.mus D. card. Agagianian.

2 – Em.mus P. D. GREGORIUS PETRUS card. AGAGIANIAN
Praeses Commissionis

Venerabiles Patres,

Honori et gaudio pariter mihi duco vobis novum schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae* introducere, prout competens commissio conciliaris de missionibus illud exaravit pro priore schemate propositionum quod a vobis in tertia sessione iterum elaborandum remissum erat.

Momentum maximum activitatis missionalis Ecclesiae a vobis, venerabiles Patres, in vestris in hac aula dissertationibus superioris sessionis iterum atque iterum animadversum est et ab ipso Summo Pontifice in luce positum eo quod personaliter praeesse voluit quando schema propositionum proponebatur. Hoc autem momentum nunc digne evocatur in novo schemate quod verum ac integrum vocare licet.

Antequam autem rev.mus Pater Ioannes Schütte, sup. generalis S.V.D. quique munere Vice-Praesidis in nostra commissione egregie functus est et ab eadem designatus est relator, de ipso schemate referat, cordi mihi est omnibus qui in eo elaborando quomodocumque concurrerunt, sinceras grates dicere: Membris imprimis ipsius commissionis, utique, sed et omnibus Patribus qui suis animadversionibus et consiliis solidas suppeditarunt

suggestiones in quibus commissio laborem suum fundaret. Etiam officiosam peritorum sedulitatem hic agnoscere fas est.

Speramus hoc schema novum non solum vestris desideriis et exspectationibus satisfacturum, sed praeprimis in universa Ecclesia genuinum ac vivum studium in res missionales esse excitaturum. Zelus missionalis Patrum in totius Populi Dei resonet effectiva imitatione ita ut indefessa omnium virium conspiratione « sermo Dei currat et clarificetur ».

Fideli et indefatigabili Sanctae Ecclesiae activitate missionali, Regnum Dei re et veritate simile esse ostendatur « grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam, et volucres caeli requieverunt in ramis eius ». Omnibusque Sanctae Ecclesiae filiis mandato Christi: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » alacriter obtemperantibus, in dies approximetur tempus quo « fiat unum ovile et unus pastor ».

Hoc est, venerabiles Patres, omnium nostrum sincerissimum desiderium, ardens in precibus nostris ad divinam bonitatem admotis votum. Faxit Deus, ut novo schemate, per vestrum adiutorium debite emendato et perfecto, ad hunc finem praecelsum melius et efficacius obtinendum debito modo praeparemur!

3 – Rev.mus P. D. IOANNES SCHÜTTE
Superior generalis S.V.D.

Relatio super schema decreti De activitate missionali Ecclesiae *

Venerabiles Patres,

Suffragiis diei 9 novembris elapsi anni quibus Schema Propositionum De Activitate Missionali Ecclesiae Commissioni competenti remissum fuit, ut ad mentem Patrum reficeretur, eidem Commissioni nostrae possibilitas data est prioris Schematis breves Propositiones carnibus revestiendi sanguineque vivificandi, et ita Schema novum organica unitate componendi quod, uti sperare licet, Vobis Patribus venerandis, magis placeat Vestrisque desideriis magis sit conforme ...[1].

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 138, die 29 septembris 1965.

I

Integrum Schema componi debuit. Haec fuit aperta et unanimis sententia totius Commissionis de Missionibus, *quam in sessione sua plenaria diei 13 novembris 1964 expressit* [2]. Talis necessitas elucebat:

1) ex petitione quam numerosi Episcopi missionarii et Superiores generales Moderatoribus Concilii tradiderant, necnon ex postulatis et interventionibus permultorum Patrum. *Ipsa etiam votatio diei 9 novembris, etsi aliis verbis expressa, hoc idem revera significabat.*[3]

2) Elucebat quoque ex reverentia erga centenos Patres Conciliares qui de Missionibus et Institutis missionariis sunt et omnes toto corde et persona Missionibus et Ecclesiae activitati missionali dedicatos se sciunt, et qui delusos se sentiebant eo quod tam magnum Ecclesiae opus paucis paragraphis principiisque ieiunis absumebatur. *Geographice et demographice ipsi repraesentant immensas terras et continentes, ingentes populos et stirpes, immo, dici potest, longe maiorem hominum partem. Omnes illi autem iure merito congruam exspectant declarationem conciliarem de activitate missionali Ecclesiae, eo vel magis quod in anteactis Conciliis nunquam de ea specialis sermo fuerit. Quare conati sumus huic iusto obvenire desiderio.*[4]

3) Elucet tandem ex eo quod thema primarium et proprium huius Concilii est Ecclesia. Iamvero, missio universalis Ecclesiae, et proinde continua eius expansio, eius activitas missionalis, momentum habent in ea decisivum: *Vocem « missionem » adhibentes, intendimus ipsam essentiam Ecclesiae, vitale eius incrementum; non eius incrementum numericum tantum, sed internam dilatationem Corporis Christi Mystici. Tanquam corpus vivum Ecclesia, ne pereat, crescere debet et vim suam vitalem manifestare. Iam, activitas Ecclesiae missionalis dynamicam eius vim ac vitalitatem exprimit; quare omnibus christianis, non solum quibusdam circulis vel coetibus, sed universo Populo sancto Dei interesse debet. Unde recte Ecclesia, in Concilio propriam suam naturam exponens, hoc momentum internum et externum activitatis suae missionalis congruenti ac adaequata oratione extollit.*[5]

4) Attamen in schemate Decreti De Activitate Missionali Ecclesiae quod nunc diiudicandum praebetur, non tractatur missio universalis Ecclesiae in tota sua amplitudine, sed, principiis theologicis rite exaratis, consideratur activitas missionalis Ecclesiae in sensu restricto et magis traditionali, in quantum nempe exercetur erga populos et hominum coetus qui nondum credunt vel in quibus Ecclesia nondum sufficienter plantata existit.

De cetero, non est hic locus iterum exponendi quae iam ex ipso Schemate vel ei adiecta Relatione patent. Notare tamen liceat singula quinque Capitula huius Schematis fuisse a Commissione (*cuius 24 membra aderant*)[6] votatione secreta unanimiter probata, eaque proinde intentionem totius Commissionis referre.

Textus autem quem hodie Vestro submittimus iudicio, revera fructus est laboris totius Concilii; imprimis membrorum ac peritorum ipsius Commissionis de Missionibus, quae iam in prioribus Schematibus amplam materiam congesserat, pro elaboratione novi Schematis fundamentalem; sed et multorum Patrum Conciliarium qui, oretenus et in scriptis suis interventionibus opiniones et desiderata sua relate ad priora Schemata expresserunt: multa magnique valoris contulerunt — longe ultra mille paginas — et pro posse eorum propositionibus satisfacere conati sumus. Hisce in suasionibus ac desideriis[7] certi aspectus iterum atque iterum apparuerunt, qui in concinnando textu peculiarem adepti sunt gravitatem.

II

Amplum et solidum *fundamentum theologicum* peculiari insistentia a non paucis fuit expetitum, eo forsan quod in praecedentibus Schematibus non satis aderat. *Nec sufficiens est ad hoc ad Constitutionem De Ecclesia appellare* (Cap. II, nn. 16-17), *cum ibi exposita, quantumvis bona, pro fundamento theologico Schematis de Missionibus nimis generalia sunt.*[8] Ex theologica autem fundatione activitatis missionalis educi debet:

1) Missionis Ecclesiae origo trinitaria, *quae incipit a consilio seu mandato Patris ex eius agapè procedente* (cf. *2 Cor.* 13, 13), *et in missione Filii et missione Spiritus Sancti sese perficiente.*[9]

2) Missionis aspectus *ecclesiologicus* intimaque connexio cum constitutione De Ecclesia. Quod nomine « Missiones » designamus, non sunt nisi peculiare exercitium universalis « missionis » Ecclesiae, quae ad ipsam essentiam Ecclesiae pertinet, et est expressio necessaria missionis eius salvificae universalis eiusque functionis vitalis supernaturalis. Ex eadem hac consideratione visum est etiam exponere peculiarem locum quem activitas missionalis Ecclesiae in Historia Salutis obtinet eiusque eschatologicam finalitatem.

3) Clara ac distincta *notio Missionis,* in toto Schemate observanda. Circa hoc problema, primum in Subcommissione (*5 Patres et 6 Periti*)[10] dein in plenaria, orta est ampla et viva disceptatio, donec paulatim opinionibus expolitis, notio Missionis communiter acceptabilis statui potuerit. Inde, in Schemate, post sublineatam indolem Missionis hierar-

chicam in ipsa Missione Apostolorum fundatam, delineatur Missio Ecclesiae universaliter sumpta iuxta quatuor causas. Deinde progredimur ad activitatem missionalem stricte dictam, quae est unius huius missionis seu mandati peculiaris forma exsecutionis erga populos vel coetus nondum credentes, diversa iuxta diversas condiciones, quarum praecipuae sunt inceptio et plantatio, dein novitas seu iuventus, i. e. maturatio Ecclesiae particularis.

Incepta autem particularia quibus Ecclesia munus suum penetrationis christianae erga populos vel coetus nondum credentes exsequitur, communiter « missiones » nuncupantur, per activitatem proprie missionalem perficiuntur, et plerumque exercentur in certis territoriis a S. Sede ut tales agnitis.

Talis notio complexiva Missionis, extollit ex una parte tum fundamentum theologicum tum vim dynamicam activitatis missionalis Ecclesiae; et ex altera parte etiam aspectum eius socio-anthropologicum, quin tamen actualem statum, magis accidentalem et geographicum, huius temporis « Missionum » negligat.

4) Necessitas, immo *summa urgentia* operis missionalis. Multi enim Patres postulaverunt ut actio missionalis extolleretur eiusque urgentia fortiter affirmaretur, ut totus Populus Dei, clerus et fideles, ubique terrarum excitentur ad generose necessitatibus missionis hodiernis respondendum.

Iam, ratio activitatis missionalis non unice desumitur ex aeterna salute hominum evangelizandorum procuranda, *sed maxime deducitur ex illo proposito Dei cui Christus fideliter inservit.*[11] Ad *salutem hominum aeternam*[12] procurandam proculdubio membra Ecclesiae impelluntur caritate qua Deum diligunt eiusque gloriam procurare satagunt, et qua cum omnibus hominibus communicare cupiunt bona spiritualia tam praesentis quam futurae vitae. Sed propter Dei propositum cui Christus obedienter et amanter inservit ad gloriam Patris qui misit eum, ut universi homines unum efforment Populum Dei, in unum Corpus coalescant Christi, in unum coaedificentur Templum Spiritus Sancti: propter hoc Dei propositum ad effectum deducendum activitas missionalis Ecclesiae dicenda est impraescindibilis. Ad hoc Ecclesia ipsa sua natura urgetur, necessitas ei incumbit (cf. *1 Cor.* 9, 16).

Ex qua urgente necessitate activitatis missionalis, similiter deducitur absoluta necessitas cooperationis missionalis universae Ecclesiae: officium missionale totius Populi Dei, Episcoporum, Presbyterorum et Laicorum necnon Institutorum perfectionis et Communitatum christianarum. Tota enim Ecclesia missionaria sit oportet.[13]

III

Iuxta tendentiam generalem Concilii, schema de Activitate Missionali Ecclesiae etiam fundatur in *Sacra Scriptura,* et orientationem habet oecumenicam. *Citationes ex S. Scriptura non intenduntur tanquam additamentum vel ornamentum, sed naturaliter et intime influunt in progressum idearum et argumentorum.*[14] Vix explicite de oecumenismo agitur — praesupponitur enim iam promulgatum decretum de oecumenismo — sed in toto schemate praevalet sensus oecumenicus; immo particulariter et explicite insistitur in collaborationem cum aliis communitatibus christianis (n. 12) et in institutionem oecumenicam cleri autochtoni (n. 16), immo et ipsorum neo-conversorum (n. 15).

Etiam *pastoralis* ordinatio in praesenti schemate peculiariter elucet. Caput secundum fere exclusive quaestionibus pastoralibus missionariis dedicatur, a Praeambulis Evangelizationis usque ad conditionem et evolutionem Ecclesiarum particularium. *Iuxta desideria multorum Episcoporum missionariorum, uberior clausula dedicatur Clero autochtono et Catechistis. Sed et in Capitibus III et IV problemata pastoralia missionalia etiam atque etiam emergunt.*[15]

Forsitan mirabitur quis se non invenire in schemate longiorem ac propriam tractationem de *accommodatione* seu adaptatione. Consulto talis propria tractatio omissa fuit. Problema de adaptatione tanti est momenti tantosque habet aspectus diversos, ut potius in toto schemate emergere debuerit illudque compenetrare. *In Capite I sub aspectu theologico consideratur; in Capite II non habetur argumentum quod non ex professo sub specie adaptationis examinetur, sed speciatim elucet in n. 11 et 20, de dialogo cum non-christianis et de diversitate in unitate. Etiam in formatione Missionariorum insistitur in voluntatem sese adaptandi, et Institutis scientificis adaptatio proponitur peculiare obiectum eorum collaborationis.*[16]

« *Aggiornamento* » quod attinet, *quod est praecipuum inceptum huius Concilii,*[17] in schemate de activitate missionali plures inveniuntur propositiones et opiniones ad tale « aggiornamento » activitatis missionalis Ecclesiae tendentes. Quaedam ex eis hic extollere liceat:

1) Imprimis ipse *finis Missionum* clare proponitur ad hodiernum cogitandi modum. Hoc eo maioris est momenti quod praesertim ultimo hoc saeculo, finis Missionum obscuratus sit immeritis exprobrationibus, uti de Colonialismo et Imperialismo, de implicatione Missionis in finibus politicis nationum etc. Quapropter magni habuimus finem Missionum, uti iam pluries a Summis Pontificibus in ultimis Encyclicis missionalibus non ambigue factum est, clare exponere sub suo aspectu spirituali

supernaturali, et hoc non tantum in suis principiis doctrinalibus, sed etiam in sua actuatione practica. Hoc fit praesertim ubi schema agit de Praeambulis Evangelizationis seu de dialogo cum non-christianis et de praesentia caritatis. Haec praesentia caritatis demonstrare debet omnem activitatem missionalem Ecclesiae effluxum esse amoris Dei aeterni, qui nobis in benignitate et humanitate Salvatoris apparuit et in humili, amantissimo servitio erga omnes homines, populos et stirpes se manifestat, dignitatem simul humanam et personalem libertatem honorans.

De cetero, iam ipse accentus positus in dialogum cum non-christianis, in formationem communitatis christianae, et in diversitatem in unitate Ecclesiarum particularium, orientationem novam aliquam designat. *Praesertim diversitas in unitate tendit ad indigenizationem Ecclesiae in missionibus, non solum externam, in sua organizatione, sed maxime in incremento suo interno ecclesiali et vita. Hic numerus 20, sicut et 10, etiam ad condiciones socio-culturales se refert, et indicat necessitatem attingendi homines in coetibus culturalibus et religiosis in quibus vivunt.*[18]

2) Etiam *maior aestimatio missionarii,* vocationis missionariae et muneris missionarii nostris diebus maxime est opportuna, cum necessitas, immo et opportunitas et urgentia activitatis missionariae, et proinde ipsum opus missionarium in dubium ponitur.

3) Schema item conatur propositiones quasdam commendare pro *directione* et *coordinatione* activitatis missionalis. Quodsi in eo etiam describitur quomodo, in posterum, supremum totius activitatis missionalis Ecclesiae Dicasterium cogitari possit, minime intenditur hoc modo reordinationem Curiae quae praeparatur praeripere, vel pro aliis Dicasteriis exemplum obtrudere; optime scimus et agnoscimus hoc Summo Pontifici esse reservatum. Multo minus adhuc in eo videatur cuiusvis generis censura erga Sacram Congregationem De Propaganda Fide, eius Directores vel Collaboratores.

Nos omnes, et sane Episcopi ex terris missionum omnesque missionarii plus quam alii omnes, scimus, quid *Sacra Congregatio De Propaganda Fide* pro nobis et pro omnibus Missionibus momenti habuit et usque habet. Scimus nos apud Sacrum hoc Dicasterium eiusque Directionem maximam semper invenisse comprehensionem ac benevolentiam in magnis et in parvis quaestionibus; sinceram sympathiam in praeoccupationibus nostris et difficultatibus; amplam comitatem in nostris desideriis et rogationibus; libens adiutorium in nostris necessitatibus — etiam oeconomicis auxilio Operum Pontificalium — quousque possibilitas siverit. Pro hoc adiutorio, pro omni comitate et comprehensione, huic Dicasterio hic publice ex imo corde sinceras grates dicere volumus.

Hoc autem gratum obsequium scire nos non impedit necessitatem

cuiusdam reordinationis ac restaurationis in dirigendo ac coordinando rem tam implicatam et delicatam, qualis est activitas missionalis in tempore nostro moderno volubili. Mundus parvus factus est, populi et continentes sibi vicini facti sunt, problemata cuiusvis populi missionum vel nationum omnibus nobis magis ac aliter intersunt quam antea. Dicasterium pro universa activitate missionali Ecclesiae, quod unicum esse deberet, tempore nostro, praeterquam organum administrativum debet etiam esse organum, vivum ac dynamicum, dispositivum activitatis missionalis versatilis, iuxta aspectus ecclesiologicos et strategicos, plene ac scientifice adhibendo novas conclusiones theologicas, pastorali-missionarias, ethnologicas et scientiae religionum. Incisivi et decisivi momenti utique est propositio ut Membra Congregationis vera et propria, illi ergo qui sessionibus intersunt et ius voti habent personam agant illorum qui pondus portant verae activitatis missionalis Ecclesiae, sive ipsius operis missionalis sive cooperationis missionariae, qui scilicet diversas quaestiones et connexa problemata ex personali experientia norunt. Cum autem verba: « Hoc Dicasterium constituatur membris ... » (n. 27, pag. 22, linn. 17-22) tangant particularia quae pertinent ad Commissionem competentem pro reorganizatione Curiae, melius forse esset in hoc schemate solum statuere principium fundamentale participandi gubernationem activitatis missionalis, ad modum textus *sequentis*: « *In partem huius Dicasterii vocentur repraesentantes selecti omnium illorum qui in opere missionali collaborant*: *Episcopi ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon Moderatores Institutorum et Operum Pontificalium. Hi omnes, statutis temporibus convocandi, supremam gubernationem totius operis missionalis participent* ».[19]

Relationes Ordinarios Missionum inter et Instituta missionalia, utique, reordinatione indigent, uti ex multis Patrum interventionibus apparet. In Missionibus nempe, non raro ortae sunt condiciones omnino novae, quibus antiquae normae non amplius conveniunt vel saltem non apte provident. Ex alia autem parte haec quaestio est tam intricata et delicata, ut impossibile sit in brevi disceptatione in Concilio eam sufficienter delucidare et omni ex parte expolire. Quare proponitur ut prius quaeratur solutio in ambitu regionali, in quantum Conferentiae Episcopales una cum Institutis missionalibus novas condant normas a S. Sede probandas.

Magnum momentum hodie habet etiam intima *collaboratio* omnium Institutorum, in quam collaborationem nunquam satis insistetur. Activitas missionalis hodie difficilis et intricata est, immo quandoque vires requirit peculiariter praeparatas et ad satisfaciendum requisitis scientificis aptas, ita ut unicum Institutum missionale eam recte exercere

non amplius valeat. *Sola intima collaboratio Institutorum, praesertim in operibus maioris molis vel etiam in commutandis hominibus specialiter praeparatis, professoribus et ceteris, hanc difficultatem debite solvere valet. Exemplum Universitatis Fu-jen in Insula Formosa, in qua tria Instituta missionaria cum clero dioecesano harmoniose et fructuose collaborant, iter nobis indicare posset.*[20]

4) In Capite V De Cooperatione, *officium missionale* totius Populi Dei vi sacramentalis insertionis in Christum graviter vindicatur. Item officium missionale omnium Episcoporum, qui « non solum pro aliqua dioecesi, sed pro totius mundi salute consecrati sunt. *Mandatum Christi praedicandi Evangelium omni creaturae eos, cum Petro et sub Petro, primo et immediate afficit* ».[21] Modo analogo hoc etiam pro officio missionali presbyterorum valet.

Si volumus Ecclesiae muneri missionali aliquo modo satis facere et activitatem missionalem a sua debilitate et indigentia liberare, tota Ecclesia, totus Populus Dei in omnibus suis membris ac coetibus, missionarius sit oportet, de officio suo missionali conscius et ad illud relatus. Solum omnia media et auxilia naturalia et supernaturalia totius Ecclesiae in aciem ponendo, munus missionale Domini nostri Christi, primi missionarii, apte obire valebimus. In hoc sensu etiam intelligenda est proposita stipes annua quam « dioeceses in terris christianis propriis redditibus proportionatam pro opere missionum quotannis dare » tenerentur: quaestio non est de quantitate contributionum, sed de obligatione contributionis ex officio. Ferri non potest, quod Missiones et missionarii uti supplices ac mendici habeantur. Episcopi missionarii cum suis missionariis in difficili prima acie munus suum obeunt nomine Ecclesiae universalis; ibi sunt, non ex missione propria, sed missi ab Ecclesia et nomine Ecclesiae. Universa Ecclesia de eis, de eorum labore et de eorum sustentatione respondere debet. In hoc sensu non sunt mendici quaestuantes, sed, tanquam muneris missionalis Ecclesiae exsecutores, ius habent ad auxilium et sustentationem universae Ecclesiae. Quomodo ergo fieri posset, Venerabiles Patres, ut in eodem Collegio quidam sint vere opulentes, quidam mendicantes? In his vero minime oblivisci volumus vel minus grave habere quod a multis dioecesibus in terris christianis spontanee et ex genuino sensu responsabilitatis, pro Missionibus earumque gestis iam factum est et adhuc perficitur. Omnibus illis hoc loco maximae et sincerae grates debentur ac praebentur.

Venerabiles Patres,

Si verum est activitatem missionalem esse munus Ecclesiae universae, a quo nemo, et imprimis nullus Episcopus, sese eximere potest, haec

conscientia responsabilitatis, haec collegialis responsabilitas in schemate de Activitate Missionali Ecclesiae exordium sumere decet. Omnes ergo Patres enixe rogantur ut collaborent ac adiuvent, ut schema hoc maxime perpoliatur, ita ut altis requisitis quae iuste ab eo poscuntur, quam maxime respondeat, ut sit scilicet, charta magna pro activitate missionali Ecclesiae, clara principia directiva praebens, sapientes normas statuens novosque horizontes aperiens; quae omnibus Episcopis missionariis hic in Aula, sed praesertim numerosissimis missionariis auxiliaribusque omnibus novum animum, novam spem novasque vires instillet; charta magna, a qua iure merito sperare valeamus eam effective esse contributuram ut *universam Ecclesiam in Ecclesiam vere missionariam informet.*

In oratione: [1] Relationem autem hanc sat longam ex parte abbreviatam proferre liceat. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] In interventionibus autem Patrum. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] hanc salutem. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] qui habetur in fine relationis. [20] deest. [21] deest.

4 – EMENDATIO PROPOSITA A COMMISSIONE PRO MISSIONIBUS

n. 27 (pag. 22, linn. 17-22 - vide Relatio pag. 705)

loco	*legatur*
Hoc Dicasterium constituatur membris selectis ex omnibus illis qui in opere missionali collaborant: Cardinales nempe, Patriarchae et Episcopi ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon Moderatores Institutorum et Operum Pontificalium. Hi omnes, statutis temporibus convocandi, collegialiter sub auctoritate Summi Pontificis, supremam gubernationem totius operis missionalis exerceant.	*In partem huius Dicasterii vocentur repraesentantes selecti omnium illorum* qui in opere missionali *collaborant: Episcopi* ex toto orbe, quicumque est eorum ritus, necnon Moderatores Institutorum et Operum Pontificalium. Hi omnes, statutis temporibus *convocandi, supremam* gubernationem totius operis missionalis *participent.*

Moderator: Gratias agimus relatori et membris commissionis quae schema novum tam diligenti cura paraverunt.

5 – PATRUM ORATIONES

9

EM.MUS P. D. PAULUS PETRUS CARD. MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Venerabiles Patres,

Quamquam schema de activitate missionali Ecclesiae in genere placet, liceat tamen mihi aliquas animadversiones facere de ordinatione materiae huius schematis.

1. Hoc schema videtur esse potius lectio academica missiologiae, quam documentum ecclesiasticum et doctrina evangelica. Attentio commissionis obstructa et dispersa fuit praeoccupatione satisfaciendi requisitis omnis generis Patrum, et nobis praebet congestionem rapidam, potiusquam doctrinae evangelicae *aggiornamento* vel synthesim solidam et concretam.

Nihil enim invenimus in textu nostro de ratione salutari fidei; nihil de ratione paenitentiali praeconii, v. g. in par. 13; nihil de rhythmo apostolatus, qui sacrificium supponit, et qui non est lentus rhythmus progressus vegetalis vel intelligentiae.

Rhythmus vero apostolatus est quasi explosio, similis illi quod in parabola seminis refertur: egreditur seminans seminare semen suum. Est rhythmus currentis in area ad annuntiandum verbum.

2. Proportio paragraphorum non respondet argumentorum dignitati.

a) Schema debet a missione Spiritus Sancti initium sumere et non a Sanctissima Trinitate, quae iam in Constitutione « Lumen Gentium », Ecclesiae fundamentum dedit.

b) Praedicatio verbi debet in nostro textu maiorem locum tenere, de qua hic commemorari possunt omnia kerygmata, seu sermones Apostolorum qui in Evangelio et in Actibus inveniuntur.

c) Aliquid dici potest de phychologia ministerii verbi, de praedicationis obiecto et de charactere salutari fidei.

d) Pater in mundum non misit angelos suos sed Filium, ideoque notetur obligatio mittendi in missiones ad praeconii universalitatem missionarios quam optimos.

e) Notetur melius distinctio inter actionem catholicam in ambitu proprio, quin apostolus e dioecesi egrediatur, et actionem missionariam

proprie dictam, quae Christum offert ambitui novo, ubi non invenitur; ubi vita fidei initium habere potest, *quando* [1] non exsistit; et ubi non construendae sunt primo et per prius Ecclesiae, sed credentes *astruendi* [2] sunt.

f) Utique in Ecclesiam ingreditur homo ad salvandam animam; sed animam non salvat quin saluti omnium hominum, quin labori universali Ecclesiae cooperetur. *Solidarii enim sumus et nemini licet Caini verba repetere: « Numquid sum fratris mei custos? ». Hic dicendum esset cum S. Augustino: « Animam unam salvasti, animam tuam praedestinasti ».*[3]

g) Nusquam elaborantur *in textu* [4] parabolae, quae sunt fere omnes sensus missionarii et *quae* [5] ad instructionem futurorum apostolorum proposuit Dominus.

h) Non discernitur universalis Ecclesiae collaboratio a collaboratione ministrationis, ut in cap. I praesentatur.

Missio Ecclesiae, etenim, in consilio Dei est ad humanitatem salvandam, et cum esse Ecclesiae unum quid efficit. Quae Missio fundamentalis diversificari potest, dum in variis regionibus alia et alia esse potest. Illa diversificatio aut illae missiones, non sunt nisi expressio varia eiusdem missionis Ecclesiae, et possunt in variis regionibus formas diversas induere. Missionarii vero et apostoli sunt instrumenta alicuius missionis Ecclesiae.

Effectus illius distinctionis, missionem Ecclesiae inter et missiones, talis esse potest, ut praefulgeat necessitas urgens Ecclesiae in opere salutis perficiendo.

3. Melius notetur, in capite secundo, pars laicorum et familiae in opere missionis, praeter catechistarum partem, quia missio non est aliquorum opus, sed communitatis. Ideoque consideratio communitaria missionis magis respondet mysterio baptismatis et communionis eucharisticae, quorum effectus est aggregatio ad Ecclesiam ut Populum et Corpus Mysticum, et aedificatio eiusdem Corporis et Populi.

4. In missione fovenda de qua loquitur cap. III, melius appareat pars laicorum, speciatim quando de vocatione missionaria agitur. Illuc videbitur profundius quantum illa vocatio laicorum missionaria, non est nisi expressio eorum participationis missionis fundamentalis Ecclesiae. Et sic, explicitatur mysterium vitae divinae in Ecclesia, cuius dynamismus essentialis individuis communicatur, et eos impellit ad eundem et fructum afferendum. Sic apparet melius relatio intima inter missionem et gratiam, de qua loquitur S. Ioannes in cap. XV Evangelii.

Praeterea pressius et modo exactiore loquatur in eodem cap. III de vocatione et spiritualitate missionali. Utique spiritualitas christiana una est, conformitas illa vitae christianorum vitae Christi Domini. Sed diversificatur illa conformitas secundum vocationem uniuscuiusque, et magis ad illas vel illas particularitates divitiarum Personae Verbi Incarnati se dirigit.

5. In reordinatione directionis activitatis missionalis de qua loquitur cap. IV, pars maior tribuatur conferentiis episcopalibus, quae concretas necessitates missionis ponderare possunt, et de mediis ac remediis, situationibus concretis, consentaneis, iudicare audent. Illa libertas conferentiis episcopalibus tributa, ad bonum Ecclesiae fore ut sit, speratur.

Conclusio. Etiamsi fundamentum theologicum solidum noster novus textus exhibeat, adhuc tamen perfectior esse potest, et spiritu evangelico quo erant imbutae Litterae Encyclicae missionariae Benedicti XV, Pii XI et Pii XII, animatus profundius esse debet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cum. [2] construendi. [3] deest. [4] deest. [5] quas.

10

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

Nomine 57 episcoporum Americae Latinae loquor. Vere laudanda commissio pro ingenti labore et etiam pro laboris fructu. Schema nostrum in genere placet.

Interea, cum et ipsum schema sit humanum opus, nunquam perfectum esse potest sed perfectibile: et en praecipua elementa perfectibilia: notio missionis; auctoritas ecclesiastica in missione; dicasterium Romanae Curiae pro missionibus; opus laicorum in missione; formae peculiares activitatis missionariae, uti Catechumenatus et Prae-evangelizatio seu Praeambula fidei; activitas missionaria Fratrum Separatorum; et alia plura quae, nomine semper ipsorum 57 episcoporum Americae Latinae, a distinctis oratoribus, illustrabuntur.

In praesenti, tria tantummodo notare vellem.

1. Bene dicitur de obligatione Ecclesiae praedicandi Evangelium. Illud « vae mihi, si non evangelizavero » non est Apostoli Gentium tantum sed totius Ecclesiae quae, natura sua et mandato sui Fundatoris,

Missionaria est et esse debet. Verumtamen opportunum esse videtur aliquid dicere etiam de obligatione acceptandi Evangelium praedicatum, nam Domini pariter sunt illa verba: « Qui vero non crediderit, condemnabitur ».

Haec opportunitas videtur urgeri et augeri quatenus post tot verborum commercium circa libertatem religiosam, multa confusio orta videtur hac in re et missionarii se sentire possent depretiati in opere suo.

2. Frequentissime nominantur episcopi, at non semper intra fines clare positos in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* et in schemate decreti *de pastorali episcoporum munere*. Nostro iudicio, non tantum fines positi servandi sunt, sed, saltem in quantum possibile est, iisdem verbis uti debemus!

3. Saepe recursus fit ad sociologiam sed memorare iuvaret — etiam ceteris in schematibus — quod non agitur de quavis sociologia, sed de sociologia christiana, quae sociologia necessario includit originale et actuale peccatum necnon Redemptionem.

Nam, si haec omnia non bene firmantur in mente, homo aliquando apparet ut animal, totum in maligno positum, ut in schemate XIII, et aliquando ut angelus, liber ab errore et a peccato, ut in declaratione de libertate, ubi homo semper veritatem inquirit semperque invenit!

Sed cum extremae sint eae positiones, ambae aeque distant a veritate quae in medio stat.

Haec tria notanda, nostro iudicio, sat gravia, sufficiant! Sed liceat mihi, fratres carissimi, nunc vero quaedam depromere ab aliquo textu subsignato a 316 episcopis ...[1], in quo de activitate missionali Fratrum Separatorum in America Latina disseritur: « Subsignantes ... gravi anxietate conscientiae pastoralis onerati ... enixe » desiderant « quod haec Sacrosancta Synodus explicite consignet proficuum esse progressui veri oecumenismi clare exponere fidelibus doctrinam catholicam coram proselytismo inter catholicos permoto a quibusdam denominationibus Fratrum Separatorum ... » « ... perutile vel necessarium erit includere criteria et normas circa illas in Directorio Oecumenico quod Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam elaborare et publicare intendit ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (et complures non subsignaverunt quia textum non noverunt!).

11

EM.MUS P. D. RUFINUS CARD. SANTOS

Archiepiscopus Manilensis

Venerabiles Patres,

Peto veniam em.mi Moderatoris, ut liceat mihi priusquam de obiecto loquar schematis, ex animo, ex intimo corde gratias agere cunctis Patribus sive singillatim sive in conferentiis episcopalibus collectis, necnon et Observatoribus et Auditoribus pro precibus vel sympathiae expressionibus quas in spiritu caritatis Christi quinimmo Domino Ipsi obtulerunt pro eis qui ipsi sive vivi sive defuncti victimae fuerunt eruptionis volcanicae quae recens contigit in oppido vulgo Taal in Insulis Philippinis. Quam animi gratitudinem nomine omnium in Insulis Philippinis episcoporum exprimo et specialiter autem nomine episcopi Lipensis ad quam pertinet locus calamitatis. Speciales iuvat gratias referre conferentiae episcopali ex Australia quae eorum fidelium subsidium 5.000 librarum Australiae pervenire fecit ad subveniendum victimis calamitatis, ac em.mo arch. Guadalajarensi in Mexico qui donativum 500 dollariorum generose obtulit nostris victimis.[1]

De nostro schemate [2]. Schema *autem* [3] propositum placet quoad omnia. Ecclesia tota missionaria est, cum sit ipsa continuatio missionis Filii a Patre, ut salvetur mundus per ipsum.

Actio missionalis Ecclesiae aliud non est quam opus quo Christi corpus crescit et aedificatur, per restaurationem omnium in Ipso; et ideo omnes homines Christo incorporari quaerit actione vitali cui omnia corporis membra sub uno Capite cooperari debent.

Schema clare illustrat doctrinale fundamentum activitatis missionalis Ecclesiae, opportune recolit omnium Ecclesiae filiorum officium cooperandi ad aedificationem Corporis Christi, et recte disponit ordinationem activitatis missionalis.

Tamen et ego, etsi non magni momenti, habeo pauca dicere circa illud observanda [4].

Imprimis, quod attinet ad materiae ordinem, forsan caput *de cooperatione,* quod in schemate est V, convenientius veniret ante cap. IV, quod est de ordinatione activitatis missionalis. *Et dico* [5]:

Cooperatio enim est ministratio operi missionario variis auxiliis ab iis praestita qui extra loca sunt quae stricte missiones vocantur: est actio mediata, a longe; unde ordo logicus postulare videtur ut de ea

sermo fiat statim post caput in quo de actione immediata agitur eorum qui in ipsis missionis regionibus laborant in Ecclesia aedificanda.

Quoad cap. II (*de ipso opere missionali*), censeo articulum primum eiusque rubricam esse supprimenda, et quae in nn. 11 et 12 habentur inserenda esse articulo nunc n. 2 signato, post n. 13.

Nam [6] dubitare licet an expressio « De Praeambulis Evangelizationis » sit accurata. Quae sub hac rubrica continentur fortasse erunt praeambula *activa* [7] externa et sensibilia quae audientes et videntes ad veritates fidei libenter audiendas et tandem amplectendas alliciunt. Ipsi autem evangelizationi non praeambula sunt, sed subsequentia vel *saltem* [8] potius concomitantia. Immo, si separatim ab evangelizatione verbi considerentur, nonnullum esset periculum *ut* [9] et ex parte praeconum *hierarchia mediorum evangelizandi* [10] non servetur; et, ex parte audientium, *ut* [11] homines, inhaerentes bonis, quae ibi recensentur, haec satis sibi possidere aestimarent, nec de superiore bono supernaturali fidei amplius curarent.

Evangelizatio praedicatione consistit, qua Christi mysterium hominibus annuntiatur, quodque praeconum exemplo vitae demonstratur.

« Accipietis Spiritum Sanctum et eritis mihi testes ». Missionarius est testis Christi. Testis doctrinae, annuntiando cunctis Christum et hunc crucifixum, Eiusque praecepta et mandata; testis insuper doctrinam exemplo propriae vitae confirmans, semper mortificationem Iesu circumferens, in humilitate, in oboedientia, in mansuetudine, in mortificatione, in paupertate, in caritate erga omnes.

Ex hac caritate ea omnia procedant oportet, quae praeambula evangelizationis dicuntur; sed ea omnia (etiam ubi aperta praedicatio impeditur) non praeambula nuntii, sed iam annuntiatio Christi sint oportet, si adhuc non *verbis* [12] utique exemplo saepe validiore ad novendos animos.

Alia habeo, quae secretariatui trado.[13] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] nunc. [4] Spem ergo foveo hoc schema approbatum iri absque longa discussione. Pauca ipse, nec magni momenti, circa illud observanda habeo. [5] deest. [6] deest. [7] motiva. [8] deest. [9] quod. [10] ordo hierarchiae mediorum evangelizandi aliquando. [11] quod. [12] verbo. [13] N. 27 (pag. 22, lin. 23). Optandum est ut in Consultores Secretariatus pro activitatis missionalis ordinatione assumantur antiqui missionarii in variis mundi regionibus, qui prudentia insignes fuerint et a pluribus annis in ipsis locis missionum laboraverunt, nec solum e missionariis exteris, sed etiam ex indigeno clero. Ipsi enim melius condicionem regionis cognoscunt, et populorum indolem, historiam, mores, cogitandi et loquendi modos, civilis cultus gradum, necessitates et difficultates; et ideo maius auxilium praebere poterunt in excogitandis mediis et rationibus, et aptandis normis quibus in respectivis regionibus activitas missionaria ordinetur.

12

EM.MUS P. D. LAURENTIUS CARD. JÄGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Venerabiles Patres,

Schema in genere placet propter structuram bene ordinatam, propter fundamenta theologica accurate, exquisite comprobata et propter concordantiam cum aliis Concilii documentis iam promulgatis. Speciali laude digna videntur, quae in n. 7 de absoluta necessitate activitatis missionalis dicuntur.

Liceat mihi insuper quasdam emendationes proponere.

1. In nn. 4 et 5 sapienter exponitur, ipsam activitatem missionalem originem ducere ex divina missione Filii et Spiritus Sancti in mundum. Pulchre in n. 4 effusio Spiritus Sancti in die Pentecostes uti exordium missionalis activitatis declaratur et recte dicitur, Spiritum Sanctum iam antea in mundo operavisse. Sed hoc in loco desideratur, ut Spiritus Sancti operatio etiam extra instituta Ecclesiae memoretur. Ex Actis Apostolorum constat, interiorem conversionem Cornelii ad Evangelium Christi iam ante adventum Petri apostoli a Spiritu Sancto peractam esse.

Etiam hodie Spiritus Sanctus extra Ecclesiae visibilia saepta — ubi vult spirans — haud raro ipsos missionarios praevenit et portam aperit Evangelio, ita ut homines verbo Dei — ab Ecclesia praedicato — statim oboediant.

2. In n. 8 loqui debemus etiam de iudicio Dei, quod per Evangelium praedicatum in mundo exercetur. Nam verbum Dei in summum discrimen inducit audientem, utrum nempe ei oboediat vel illud a se reiiciat. Evangelium fide susceptum transformat intimam hominis existentiam, « sed non omnes oboediunt Evangelio » ...[1]. « Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est » ...[2] Ideo Christus in perpetuum est signum, cui contradicetur ...[3]

Evangelium per activitatem missionalem praedicatum non solummodo credentes invenit, sed et resistentes vel impugnantes. Et hoc est illud iudicium, quod nunc iam fit, uti ait Ioannes Evangelista ...[4]. Et ita historia salutis fit drama scriptum non versibus poetarum, sed factis lucis et tenebrarum. Hac via Ecclesia exercens suam missionalem activitatem particeps fit passionis et crucis Domini. Sic evitatur omnis species cuiusdam levis optimismi, et realitas peccati etiam hoc in contextu non praetermittitur.

3. In fine n. 10 aliquid dicatur de scandalo divisionis christianorum,

quae praedicando Evangelio affert impedimentum. Quo enim clarius hoc scandalum et hoc impedimentum cognoscitur et dolentius sentitur, eo magis spiritus oecumenicus accendetur.

Tandem in n. 15 non solummodo singuli fratres seiuncti, sed etiam eorum communitates nominentur, et de cooperatione ad normam decreti *de Oecumenismo* fortius et fusius agatur.

Cetera, ut tempus non protraham, praesertim singulas emendationes propositas in scriptis tradam[5]. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Rom.* 10, 16). [2] (*1 Cor.* 1, 18). [3] (cf. *Lc.* 2, 34). [4] (*Io.* 3, 18-19). [5] Singulas emendationes propositas in scriptis iam tradidi Concilii secretariatui.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationum quae hoc mane factae sunt.

Suffragatio 351:

Patres praesentes	2.140
Dixerunt *placet*	2.133
non placet	4
Suffragia nulla	3

Suffragatio 352:

Patres praesentes votantes	2.136
Dixerunt *placet*	2.126
non placet	7
Suffragia nulla	3

Suffragatio 353:

Patres praesentes votantes	2.150
Dixerunt *placet*	2.142
non placet	7
placet iuxta modum	1

Suffragatio 354:

Inter Patres praesentes votantes	2.148
Dixerunt *placet*	2.088
non placet	57
placet iuxta modum	2
Suffragium nullum	1

Suffragatio 355:

Patres qui suffragium dederunt	2.136
Dixerunt *placet*	2.112
non placet	22
placet iuxta modum	2

Suffragatio 356:

Patres praesentes votantes	2.130
Dixerunt *placet*	2.126
non placet	3
placet iuxta modum	1

Suffragatio 357, quae est ultima hoc mane:

Patres praesentes votantes	2.097
Dixerunt *placet*	2.089
non placet	7
placet iuxta modum	1

Ergo, omnes suffragationes dederunt exitum positivum in congregatione generali.

Moderator: Proxima congregatio erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXLV

8 octobris 1965

CONGREGATIO GENERALIS CXLV

8 octobris 1965

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 145 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

In hac congregatione audientur imprimis Patres qui nomine 70 loqui adhuc volunt, ad normam *Ordinis* nostri Concilii celebrandi, circa schema *de Ecclesia in mundo huius temporis;* deinde prosequetur disceptatio super schemate *de activitate missionali Ecclesiae.*

Interim prosequetur suffragatio de modis schematis *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

Ergo, quoad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* loqui postulaverunt, uti dixi, nomine 70, exc.mi ac rev.mi DD. Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Monaco; Aloisius Faveri, ep. Tiburtinus (Tivoli) in Italia; Villelmus Philbin, ep. Dunensis in Hibernia; Petrus Boillon, ep. Virodunensis (Verdun) in Gallia.

Quoad schema *de activitate missionali Ecclesiae* loqui postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis (Utrecht) in Hollandia; Carolus Journet; exc.mi ac rev.mi DD. Martinus Legarra, prael. null. Buccae Taurinae in Panama; Sixtus Mazzoldi, vic. ap. Jubaënsis in Sudan; Vincentius McCauley, ep. Arcis Portal in Uganda; Radulfus Koppmann, vic. ap. Vindhoekensis in Africa; Mauritius Quéguiner, sup. gen. Societatis Parisiensis Missionum; Andreas Sapelak, vis. ap. pro Ucrainis in Argentina; Ernestus Gonçalves Costa, ep. Inhambanensis in Mozambico; Ioseph Busimba, ep. Gomaënsis in Congo; Ioseph Cordeiro, arch. Karachiensis in Pakistan; Marcus McGrath, ep. S. Iacobi in Panama; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis; Paulus Yü-Pin, arch. Nanchimensis in Sinis.

Patres venerabiles, si quis desiderat animadversiones scriptas exhibere quoad schema *de Ecclesia in mundo huius temporis,* id facere potest usque ad crastinam, non ulterius; quae ulterius exhibebuntur non acci-

pientur, quia commissio debet alacriter et impigre et celeriter suum opus perficere.

Et distribuetur vobis etiam folium continens « Quaesita de expensione facta a commissione *de seminariis, de studiis et de educatione catholica* circa modos schema decreti *de institutione sacerdotali* respicientes », quemadmodum heri dixi, nam non fient septem suffragationes uti statutum erat sed, prouti postulatum est et Commissio statuit et Moderatores acceptaverunt, fient 14 suffragationes speciales et deinde respondetur ad quaesitum generale. Videatis vos, Patres, et praeparetis vestras responsiones circa haec quaesita particularia quae ego suo tempore legam, distinctim legam.

Nunc propono vobis suffragationem 358 circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.* Conferatis pag. 91: « An placeat ut textus numeri 8 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. pag. 593-594*]. *Placet* an *non placet?*

1

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL
Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

In n. 100 nostri textus, duo clare et optime affirmantur: 1. Bonum commune generis humani exigit hodie ut, communi consensu, omnes nationes iuri belli renuntient. 2. Haec renuntiatio non potest fieri, nisi simul constituatur auctoritas supranationalis suprema cum potestate suo muneri proportionata.

Attamen, de facto, plures his affirmationibus opponuntur, quasi acceptatio auctoritatis supranationalis genuino amori patriae opponeretur. Unde Ecclesiam impugnant quasi amori patriae adversaretur, aut quasi contemneret eos qui ad patriam tuendam pugnaverunt et etiam pro illa mortui sunt.

Alii, e contra, doctrinam Concilii tanquam omni efficacitate carentem impugnant. Testimonium quasi propheticum exspectabant et explicationes intellectuales invenerunt. *Et iam aliqui opponunt debilitatem textus conciliaris fortitudini in oratione Summi Pontificis manifestatae.*[1]

Unde aliquid vellem proponere quod utrique obiectioni positive responderet. Primum, de amore patriae loquor; secundo de efficacitate nostrae doctrinae.

Amor patriae non tantum in se licitus est, sed conscientiae humanae moraliter imponitur ...[2]. Nonne elucet amor patriae in Christo Domino

qui etiam super civitatem suam terrestrem flevit, castigationem infidelitatis eius praevidendo ...[3]? Elucet etiam in S. Paulo, qui optabat anathema esse a Christo pro fratribus suis qui erant cognati eius secundum carnem ...[4]. Omnes etiam, servatis exigentiis boni communis universalis, legitime suos cives suamque patriam prae ceteris diligere possunt atque etiam debent. Pariter, quicumque amore patriae ducitur, legitime potest et debet praestantiam suae patriae velle atque etiam procurare ...[5]

Attamen, praestantia [6] alicuius nationis ...[7] non primum ex potentia oeconomica aut politica oritur, sed ex efficaci voluntate cooperandi cum aliis nationibus ad bonum commune familiae humanae, necnon ex voluntate aliis nationibus inserviendi, praesertim pauperioribus ...[8]

Unde [9], nequaquam laude dignae essent nationes quae, ...[10] aliis dominari vellent aut detrimento aliarum divites fieri. Talis enim magnitudo non laudis sed dedecoris esset. Unde nullo modo genuino amori patriae adversatur Ecclesia, sed falso patriotismo, qui etiam nationalismus exaggeratus saepe vocatus est. ...[11] Neque ullo modo genuino amori patriae opponitur renuntiatio iuri belli. Nam nullum coram Deo exsistit ius belli offensivi, ut patet; ius autem belli defensivi non exsistit nisi per accidens, i. e. quia deficit auctoritas internationalis quae sit capax defendendi nationes contra iniustos aggressores.

Ut iam saepe dictum est, talis renuntiatio, dummodo constituatur haec auctoritas suprema, nihil aufert a iure nationum inquantum sunt societates perfectae; eis e contra veram affert securitatem maioremque prosperitatem. Forsan apparenter et secundum iudicium hominum minuitur natio tali renuntiatione, sed revera et coram Deo omnino praestantiores fient nationes si, pro amore pacis, communi consensu, iuri belli omnes renuntiabunt.

Neque tandem ullo modo spernit Ecclesia virtutem eorum qui patriam suam, effuso sanguine, defenderunt. Sane, non extollit eos qui, vi sua, alias nationes oppresserunt. Dominus iudicabit illos. Sed quamdiu deficiebat auctoritas supranationalis, necessarium erat propriis viribus gentem suam contra iniustos aggressores defendere. Multoties, de facto, eos qui pro tuenda civitate sua mortui sunt, extulit Ecclesia.

Insuper,[12] quamdiu manebit hic mundus, qui in maligno positus est ...[13], semper necessariae erunt copiae quaedam internationales. Et si dignum fuerit pro patriae pace pati et etiam mori, adhuc dignius erit laude, pro pace totius familiae humanae, totaliter se devovere.

His positis, poterimus secundae obiectioni breviter respondere. Impugnamur quasi inefficax esset nostra doctrina. Quamnam autem exspectat mundus a nobis efficacitatem? Neque opibus, neque armis, neque

etiam actione sic dicta psychologica uti possumus. Unum tantum possumus, scil., personam Christi agentes, testimonium perhibere veritati ...[14]

Nonne ita egit Supremus Pontifex in Conventu Nationum Unitarum? De facto, in nostro textu omnia necessaria dicuntur quae iterum dicere nolo. Fateor tamen textum nostrum satis deficientem esse in modo dicendi. Mundus enim non exspectat a nobis lectionem casuisticam sed affirmationes claras; in hoc ergo puncto certo reformandus esset.

Specialiter autem requireretur non solum clara sed etiam sollemnis affirmatio Concilii quando agitur de instauranda illa auctoritate suprema supranationali sine qua reliqua omnia forsan nunquam actuarentur. Loco ergo debito, deberet inseri de hac re sollemnis declaratio Concilii his vel melioribus verbis[15]:

« Aspirationes populorum ad pacem audiens, atque angorem eorum qui timore immanis belli premuntur, haec Sacra Synodus, Sancto Spiritu congregata, qui est Spiritus veritatis, amoris et pacis, coram Deo et Christo eius sollemniter declarat horam iam advenisse in qua, servatis omnino iuribus uniuscuiusque nationis, constitui necessario debeat suprema auctoritas supranationalis, mediis efficacibus instruenda ... » *etc.*[16]

Ultimo tandem suggestionem aliquam humiliter propono ...[17]

Nonne possemus nos, Patres Conciliares,[18] Successori Petri, in eius conatibus pro pace servanda, profunde uniti, nuntium *mittere*[19] de pace omnibus qui nationibus praesunt? Quod nuntium eis, amantissimo quidem animo, aspirationes populorum denuo revocaret necnon media exponeret quae Ecclesia Evangelio fideliter inhaerens, omnibus proponit ad pacem tuendam, atque tandem eos ad illam instaurandam supremam et efficacem auctoritatem instantissime ...[20] impelleret. *Sic etiam unitas*[21]...

Moderator: Exc.me Domine, tempus exhaustum est.

Orator: Unicam phrasim: *Sic etiam unitas totius corporis episcoporum cum suo Capite evidentissime manifestaretur.*[22] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ultra progredientes, aestimant quod belli defensivi etiam atomici liceitatem affirmando atque « aequilibrium terroris » tolerando, Ecclesia mundum universum in sua exspectatione graviter deciperet. [2] Cives enim, vinculis amoris et mutui servitii, profunde inter se uniri debent; unde de bono omnium primum solliciti, omnes parati esse debent ea agere atque etiam pati quae exigentiis boni communis eis imponuntur. Peccaret ergo contra amorem patriae qui, ratione posthabita boni communis, unice commodum suum quaereret vel cuiusdam particularis coetus. [3] (cf. *Lc.* 19, 41-44). [4] (*Rom.* 9, 1-5). [5] Genuina autem praestantia alicuius nationis non ex opibus materialibus primum constituitur, sed ex iustitia et fraternitate quae inter omnes vigent. Vere magna et digna laude est natio in qua servata necessaria diversitate munerum, omnes labore suo

bonis communibus aequo modo et in pace participare possunt. [6] Praestantia vero. [7] relate ad alias. [8] Etiam nationibus imponitur mandatum Domini novum de diligendis fratribus quin inde quidquam speretur (cf. *Io.* 13, 34; *Lc.* 6, 35); nationibus quoque promittitur beatitudo specialis eis reservata qui, exemplum Domini et Magistri sequentes, servos aliorum seipsos faciunt (cf. *Io.* 13, 17). [9] E contra. [10] quocumque modo. [11] Amor enim patriae, quantumvis in se nobilis sit, potest peccato maculari, praecipue autem superbia et egoismo. [12] Ceteroquin. [13] (cf. *1 Io.* 5, 19). [14] Ex toto enim corde speramus eos qui ex veritate sunt audituros esse nostram vocem, quae non nostra est vox, sed Principis Pacis qui per nos loquitur (cf. *Io.* 18, 37; *Lc.* 10, 16). Iam in textu nostro clare damnatur bellum tanquam medium ad solvendos conflictus; speciali autem modo damnatur omnis actio bellica sic dicta « totalis » tanquam « de se obiective crimen contra Deum et ipsum hominem ». Inde apparet, ut iam scribebat em.mus card. Ottaviani in suo « Compendio Iuris Publici Ecclesiastici » bellum cum armis modernis, etiam pro iusta causa, omnino interdicendum esse (p. 88 ss., Poliglotta Vaticana 1964). Insuper, in textu nostro obligatio manifestatur omnes conatus faciendi ad inducendum spiritum pacificum inter nationes, necnon ad minuenda arma usque ad totalem eorum abolitionem. Fateor autem textum nostrum satis deficientem esse in modo dicendi. Mundus enim non exspectat a nobis lectionem casuisticam, sed affirmationes claras. [15] Denique, ut omnia de quibus locuti sumus de facto actuentur, omnino videtur instauranda esse auctoritas suprema internationalis, debitis instructa mediis. De ea, ut iam diximus, loquitur textus noster; sed dato momento huius quaestionis, propono ut, loco debito, inseratur sollemnis declaratio quae his vel melioribus verbis exprimi posset. [16] quae possit, renuntiationem iuri belli ab omnibus exigendo, lites inter nationes secundum exigentias iustitiae arbitrari, quae possit etiam progressivam armorum diminutionem omnibus imponere, usque ad eorum definitivam abolitionem, quae tandem possit eos qui ordinem pacificum internationalem quocumque modo perturbarent, efficaciter reprimere et coercere ». Hac autem declaratione, nullo modo autonomiam potestati civili debitam violamus, sed unice exigentias boni communis hodierni patefacimus, relinquendo eis qui nationibus praesunt curam eligendi modos politicos qui eis meliores et efficaciores videbuntur. [17] scil. [18] deest. [19] mittamus. [20] eos. [21] deest. [22] deest.

[*Subscripserunt etiam*] J. Sauvage, ep. Annecy; J. Guyot, ep. Coutances; H. Gufflet, coad. Limoges; J. Gay, ep. Guadelupe; St. Courbe, ep. tit. Castoria; J. Villepelet, ep. Nantes; F. Bougon, ep. Moulins; J. Bellec, ep. Perpignan; A. Jauffrès, ep. tit. Arsennaria; A. Cazaux, ep. Luçon; A. Renard, ep. Versailles; J. Guilhem, ep. Laval; L. de Courrèges, ep. Montauban; E. Blanchet, rect. Inst. Cath. Paris; P. Martin, vic. ap. Nouvelle Calédonie; P. Mazé, vic. ap. Tahiti; H. Donze, ep. Tulle; A. Bontems, ep. S. Jean de Maurienne.

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis leget textum ulterioris suffragationis.

Secretarius generalis: Suffragatio 359. Pag. 93: « An placeat ut textus numeri 11 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. pag. 594-595*]. *Placet* an *non placet?*

2

Exc.mus P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

Venerabiles Patres,

Ante omnia gratias agere debeo confratribus multis et carissimis quibus adiuvantibus in barathrum non cecidi; et etiam affectum et gratitudinem profiteri erga omnes qui in hoc schemate conscribendo die noctuque sudaverunt.

Et nunc ad rem.[1] Anno praeterito, in hac aula, de duobus punctis momentosis inter se arcte coniunctis, haud sine adhaesione multorum Patrum qui etiam hoc anno de his argumentis iam pluries locuti sunt, Ipso Summo Pontifice non raro recenterque materiam tractante, sermo factus est, nempe:

a) de unitate, ut ita dicam, strategica christianorum et praesertim catholicorum, eorumque consistentia et morali solidarietate ad dialogum cum mundo fovendum ac bonum universale procurandum requisita;

b) de vindicatione ab iisdem facienda illius iuris migrandi quod efficaciter iustitiam et pacem fovet.

His non obstantibus textus noster de argumentis silet. *Insuper, ab excelsis Moderatoribus ei qui impugnat hoc silentium, dictum est*: « *Sileas!* »[2] Quin etiam, *textus ipse*[3] silet ubi verbum a natura rerum exigitur.

Relate ad primum punctum ...[4], citatur Epistola ad Ephesios. Aliquid exspectatur de Corpore Christi mystico, eiusque consistentia, quod sententiae Pauli omnino respondet. Nil de hoc nisi vaga allusio, *quae non est scripturistica,*[5] ad unitatem omnium.

Quoad secundum ubi sat fuse de re demographica agitur, aliquid exspectatur de ingentibus populis, praesertim Extremi Orientis, qui ius habent, ex ipsa iustitia distributiva concessum, ad novas terras petendas. Textus silet; dum alibi tam garrulus est ubi modo expansivo veterem illum Neochristianismum « *fin de siècle* » *et* « *sentimental* »[6] ad mentem Leonis Tolstoï *et aliorum*[7] fovere videtur.

His omnibus perpensis, ad finem obtinendum qui nobis iustus videtur, alia methodus adhibenda est.

Legam simpliciter textum — et textum brevem[8] — qui a plus quam 100 Patribus subscriptus est ...[9]. Hi Patres ex quinque Continentibus proveniunt, ad diversas tendentias — *uti dicere solent*[10] —, ad permultas nationes quae sub caelo sunt pertinent.

En ipse textus: « Tam generice schema XIII quam specifice cap. V partis II eiusdem schematis simul "paternalismo" populi Dei et naturalismo indulgent dum eorum modus dicendi logica et claritate caret ».

« His dictis, tria de cap. V proponuntur:

a) Aliqua in textu poni debent de officio quod christianis et praesertim catholicis incumbit, testimonium praebendi in sinu ipsius christianitatis, maioris solidarietatis, maioris caritatis, maioris unitatis moralis etiam ubi viget libertas optionis *quae necessaria est ad veram unitatem.*[11] Mysteria Eucharistiae (de qua recentissime in hoc sensu Summus Pontifex) et Corporis Mystici centrum sunt huius fraternae caritatis inter christianos ad totum mundum salvandum *omnino* [12] necessariae.

b) Ius migrandi fortiter ponendum est. Remedium est paupertatis. Aliquod aequilibrium fovet in re demographica. Limitationem prolis inutilem reddit. In Sacra Scriptura fundamentum habet.

c) et ultimo. Prudentiori modo de mediis ad pacem fovendam loquendum est ubi quae in nn. 98, 99, 100, 101 habentur rem politicam vel licite controversam incaute tangunt. Doctrina quae in Encyclicis et praesertim *Pacem in terris* vel *ante omnia* [13] in sermonibus Summi Pontificis, *gloriose regnantis,*[14] exponitur non tantum ...[15] sufficit ad principia ponenda, sed modo praeclaro exspectationi orbis universi respondet ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] videatis quae in n. 91 pag. 73 lin. 8 habentur. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] Nolo hodie amplius nomine proprio loqui, vel nomine episcopatus monoecensis tantum, sed textum. [9] simpliciter legere. [10] uti dicunt. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] omnino.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legit ulteriorem suffragationem.

Secretarius generalis: Suffragatio 360. Pag. 94: « An placeat ut textus numeri 12 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. pag. 595*]. *Placet* an *non placet?*

3

EXC.MUS P. D. ALOISIUS FAVERI
Episcopus Tiburtinus

Venerabiles Fratres,

Non tantum meo nomine sed etiam — Deo favente! — nomine plus quam septuaginta episcoporum Italiae sermonem habeo.

Thema de quo modo loqui debeo uno termine concluditur qui tamen immensam vastitatem habet, i. e. « Caritas »!

Nemo sane dubitare potest Ecclesiam, si ex hoc Concilio Oecumenico magis roborata in exercitio sive spirituali sive historico prodire optat, maxime caritatem prosequi debere, quae est vera anima ipsius Ecclesiae, quae a Deo — qui caritas est — promanat quaeque a Divino Redemptore Iesu Christo condita est, eiusdem caritatis summum exemplar.

Neque opus est, venerabiles Fratres, ut ego hic revocem principaliora puncta Sacrae Scripturae et Historiae Ecclesiae, quae testantur caritatis exercitium nobis concreditum esse a Divino Magistro tamquam proprium suorum discipulorum; et quomodo Ecclesia, praecipue in Sanctis suis, iam ab initio hoc altissimum praeceptum exsecuta fuerit ac iugiter exsequatur.

Ceterum si parum ambigere poteramus de opportunitate statuendi tamquam centrum huius Oecumenici Concilii caritatis exercitium, allocutio ipsius Summi Pontificis Pauli VI, quando haec quarta Sessio incoepta est, omne dubium certo distulit.

Liceat tamen pauca haec verba referre: « Concilium enim in vicissitudines mundi huius aetatis inseritur ut eventus; quo ratione praestantissima, clarissima, humanissima affirmatur religio sublimis, non ab hominibus excogitata, sed revelata a Deo; quae posita est in necessitudine, naturam extollente et amoris plena. (...) Aliter quidem sentiunt atque alia se gerunt ratione, qui ad humanum cultum promovendum longe diversa statuunt principia (...): Ecclesia vero amoris necessitatem edicit. (...) An ipsa ab amandi studio recedet, propterea quod eius amori insidiae et impedimenta opponuntur? »

Videtur peculiariter atque aperte de hoc fundamentali ac practico argumento explicite tractandum esse in hoc schemate XIII, cap. IV partis I, ubi aperte mentio fit de puncto totius schematis saliente; nempe: « De munere Ecclesiae in mundo huius temporis ». Etenim per caritatem

exercitam colloquium Ecclesiae cum mundo aptius et efficacius redditur et ipsa doctrina christiana acceptior fit.

Neque obiiciatur in hoc schemate non posse hoc argumentum tractari, quatenus — e contra — melius tractatum fuisse in constitutione *de Ecclesia.*

« Lumen gentium » est constitutio dogmatica quae explicite doctrinam exactam exponere debet; dum contra schema XIII documentum maxime pastorale est, quod non tantum directe doctrinam exhibere debet, sed potius eiusdem applicationes condicionibus nostri temporis accommodatas, cum omnibus consectariis pastoralibus.

Neque valida nobis videtur animadversio eorum qui dicant in aliis partibus huius schematis expresse innui caritatem in suo exercitio. Praescindendo etiam ab eo quod huiusmodi documenta generatim nobis insufficientia videantur, ita ut etiam nonnullas animadversiones addendas textui paraverimus; nihilominus videtur propter momentum huius summi argumenti, caritatis in suo exercitio, maxime convenire ut eo fiat clara atque particularis atque exacta expositio, quamvis synthetica.

Hac de causa aliquas paravimus correctiones quae opportune inseruntur in citato cap. IV partis I, quaeque coacerventur in duobus numeris quae ita inscribuntur: « Ecclesia in hoc mundo summopere praesens per exercitium caritatis », et alius: « De exercitio caritatis circa huius temporis problemata urgentiora ».

In binis his numeris colliguntur etiam validi textus qui in variis locis huius schematis iam continentur; quique videntur hic magis enucleati ac proinde efficaciores. Insuper offeruntur, quamvis valde breviter, indicationes illae quae videntur aptiores exercitium caritatis magis practice ac efficienter ad praxim deducendum.

Hoc modo, venerabiles Patres, hae emendationes quas proponimus ad effectum deducere conantur quae a Sancto Patre Paulo VI sollemniter declarantur in Encyclica *Ecclesiam suam*: « Revera Nos plane persuasum habemus, oportere caritatem debitum sibi locum, hoc est summum atque praecipuum, hac aetate obtinere in bonorum ordine quae ad religionem et ad mores spectant; idque non tantum in existimatione et opinione, verum etiam in christianae vitae actione et usu. Nonne hoc tempus est caritatis exercendae? ».

Quae cum ita sint, exoptamus ut nobiscum consentiatis. Dixi. Gratias.

Animadversiones additae:

1. Si è cercato di mantenere nell'esposizione del testo la caratteristica piuttosto pratica che dottrinale, onde meglio si conformi alla natura dello Schema XIII che è una « Costituzione Pastorale ». Anche quanto allo stile e alla lingua si è

cercato di uniformarsi il più possibile a quelli usati soprattutto nella prima parte della Costituzione.

2. Si è ritenuto che il posto più conveniente per introdurre questo, che può essere qualificato « voto circa l'esercizio della Carità da parte della Chiesa nel mondo contemporaneo » sia il capitolo IV della prima parte della Costituzione.

In esso, infatti, si è cercato di mettere in risalto il « munus Ecclesiae » nell'età contemporanea. Orbene, l'esercizio della carità pare che sia il compito più urgente della Chiesa nel mondo d'oggi.

3. Del cap. IV, il n. 48 dovrà subire qualche modificazione nel 2° capoverso.

Il n. 49, il n. 50, il n. 51 restano come sono.

Nel n. 52 vengono tolti il 3° e il 4° capoverso (che sembrano meglio stare nel nuovo testo proposto). Nel 5° capoverso di questo numero vanno tolte le due parole « et sociales ».

4. Il n. 53 « de munere laicorum » e il n. 54 « de munere pastorum » vengono soppressi giacché quanto in essi è detto in sintesi è già esposto più distesamente, rispettivamente nello schema del Decreto *De apostolatu laicorum* e nella Costituzione dogmatica *De Ecclesia* al capo 3°.

5. Si propongono del tutto nuovi il n. 53 (Ecclesia in hoc mundo summopere praesens per exercitium caritatis) e il n. 54 (De exercitio caritatis circa huius temporis problemata urgentiora). In questi due numeri è espressamente contenuto il munus della Chiesa nel mondo contemporaneo circa l'esercizio della carità.

6. Il n. 55 resta invariato. Il n. 56 dovrebbe terminare alle parole « ... sententiam pronuntiare non licet », del 3° capoverso. Il restante testo, infatti, è stato introdotto nel nuovo numero 53 proposto.

Il n. 57, per le stesse ragioni ora riferite, va eliminato.

7. Va pure eliminato il n. 95 — cap. V, parte II — che è stato posto quasi integralmente nel nuovo testo del n. 54, ove pare che abbia più giusta ed efficace collocazione.

* * *

De necessitate melius demonstrandi unitatem schematis in doctrina et mandato caritatis.

Quoad Prooemium, proponimus:

1. Quod n. 1, lin. 1, prooemii, sic incipiat: Caritate Christi compulsa et mandato universalis dilectionis quae « opere et veritate » (*1 Io.* 3, 18) demonstranda est Ecclesia ad totam familiam gentium respicit et cor suum pandit. Proinde gaudium et spes... etc.

2. Quod in fine prooemii, n. 3, pag. 6, lin. 20, sic concludatur: Et sic mandatum caritatis adimplere, mundo offerentes « caritatem veritatis » et caritatem ipsam in veritate exercentes.

Quoad singula capita, praesertim proponimus:

1. In n. 27, pag. 24, post lin. 14, opportunum esset mandatum positivum caritatis erga omnes explicite recolere, quia in hoc « mandato novo » est solutio originaria quaestionum circa necessitates personarum, quam Evangelium proponit, etiam ut circa mala in hoc numero commemorata et quae saepe etiam litteratura marx-leninista describit et denuntiat, « visio » et spiritus christianorum melius affulgeant.

Propterea sic addendum esset: Bona vero et mala omnia quae in mundo hodierno circa personam humanam verificantur, Ecclesia secundum spiritum et mandatum caritatis considerat: bona ut promoveantur et perfecta per Dei et proximi dilectionem reddantur; mala vero ut magis magisque in dies per humanitatis et caritatis opera profligantur.

2. Item n. 31, pag. 26, post lin. 15, addendum esset: Ad quae omnia obtinenda in mundo hodierno, incrementum caritatis quae a Christo docetur et mandatur pro omnibus hominibus Ecclesia fovet et promovet omnibus suis viribus et opportunis incoeptis.

3. Item n. 49, pag. 39, post lin. 6, addendum esset: ... et hanc quidem missionem caritate Christi compulsa Ecclesia adimplet in mundo, ad « novum mandatum » eius fideliter exequendum.

4. Item n. 54, pag. 42, post lin. 43, addendum esset: Caritas autem qua Ecclesia « opere et veritate » omnes homines secundum mandatum Christi amplectitur, eius praesentiam in mundo efficaciorem reddit, et dona quae in sacra liturgia et praesertim in sacramento Eucharistico obtinet, amplissime ad omnes expandit.

5. Item quod n. 85, pag. 66, post lin. 35, addatur: ... quae caritas est radix, vis supernaturalis et principium dynamicum totius actionis christianorum, etiam in ordine oeconomico-sociali instaurando et perficiendo et ex ea fundamentum validissimum et firmissimum institutionibus oeconomico-socialibus praeberi potest.

6. Ad n. 89, pag. 71, post lin. 24, addendum esset: ... et magna caritate, ex praecepto Christi, omnes homines immo et eorum institutiones valoresque, amplectitur et ad finem obtinendum, bonum commune, adiuvat.

7. Ad n. 102, pag. 81, post lin. 18, addendum esset: In quibus omnibus exequendis Ecclesiae Pastores una cum fidelibus ex caritate Christi impulsi operantur, ut vera pax, quae caritatis est fructus, per rectas iustitiae et communis adlaborationis vias obtineatur.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis legit textum ulterioris suffragationis.

Secretarius generalis: Suffragatio 361: « An placeat ut textus n. 13 ita immutetur ut legatur ... » [*cf. pag. 596*]. *Placet* an *non placet?*

4

Exc.mus P. D. VILLELMUS PHILBIN
Episcopus Dunensis et Connorensis

Venerabiles Patres,

In conclusione huius documenti opportunitas habetur relinquendi quaestiones particulares et corrigendi defectus, si qui sint, generalioris speciei qui se forsan per totum textum manifestarunt. Unus eiusmodi defectus ita eminet ut remedium satis substantiale hic in fine requiratur, si quidem per modificationem in hac tantum parte eliminari potest.

Defectus hoc modo oritur: In hoc schemate conati sumus indicare mundo hodierno quid possit Ecclesia contribuere ad res humanas melius ordinandas, praesertim relate ad ordinem naturalem et temporalem. In responso ad talem tantamque quaestionem, exspectandum erat ut clarissime et principaliter indicaretur donum maximum quod nos conferre possumus, praesertim si hoc donum ad nostram religionem unice pertinet.

Quid tamen de facto invenitur? Textus constitutionis modo philosophico et paedagogico examini laborioso subicit mores et tendentias huius aetatis, quae bona sunt laudans, quae mala deplorans, adhibitis consiliis et admonitionibus ad problemata contemporanea solvenda. Certo certius habemus ius et officium munere institutoris et doctoris fungendi quoad distinctionem inter malum et bonum. Sed talis instructio non constituit auxilium praestantissimum nostrum pro mundi necessitatibus. Plurimi docti, et non tantum christiani, legem naturalem saltem quoad substantiam accurate interpretati sunt. Quantum ad accuratiorem interpretationem ab Ecclesia datam, haec iam inveniri potest in libris innumerabilibus, et quidem in multis non minus perfecte exarata quam in textu nostro.

Videmur opportunitate exceptionali abuti si in talibus interpretationibus minutis immoramur, praetermittentes aliquid quod multo maius adiumentum mundo conferre potest.

Obstaculum maximum contra mundi ameliorationem non est ignorantia mali et boni, sed difficultas ex parte voluntatis hominis faciendi id quod bene noscit bonum esse et vitandi id quod malum. Virtus specialis religionis nostrae est quod huic praecisae infirmitati humani generis subvenit.

Quasi lapis fundamentalis praedicationis S. Pauli exstat doctrina sua de impotentia hominis legem etiam naturalem, quamvis in corde impressam, viribus tantum naturae implendi. « Velle enim adiacet mihi », ait, « perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago » ...[1]. Quod non valet solum de individuis, nam in his verbis invenitur quasi compendium totius historiae humanae. Quidnam igitur medicamen praestat Evangelium huic conditioni? Nec scientiam nec eruditionem. Audiamus Paulum ad Ecclesiam, scil., hic Romae collectam loquentem: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum Nostrum » ...[2]

Unica spes mundi, etiam mundi hodierni cum omnibus suis complexitatibus, est Christus, non tantum qua Praeceptor legis moralis sed maxime qua Auctor gratiae cuius auxilio lex adimpleri possit. Nobis igitur, venerabiles Patres, et praesertim in contextu de quo agitur, praedicandus

est Christus qui dixit: « Sine me nihil potestis facere » ...[3]. Omissa in tali hoc documento doctrina de necessitate gratiae, vix videmur in persona christianae Ecclesiae loqui. Sic loquebantur Pelagiani qui doctrinam ...[4] Christi magnopere extollebant *et inculcabant,*[5] qui tamen peccatum originale et necessitatem gratiae minuebant.

Itaque, eliminanda est suggestio quae subintellegi per totum textum potest, nempe ad negotia mundi bene dirigenda requiri tantum ut velint homines has nostras instructiones exsequi. Insistendum est talem voluntatem parum valere sine gratia Christi.

Responsum sane promptum est, nempe mundum hodiernum ita imbutum esse sensu se sibi sufficere ut nullatenus paratus sit talem nuntium accipere. Sed quidquid de eventu, nonne Evangelium integrum est nobis praedicandum? « Vae mihi », ait S. Paulus, « nisi praedico Evangelium »; et iterum: « Non erubesco Evangelium ».

Et nescio an tempus sit inopportunum tali nuntio. E contra possibile est ut attraherentur multi homines aetatis nostrae, sicut nunquam antea, ad Christum sub hoc praeciso aspectu. Testimonia insufficientiae hominum eorumque indigentiae Christi abundant sane in documentis cuiusvis temporis. In memoriam iuvat revocare locum in quo S. Augustinus in Confessione sua narrat se ad Evangelium attractum esse, non propter principia theoretica, quamvis altissima, in eo contenta, sed propter auxilium voluntati caducae humanae in eo promissum. Recolendus est locus in Apologia card. Newman ubi argumentum eloquenter exponit quod ex tota luctuosa historia et experientia humana erui potest pro exsistentia alicuius cladis primordialis, qualis ab Ecclesia peccatum originale, fons infirmitatis nostrae, nuncupatur. Ex auctoribus *etiam* [6] saecularibus testimonia exstant. Imperfectio et insufficientia hominum, etiam indolis nobilioris, est veluti thema constans tragoediae Graecae, necnon multo postea Shakespearianae.

Quae testimonia hodie, ut nunquam antea, tristissima aetatis nostrae experientia confirmantur. Mundus hodiernus exspectationes altissimas generat, aspirationes nobilissimas colit et nutrit. Sed inter signa ...[7] huius temporis ...[8] nonne reputanda sunt bella atrociora et ingentiora quam unquam antea, bella contra totos populos non exclusis feminis et pueris? ...[9]

Et multa alia possunt addi.[10] Multi homines *fratres* [11] nostri temporis, conscii eventus infelicis *inspirationum* [12] suarum, in profundam maestitiam et pessimismum, ne dicam desperationem, ...[13] in dies labuntur. Nonne haec maestitia posset esse quasi praeparatio evangelica, nonne posset opportunitatem nobis praebere eorum corda tangendi nuntio: Adiutorium nostrum in nomine Domini? ...[14] Allocutio nostra ad mun-

dum *debet esse* [15] per modum « Manifesto Christiani », non pusillanimiter sed cum fiducia et fide proclamans remedium unicum ...[16] huius temporis et cuiusvis temporis. « Iesus Christus heri et hodie: Ipse et in saecula » ...[17]

Forsan auxilio esset commissioni si mens Patrum quaereretur circa mutationem tituli constitutionis in sensu iam a pluribus advocato.

Propono igitur ut vel conclusio huius constitutionis in hoc sensu reformetur, vel potius totum documentum, expositione theoretica multo contracta, circa argumentum praedictum tamquam centrum retractetur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (*Rom.* 7, 18-19). [2] (*Rom.* 7, 24-25). [3] (*Io.* 15, 5). [4] moralem. [5] deest. [6] quoque. [7] distinctiva. [8] — signa quidem temporis —. [9] Immo, auctores sumus criminis exterminandi tum totam stirpem tum totam classem socialem. Delicta cuiusvis generis in dies crescunt, etiam apud iuveniles, non obstantibus progressu educationis necnon novis subsidiis publicis a potestate civili latissime distributis. Omnis profectus noster ambivalens est: progressus scientiae affluentiam maximam creat et paupertatem ingentem tolerat, confert hominibus tum dominationem orbis tum periculum exstinctionis omnis rei viventis. [10] deest. [11] deest. [12] aspirationum. [13] lapsi sunt et. [14] Ne omittamus opportunitatem incomparabilem. [15] proferri debet. [16] mundi. [17] (*Hebr.* 12, 8).

Secretarius generalis: Suffragatio 362: « An placeat textus numeri 25 per modum conclusionis schematis exaratus, ita ut legatur ... » [*cf. pag. 596*]. *Placet* an *non placet?*

5

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON

Episcopus Virodunensis

Venerabiles Patres,

Vestrum misericordiam imploro si ultimus post tot gallicos Patres de bello loqui intendo; sed nos, Galli, per hos 70 annos tria in nostro territorio bella gravissima sustinuimus; ideo aliqua de bello glossolalia affecti sumus, sed in nomine 80 Patrum diversarum nationum mundi loquar.[1]

In schemate, *quae de bello dicta sunt* [2] miscentur distinctionibus quae ea quasi inefficacia et inania reddunt, ut iam plures dixerunt Patres, inter quos em.mus card. Léger. Quae distinctiones e communi de bello theo-

logia eruuntur ac hodie adhuc in manualibus repetuntur. At bellum de quo in hac theologia agitur, ita a bello hodierno essentialiter differt, ut non de eadem re, sed tantum de eodem verbo loquatur. Scil.:

1. Distinctio inter arma conventionalia et non conventionalia.

In mea autem sola dioecesi, Verdun, iam ante hos quinquaginta annos, armis tantum conventionalibus, occisi sunt una millio trecentique milia virorum. Quid ergo significat ista distinctio, aut quem ad numerum poni debet limes?

2. Distinctio inter bellantes et non bellantes.

Hodie vero natio universa, et in industria, et in metallis, et in agris, et in scientificis laboratoriis, et ubique, bello partem habet. Aliunde egomet, cum ad pugnam ut miles ire coactus essem, tam innocens eram, meo sensu, quam ii qui vitam degebant civilem. Sicut enim non bellantes, personae humanae sunt et bellantes!

3. Loquuntur de « mediis proportionatis », quod est impossibile. Experientia enim constat quod si bellum admittitur ac incipitur, implacabilis lex belli id exigit ut quam citius inimici damnis opprimantur maximis ut quam citius bellum finiatur. Etenim non his distinctionibus, sed belli necessitatibus — proh dolor! — hodierni belli duces oboedire *tenentur* [3], quod evidenter illustravit recens bellum mundiale.

4. Dicunt iterum: « damna praevidenda et circumscribenda sunt », quod est magis impossibile. Talis est enim hodie et homini ingenii potentia et nationum interdependentia quin ullus limitem quemdam praevidere possit nec in damnis ferendis, nec in conflictus extensione. Quapropter distingui non potest inter minora et maiora bella, quia bellum etiam minus, ut aiunt, genus humanum in proximam pellit universalis belli occasionem. Unde gentis humanae terror universus, ubi bellum, etsi longinquum et circumscriptum, oritur, quod nunc patimur e bello nascente inter Indias et Pakistan, quod Deus avertat.

Ergo hae distinctiones hodie reiiciendae sunt et a schemate tollendae, si quidem non vult Concilium doctrinam mundo hodierno haud aptatam proponere.

Nos, venerabiles Patres, una tantum missione fungi debemus: in nomine Domini, ad faciem populorum, sicut Dilectus Papa Noster Paulus, clamare: « Fratres estis in Christo: bellum facere non licet! » ...[4]

Illud tandem in ipso Concilio addere debemus: immania bella quae occidentales quae christianarum nomine in mundo vocatur nationes inter se gesserunt, maximum Evangelio accipiendo obstaculum opposuerunt apud illas gentes quae Christum ignorant. Caveamus ne distinctionibus iam non congruentibus istud scandalum iterum atque iterum permittere videamur.

Attamen, *quia remanet periculum aggressionis, plures dixerunt, non tantum bellum damnare, sed Pacem instruere necessarium esse* [5], cui opus est auctoritate internationali. Sed non sufficiunt institutiones. Requiritur enim ut opinio publica, i. e. gentium civiumque singulorum conscientiae hunc ad finem educentur. Quod est praecipue Ecclesiae officium quia illa educatio esse debet educatio moralis aut potius evangelica. Scil.:

Humilitas in ordine internationali, ut cives rectoresque nationum limitem admittant supremae nationali independentiae erga auctoritatem internationalem. Vae superbiae, etiam nationali!

Paupertas in ordine internationali, ut qui ditiores sunt nationes earumque cives singuli, realem imminutionem divitiarum et victus sponte accipiant erga pauperes nationes; potiusquam ditiorum fortunas ipso bello immunde crescentes. Experientia constat!

Dulcedo, quae est ipsius Christi mirabile signum, « *mitis et humilis corde* »,[6] dulcedo *etiam* [7] in re internationali ut recusent homines violentiam armorum et iniustitiam, *non violentia armorum sed violentia iustitiae impellant.*[8] Cuius testimonium dant qui « Actionem sine violentia » suscitant atque operantur, fortiter, cum dolore, sed absque violentia tam intra nationem quam inter nationes militantes secundum iustitiam contra omnem iniustitiam. E quibus, dum de bello in hac aula loquimur, viginti mulieres laicae, in ipsa Roma, ieiunium completum et orationem ducunt, ut Spiritus Sanctus nos illuminet *de bello et de pace.*[9] Liceat mihi illarum vocem breviter praebere: « Ces femmes de divers pays, catholiques et protestantes, se sont demandé comment, en tant que mères et gardiennes de la vie, elles pourraient à leur degré prendre part aux responsabilités du Concile. Incitées par le conseil de Paul VI à se mettre en état de veille spirituelle et par l'Encyclique *Poenitentiam agere* de Jean XXIII, elles *ont jeûné et prié* [10] pendant ces dix jours, retirées dans une maison religieuse, suppliant le Seigneur d'inspirer aux Pères Conciliaires les solutions évangéliques que le Monde attend ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] nonnulla recte dicuntur de bello hodierno. Attamen diversis. [3] impelluntur. [4] Attamen remanet aliquando necessitas arma armis repellendi. Sed illud quoque, ut ait em.mus card. Ottaviani, malum est quia bellum est. Ergo promulgare debemus obligatio moralis gravissima auctoritatis mundialis ad bellum impediendum. Sed ut sit illa institutio efficax, necesse est conscientiam universam instruere de illa obligatione quae competit renuntiationem independentiae supremae uniuscuiusque nationis erga auctoritatem universalem. Quod si populi, si opinio publica, si nationum rectores admittere nolunt, quaecumque sunt orationes verbosaeque declarationes de pace, bellum admittunt. Ad quam conscientiam efformandam, Ecclesia activam participationem fortiter partem habere debet. Nec dicant auctoritatem mundialem imperfectum fore

ac decisiones eius non semper iustitiae conformes. Num iustius pondus armorum? Non inter homines, sed inter lupos iustam legem determinat validioris violentia. Aliunde illa ipsa imperfectio, quae omnibus inest rebus terrestribus, infinite melior est optabiliorque quam ista horrenda, odiosa, fera humanarum rerum moderatio quae bellum vocatur. [5] ut plures dixerunt, necesse est, non tantum bellum damnare, sed Pacem instruere. [6] deest. [7] deest. [8] sed non fortitudinem in actione. [9] deest. [10] jeûneront et prieront.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis proponit nunc suffragationi quaesitum generale.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, antequam lego suffragationem, precem vobis porrigere debeo. Durante suffragatione, valde fastidiosum est, quod aliqui Patres sine ulla permissione distribuant inter confratres circulares, folia, et hoc munus dent assignatoribus loci. Ut evidens est, ita suffragatio valde implicatur. Ergo rogo vos ut normis quas iam diximus aliis sessionibus oboedientia praestetur ac oboedientia pro ordine publico, ita ut omnia recte fieri possint; nam suffragationes sunt res magni momenti et non possunt turbari his distributionibus privatis. Gratias!

Lego nunc textum ultimae suffragationis hodie. Pag. 95: « An placeat — quaesitum generale — an placeat expensio facta a Commissione Conciliari circa modos reliquos qui nn. 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, respiciunt ». *Placet, non placet,* uti fieri solet.

EXC.MUS P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

CONCLUSIO DISCEPTATIONIS
schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis*

Patres venerabiles,

Ultimus de priore schemate locuturus ex officio, patientem vestram attentionem rogo.[1]

De schemate XIII in interventionibus *non sine acritate*[2] interdum iudicatum est. Nec sine fundamento. Difficultas enim subiectae materiae redactores non fugerat, nec inde operis imperfectio. Primum enim tentamen parabatur ad novum modum loquendi in Concilio quo initium sumeretur dialogi cum mundo. Non potest igitur commissio non gratissimam esse Patribus et eorum animadversionibus, quorum gratia fieri poterit schema Concilio dignum vel saltem dignius.

Imprimis, a pluribus Patribus requisitum est ut textus brevior fieret. Abbreviabitur *igitur,*[3] et quam maxime: de hoc imprimis commissio sollicita erit.

Nunc, quaedam de punctis difficilioribus.

De appellatione schematis. Schematis destinationem nemo in quaestionem revocavit: ad christianos nempe dirigendum est, sed etiam, ultra christianos, ad universitatem gentium.

Plures tamen, ex eo ipso, censuerunt appellationem « Constitutionis » iam non convenire, cum textus ad homines dirigatur qui non sunt Ecclesiae subiecti et ab ea ligari non possunt. Nec, ut ipsi addunt, verbum « pastoralis » quidquam affert, cum totum opus Concilii pastorale sit.

Dolendum tamen esset si appellatio, quaecumque sit *finaliter,*[4] auctoritatem schematis minuere videretur: Ecclesia enim ex necessitate adducta est ad definiendam positionem suam ad mundum. Quaestio eludi nequit: nonnisi autem e fontibus doctrinae solutio erui potest. Schema igitur doctrinam Ecclesiae dicere intendit, nec officit quod hanc omnibus praebere, etiam intendat. Verbum « pastorale » significat — non obstantibus verbis infelicibus relationis — hanc doctrinam expresse ad hoc praesentari ut in mundum nostri temporis et in quaestiones eius lumen suum proiiciat.

Quidquid sit de his, attente considerabuntur obiectiones et suggestiones Patrum qui ipsi, suo tempore, *suffragium de hac re ponent.*[5]

De modo loquendi. Non multis censuris obnoxius fuit modus loquendi schematis. Multoties *testimonia nobis etiam advenerunt a*[6] laicis textum intelligibilem *ipsis fuisse*[7]. Nec parvum meritum erat in tanto negotio.

De latinitate quidem tacere non licet. Evidens est enim excusationem non dari, si textus latinus, fidem facturus in re conciliari, perspicuitate non polleret. *Igitur*[8] votis Patrum innixa, commissio — quod iam in votis suis fuerat — *claritatem* praeponere curabit *classicae* perfectioni, etiamsi quosdam neologismos cum licentia Patrum inde introducere oportebit.

De parte introductoria, quasi nulla facta est obiectio gravis, praeterquam *forsan*[9] necessitatem *semper*[10] ad universum mundum advertere: quod in toto decursu schematis cordi nobis erit.

De quibusdam verbis. Inter difficultates schemati oppositas, haec erat quae de verbis sub acceptionibus diversis successive sumptis oriebatur; unde in textu aequivocationes. Inter quae, verbum « mundus ». Hoc veluti principium affirmandum est: verbum in sensu acceptum iri maxime communi, secundum quod sub titulo schematis ab omnibus clare

intelligitur, homines scil. hodiernos sive in seipsis sive in complexu consideratos quem inter se et cum universo materiali efformant. In quem mundum proiicere licebit luces illas, e revelatione ortas, quae diversis respondent sensibus, se invicem complentibus, *quos verbum « mundus » in Sacra Scriptura assequitur,*[11] unoquoque loco *Scripturae*[12] utique in sua determinata significatione fideliter sumpto.

Quoad « Ecclesiam », secundum placita Patrum, et etiam secundum lineam in constitutione *de Ecclesia* electam, intentio commissionis erat in schemate « Ecclesiam » ab initio de Populo Dei in genere *intelligere,*[13] qualis hominibus commiscetur; in fine tantum primae partis formaliter et expresse « *Ecclesia* »[14] ut structura hierarchica, ordinata *habebatur.*[15] Satis facile, *ut*[16] videtur, pressius ad usum verborum huiusmodi invigilare *curabimus.*[17]

Quoad primam partem. Tres frequentiores et graviores censurae factae sunt, quae de facto conveniunt: textus enim nonnunquam nimis « philosophice » agere dictus est, nimis in notionibus sic dictis naturalibus immorans; et inde nimis candide « optimisticus » erga mundum realiter et multifarie pravum, peccato nempe obnoxium; nimis tandem « staticus » et istius notae « dramaticae » expers, quae ipsi *competeret,*[18] cum vita hominis in mundo colluctatio sit cum Christo contra peccatum et contra Malignum.

Non dubitari licet animadversiones istas, instanter repetitas, verum defectum manifestare. Ideo statim ab initio — sive in ipso prooemio, sive in fine expositionis praeviae, sive utrobique — erigetur fundamentum *Mysterii Christi* a quo lux in omnes aspectus et in omnes successivos gradus expositionis extendatur et fulgeat, ita ut inde hanc intimam vitam hauriant qua carere visi sunt, et totus textus hanc flammam obtineat « propheticam » et illam incitationem quae materiam decent.

Quod certo fiet. Duo tamen advertenda sunt:

1. secundum Patrum vota in priori sessione, servanda erit exigentia — ex destinatione textus et ex natura rerum orta — procedendi a facilioribus et communioribus ad altiora per gradus continuos.

2. sunt veritates naturales quas Revelatio et Ecclesia expresse suas *facit*[19] et etiam ut in fide fundamentales *respicit,*[20] qualis est Creatio.

His dictis, igitur ad corrigendum *defectum denuntiatum*[21] enixe laborabitur.

De atheismo. Multae et quidem gravissimae interventiones atheismum respiciebant.

Plane conscia fuerat commissio malum maximum *in hoc tempore*[22] sub hoc verbo designari, et hinc imminere hominibus et conditioni huma-

nae maximum periculum. Ipsa tantum, ut ita dicam, honestatis sollicitudo ad dubitandum adduxerat, ne videremur tractare voluisse integre, paucis paginis, problema tantae complexitatis et diversitatis. Et praesertim, totum ipsum schema *per seipsum* respondere *atheismo intendere debet.*[23]

Sed hanc haesitationem *commissionis*[24] Patres transgredi velle videntur. Inspicientur igitur interventiones cum maxima cura, ita ut suggestiones ad effectum *deducantur.*[25]

De secunda parte schematis. Animadversum est generatim, et quidem recte, nexum inter hanc secundam partem et priorem, in qua tamen fundatur, vix apparere. Defectus huiusmodi gravis est et omnino tollendus. Oportet enim ut clare appareat posteriorem partem nihil aliud agere, nisi ad saepta determinata doctrinam applicare in priori parte definitam, et quae summatim in notione fundatur personae humanae, dignitate praeditae ex natura sua spirituali, quam a *Creatore accepit,*[26] et ex ordine ad Deum amandum et in Christo participandum.

Aliter de aliis partibus huius secundae partis actum est.

Aliud quidem capitulum — quod dolendum videtur ...[27] — nonnisi distracto modo inspectum est. Alia autem attente considerata sunt et multis censuris affecta, saepe *quidem*[28] in sensus e regione *oppositos,*[29] ut videre est in re oeconomico-sociali. Subiicientur sedulo examini sive interventiones in particulari sive summa ipsarum, etiamsi inde pateat necessitas verae et profundae retractationis.

Ideo, quemadmodum textum hunc Commissio votis Patrum fideliter obsequens elaboravit, eadem obsequentia et sine ulla haesitatione, iterum ...[30] assumptura est ad reficiendum, gratias Patribus agens pro generosa collaboratione et indulgentiae ipsorum confidens.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] acriter. [3] deest. [4] deest. [5] suffragio suo de hoc decident. [6] e contra testimonium advenit ex. [7] esse ipsis. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] intelligi. [14] deest. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] competit. [19] fecerunt. [20] deest. [21] defectus denunciatos. [22] deest. [23] intendit. [24] deest. [25] ducantur. [26] divina creatione habet. [27] et explicandum esset. [28] deest. [29] appositos. [30] textum.

Moderator: Gratias, exc.me Domine! Et nunc, continuatur disceptatio *de activitate missionali Ecclesiae.*

PATRUM ORATIONES
(*De activitate missionali Ecclesiae*)

6

Em.mus P. D. IOSEPH card. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Fratres,

Loquor etiam nomine multorum episcoporum in missionibus laborantium.

Schema quoad substantiam valde placet. Laudanda imprimis est profunda et ampla explicatio fundamenti theologici activitatis missionalis, quae activitas in essentia Ecclesiae collocatur et ita in sua intima et perenni necessitate apparet. Talis explicatio hodie videtur necessaria; sunt enim non pauci qui quaerunt, utrum adhuc activitas missionalis Ecclesiae necessaria sit, cum Deus viis sibi notis homines etiam sine visibili aggregatione ad Ecclesiam corpori Christi aggregare et ita salvare possit. In hac, ut ita dicam, crisi conscientiae missionalis non sufficit veteres formulas repetere, sed egemus nova fundatione activitatis missionalis, qua ostenditur, quomodo Ecclesia missionem Christi participans et continuans semper missa et missionaria est et esse debet. Grato animo, quod schema optime de hac re dicit accipimus. Sed forsitan adhuc magis positive demonstrari posset, missionem Ecclesiae ad salutem hominum revera pertinere. Quia, etsi singuli — qua singuli — sine aperta adhaesione ad Ecclesiam salvari possint et revera ex parte salventur, tamen genus humanum qua tale sine ministerio Ecclesiae et quidem missionariae ad salutem finalem iuxta fidem nostram numquam pervenire posset.

Liceat adhuc unam emendationem proponere. In cap. II, n. 16, et etiam in cap. III dicatur aliquid de munere missionario cleri autochthoni. Certe hoc munus habet clerus autochthonus non solum conservare quos iam invenit christianos, sed eius muneris est, quia particeps est ipsius operis missionalis, penetrationem christianam proprii populi continuare et complere quam coeperunt missionarii extranei. Hoc nobile officium, difficile et virtute Christi tantum explendum, est officium cleri autochthoni.

Concludo, schema in genere valde commendandum esse.

Textus scripto traditus:

Schema quoad substantiam mihi placet. Laudanda est imprimis explicatio profunda et ampla fundamenti theologici activitatis missionalis Ecclesiae, quae activitas

in ipsa essentia Ecclesiae collocatur et sic in sua intima et perenni necessitate demonstratur. Talis explicatio hodie vere necessaria est, quia non pauci quaerunt, utrum activitas missionalis adhuc necessaria sit, cum Deus viis sibi notis homines etiam sine visibili aggregatione ad corpus Ecclesiae corpori Christi aggregare et salvare possit. In hac crisi conscientiae missionalis non sufficit formulas veteres repetere, sed nova fundatione activitatis missionalis egemus, quae monstrat, quomodo Ecclesia missionem Christi participans et continuans semper missa et missionaria est et esse debet. Grato animo accipimus, quod hac in re schema nostrum optime dicit. Forsitan adhuc magis positive declarari posset, missionem Ecclesiae revera ad salutem hominum pertinere. Quia, etsi homines qua singuli sine externa coniunctione cum Ecclesia salvari possint et revera salventur, genus humanum qua tale sine ministerio Ecclesiae et quidem vere missionariae ad salutem finalem secundum fidem nostram pervenire numquam posset.

Quoad reliqua capita, quae haud minus placent, duas emendationes proponerem:

1. In cap. II, de opere missionali nempe, clarius aliquid dicatur de connexione operis missionalis cum testimonio oecumenico, quia nusquam separatio christianorum maius scandalum praebet quam in missionibus, et spiritus oecumenicus nusquam tam necessarius est quam hic.

2. In eodem cap. II, n. 16, et forsitan etiam in tertio capite aliquid dicatur de munere missionario cleri autochthoni, cuius munus non solum est conservare, quos iam christianos invenit, sed qui ipsius operis missionalis vere particeps penetrationem christianam complere debet, quam missionarii extranei incipiunt.

7

EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

De schemate decreti de activitate missionali Ecclesiae, quod schema in nova redactione valde est emendatum, tres facere liceat observationes generales theologicas.[1]

I – *De conceptione nimis hierarchica activitatis missionalis.* Constitutio dogmatica *de Ecclesia*[2], « Lumen gentium », loquitur de charactere missionali Ecclesiae in cap. II, ubi agitur de Populo Dei, antequam sermo fuerit de distinctione inter clericos et laicos. Subiectum proinde activitatis missionalis est totus populus Dei, sub ductu quidem hierarchiae ecclesiasticae. Haec conceptio obumbratur in nostro schemate *de activitate missionali Ecclesiae*. Inde a prooemio et in ipso capite fundamentali I, sermo fit de missione Ecclesiae, acsi haec fere unice hierarchiae ecclesiasticae committeretur, dum ceteri christifideles hac in re tantummodo essent capaces « cooperationis cum episcopis » (vide: n. 5 ...[3], n. 6 ...[4], n. 27 ...[5]). Schema decreti tamen *de apostolatu laicorum* coope-

rationem cum episcopis vocat unam e plurimis formis activitatis apostolicae laicorum. In hoc sensu recognoscenda sunt prooemium et cap. I, quae fere unice characterem hierarchicum activitatis missionalis exaltant. In posterioribus *quidem* [6] capitibus aliqua dicuntur de populo Dei et laicis missionariis (v. g. in n. 33, ubi dicitur: « opus evangelizationis officium Populi Dei fundamentale »; in n. 39, *etc.*[7]). Et sic schema nostrum aliquo modo claudicare videtur duabus conceptionibus.

Consequentia huius conceptionis nimis hierarchicae missionis Ecclesiae plurima sunt:

A. In cap. III, ubi agitur de vocatione missionaria de facto fere unice agitur de vocatione clericorum, religiosorum et religiosarum. Vocatio missionaria minime tamen limitanda est ad sacerdotes et religiosos, sed extendenda est ad laicos, feminas et viros, caelibes et coniugatos. Constitutio enim dogmatica *de Ecclesia* [8] « Lumen gentium » dicit: « *Cuilibet* discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit » ...[9]. Licet in nostro schemate, cap. III, n. 24 explicite concedat laicos missionarios esse posse, indoles huius capitis hos laicos pro cetero negligere videtur. Insistendum esset in hoc, quod dantur et vocationes missionariae charismaticae laicorum (uti ceterum patet ex ipsa S. Scriptura: Spiritus suscitavit feminas, coniuges ut Priscum et Aquilam). Totus proinde populus Dei a Spiritu Sancto ungitur etiam ad activitatem missionalem, dum e contra n. 4 ...[10] suggerere videtur unice corpus episcoporum a Spiritu esse unctum in talem activitatem. Unico verbo: schema merito insistit in charismata hierarchica, sed immerito nimis silet charismata non-hierarchica, quae relate ad activitatem missionalem, praesertim modernis in adiunctis, magni momenti esse possunt.

B. *Et secundo,*[11] alia consequentia huius nimis arctae conceptionis activitatis missionalis est haec: In cap. II, ubi agitur de « praeambulis evangelizationis », dialogus cum non-christianis ut mere « praeambulum evangelizationis » consideratur (in n. 12 ...[12]), dum tamen reapse valorem vere evangelizationis habere possit. « *Ipsum* opus missionale » fere coarctatur ad hierarchiam. Eadem idea redit, quando schema loquitur de praesentia Ecclesiae (in n. 6 ...[13]): fere semper unice sermo fit de praesentia et de plantatione Ecclesiae qua medium seu institutum salutis, parum fere de Ecclesia qua communione gratiae, fidei, spei et caritatis et communione fidelium praesentium in ipsa vita humana.

Secunda animadversio [14]: *De motivo seu rationibus missionalis activitatis.* Iam in n. 2 dicitur: « Ecclesia (intelligatis: *peregrinans*) natura sua missionaria est », sed ex altera parte tantum in nn. 7, 8 et 9 agitur de rationibus activitatis missionalis Ecclesiae. Isti nn. 7, 8 et 9 solidius

videntur esse redigendi. Ubi in n. 7 agitur de rationibus seu motivis activitatis missionalis nihil dicitur de tempore missionis inter priorem et alterum Domini adventum, quod quidem motivum *solummodo*[15] habetur in n. 9, ubi de indole eschatologica activitatis missionalis agitur, et quidem tamquam consequentia antecedentium (cum verbo « itaque »), quae consequentia non clare patet. Motivum temporis intermedii est authenticum biblicum argumentum, quod iam in n. 7 deberet indicari. Unio Ecclesiae cum Christo, qui nondum advenit quia opus suum Sacerdotii Magni nondum completum est, deberet primo loco explanari ut motivum missionis. Deest in his numeris idea *Regni Dei,* eiusque relatio ad activitatem missionalem Ecclesiae temporis intermedii.

Et tertia observatio[16]: *De spiritualitate missionaria* ...[17] Denique iuvaret explicitius explanare, quod mysterium redemptionis, mysterium paschale pentecostale, constituit fundamentum spiritualitatis missionariae, quod fundamentum lumine prophetiarum de Servo Jahweh in Sacra Scriptura saepius in hoc contextu citatarum, illustratur, uti patet *ex pluribus locis Actuum Apostolorum.*[18] In hoc contextu etiam ad verba quae Dominus Noster discipulos mittens ad praedicandum evangelium pacis et quae Matth. cap. 10 et Luc. in cap. 10 inveniuntur, schema peropportune posset referre, in quibus locis summarium datur condicionis omnium missionariorum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] alinea 1. [4] alinea 1. [5] alinea 1. [6] deest. [7] etiam n. 26 et n. 34 et expresse n. 24. [8] deest. [9] (n. 17 necnon n. 35). [10] alinea 1. [11] deest. [12] lin. 24 [13] alinea 3. [14] II. [15] tantummodo. [16] III. [17] (cap. III, n. 22). [18] ex *Act.* 13, 47 et 26, 18.

8

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. JOURNET

Venerabiles Patres,

In schemate *de activitate missionali Ecclesiae,* pag. 9, n. 7 ...[1], expressius affirmanda esset absoluta necessitas activitatis missionalis.

A tempore enim quo Christus *cruce sua*[2] reconciliavit sibi Gentes, quae erant longe, et Iudaeos, qui erant prope, annuntians utrisque pacem ...[3], non est — sciant hoc vel nesciant homines — alia oeconomia salutis nisi Legis novae, praedicandae omni creaturae, ab apostolis et successoribus eorum usque ad consummationem saeculi. Legimus de Christo (*Act., cap. IV*[4]) quod « non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ».

Unde [5] pluralitas certe religionum manet sine dubio ut *factum,* sed aestimari quod haec pluralitas sit *de iure* et a Deo intenta, esset maxima aberratio.

Deus certe non deserit multitudines ad quas praedicatio Evangelii adhuc non pervenit; sed, Ecclesia sua etiam intercedente, supplet defectui huius praedicationis, visitans cor hominum gratiis internis, ita ut fide viva possint, saltem implicite et voto, ordinari ad Christum et sic per ipsum Christum salvari. Et tunc Ecclesia iam incipit esse praesens in cordibus talium hominum, sed inchoate tantum, modo imperfecto, precario, abnormali, et quasi undique impedita.

Manifestum est autem quod ista incepta Ecclesiae postulant de se liberari ab impedimentis tam internis quam externis, Evangelii praedicatione. Ideo missionalis activitas non est de consilio tantum, et ad melius esse salutis, sed urgens et de praecepto, ad esse simpliciter salutis novae Legis, *et promulgatione novae Legis.*[6]

Unde vox apostoli: « Vae mihi si non evangelizavero » ...[7]. Sed quomodo evangelizare, quomodo aperire aures et cor multitudinum pauperum — sive haec paupertas sit materialium et externarum rerum, sive sit spiritualium et interiorum, sicut paupertas Zacchaei *publicani* [8] — nisi vigeret in ipsa Ecclesia et in ministris eius, fides ardens, caritas vere apostolica, exproprians et exspolians eos, assimilans eos ad Christi ipsius divinam paupertatem, qui, cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus ...[9]? Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] linn. 3-11. [2] sanguine suo. [3] (*Eph.* 2, 11-18). [4] (*Act.* 4, 11-12). [5] deest. [6] deest. [7] (*1 Cor.* 9, 16). [8] vel publicani (*Lc.* 19, 8; 18, 10). [9] (*2 Cor.* 8, 9).

9

Exc.mus P. D. MARTINUS LEGARRA TELLECHEA

Episcopus tit. Lupercianensis, prael. null. Buccae Taurinae

Venerabiles Patres,

Loquor nomine septuaginta septem Praelatorum, Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum, *quorum nomina in secretaria sunt reposita. Illi* [1] sese considerant et de facto sunt plantatores et cultores fidei in locis missionum, *illique* [2], fere omnes, ad aliquam religiosam familiam vel Institutum missionale pertinent.

I. Inter merita huius novi schematis ...[3] nobis valde placet locum praestantem conspicere Institutis religiosis et missionalibus in illo *reservatum.*[4] Hoc, *quod* [5] pro Institutis religiosis et missionariis validissimum

stimulum constituit, valde *gratum nobis est,*[6] Praelatis religiosis, qui Instituta propria filiali corde diligimus, quique zelum miramur quo nostram evangelicam sollicitudinem participant. Itaque libenter subscribimus emendationem a commissione propositam, prout in fine relationis apparet circa advocationem Institutorum missionalium in partem Dicasterii Missionis.

II. Nemini latet quantum ad incrementum Missionis conferant bonae relationes inter Institutum missionale et Superiorem ecclesiasticum qui illius filius sit. Iam de hac re multa sapienter commendata et disposita invenimus in perpulchra et suo tempore optima Instructione S. Congregationis de Propaganda Fide, diei 8 decembris 1929. Et de hoc etiam nostrum schema pertractat, praesertim in n. 30. Ibi legitur quod « multum proderit particulares inire conventiones quibus relationes inter Ordinarium loci et Moderatorem Instituti regantur » ...[7]. His verbis nos addere velimus ut praefatae conventiones subiciantur approbationi Dicasterii a quo territorium missionale pendet. Cum Instituta missionalia incumbunt dilatationi et plantationi Ecclesiae in aliquo territorio, id proprio marte non faciunt, sed « a legitima auctoritate missi, fide et oboedientia exeunt in locum quem arandum et inseminandum acceperunt » ...[8]. Et hoc, quocumque nomine iuridico territoria vocentur, videlicet vel Vicariatus aut Praefectura, vel Praelaturae ac, etiam aliquando, dioecesis.

III. Hinc enim particulare problema quod utinam in schemate convenientem solutionem inveniat. Cum aliquod Institutum vocatur ad directam partem et responsabilitatem assumendam evangelizationis cuiusdam territorii et operarios pro illo habendos, tractationes praecedere solent nomine Sanctae Sedis per eius respectivum Dicasterium vel per eius in natione repraesentantem. Immo, etiam superioribus Instituti pars agnosci solet in seligendis ipsis Praelatis seu Ordinariis qui, ut patet, principales responsabiles missionis erunt coram Ecclesia. Sed en non parvi momenti notanda quaestio: dum in litteris erectionis cuiusdam Vicariatus vel Praefecturae expresse fit mentio de Instituto cui commendatur vel committitur, litterae quibus Praelaturae Nullius eriguntur de hac re penitus silent. Proinde, quaeri potest: silentium huiusmodi supponit, necne, minorem et debiliorem connexionem, minoremque solidarietatem moralem Instituti cum Praelaturis quam cum Vicariatibus et Praefecturis, et consequenter minorem et debiliorem obligationem Instituti, relate ad cooperationem praestandam Praelaturis quam Vicariatibus et Praefecturis?

Certo certius, si conventiones praeviae factae fuerunt, patet quod

Institutum ex debito iustitiae, difficile evadere potest suam responsabilitatem in actione missionaria Praelaturae, etiamsi de commissione litterae erectionis penitus taceant. Et non loquimur tantum de cooperatione oeconomica quae aliquando possibilis erit, et aliquando non, sed de pretiosiori auxilio personarum et de fulcimento morali ab Instituto missioni praestando. Sed quid si litterae tacent et hac de causa Institutum devinctum minus se sentiat cum territorio ubi sui sodales adlaborant? Est fere hypothetica exceptio quae, perspecto spiritu missionali Institutorum, rarissime dari potest, sed quae dari potest. Tunc Praelatus sese inveniret tamquam ducem decoratum sine exercitu, omnem responsabilitatem portantem, sed instrumentis necessariis destitutum ad suum munus digne exsequendum. Certe quod alia Instituta, prout opportune videatur, advocari possunt, et hoc in schemate commendatur, sed haec specialis commendatio determinato Instituto facta pro securitate missionis dicenda erit absolute necessaria.

IV. Conclusio immediata videretur proponere quod in quibuslibet litteris erectionis cuiusve territorii missionarii alicui Instituto committendi, semper expressa mentio fiat de eo. Hoc enim, salva responsabilitate praecipua quae penes Superiorem ecclesiasticum remanet, in maiorem honorem et stimulum Instituti erit et ad augendam dilectionem et conscientiam responsabilitatis et solidarietatis erga territorium inserviet.

Sed hoc non sufficit. Haec de qua loquimur incongruentia cum aliis relate ad Praelaturas devincitur, quae procedere solet praesertim: *a*) ex pluralitate dependentiae iurisdictionum missionalium et consequenti varietate iurisprudentiae; *b*) ex conceptu canonico Praelaturae nullius qui hodie parum aptatur et minus congruit fere omnibus Praelaturis.

Quapropter, ad talia magni momenti incommoda vitanda, et longius respiciendo, alterutra sequens solutio videtur omnino seligenda et statuenda:

Vel 1) In Dicasterio, a quo novae istae missionales circumscriptiones seu Praelaturae dependent, officium instituatur intime ac constanter cum Congregatione *de missionibus* coniunctum et collaborans, ut uniformitas iurisprudentiae habeatur et nocivae differentiae vitentur;

Vel 2) melius adhuc, territoria omnia quae vere missionalia sunt et ut talia agnoscenda sunt sub unica ditione ponantur eiusdem Dicasterii, a quo longe maior pars missionum pacifice dependent.

Venerabiles Patres, hoc[9] maxime claritati, caritati, unitati, aequitati, securitati, ac prosperitati favebit. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ex diversis mundi partibus qui, ob titulum quo obsignuntur vel ob indolem ministerii iisdem commissi. [2] quique. [3] non

ultimo. [4] asservatum, « cum Sancta Synodus libenter agnoscit et Deo gratias agit pro tot impensis in Dei gloriam et in servitium animarum praestitis » (n. 38, pag. 27, lin. 1 s.) ab illis qui « multis abhinc saeculis pondus diei et aestus » in missionibus portaverunt. [5] et alia non pauca quae. [6] grata sunt nobis. [7] (n. 30, linn. 14-15). [8] (n. 21, linn. 3-4). [9] Hoc enim.

10

Exc.mus P. D. SIXTUS MAZZOLDI

Episcopus tit. Lamenus, vic. ap. Jubaënsis, adm. ap. Morotoensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine multorum episcoporum e terris missionum, circa schema de activitate missionali Ecclesiae.

De hoc schemate, aliquae notae humillime proponuntur, non ut schema novis emendationibus subiiciatur, nam prout stat est schema valde bonum, sed ut aliquid ei addatur, quod ex una parte videtur habere maximum momentum, et ex alia parte certo certius in schemate desideratur.

1. Plus minusve omni tempore persecutiones contra Ecclesiam moventur, nec mirum est nobis considerantibus Domini Nostri Iesu Christi claras praedictiones et vocationem ipsam Ecclesiae: etenim in essentia eius est ut Mysterium crucis quod servat in dogmate, et reproducit in liturgiam, ipsum vivat quotidie in identitate immolationis et oboedientiae usque ad mortem et mortem crucis. Etiam diebus nostris quanquam sollemniter ab omnibus profiteatur absolutum respectum personae humanae, persecutiones dirae contra Ecclesiam eiusque membra aguntur pluribus in mundo locis. Praecones Evangelii libertate veritatem divinam docendi pluribus regionibus minime gaudent, saepenumero omni generi vexationum obnoxii sunt.

2. Schema nostrum de hac gravi situatione, quae evidenter semper erit in Ecclesia, et de consectariis ex eadem derivantibus, explicite tractare non videtur. Nemo est qui non videat hanc esse quamdam lacunam in schemate et inde obligatio surgit ut istae deficientiae sufficienter et convenienter provideatur. Praecones Evangelii etenim sine clara iuridica defensione, quae in isto schemate esse deberet, relicti sunt, nec ullae regulae accommodatae circumstantiis nostri temporis illis dantur.

Praeterea saepius Ecclesiae multae in diversis locis solidarietatem et auxilium proprium Ecclesiae catholicae tamquam Corporis Mystici, Ecclesiis persecutionem patientibus minime praebent.

Verum est quod multa in Evangeliis proposita habentur a Redemptore ad eorum consolationem et illuminationem, qui persecutionem sustinent propter nomen et gloriam Dei. Verum est quod schema de Activitate Missionali, pag. 7, lin. 34, nobilissimis verbis exhortat Ecclesiam ut procedat « ac ipse Christus processit, via nempe paupertatis, servitii et sui ipsius immolationis usque ad mortem ». Tamen pertinere videtur ad schema de Activitate Missionali de hac re clarius et ex professo tractare. Iura missionariorum in terris missionum plene declaranda et exponenda sunt. Qua de causa valde utile esse videtur in schemate de Activitate Missionali explicite addere et exponere, quae nunc proponuntur, vel aliqua similia:

Ad cap. I: in fine n. 7, i. e. post lin. 34 pag. 9 sequentia addantur:

1. Ecclesia Christi plenum ius habet annuntiandi veritatem evangelicam et mittendi missionarios in universum mundum. Quicumque opponitur huic iuri laedit fundamentalem libertatem Ecclesiae et personae humanae.

2. Declarare beneficia quae obveniunt populis cum evangelizantur, singulis hominibus et totae societati.

3. Cum autem persecutio exoritur contra aliquam Ecclesiam localem, Ecclesiae particulares et Ecclesia universalis una cum Romano Pontifice actionem adiuvantem ponere deberent. Haec actio quamquam limitata mediis probatis religionis, debet dirigi ad defensionem iuris Ecclesiae et ad defensionem iuris populorum qui privantur libertate sub persecutione, debet dirigi ad solidarietatem manifestandam et ad auxilium opportunum praebendum.

Quaecumque omissio in hac actione solidarietatis explenda, est offensio contra communionem fidei et caritatis. Gratias.

11

Exc.mus P. D. VINCENTIUS McCAULEY
Episcopus Arcis Portal

Venerabiles Patres,

Loquor in nomine plusquam centum episcoporum Africae et aliorum locorum.

Schema in genere placet, et multi episcopi missionarii volunt exprimere membris commissionis de Activitate Missionali Ecclesiae satisfactionem et gratias pro schema quod evolvitur a laboribus eorum tam arduis.

Emendationes particulares et expressiones opinionum exspectare possimus, sed in genere schema commendatur et spem fert ut approbetur a Patribus conciliaribus, et apud populos Dei dare inspirationem posset ad facienda opera missionaria in Ecclesia per orbem terrarum.

Velim nunc oculos vestros convertere super duae proposita ad hoc schema pertinentia, quae mihi videntur valde praestantia.

Beata Maria data est exemplar et mater omnibus qui in Ecclesia habent locum seu munus determinatum ... missionariis exceptis.

De laicis scribitur in schemate *de apostolatu laicorum* in n. 4: « Huiusmodi vitae spiritualis et apostolicae perfectum exemplar colant Beatam Virginem Mariam, Reginam Apostolorum, quae dum in terris vitam ageret omnino communem, familiari cura et laboribus plenam intime semper cum Filio Suo coniungebatur ... Hanc devotissime colant omnes suamque vitam atque apostolatum eius maternae curae commendent ».

Et de religiosis legimus in: « Constitutio dogmatica *Lumen Gentium* », n. 46: « Consilia, secundum cuiusquam personalem vocationem voluntarie suscepta ... fervorem caritatis iugiter excitant et praesertim ad genus vitae virginalis ac pauperis, quod sibi elegit Christus Dominus quodque Mater Eius Virgo amplexa est ».

Et eisdem in schemate *de accommodata renovatione vitae religiosae,* n. 25: « Deprecante suavissima Deipara Virgine Maria " cuius vita omnium est disciplina " ...[1] ampliora quotidie incrementa capient ac uberiores salutares afferent fructus ».

Et de cleris ...[2]: « Beatissimam Virginem Mariam, quae a Christo Iesu in cruce moriente discipulo data est uti mater, filiali fiducia diligant et colant ».

Et de presbyteris ...[3]: « Magni tandem faciant cultum Sanctissimae Eucharistiae et devotionem Beatam Virginem: Ipsa enim est Mater Summi et Aeterni Sacerdotis, ideoque et Regina Apostolorum ».

Sed in schemate *de activitate missionali Ecclesiae* nihil dictum est de Virgine Maria. Si « Ecclesia natura est missionaria » ut contendimus in art. n. 2 et cum Maria declararetur Mater Ecclesiae, « hoc est, Totius populi christiani tum fidelium quam pastorum, qui eam Matrem amantissimam appellant » uti dictum est a Papa Paulo VI die 27 novembri anno elapso ...[4], tunc maximi momenti est dare missionariis Mariam ut Matrem et exemplar.

Missionarii quamprimum sunt sicut Duodecim missi ad evangelizandum mundum a die Pentecostes. Illa quae precibus suis imploravit donum Spiritus ...[5] nunc est implorans eumdem donum super missionarios,

filios dilectissimos. Regina Apostolorum est vera Mater Ecclesiae, hoc est praesertim missionariorum, quia evangelizant mundum non christianum.

Propono inserere in n. 23 « de formatione spirituali et morali » verba haec: « Huius vitae apostolicae exemplar colat Beatam Virginem Mariam, Reginam Apostolorum seu Matrem Ecclesiae, quae, cum apostolis ante diem Pentecostes, precibus suis imploravit donum Spiritus ...[6] et quam Missionaria et Catholica Ecclesia, a Spiritu Sancto edocta, filiali pietatis affectu tamquam matrem amantissimam prosequitur » ...[7].

Propositum secundum: Unum solum verbum dictum est de Sacramento Confirmationis in n. 34. Attamen ut dicitur in constitutione dogmatica *Lumen Gentium* n. 11, si « fideles per Baptismum in Ecclesia incorporati » sunt, « sacramento Confirmationis *perfectius* Ecclesiae vinculantur, speciali Spiritus Sancti robore ditantur, sicque ad fidem tamquam veri testes Christi verbo et opere simul diffundendam et defendendam arctius obligantur ».

Baptizatus laicus est apostolus per Confirmationem, secundum doctrinam traditionalem Ecclesiae. Spiritus Sancti dona quae confert Sacramentum Confirmationis est maximi momenti in regionibus Missionum. Sicut optime dicitur in schemate *de apostolatu laicorum,* in n. 3: Omnes laici « per Baptismum corpori Christi mystico inserti, per Confirmationem virtute Spiritus Sancti roborati, ad apostolatum ab Ipso Domino deputantur ». Sacramentum enim Confirmationis, per characterem eius, deputat laicum iam baptizatum *ad alios,* per verba et opera, ut dicit S. Thomas. Nostri catechistae « qui — ut notatur in n. 17 — spiritu apostolico imbuti » sunt, debent esse chrismatis unctione roborati. Sic laici participant Sacerdotium Christi ad aedificandum Corpus Mysticum cuius membra sunt.

Propono plures animadversiones quae remittendae sunt secretariatui generali.

In conclusione, additio mihi videtur in ipsum textum introducendum in fine n. 18, qui tractat de vita contemplativa, necessaria in Missionibus, haec verba: « Omnes prae oculis iugiter habent vitae contemplativae exemplar, S. Theresiam a Iesu Infante, principalem Patronam Missionum ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (Ambrosius, *De Virginitate,* l. II, c. II, n. 15). [2] scribitur in schemate *de institutione sacerdotali* n. 8. [3] re eorum ministerio et vita, legimus in schemate *de ministerio et vita presbyterorum* n. 15. [4] et in constitutione dogmatica *Lumen Gentium* n. 53. [5] (cf. *Lumen Gentium* n. 59). [6] (cf. *Lumen Gentium* n. 59). [7] (*Lumen Gentium* n. 53).

12

EXC.MUS P. D. RADULFUS KOPPMANN

Episcopus tit. Dalisandensis in Pamphylia, vic. ap. Vindhoekensis

Venerabiles Patres,

Ultimus sum, proh dolor!... Patientiam ergo vestram rogo.[1] Novum schema decreti *de activitate missionali Ecclesiae* ob multas rationes laude dignum mihi videtur; funditus enim quaestionem hanc subtilem, sed pro universa Ecclesia essentialem, tractat, propriam indolem ac naturam missionis delineans ac definiens, principia actionis missionalis, ex parte omnino nova, statuens, et normas quasdam et regulas sapienter praeponens. Maximum autem progressum novi schematis in eo esse mihi videtur, quod in eo fundamentum theologicum omnis activitatis missionariae optime elaboratum est, et ipsa actio missionalis causa totius Ecclesiae declaratur. Schema hoc, sine dubio, testimonium eximium, *charta magna*[2] et fructus praestantissimus Concilii huius Oecumenici erit.

Attamen, ex altera parte, etiam desideria quaedam mihi remanent, quae quidem minoris momenti sunt, sed claritati, unitati et contextui sententiarum non parum posse attribuere mihi videntur. *Sed istas emendationes particulares textus in scriptis Secretariatui tradam.*[3]

Porro ad cap. I hoc notandum esse mihi videtur. In conclusione huius capitis, pag. 10, n. 9, aeque et iuste demonstratur « indoles eschatologica activitatis missionalis », definiens verbum « Missio » — sub hoc respectu — « Epiphaniam Dei in mundo et in Historia », et extollendo ita peculiare momentum, quod activitas missionaria in Historia Salutis habet.

Sed tota haec paragraphus eodem vitio laborare mihi videtur ac prima pars schematis « De Ecclesia in mundo ». Indicatur enim *pars* huius finalitatis eschatologicae, dicendo finem missionis — semper sub hoc respectu eschatologico — esse « Christum salutis auctorem praesentem » reddere, et « quidquid veritatis et gratiae iam apud gentes quasi secreta Dei praesentia inveniebatur, a contagiis malignis » liberare.

Tacet autem schema *praesentiam mali in mundo et*[4] realitatem regni satanae, quod opponitur Regno Dei. Qui *multos*[5] annos vitae suae in campo missionali consumpsit, realitatem regni diaboli et praesentiam eius in mundo non semel manifeste expertus est. Etiam vitia gentilitatis clare videri oportet, nec licet ea silentio praeterire. Nam etiam realitate talium vitiorum comprobatur necessitas missionis. Ut eradicentur vitia gentilitatis est altera pars indolis eschatologicae activitatis missionariae.

Vitia quae in meo *et fere in omni*[6] territorio missionali permagna

obstacula evangelizationis sunt, praesertim polygamia, concubinatus et ebrietas nominari debent. Sed etiam saepe spiritus nationalisticus exaggeratus ...[7] conversioni populorum *mundi tertii*[8] obstat, quia religio christiana eis apparet ut religio antiquarum potestatum colonistarum. Etiam in hoc facto potestas et machinatio diabolica videtur, contra quam praesertim fratres nostri episcopatus et sacerdotii autochtonis pugnare deberent, quia ipsis concives eorum hac in re facilius aures praebent quam nobis.

Qui nonnisi partes positivas gentilitatis videt, secundum id quod in schemate dicitur: « quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur » ut « sanetur, elevetur et consumetur » ...[9], falso humanismo facile indulget. Partes istas positivas omnino videre oportet, sed altera pars negligenda non est, ne in motivis mere humanis actio nostra missionalis fundata appareat, et missio auctoritatem et fidem perdat, ut actio nostra missionalis superflua esse videatur. Ut evertatur imperium diaboli, arceatur multimoda scelerum malitia et tribuantur honor et observantia cunctis virtutibus est munus nostrum missionale.

Hoc idem argumentum etiam fundamentum esse debet in Dialogo cum non-Christianis, de quo in n. 11 cap. II schematis sermo est. *Quae ibi dicuntur*[10] de collaboratione sociali et culturali « per varia humanae vitae commercia et negotia » non esse *possunt nisi pontes*[11], ut ita dicam, ad cor hominum, *et*[12] contactum cum variis coetibus hominum obtinendum. *Legitimatio* autem nostra actionis missionalis et Dialogi incipiendi, *fuit, est et erit*[13] Evangelium et mandatum Christi.

Proh dolor! legitimatio haec fidem apud infideles quasi perdidit, culpa ipsorum christianorum. Separatio enim Ecclesiarum christianarum, scandalum hoc, uti in schemate *de Oecumenismo* optimo iure dicitur, permagnum obstaculum est laboris nostri. *Huius scandali*[14] separationis Ecclesiarum ideoque etiam in hoc schemate aliquomodo *mentio fieri deberet, uti heri D. card. Jäger iam proposuit,*[15] invitando simul omnes communitates ecclesiasticas ad quam angustissimam collaborationem in campo missionali, quia haec collaboratio vel non-collaboratio, i. e. dissidia inter christianos, momentum decisivum esse potest pro conversione vel non-conversione paganorum, quod ergo conscientiam christianorum gravissime oneraret.

Ideoque mihi videtur argumentum, de quo loquor, nempe de realitate regni diaboli, in paragrapho de indole eschatologica activitatis missionariae aliquomodo clarius effari debere; forsitan ...[16] hoc modo:

Lin. 22, post verbum « perficit » ita prosequatur: « Missionibus enim, per verbum praedicationis et celebrationem sacramentorum, Chri-

stus salutis auctor praesens redditur in universo mundo, *imperium diaboli evertitur, multimoda scelerum malitia arcetur,* quidquid veritatis et gratiae ...[17] » etc. ...[18] Nunc nova sententia *interponatur* [19]: « Ad hoc facilius et celerius obtinendum, scandalum separationis Ecclesiarum christianarum, sub impulsu Spiritus Sancti, removeri debet, ut fiat " unus pastor et unum ovile ". Sic tandem missio ad plenitudinem eschatologicam tendit ».

Liceat mihi iam perpauca verba *de institutis missiologicis* addere, de quo in pag. 20, lin. 35 agitur:

Disciplinae illae principales quidem et auxiliares, *de quibus in n. 24,*[20] nostris temporibus in pluribus Universitatibus ecclesiasticis et laicis, in toto fere orbe terrarum, magna cum competentia docentur, quo patet scientiam missionum, quae etiam missiologia vocatur, locum sibi convenientem decursu decem lustrorum acquisivisse. Omnibus professoribus et missiologiae peritis qui ad hanc evolutionem attribuerunt, etiam hoc loco gratias agere oportet. Optandum sane est ut in omnibus missionibus unus alterve ex missionariis scientiae missionum peritus exsistat, sicuti in schemate votum exprimitur. ...[21] Sicuti autem in omnibus campis nostris temporibus *intima* [22] cooperatio et collaboratio promovetur et promoveri debet ut maiores adhuc progressus obtineantur, ita etiam inter instituta missiologica, etiam in Urbe, collaboratio fraterna efflorescat oportet, ne vires hominum, in casu nostro sacerdotum, quorum in omnibus campis Ecclesiae hodie tanta inopia habetur, dissipentur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] 1. Quoad nexum logicum. *a*) Aliquando enim sententiae sine nexu logico iuxtapositae videntur, saltem nexus logicus non facile perspicitur. Ita v. g. pag. 7 n. 4 primo dicitur Christum Spiritum Sanctum a Patre misisse, deinde Christum Spiritum Sanctum mittendum promisisse, et, tertio, Spiritum Sanctum iam, antequam Christus glorificaretur, in mundum operatum esse. Ordo inversus logicus esset. *b*) Neque satis clarae nec logicae sunt rationes Incarnationis Iesu Christi, quae pag. 6 linn. 7 ss. enumerantur, nempe: Deus autem ad pacem seu communionem Secum stabiliendam, in historiam hominum intrare decrevit, mittendo filium etc. ... ut homines per illum eriperet de potestate tenebrarum etc. ». In hac sententia sine nexu interno et diversis constructionibus verborum rationes redemptionis nostrae iuxtaponuntur. Alias emendationes textus in scriptis secretariatui tradam. [4] deest. [5] 27. [6] deest. [7] (cum declaratione independentiae statuum Africae ortus). [8] africanorum. [9] ad gloriam Dei. [10] Quod ibi dicitur. [11] potest nisi pons. [12] ad. [13] est. [14] Praesertim in Africa Australi hoc factum molestissimum est et gravem culpam christianis imponit. Numerantur enim ibi plus quam 1200 sectae religiosae. Paganis, qui prima vice nuntium evangelicum audiunt, et talem discordiam inter ipsos christianos vident, religio christiana et missio tanquam negotia mere humana apparent. Hoc scandalum. [15] apparere

deberet. [16] (si Patribus placet). [17] iam apud gentes. [18] usque ad lin. 30 « et beatitudinem hominis ». [19] interponitur. [20] deest. [21] Pag. 20, linn. 35 ss. [22] deest.

Secretarius generalis: Communico imprimis exitum suffragationum quae mane factae sunt:

Suffragatio 358:

Praesentes votantes	2.150
Dixerunt *placet*	2.122
non placet	27
placet iuxta modum	1

Suffragatio 359:

Patres praesentes votantes	2.152
Dixerunt *placet*	2.134
non placet	16
Suffragia nulla	2

Suffragatio 360:

Patres praesentes votantes	2.141
Dixerunt *placet*	2.127
non placet	12
Suffragia nulla	2

Suffragatio 361:

Patres praesentes votantes	2.132
Dixerunt *placet*	2.110
non placet	20
placet iuxta modum	1
Suffragium nullum	1

Suffragatio 362:

Patres praesentes votantes	2.112
Dixerunt *placet*	2.109
non placet	2
Suffragium nullum	1

Suffragatio 363 et ultima huius schematis:

Patres praesentes votantes	2.082
Dixerunt *placet*	2.071
non placet	9
Suffragia nulla	2

Ergo omnes suffragationes dederunt exitum positivum. Attamen statuerunt em.mi Moderatores ut suffragatio fiat super integro schemate; et fiet suffragatio proxima congregatione generali.

Audiatis, Patres! Nunc fit disceptatio circa schema de missionibus, *de activitate missionali,* et deinde *de vita et ministerio presbyterorum.* Postquam disceptatio circa unumquodque schema exacta fuerit, moderatores proponent huic amplissimo coetui suffragationem quemadmodum factum est pro schema *de libertate religiosa;* et suffragatio proponetur his verbis: « An schema *de activitate missionali* — vel etiam suo tempore, *de vita et ministerio presbyterorum* — placeat ut basis ulterioris elaborationis perficiendae iuxta Patrum animadversiones ».

Haec volui iam hodie nuntiare, ita ut Patres sciant tempore opportuno hanc suffragationem propositum iri. Gratias.

Moderator: Proxima congregatio generalis: feria secunda, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS
(partem II, cap. V)

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS *
(partem II, cap. V)

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Pag. 72, lin. 13. « Ex uno Patre progenitos »: Estne hic sermo de paternitate *divina?* In hoc casu iniuria citatur *Act.* 17, 26; si autem est sermo de paternitate Adami, vox « Patre » cum minuscula scribi deberet.

Pag. 72, lin. 20. Ad « pax erit opus iustitiae » addatur citatio *Is.* 32, 17.

Pag. 73, lin. 10. In nota 2 addendum esset textum citatum referri ad linn. 5-10, ut appareat illum ad omnes has lineas referri; tamen melius esset distinguere textus, quantum fieri potest, ita ut pro unoquoque locus citatus indicari possit. Si enim infra citatur *Is.* 2, 4, tanto magis operae pretium est citare textus tam essentiales de opere Redemptionis Christi.

Pag. 74, lin. 6. Potestne principium « non violentiae » ita generatim laudari? (Cf. etiam pag. 80, lin. 23 quae dicuntur de « obiectionibus conscientiae »).

Pag. 77, lin. 33. « ... conscientiam hominum non facile exonerari »: ergo tamen exonerari potest? Suntne haec simpliciter « crimina »? Nonne dicenda essent « *gravissima* crimina »?

Pag. 78, linn. 1 s. « ... non illicitum esse possit ... »: nonne est expressio nimis debilis? (Cf. pag. 79, lin. 33).

Pag. 80, lin. 23. Numquid ea quae dicuntur de « obiectione conscientiae » tantum pro « hodiernis adiunctis » valent? Cum praeterea haec doctrina non paucas oppositiones invenire possit solidis argumentis fulcienda esset.

2

EM.MUS P. D. LEO STEPHANUS CARD. DUVAL
Archiepiscopus Algeriensis

Au lieu de toucher à tant de problèmes — d'une manière nécessairement incomplète — il serait préférable que le Concile traite avec vigueur et d'une *manière positive* de l'obligation qu'il y a pour les hommes d'aujourd'hui d'aider

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

l'humanité à sortir de l'impasse terrible où elle se trouve en se consacrant délibérément à l'œuvre de la *construction de la paix.*

Il faut, en particulier, montrer les *imbrications* qui existent entre le problème de la culture (à promouvoir partout), de la justice, du développement, du déséquilibre politique, de la mobilisation des ressources matérielles et des intelligences pour la guerre.

Le Concile doit exprimer leurs responsabilités:

1. *A tous les hommes,* car la construction de la paix requiert une « nouvelle façon de penser » (Einstein) et la collaboration de tous. Cet exposé doit être à la fois *positif* et *concret*:

— *positif*: il ne s'agit pas d'exposer une casuistique sur l'utilisation de tel ou tel procédé de guerre; il s'agit de donner les principes d'ordre éthique et spirituel qui aideront les hommes à sortir de la situation profondément pervertie, héritée du passé, dans laquelle se trouve l'humanité et à créer une situation politique nouvelle excluant le recours à la guerre moderne (dont les conditions sont devenues telles qu'elles ne répondent plus aux conditions fixées jadis par les juristes et les théologiens pour une guerre juste.)

— *concret*: chaque homme doit être rendu conscient de son devoir très grave d'apporter sa contribution à la construction de la paix, en se montrant sensible à l'égard de la pauvreté, de la misère, de la souffrance qui sont à sa portée, de telle sorte que cet effort vers la justice, l'amour et la paix en arrive à prendre une dimension universelle; les chrétiens doivent être au premier rang de ceux qui auront à cœur d'être le ferment de cette prise de conscience. En d'autres termes, l'action pour la paix doit éviter d'être irréelle (elle doit être enracinée dans le concret proche) ou atrophiée (elle doit s'élargir aux problèmes mondiaux appréhendés dans leur totalité). Il est à noter que dans le texte de la Constitution la condamnation du racisme (n. 30) n'est pas faite en des termes suffisamment forts.

2. *Aux hommes responsables de la politique et de l'économie*: le Concile doit s'exprimer de telle sorte que les hommes portant de hautes responsabilités prennent conscience de l'extrême urgence qu'il y a à sortir d'une situation politique gravement pervertie (polarisation de l'économie par la course aux armements ... etc.) et à créer une situation nouvelle répondant au progrès de l'humanité, aux conditions modernes de la technique et aux aspirations profondes des peuples et orientée vers le bien commun universel. A juste titre le texte affirme la nécessité d'une « autorité publique disposant d'un pouvoir effectif au plan mondial » (n. 100); il serait nécessaire de stigmatiser fortement la conception anachronique des prérogatives des Etats, revendiquant aujourd'hui encore une souveraineté sans contrôle.

3. *Aux savants*: il faut exposer la nécessité et les principes d'une « éthique de la recherche scientifique ». Beaucoup de savants sont inquiets; un bon nombre d'entre eux, même non-chrétiens, attendent une lumière venant de l'Eglise. Et cela

— au plan de la *recherche pure*: l'homme de science doit avoir la liberté de communiquer ou de répandre le résultat de ses découvertes; il a le devoir d'informer les hommes responsables et l'opinion publique des résultats possibles des découvertes de la science; le développement de la science ne doit jamais se faire par l'écrasement des valeurs humaines essentielles;

— au plan de la *recherche appliquée*: l'utilisation des découvertes scientifiques à des fins perverses ne saurait jamais être permise; là surtout le devoir d'information vis à vis des gouvernants et de l'opinion est particulièrement grave; la responsabilité des savants s'étend au domaine politique (dans l'application de leurs découvertes ils ont le droit d'être consultés).

N. B. N. 98, 2° alinéa. La condamnation doit être plus large: il doit être fait mention de l'empoisonnement du milieu vital humain, des effets à retardement de la radioactivité (pouvant aller jusqu'à la détérioration du capital génétique de l'espèce humaine).

N. 98, 3° alinéa. Le début de l'alinéa est très équivoque. Le reste de l'alinéa est trop faible. Le mot « infiniment » est faux. « On ne peut facilement absoudre ... » est d'une ambiguité grave. On pourrait s'exprimer ainsi: « Cette condamnation de la guerre totale implique l'interdiction des armes classiques de très grande puissance, des bombes thermo-nucléaires, de la guerre chimique, bactériologique. On ne peut pas absoudre la conscience humaine de tels actes de guerre puisque ce sont objectivement des crimes ».

N. 98, 5° alinéa. Il semble préférable de dire: « En conséquence, si après avoir épuisé toutes les possibilités de conciliation, il peut ne pas être illicite de défendre contre un injuste agresseur, par la force et la coaction, des droits certains et injustement attaqués, il devient chaque jour de plus en plus inadmissible de considérer la guerre comme un instrument apte à restaurer le droit violé ... etc.

N. 101, 2° alinéa. Au lieu de « comme le massacre d'innocents et de prisonniers », mettre « comme, par exemple, le massacre d'innocents et de prisonniers ».

* * *

N. 1: « pour le meilleur et pour le pire » est banal. L'expression latine est meilleure.

N. 5. Le dernier alinéa est banal. Le mot « désintégré » est tout à fait impropre; lui substituer « décomposé ». Le terme latin est juste.

N. 7. L'expression « expérience de relations nouvelles entre les sexes » est très dangereuse; l'expression latine « experientia novae necessitudinis inter virum ac feminam », moins dangereuse, prête cependant à de graves équivoques.

N. 13. L'expression « supplément d'âme », « supplemento animae », est banale (usée depuis Bergson), trop faible, fausse.

N. 27. Dernier alinéa. La citation du canon 1351, telle qu'elle est présentée, semble être une leçon pour l'Eglise Catholique, qui devrait plutôt être louée d'avoir codifié ce principe de la liberté de la foi.

N. 35. Le 2° alinéa est tellement imprécis, confus qu'il peut prêter à des interprétations contraires à la foi chrétienne.

N. 36. L'expression « entrer dans le jeu de la solidarité humaine » n'est pas convenable, lorsqu'il s'agit du Verbe incarné.

N. 62. 2° alinéa « pour le meilleur et pour le pire » expression banale, usée. L'expression latine est bonne.

N. 100, in fine. Il n'est pas à propos que, dans cette Constitution, on parle de « bons offices »; il s'agit là d'une technique de la paix, technique, d'ailleurs, passablement discréditée.

3

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

De terminologia in prima sectione capitis nostri adhibita pauca dicere mihi liceat. Vocabula enim vehicula sunt, quibus homo se exprimit; confusio verborum non est aliquid externum, quod momento careret, sed indicium esse solet rem ipsam haud satis esse comprehensam. Hoc imprimis in usu vocabuli « progressus » videri potest. Laudabiliter in primo inciso n. 92 definitio datur veri progressus, qui a solo progressu oeconomico distinguendus est et minime cum eo coincidit. Quamvis haec definitio aliquo modo insufficiens, i. e. mere humanistica, manet nec observat Deum ad definitionem hominis, imaginis Dei, pertinere, tamen basim aliquam praeberet rei explicandae, quae hodie in omnium ore et mente est: Ideologia progressus forma saecularizata spei christianae est (cf. K. LÖWITH, *Weltgeschichte und Heilsgeschehen*). Revera hic est punctum dialogi inter christianos fideles et mundum hodiernum. Sed inquantum video, nullibi in reliquo textu haec definitio progressus et haec distinctio inter progressum et progressum adhibetur, sed indiscriminatim omnia confunduntur. Quomodo aliter possibile esset simpliciter de gentibus progressis loqui, ubi schema de gentibus oeconomice progressis loqui intendit? Et quomodo possibile esset simpliciter dicere, progressum ante omnia ex labore et ingenio ipsarum gentium oriri et crescere (pag. 74, lin. 42; pag. 75, lin. 1)? Nonne progressus summus et decisivus generis humani, eius nempe redemptio, ex amore et non ex labore processit? Progressus ex labore proveniens restat ambiguus, eget purificatione caritatis, quae eum in verum progressum mutat. Quia talia in textu haud satis respiciuntur, idea paupertatis et caritatis ex spiritu evangelii oriens iuxta ideam progressus oeconomici stat et ambae sine coniunctione interna existunt. Certe multa utilia dicuntur tam de cooperatione internationali quam de munere christianorum, quae ad conscientiam christianam in hoc tempore excitandam multum prodesse possunt et optima elementa dialogi afferunt, qui non solum verbis, sed opere et caritate instituitur. Insufficientia doctrinalis et terminologica, quam indicavi, tamen optima obscurat.

Haec insufficientia etiam ad alia verba extenditur: « Perfectio » indiscriminatim sensu theologico et oeconomico sumitur; « elevatio » alias elevationem supernaturalem, alias elevationem oeconomicam exprimit; « innovatio » denique tam innovationem oeconomicam quam innovationem christianam indicat. Sicut iam in prooemio haec confusio verborum ex confusione rerum, i. e. ideologiae progressus et spei christianae, procedit, quae dialogum verum non fovet, sed impedit.

4

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

Loquens tantum de ultimo capite schematis — scil. de communitate populorum et de pace — nolo repetere ea quae iam in disceptatione generali a multis dicta sunt: aperte tamen declaro intentum meum, id est intendo per huius capitis considerationem, universum schema sub iudicio ponere.

Mea quidem sententia hi ultimi paragraphi — uti iacent — sunt quasi exemplar et recapitulatio necessaria omnium defectuum et ambiguitatum totius schematis in sua orientatione generali et in singulis capitibus. Apte in hoc casu dicere possumus: « Nihil est opertum quod non revelabitur » (*Mt.* 10, 24).

Omnia enim quae adhuc operta erant vel implicita in praecedentibus paginis constitutionis hic fiunt explicita et manifesta, dum schema aggreditur maximum problema mundi huius temporis, problema quo vere cogimur « praedicare super tecta id quod in aure audivimus ». Hic manifesta fiunt « opera carnis quae sunt fornicatio, immunditia ... idolorum servitus, inimicitiae, contentiones, aemulationes, rixae, sectae »: omnia quae hodie in quovis ambitu existentiae humanae (individualis, familiaris, oeconomicae, politicae) adversantur Spiritui Dei, manifesta fiunt per summam conturbationem inter nationes in universo mundo.

Ideoque in hoc capite clare videre possumus cuius naturae sit optimismus — qui dicitur — schematis.

Cum maiori parte Concilii et ego opto ut in hac constitutione dirigatur mundo nostro sermo vere optimisticus et positivus: necessarium enim et possibilem huiusmodi sermonem firmiter credo, ac plane dissentio ab iis qui contrarium aestimare videntur, forsan sub influxu alicuius visionis theologicae minus plenae et « separatistae », adhuc aetatis contrareformationis.

Credo Ecclesiam hodie redire posse ad fortem et serenam plenitudinem theologicam christianismi antiqui pro omnibus problematibus humanae exsistentiae; credo Ecclesiam suam mentem et sua incepta audacter suscipere posse pro omnibus adspectibus navitatis et progressus hominum huius temporis, in certitudine de totali victoria Christi: « Deus enim nihil reliquit Ei (Christo) non subiectum » (cf. *Heb.* 2, 3).

Sed aliud est optimismus christianus, omnino supernaturalis, « carni aut sanguini non acquiescens » (*Gal.* 1, 17), — id est non acquiescens generationi et incremento secundum naturam tantum — sed, econtra, omnia exspectans e regeneratione quae quasi resurrectio a mortuis est, unice in virtute *beatae passionis* Christi.

Aliud vero est optimismus naturalisticus, facile et timide acquiescens phoenomenologiae humani progressus, optimismus nesciens aut fugiens principium quo omnia et omnes « igne salientur » (*Mc.* 9, 49): igne scil. Crucis et Spiritus Christi.

Inter hoc ardens sal et pacem intimus nexus adest, ipso Christo testante: « habete in vobis sal et pacem habete inter vos » (*Mc.* 9, 50).

Ille autem non sapidus optimismus schematis nostri, acriticus est, optimismus timiditatis et conformitatis erga opiniones vulgatas, carens fundamento tum supernaturali tum vere rationali: ideoque necessario in contrarium vertitur, sicut potissimum in hoc capite — dum agitur de problemate omnium arduissimo pacis et belli — vertitur in pessimismum, quasi fato abdicantem coram supremo periculo totalis interitus humanae civilitatis.

Denuntiativum est quod in hac redactione conveniunt pessimistae tardi contrareformismi et optimistae facilioris empirismi pragmatici. E contra cum hoc textu nunquam consentire poterit optimismus authentice christianus.

Ille enim qui vere credit victoriae totali Christi et perenni virtuti Evangelii numquam ferre poterit ut aequilibrium terroris dicatur (sicut in schemate) *ultimum perfugium* in praesentibus adiunctis; numquam ille qui credit paradoxiis Evangelicarum Beatitudinum et invincibili energiae gratiae e Cruce profluentis, de bello hodie incumbente et de terribilibus armis quae fabricantur et servantur loqui poterit cum argumentis sensus communis et sapientiae carnalis, quae forsan homines politicos decent, non autem « Verbum annuntians pacem per Iesum Christum » (*Act.* 10, 36).

Hodie Ecclesia non tantum loqui de pace debet, orare pro pace, homines deprecare ut pacem faciant, sed ipsa potius — cum magnanimitate, illa cum audacia Papae Ioannis, Prophetae pacis — Ecclesia ipsa debet nunc fieri *factrix pacis*: mediis enim non humanis, mediis spiritualibus ei unice propriis, ipsa — ipsa sola — dare potest mundo pacem « qui Christus est » (*Eph.* 2, 14-17); Christus qui pacem posuit et ponit non per compromissiones aut *bona officia* hominum sed « per sanguinem Crucis suae » (*Col.* 1, 20).

Sed ad hoc faciendum Ecclesia primo mundum hodiernum iudicare debet: in sincerissima humilitate, in conscientia errorum et culparum praesertim suae praeteritae politicae temporalis, in purissima abstinentia et castitate a quavis ambitione et cupidigia, in amantissima solidaritate cum ipso mundo, ipsa tamen Ecclesia de mundo hodierno iudicium suum ferre debet. Secundum Isaiae prophetiam ab Evangelio resumptam (*Mt.* 12, 18) « iudicium gentibus nuntiare » debet.

Quod plane contrarium est verbis schematis, secundum quae Ecclesia et Concilium « neminem iudicare volunt ». Ecclesia certo non debet fieri arbitra

temporalium contentionum: memor potius illius responsionis quam Iesus dedit cuidam petenti arbitratum de hereditate, etiam Ecclesia hominibus ac nationibus repetere debet: « Quis me constituit iudicem aut divisorem super vos? » (*Lc.* 12, 13). *Omnibus* tamen ipsa redicere debet: « Videte et cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex hiis quae possidet » (*Lc.* 12, 15). Ideoque omnibus populis iudicium suum proclamare debet de hoc omnium concursu ad terrenas divitias possidendas ac de profunda radice perturbationum et contentionum inter nationes: « Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris quae militant in membris vestris? Concupiscitis et non habetis; occiditis et zelatis et non potestis adipisci; litigatis et belligeratis et non habetis » (*Iac.* 4, 1 ss.).

Praesertim vero Ecclesia iudicium suum ferre debet de aliquibus summis quaestionibus in praesenti dialectica de bello. Hoc autem iudicium esse non potest timidus ille sermo schematis: casuisticus, plenus descriptionum analyticarum ac subtiliarum distinctionum, quae ostium apertum servant pluribus dissimulationibus atque ambiguitatibus. Hic sermo, e contrario, absolutus, syntheticus, evangelicus esse debet: hic solus hodie anxietati populorum respondet, et dum inverisimilis videtur solus est verus, solus bellum amovere potest et *pacem facere,* non per aliquam humanam rationem, sed per creatricem virtutem Verbi Dei.

Hoc iudicium tres saltem capitales propositiones continet.

1. Unitas supernaturalis generis humani, diversa a simplici communione naturae et rationis, unitas scil. qua Deus *omnes* « praedestinavit conformes fieri imaginis Filii Sui » (*Rom.* 8, 29) postulat ut relationes internationales fundantur in praesupposito intimissimae connexionis inter omnes populos, longe fortioris quaque gravissima causa dissensionis et divisionis. Ideoque nulla prorsus actio pro pacifica concordia populorum congrua dari potest, quae non profluat ex veritate qua iam « non est gentilis et iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et scytha » (*Col.* 3, 11). Id est nemo potest ponere condiciones praeiudiciales absolutas pro admissione nationum in communitatem populorum atque in novam illam et vere universalem organisationem nationum quam Ioannes XXIII in Encyclica sua *Pacem in terris* exoptabat: quodcumque regimen internum habet, quamcumque ideologiam, nullus populus — sive parvus sive immensus — retineri a priori potest in statu exclusionis atque interdicti: nam id quod illum separat aliisque opponit, semper infinite minus erit quam id quo aliis uniri potest.

Si autem populus ille hanc veritatem adhuc nescit aut credere recusat, saltem nos qui christiani sumus id scire et credere debemus.

2. De armis quae potentiam destructivam indiscriminatam possident. Ecclesia nequit tantum deprecare eorum usum, sed potius debet iam anticipare iudicium illud, quod Dominus certo de ipsis dabit in fine saeculorum: iam illorum armorum possessio in se est immanis condensatio potentiae et violentiae et inducit nationes earumque duces in tentationem proxime proximam perpetrandi gravissima delicta contra humanitatem: illa ergo arma iam in

se sunt aliquid demoniacum et temerarie Deum tentant, cum contradicant duabus ultimis petitionibus orationis dominicae: « Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo ».

Ecclesia ideo non potest, ne ad tempus quidem ratos habere sermones humanos de aequilibrio terroris et de opportunitate, quamvis temporanea, ea arma possidendi ad pacem servandam.

Ecclesia potius omnibus qui talia arma possident dicere debet quod non licet eis ea fabricare et retinere et quod stricte obligantur absolute et statim, sine ulla dilatione, ad eorum totalem destructionem.

Hoc est proprium Ecclesiae: ad eos qui rei publicae curam gerunt pertinet trahere consequentias practicas pro eorum scientia et conscientia.

3. Non solum (uti schema dicit in ultima redactione) singulae actiones bellicae, indiscriminatim destructivae, illicitae sunt, sed bellum ipsum totaliter sumptum, quomodocumque initum, etiam si cum moderatione in proposito est contrarium Evangelio Christi.

Certo, oppositio contra iniustum aggressorem iusta et obligatoria esse potest: sed magis magisque — pro hoc gradu potentiae technicae, pro hoc gradu indivisibilitatis pacis et belli in universo mundo, pro hoc gradu conscientiae moralis humanitatis — oppositio tantum per alias vias quam per viam belli.

Omne bellum, etiam quod dicitur defensivum, in praesentibus adiunctis, minus in dies possibile apparet luce Evangelii, cuius conscientia Divino Spiritu afflante crescit inter homines.

A fortiori nullum bellum hodie potest dici necessarium et obligatorium relate ad doctrinam et exemplum Christi. Nunquam Christus ratam habuit doctrinam Zelotarum de obligatoria oppositione violenta, de bello sancto contra invasorem sed potius omnem opportunitatem coepit ad inculcandum non violentiam sed sacrificium et poenitentiam.

« Aderant autem quidam ipso in tempore, nunciantes illi de Galileis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Et respondens dixit illis ... nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis » (*Lc.* 13, 1-3).

5

EM.MUS P. D. PAULUS PETRUS CARD. MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

a) Dans le par. 90, lin. 11, en disant qu'il « appartient à l'Eglise ... », il faudrait justifier au moins rapidement cette attribution aux yeux des noncroyants qui pourraient mettre en cause cette « prétention » de l'Eglise. L'on pourrait ajouter dans une incise: « qui travaille pour la paix de tous les hommes », ou bien « mère de tous ceux qui disent ou qui diront Notre Père », ou bien tout autre mot semblable.

b) Dans le par. 91, pag. 73, lin. 16 et pour la même raison que dans la remarque précédente, on pourrait supprimer le mot « peccatum » et lui substituer « egoismum » ou autre terme. Le mot *péché* n'existe pas dans plusieurs mentalités religieuses.

On a bien fait de caractériser la paix positivement et de la dire progressive. Encore eût-il fallu, en plus des éléments qui se trouvent dans ce paragraphe dire combien elle est *dure* et exigeante à conquérir dans la justice et la charité. C'est ce caractère qui doit engager l'homme à participer fortement à son devenir.

c) Dans le par. 92, pag. 74, lin. 5 on a l'impression une fois de plus que le rôle des chrétiens est comme un « deus ex machina ». Le chrétien est la conscience du monde, et le levain dans la pâte. Son rôle est immanent au monde qu'il habite.

d) Le par. 96 parle bien des coopératives agricoles. Il aurait pu parler aussi de l'organisation de l'artisanat dans les campagnes, de l'amélioration de l'habitat rural, de la création de centres médico-sociaux à la campagne et de la constitution de communautés de villages, etc.

e) Il y aurait, peut-être, un illogisme assez évident entre la pag. 78, linn. 32 s. et la pag. 79, linn. 31 s.

f) A propos du service militaire dont parle le par. 101, pag. 80, lin. 25, on pourrait en dire, je crois, ce qui est dit des armes à la pag. 79, linn. 31 s.: tant que la Communauté des nations n'aura pas mis les bases d'une paix solide, il faudrait préparer les soldats pour une guerre agressive et de juste défense.

g) Quelque chose de ce qui est dit dans les deux premiers alinéas du par. 102 pourrait faire le contenu de l'incise que je demande dans ma remarque sur le par. 90.

De plus je refais ma remarque ici encore pour les derniers alinéas de ce même par. 102 sur l'anthropologie chrétienne, pour que le rôle du chrétien ne paraisse pas un rôle de *guérisseur* seulement et donc simplement juridique.

Conclusion. Le par. 106 de la conclusion devrait être plus « spirituel ». Il me semble un peu juridique. Il faudrait peut-être y parler davantage de l'Esprit-Saint qui inspire les hommes pourvu qu'on n'y mette pas d'obstacles. Ce contact avec l'Esprit établirait davantage de contacts par l'intérieur entre les hommes.

6

EM.MUS P. D. IOSEPH ELMARUS CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

A primis huius Concilii diebus responsabilitatis conscientiam iam habemus erga problemata mundi hodierna — responsabilitatis debitae tum Christo Regi, « cui gentes in hereditatem datae sunt », tum humano generi, cui « Ecclesia ut universale salutis sacramentum constituitur ». Per totum tempus

ardenter expectabamus Constitutionem Pastoralem « De Ecclesia in Mundo » ut medium principale hanc responsabilitatem adimplendi. Anno praeterito, magno cum dolore, recepimus schema omnino inadaequatum; his diebus, maiore cum dolore, aliud accepimus multo amplius quidem, sed, saltem in aliquibus, non multo melius.

In paragraphis nonagesima octava et sequentibus, schema tractat de multis quae hominibus per totum orbem anxietatem et terrorem incutiunt. Optime schema procedit, bellum totale sive in executione sive in intentione condemnando — et quidem absolute, praetermittendo distinctionem inter bella atomica et conventionalia. Omnis enim actio quae vel intendit vel efficit destructionem urbium integrarum cum earum incolis « est de se obiective crimen contra Deum et ipsum hominem quod firmiter et incunctanter damnandum est » (n. 98). Proclamanda est haec damnatio tam clare et distincte ut nemo eius sensum obscurare aut pervertere possit!

In paragraphis nonagesima nona et sequenti, quae de « aequilibrio terroris » tractant, schema, ut mihi videtur, hanc claritatem deliberate spernit. In lineis trigesima prima et sequentibus paginae septuagesimae nonae, legimus: « Quamdiu institutiones internationales pacem satis communire non valent, possessio illorum armorum, solum ad deterrendum adversarium, eisdem armis instructum, non affirmari potest ut in se illegitima ». Propositio, sicuti iacet, vera est solummodo quia se praescindit ab omni realitate: tractando de armorum sola ac mera possessione, excludendo omnem intentionem illis utendi, et negando ipsam armorum possessionem iam constituere periculum belli totalis. Haec declaratio nihil confert nisi ad condemnationem iam prolatam obscurandam.

Carissimi fratres! Possessio armorum, quae « aequilibrium terroris » actu constituit, etiam illa quae ad adversarium deterrendum exclusive ordinatur, iam includit intentionem — conditionalem forsitan, attamen effectivam — illis armis utendi, possessio enim sine usus intentione neminem deterreret, nihil efficeret. Ex ipsorum armorum natura, ingenti quantitate, et distributione, constat qualis et quanta destructio iam intendatur. Quomodo ergo possumus damnare omnem intentionem urbes destruendi et, eodem tempore, etiam in parte approbare aequilibrium terroris.

Quid ergo faciendum erit?

Primo: impossibile est in hac re tacere. Mundo iam promisimus fructus nostrae deliberationis.

Secundo: debebimus vere deliberare ut aliquos fructus habeamus. Sed deliberandum est, disceptandum est, de rebus et conditionibus actualibus. Quid dicendum est de moralitate illius armorum possessionis quae actu existit, quae ipsum problema aequilibrii terroris constituit, et quae arma proxime parata ad usum tenet?

Agnoscamus conditionem actualem continere nonnulla elementa in se bona. Nationes arma accumulant ex intentione primaria non gerendi sed evitandi bellum; eodem tempore moderatores earundem diversa media scrutantur

ad arma eliminanda; denique, quamdiu institutiones internationales pacem satis communire non valent et deest fides mutua inter nationes, alia defensionis media videntur inadaequata. Nihilominus, secundum meum iudicium, possessio armorum, quam nunc consideramus, damnanda est ut illegitima quia iam includit intentionem belli totalis ac etiam, praeter intentionem, eiusdem periculum.

Ergo absolute damnetur omnis armorum possessio quae sive intentionem sive grave periculum belli totalis implicat. Conditionibus autem concretis bene perpensis, clare et distincte declaretur legem moralem requirere ut omnes urgenter et incunctanter collaborent ad talem armorum possessionem eliminandam, quantaecumque difficultates sint superandae aut timendae.

Sicuti patet, quasi invitus hoc propono. Libentissime auscultabo et accipiam argumenta contraria. Sed sinceritas urget ut cum realitate luctemur. Multa iam locuti sumus de Ecclesiam renovando, de Christum hominibus clarius manifestando, et de testimonium fidei nostrae reddendo. « Nunc est tempus acceptabile », ut mihi videtur, « nunc est dies salutis ». Aliis considerationibus spretis, evadamus « validi praecones fidei sperandarum rerum — cum vita ex fide professionem fidei inhaesitanter » coniungentes (De Ecclesia, n. 35).

7

Em.mus P. D. RADULFUS card. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Sub nn. 96 et 97 huius schematis laudabiliter tangitur problema demographicum, quod ut quaestio gravis ponderis mentes multorum hominum serio praeoccupat. Modus tamen quo problema ipsum exponitur necnon viae solutionis in textu adumbratae quadam irrealitate et insufficientia laborare videntur.

Difficultas enim in hac materia non stat praecise in eo quod terra nostra sit *de se* et *radicaliter incapax* ferendi illos fructus, qui ad hominum sustentationem requiruntur. Nec pariter est quaestio de *potentia* ingenii humani, quod ope reflexionis scientificae et applicationum technicarum novas vias excogitare *poterit* ad suas necessitates sublevandas. Similiter, nemo est qui non videat meliori coordinatione et impensiori cooperatione internationali praesens status populorum egestate et miseria laborantium multum *alleviari posse.*

Haec omnia, in schemate dicta, sunt vera; remanent autem, proh dolor!, in plano possibilitatum quae nec hodie nec in futuro proximo in actum deduci possunt. Dant sane ansam *ad spem* vitae melioris; sed hoc accidet in futuro sat longinquo quia desunt media efficacia non solum materialia, sed praesertim educationis et culturae, quae permittant ut tot millia millium hominum miseria laborantium vitam hoc nomine dignam degant.

Gravitas enim et urgentia problematis demographici provenit ex defectu parallelismi inter incrementum populationis et incrementum productionis et

eorum bonorum quae necessaria sunt ad vitam plene humanam, uti sunt educatio, habitacula, medicina, etc. Anxietates hodiernae in ordine concreto versantur, sicut patet ex consideratione exemplorum sequentium, quae Americam Latinam respiciunt.

Si in hoc continente « index incrementi producti » per habitantem (tasa de crecimiento del producto por habitante) maneret circa 1% (1955-60 erat 1,1%), requirerentur 100 annorum ad attingendum indicem per habitantem hodie vigentem in Europa Occidentali. In hoc lapso temporis populatio latinoamericana, quae crescit 3% per annum, superaret hodiernam populationem Sinae continentalis et Indiae, simul sumptis.

Ingressus promedialis 50% habitantium Americae Latinae non superat 120 U.S.A. dollaria per annum; 45% habitantium recipit usque ad 400 dollaria; dum 5% habitantium habet ut ingressum promedialem 2.400 dollaria per annum.

Anno 1951 deerant in America Latina 25.041.500 habitacula. Aliis verbis, circa 80% populationis carebat habitaculis hoc nomine dignis. Haec conditio in postremo decennio non est substantialiter ameliorata.

Anno 1960 coefficiens alumnorum matriculatorum in scholis primariis erat 78,5%, quorum tamen solum 20% educationem primariam finire poterant. 15% alumnorum registrabatur in educatione secundaria, quorum tantum 22% illa studia complebat. Tandem, solum 3,1% alumnorum aderat scholis universitariis. Hoc significat quod magna pars contingentis opificum, qui anno 1985 laborabunt, non attinget nivellum technicum requisitum pro evolutione industriali accelerata.

Multa alia facta possent adduci; haec tamen sufficiant ad ostendendum problema demographicum non versari in mero campo possibilitatum, sed in campo realitatis. Schema non sufficienter de iis concretis adspectibus problematis rationem affert. Hac de causa illud nobis videtur irrealitate quadam laborare.

Sed eodem defectu afficitur n. 97, qui agit de ratione politica demographica. Bonum quidem est ut Concilium aperte proclamet ac defendat ius hominis ad matrimonium et ad generationem prolis, necnon ad deliberationem circa numerum prolis gignendae. Sed ne insinuetur — ut de facto fit, quamvis non expressis verbis — potestatem publicam nullam actionem legitimam et honestam incipere et ducere posse ad regulandum rythmum incrementi demographici.

Potestas publica diversis mediis potest cives docere difficultates exorientes ex indebito incremento demographico; potest centra instituere, quae adiuvent familias ope consilii ad exercendam suam paternitatem modo vere responsabili; potest favere studiis sociologicis et empiricis de his materiis, etc.

Si potestas publica ita facit, non aliud facit quam applicare ad dominium sibi proprium, ad campum scil. curae boni communis, illud principium « paternitatis responsabilis » quod iuxta doctrinam recentium Summorum Pontificum et ipsius huius schematis (cf. n. 63) debet vigere in determinatione

numeri prolis a parentibus facienda. Si illud principium obligatorium est pro familiis singillatim sumptis, non videtur cur potestas publica non possit et non debeat adiuvare parentes, non vi nec coactione sed informatione et persuasione, ad suam paternitatem modo responsabili exercendam, i. e. perspectis conditionibus in quibus proxima generatio hominum vivere debebit.

Schema non solum de hoc puncto alte tacet, sed modo aliquantulum offensivo contra miseriam et dignitatem populorum sub-evolutorum, dicit: « Legislatio et publica potestas invigilent oportet, ut familiae cuiusvis condicionis socialis illis subsidiis ditentur, quae ad vitam familiarem prorsus homine dignam et ad educationem prolis omnino congruam necessaria sunt » (pag. 76, linn. 36-39). Pro multis haec sententia sonabit tanquam irrisio eorum paupertatis.

Brevi, nostrum votum est ut hoc problema modo magis realistico aggrediatur; si hoc autem fieri nequit, melius esset de eo omnino tacere.

Ad n. 91, pag. 72, lin. 18: post « et infra nationem », dicatur: « unicuique coetui ac unicuique civi », ut considerentur etiam societates intermediae.

Ad n. 94, pag. 74, linn. 40 ss.: Tota ista paragraphus videtur nimis vaga et inefficax. Includit affirmationes ethicae generalis sine indicationibus concretis secundum situationes historicas. Haec visio abstracta non est sufficiens ad actionem movendam et ad historiam dirigendam.

Ad n. 95, pag. 75, lin. 33: supprimatur « dioecesi », quia revera non habet momentum in argumento magis generali istius capitis.

Pag. 75, linn. 33-34: supprimatur « si casus fert », ut maius momentum detur iis quae proponuntur.

Ad n. 96, pag. 75, lin. 38: loco « inexhaustam fere » dicatur simpliciter « magnam », veritatis causa, ne exaggerate loquatur in re tam problematica.

Pag. 76, lin. 14: finem imponatur paragrapho cum verbis « ... sine mora aggrediendum ». Cetera, a lin. 15 usque ad 22: « capacitas res ... promoveantur » supprimantur, quia non videntur ullo modo necessaria.

N. B. Tota par. 96 non distinguit cum claritate duplex problema scil.: 1) explosionis demographicae, 2) augmenti productionis bonorum; haec duo problemata non coincidunt; adest inter ipsa discontinuitas ita ut solutio secundi problematis nullo modo implicet solutionem primi.

Ad n. 97, pag. 76-77: iste numerus est revera superficialis ac minimi momenti in re tam gravi.

Nobis dicendum videtur quod problema demographicum est etiam verum problema « politicum » et non simpliciter familiare vel internationale; in tota paragrapho nunquam supponitur quod de facto Bonum Commune intrat in determinatione et solutione huius problematis. Cum materia istius paragraphi sit obiectum studii alicuius Commissionis pontificiae specialis, melius erit supprimere totum numerum vel ipsum funditus reconsiderare ita ut evadat affirmatio profunda et positiva, vere digna nostri Concilii Oecumenici.

8

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS

Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

L'Union Internationale d'Etudes Sociales (Union de Malines), en sa session des 2, 3 et 4 septembre 1965, présidée par S. Em. le Cardinal Suenens, a examiné le chapitre V du Schéma Conciliaire sur « L'Eglise dans le monde de ce temps ». Ces échanges de vues ont conduit l'assemblée à formuler les avis et propositions ci-après, adoptés à l'unanimité.

N. 91. *Nature de la paix.* Dernier alinéa, 5 ligne. « Dans la mesure, en effet, où l'homme est pécheur, le danger de guerre menace et menacera, jusqu'au retour du Christ; ... ». Cette affirmation est trop catégorique; il est impossible d'établir avec certitude une telle prévision. Il y a lieu de distinguer d'ailleurs entre guerre et simple violence. Ce passage rend un son trop pessimiste. Il convient de l'atténuer, en disant, par exemple: « ... pécheur, *il est à craindre* que la menace de la guerre subsiste, jusqu'au retour du Christ ».

N. 92. *La communauté internationale* ... Alinéa 3, 1 ligne. Le texte oppose littéralement les institutions internationales et les institutions régionales. Celles-ci sont aussi internationales. Dire: « Les institutions internationales *de caractère universel* ou régional ... ».

Dernier alinéa. Cet alinéa développe une idée nouvelle, très différente de celle des institutions, qui fait l'objet du titre du n. 32 et de son contenu jusqu'à ce point. Il conviendrait, en raison de son importance, d'en faire l'objet d'un numéro à part, sous le titre: « l'ordre de la justice et de l'amour », qui commencerait comme au projet: « Le véritable ordre international ... » et suivrait le texte jusqu'à la 9 ligne: « ... évangile d'amour ».

Les lignes qui suivent semblent recommander aux chrétiens d'être des « non-violents », au sens actuel et spécifique du terme, ce que n'impose pas l'Evangile. On n'y énonce d'ailleurs pas les limites dans lesquelles la « non-violence » est admissible, c'est-à-dire d'abord, le devoir de solidarité générale qui s'impose aux non-violents comme aux autres, et, d'autre part, la réserve du droit de légitime défense.

D'autre part, ce qui est dit dans les dernières lignes: « ... ne recourent ... de la vérité » n'est ni exact ni clair. Les moyens employés par les vrais « non-violents » sont loin d'être à la portée de tous; ils exigent souvent un traitement et des prestations fort durs. Au surplus, l'usage de la légitime défense, fût-ce par des moyens violents, s'inspire aussi de l'estime de la vie.

On pourrait dire, en un alinéa spécial: « Dans ces perspectives, l'Eglise ne peut s'empêcher de louer ces hommes qui, sans renoncer à leur devoir de solidarité et en respectant le principe général de légitime défense, s'abstiennent de recourir à l'action violente ».

N. 93. *2 alinéa, 5 ligne.* « Pour cela, l'assistance d'experts étrangers est requise; ils aideront ... à mettre en place et à asseoir les institutions publiques ... », etc. Ces expressions: « requises », « asseoir les institutions publiques » sont trop fortes. Les allusions à l'aide étrangère ne devraient venir qu'après l'affirmation du devoir des nations de se développer elles-mêmes. Cela se trouve énoncé principalement au n. 94, a ...

Reporter par conséquent les lignes 5 à 8 du n. 93 au n. 94, après b. et ajouter: « ... coopération universelle. L'une des formes souhaitables de cette aide est l'envoi, sur l'appel des nations intéressées, d'experts compétents, pénétrés de l'esprit de service et de coopération ».

Le reste de l'alinéa 2 du n. 93: « Sans de profondes ... » relève d'un autre ordre d'idées et devrait constituer un alinéa à part.

N. 96. *1 alinéa, 8 ligne.* « ... les ressources presque illimitées de la terre ... ». Cette expression est trop optimiste. Le problème de l'espace qui sera nécessaire à l'humanité si l'explosion démographique continue est un problème très grave. Il ne faut pas le passer naivement sous silence.

Supprimer à la ligne 8 les mots: « ... presque illimités ... ».

Ajouter à la ligne 12 « ... nécessaire de prendre conscience de la gravité du problème qui en résulte; il y a lieu en particulier de faire l'inventaire ... ».

N. 99. Le développement sur « l'équilibre de la terreur » laisse une impression de fatalité sans issue.

Pour éviter de laisser ce sentiment au lecteur, il conviendrait d'opposer à cet équilibre néfaste l'équilibre profond et constructif de l'amour, en usant de termes qui fassent choc et en indiquant des voies d'éducation à la paix.

A cet effet, à la fin du n. 99, ajouter les lignes suivantes: « Le seul équilibre qui assurera la paix est l'équilibre de l'amour, par lequel les peuples, se comprenant les uns les autres, portés à s'entraider, même au prix de renoncements importants, tendront, dans l'intime de leur conscience, à se rendre réciproquement justice.

« A cet effet, les contacts personnels, les échanges culturels entre pays, la formation d'une opinion désireuse de construire une paix réelle seront des moyens précieux ».

Pourquoi ne pas citer ici l'appel de SS. Paul VI au Congrès de Bombay?

N. 101. *2 alinéa, 3 ligne.* Dire: « ... le massacre d'innocents et de prisonniers ou leur mise à la torture ».

2 alinéa, 8 ligne sq. « En outre, ... de barbarie ». La rédaction de ce passage est très défectueuse. Elle laisse le lecteur sous l'impression que les non-objecteurs de conscience n'éprouvent pas la douceur chrétienne, ni le respect de la vie humaine, ni le dégoût des actions violentes. Le rapprochement entre le service militaire et des actes qui mènent à des gestes de barbarie est injurieux pour les membres des armées.

Ce passage faisant allusion à l'objection de conscience rompt d'ailleurs la

continuité de la pensée dans le n. 101. Il conviendrait de le transférer à la fin de ce n., avec une rédaction simplifiée.

Après le 3 alinéa: « ... de l'adversaire », ajouter en un alinéa distinct: « D'autre part, dans les circonstances actuelles, il semble assez opportun que la législation ait positivement égard à ceux qui, pour des motifs de conscience respectables, refusent le service militaire, tout en se voyant imposer des prestations civiques d'une autre nature ».

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH DE IESU ALBA PALACIOS

Episcopus Tehuantepecensis

In pag. 74, lin. 29 dicatur explicite, illicitum esse materias primas emere a populis parum evolutis parvo pretio, dum, e contra, a populis magis evolutis debent habere producta ab humana industria elaborata maximo pretio, sive ob capitalis redditus sive ob magnum pretium operis ab opificibus praestiti.

In n. 99 et 100, pag. 78 et 79. Edicatur etiam, officium impediendi venditionem armorum, quae saepius diriguntur contra connationales vel confoederatos eorum ipsorum qui arma venditant.

Saepius habetur ex parte fabricantium arma infame commercium mortis.

10

EXC.MUS P. D. REMIGIUS AUGUSTIN

Episcopus tit. Turuzitanus, adm. ap. Portus Principis

N. 92 iure meritoque agit de communitate gentium et institutionibus internationalibus, et recte asserit: « boni communis quaesitio et adeptio ..., speciatim in illis numerosis regionibus quae hodie adhuc intolerabilem patiuntur egestatem » (linn. 21-24). Attamen, meo humili iudicio, omnia ista incompleta sunt. Etenim:

a) Iura primordialia hominum, in quibusdam nationibus, publice et impune conculcata esse ab eis qui munus habent illa fovendi, nemo non videt. Nunc autem iura ista fundamentum constituunt cuiuscumque renovationis. Cum Concilium ad solidarietatem hominum confugit ut progressus generis humani obtineri possit, a principiis initium ducere debet. Ergo ...

b) Ad praxim solidarietatis fovendam, schema postulat institutiones internationales. Logice consequitur Institutiones istas libertatem populorum colere teneri sed a negotiis internis nationum totaliter sese abstinere debent. Attamen quid faciendum cum negotia interna civium iura totaliter coarctant? Mihi videtur quod externi, salva semper libertate nationum, ius habere debeant adimplendi officium caritatis erga oppressos cives istos. Nam, meo hu-

mili iudicio, affirmari potest: « Nationes propter homines, non autem homines propter nationes ». Haud dubio cives istos oppressos ius habent sese defendere; attamen conditio consideranda est in qua eis impossibile evadit tyrannum repellere.

Cum res ita se habent, votum facio:

1. lin. 24, post verbum « speciatim », addere: « ubi saevit tyrannis et ... ».

2. lin. 27, post verba « tunc enim homo proficit », addere: « cum iura humanae personae recognoscuntur ac proteguntur et ... ».

3. lin. 39, addere: « institutiones internationales istas officio fungebunt interveniendi in communitatibus aut nationibus ubi iura civium impune neglecta atque conculcata sunt. Ut iura efficaciter promoveantur easdem institutiones media necessaria praedisponere possunt ».

11

Exc.mus P. D. IOANNES BADRÉ

Episcopus Aquaenovensis in Proconsulari, aux. Parisiensis

Proponuntur *mutationes* quaedam inducendae tum in ipsum *titulum* scribendum: *De communitate gentium et de pace construenda,* tum in disponendas paragraphos eorumque titulos scribendos: 90. Introductio; 91. De natura pacis.

Sectio 1: *De communitate internationali necnon de pace construenda.* 92. De communitate gentium et institutionibus internationalibus; 93. De cooperatione internationali et de incremento demographico; 94. De cooperatione internationali in campo oeconomico; 95. Normae opportunae; 96. Munus christianorum.

Sectio 2: *De pace firmanda et de bello vitando.* 97. De bello hodierno, imprimis de sic dicto « bello totali »; 98. De bellis minoribus et de actibus cum bello connexis; 99. De « aequilibrio terroris »; 100. De actione internationali ad bellum vitandum; 101 (nova paragraphus). Quidam spirituales prospectus.

Sectio 3: *De missione Ecclesiae et christianorum.* 102. De praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali; 103. De partibus christianorum in institutionibus internationalibus.

Deinde proponuntur mutationes in ipsum textum paragraphorum inducendae.

N. 90, pag. 72, lin. 5, post verbum « profectum », addatur: tum propter agnitionem novorum solidaritatis modorum. *Ratio*: necesse est ut ratio habeatur « socialisationis » sic dictae mundi.

N. 90, pag. 72, lin. 11, deleantur verba: « Ecclesiae est », et incipiatur

textus modo qui sequitur: Huiusmodi progressus laetanter comperit Ecclesia, invitatque ad communem ... *Rationes*: *a*) Gaudeat oportet Ecclesia de « signis temporum », quando fausta sunt. *b*) Scribendo « Ecclesiae est », diceres solius esse Ecclesiae invitare ad actionem huiusmodi.

N. 91, pag. 72, lin. 15, incipiatur paragraphus modo qui sequitur: Mutua inter nationes iura et officia intercedent; ac propterea earum necessitudines ad normam veritatis, iustitiae, alacris animorum coniunctionis, libertatisque componendae sunt. Iure ergo meritoque pax tranquillitas ... *Ratio*: quod definitione modo scholastico enuntiata incipiatur, lectorem fastidire potest; praeterea huiusmodi formula « fixismum » quemdam redolet. Melius est incipere afferendo textum Encyclicae *Pacem in terris,* qui sequentia facilius inducat.

N. 91, pag. 72, lin. 20, deleantur verba « vim et ». *Ratio*: ut vitetur reduplicatio.

N. 91, pag. 72, lin. 21, post verbum « iustitiae », addatur: et veritatis, id est fructus ordinis ... *Ratio*: adduntur haec verba ut maneamus in spiritu Encyclicae *Pacem in terris.*

N. 91, pag. 72, lin. 33, loco « sapienti moderationi », dicatur: tum populorum rectoribus, ad quos pertinet ordinem cuiusque societatis moderari cum iustitia ... *Ratio*: ex una parte, periodus clarior videtur; et ex altera, cavet ne in organismos anonymos dissipetur responsabilitas; melius est ut ad personas loquamur.

N. 91, pag. 72, lin. 35, deleatur vox « societatibus ». *Ratio*: deducitur ex antecedenti animadversione, ubi dicitur quod adloquium ad personas dirigitur.

N. 91, pag. 73, lin. 4, post verbum « fructus est », addatur: et dialogi. *Ratio*: haec vox additur ut maneamus in spiritu Encyclicae *Mater et Magistra.*

N. 91, pag. 73, linn. 5-10, textui qui nunc legitur, substituatur sequens: Fere duobus millibus annorum antequam exsurgit angor qui hodiernum mundum constringit, Christus pacem suam attulit, die quo natus est in Bethleem. Mundum redemit per Crucem, ut nos auxilio suo liberaret ab egoismis. Doctrina Christi, doctrina est Ecclesiae. Pax donum Dei est: Pax hominibus bonae voluntatis: « Heri sicut et hodie »; cras et in aeternum: « Christus heri et hodie, ipse et in saecula ». *Ratio*: quamvis textus cui proponimus substituendas lineas suprarelatas sit optimae notae, difficilior est intellectu hominibus qui non sint theologi. Aliam formulam proponimus, quae facilius intelligatur, et non excultos magis alliciat.

N. 92, pag. 73, lin. 23, loco « ordinem sibi constituat », dicatur: ut communitas gentium disponatur modo qui praesentibus suis muneribus congruat ... *Ratio*: ob stylum elegantiorem, et ut vitetur usus vocis « ordo » sensu alio ac antea (ubi dicebatur « pax tranquillitas ordinis »).

N. 92, pag. 73, lin. 31, post verba « in campis vitae », addatur: individualis et socialis ... *Ratio*: exempla allata tam ad vitam individualem quam ad vitam socialem referuntur.

N. 92, pag. 73, lin. 32, post verbum « labor », addatur: otium. *Ratio*: otia, quorum momentum in dies crescit, evidenter praetermissa sunt.

N. 93 (ex 96), ponatur par. 96 post par. 92, cum legibus ordinis demographici subiiciantur leges ordinis oeconomici. Praeterea modo magis consentaneo absolvetur textus, dicendo de viis practice sequendis et de christianorum munere.

N. 93 (ex 96), pag. 76, lin. 14, post verba « sine mora », addatur: et modo progressivo. *Ratio*: Quaevis profunda mutatio in structuris oeconomicis, progressiva esse debet, ut notatum est in fine par. 78.

N. 93 (ex 96), pag. 76, deleantur totae lineae (quae incipiunt a verbis Capacitas res utiles ... usque ad verba « ruricolarum promoveantur », linn. 15-22). *Ratio*: quae hic dicuntur iam antea fuerant in par. 83.

N. 94 (ex 93), lin. 18, post verba « vix humana dici possit », addatur: Immo non obstantibus quos efficiunt conatibus, maior in dies evadere videtur distantia quae inter eos et nationes magis evolutas intercedit. *Ratio*: instandum in facto quod nimis distent nationes progredientes a nationibus evolutis. Insuper, huiusmodi distantia crescit cum quia divitiarum incrementum non fit secundum quamdam proportionem, sed progressivus est; tum quia demographia crescit in nationibus non evolutis.

N. 94 (ex 93), pag. 74, lin. 35, loco nationales, dicatur: nationalistae. *Ratio*: quia legitimae sunt ambitiones nationales.

N. 94 (ex 93), pag. 74, lin. 36, post verbum « militaris », addatur: conflictus diversorum systematum oeconomicorum; et deleatur ultima periodus (linn. 37-39: simul obest ... oeconomicorum). *Ratio*: ob stylum, ut allevientur ultimae lineae textus.

N. 95 (ex 94), pag. 74, linn. 40-41, loco « valde cordi habeant ut », dicatur: consciae sunt finem progressus ... collocari. *Ratio*: verba amota quemdam moralismum redolent; et Ecclesia nationibus plerumque non christianis mandata praecipere videtur.

N. 95 (ex 94), pag. 74, lin. 42, vox « meminerint »: deleatur et dicatur: progressus ante omnia ex labore et ingenio ipsarum gentium oritur et crescit ... *Ratio*: ob maiorem claritatem.

N. 95 (ex 94), pag. 75, linn. 6-8, loco « quapropter accommodationes spirituales et materiales ad hanc universalem cooperationem stabiliendam requisitas apud seipsas libenter perficiant », dicatur: quapropter accommodationes mentalitatum et structurarum perficient ad hanc universalem cooperationem stabiliendam requisitas. *Ratio*: ob maiorem claritatem.

N. 95 (ex 94), pag. 75, lin. 10, vox « tamen » deleatur. *Ratio*: vox coniunctiva « tamen » minuere videtur obligationem communitatis internationalis.

N. 96 (ex 95), pag. 75, linn. 32-33, deleantur verba « recto ordine ». *Ratio*: haec mutatio per se patet.

N. 96 (ex 95), pag. 75, lin. 35, post ultimum verbum « seiunctis », adda-

tur: et etiam cum omnibus hominibus bonae voluntatis. *Ratio*: haec additio per se evidens est.

N. 97, deletur paragraphus quae nunc legitur sub n. 97, ut remittatur ad cap. I eiusdem partis II « De dignitate matrimonii et familiae fovenda ».

N. 97 (ex 98), pag. 77, lin. 9, loco: « memoria », dicatur: « experientia ». *Ratio*: experientia belli de facto in quibusdam nationibus semper manet.

N. 97 (ex 98), pag. 77, linn. 11-12, deleantur verba « proprio officio et supplicibus vocibus undequaque ad nos pervenientibus obsecundantes ». *Ratio*: Ecclesia non tenetur subiici impulsionibus opinionis publicae.

N. 97 (ex 98), pag. 77, lin. 16, post verba: « vel technicas afferre », dicatur, loco textus qui nunc legitur: sed tantummodo, evangelicam missionem quae ad nos pertinet, implentes, quaerere volumus cum omnibus hominibus bonae voluntatis, quibus viis, auxiliante Dei gratia, horrenda huius temporis mala superari possint. *Rationes*: *a*) Ecclesiae doctrina, quanquam competentiam propriam civilium auctoritatum non impugnat, in rem politicam influit. *b*) Non tantum monet Ecclesia, sed positivas vias secundum quas ad pacem construendam ducant, indicat.

N. 97 (ex 98), pag. 77, linn. 21-26, deleatur ultima periodus a verbis « Talis est actio ... » usque ad: « ... circumscribendi (contrôle des effets) ». *Ratio*: Haec regula generalis, quae ad rem pertinere non videtur quantum ad praecedentia, imminuere videtur declarationem Ecclesiae circa huiusmodi strategiam quae adversus civitates dirigitur.

N. 97 (ex 98), pag. 77, lin. 27, loco « iam », dicatur « profecto », et loco « atomica », dicatur: « hodierna ». *Ratio*: vox « profecto » magis congruere quam « iam ».

N. 97 (ex 98), pag. 77, lin. 29, loco « atomicorum », dicatur: « scientificorum ». *Ratio*: vox « atomica » magis restringit armorum genus: sunt enim alia tam metuenda, vel etiam magis metuenda.

N. 97 (ex 98), pag. 77, linn. 29-34, deleatur tota periodus (a verbis « Quamvis hic ... » ad verba: « crimina sint ». *Ratio*: huius suppressionis apparet ex eo quod non intendamus minuere condemnationem praescindendo ab armis adhibitis et rectorum propositis. Insuper haec periodus claritate claret.

N. 97 (ex 98), pag. 78, linn. 1-3, textus qui nunc legitur, sic emendetur: « Si, exhaustis omnibus pacificae tractationis subsidiis, licitum esse possit ... ». *Ratio*: ob maiorem claritatem.

N. 97 (ex 98), pag. 78, lin. 11, post verba « ad vitandos conflictus », addatur: « etiam limitatos ». *Ratio*: ob maiorem claritatem.

Praeterea, deleantur verba, linn. 13-14, a vocibus « cum conflictu iam orto ... » usque ad « praevidendi possint ». *Ratio*: per semetipsam evidens est.

N. 97 (ex 98), pag. 78, lin. 15, deleatur verbum « hodiernis ». *Ratio*: vox « hodiernis » restringit vim rerum quae heri enuntiantur, nihilque eis addit.

N. 97 (ex 98), pag. 78, lin. 16, substituatur voci « atomicis », vox « scientificis ». *Ratio*: iam data paulo ante.

N. 98 (ex 101), pag. 80, loco textus qui nunc legitur, substituatur sequens: Quamvis populi praesertim et sponte periculum belli per orbem saevientis timeant, bella regionalia et interna imminent hodie vel etiam vigent, quae nullo modo sunt praetermittenda (bella inter tribus, conflictus inter stirpes; « ideologici », religiosi; contentiones circa fines Civitatum; bellum civile, seditiosum ad evertendam Civitatem susceptum, bellum oeconomicum, etc.). Patiuntur et moriuntur homines, plerumque pauperrimi; pacemque mundi in discrimen adducunt tales conflictus. Quaecumque sunt causae eiusmodi conflictuum, qui in nonnullis casibus ultimum suffugium oppressorum hominum constituunt, omnia facienda sunt ad eos praeveniendos vel terminandos, sive tollendo iniustitias, e quibus saepe oriuntur, sive fovendo mutuam reverentiam et existimationem.

Cum tantum malum accidit, cum rectores tum mandata eorum exsequentes in memoriam revocare oportet leges esse quae conflictus rationem regant. Quas pressius exponendi occasiones saepe nacti sunt moralistae; internationalesque conventiones approbarunt; quinimmo homines earum profunde sibi sunt conscii. Persuasum habere debent singuli tanto magis huiusmodi leges esse observandas quanto hodierna bella ad ampliores ruinas deducant.

Tacere non possumus quin in primis revocemus tormenta, mutilationes, obsidum arreptiones, comprehensiones arbitrario modo factas, vulneratorum et captivorum et neutram partem sustinentium caedes, offensiones erga dignitatem personarum, destructionem, etiam ad tempus, personalitatis psychologicae aut moralis, crimina esse quae legi Dei adversantur. Nemini licet dare vel exsequi mandata quae ad huiusmodi actus ducant, posito quod ubi violatio legis non patet, praesumptio iuris auctoritati competenti sit agnoscenda. Sed omnium est, cum rectorum tum mandata exsequentium, invigilare ut tanta scelera peragi nequeant.

Compatientes colimus omnes quos bella oppresserunt. Deus, qui suos agnoscere novit, tota amoris sui virtute illos intuetur et auxilia ad salutem necessaria non denegat (Const. *Lumen Gentium,* n. 16) his qui pro nobili fine se devoverunt, pro patria ac pro pace. *Ratio*: hic novus modus scribendi paragraphum intendit in unam paragraphum colligere omnia quae dicta sunt de modo bellum gerendi (praeter strategiam adversus civitates).

Praeterea advocatur lex internationalis necnon conscientia hominum, quod inducit ius naturale.

Quae de tormentis dicuntur, in textum includuntur; quae autem circa « obiectionem conscientiae » versantur, sufficienter videntur enuntiari in ultima periodi § 92, quae tam sic dictae « non-violentiae » quam « obiectioni conscientiae » congruunt.

N. 99, pag. 78, linn. 25-28, transferatur textus a verbis « Sane nationes ... errorum humanorum », ad lin. 43, post verba: « fiduciam mutuam supponunt ».

Deleatur periodus quae sic incipit: « Attamen omnibus ... » et absolvitur: « status pacis vocari potest » (linn. 28-31). *Ratio*: *a*) ut colligantur affirma-

tiones quae eamdem materiam respiciunt; *b*) periodo amotae substituitur alia clarior.

N. 99, pag. 78, lin. 33, post verbum (monstrueux), addatur: Etenim ex una parte, stabilem efficit rerum statum cuius aequitas a priori nullo modo probari potest; et ex altera, si quacumque de causa tunc conflictus oriretur. *Ratio*: haec additio per se patet.

N. 99, pag. 78, lin. 35, mutetur verbum « etiam » in verbum « denique ». *Ratio*: ob stylum.

N. 99, pag. 78, lin. 37, post verbum: « nunquam adhibentur », addatur: « Quasi eximia scientiarum inventa ad nullum alium finem tendant ac hominum detrimentum ». *Ratio*: per se patet haec additio.

N. 99, pag. 78, lin. 43, post verba: « fiduciam mutuam supponunt », transferatur textus a lin. 25 ad lin. 28: « Sane nationes ... haereditas errorum humanorum »; et deleatur periodus: « Beneficia huius asperi status, si adsunt, valde precaria sunt » (pag. 78, lin. 43 ad pag. 79, lin. 1). *Ratio*: ut colligantur affirmationes quae eamdem materiam respiciunt: quod attinet ad amotam periodum: reduplicat quae iam dicta sunt linn. 33-35.

N. 99, pag. 79, linn. 4-6, deleantur verba: « et ideo nemo ... in eam locando », eisque substituantur sequentia: Nemo enim arbitrari potest talem rerum condicionem aequandam esse cum illa quae merito pacis nomine nuncupatur. *Ratio*: per se patet haec mutatio; et periodus quam proponimus in unum colligit tam textum qui legitur pag. 78, linn. 28-31, quam verba suppressa.

N. 100, pag. 79, linn. 27-34, deleantur verba: « Patet igitur ... » usque ad « in se illegitima », eisque substituantur sequentia: Quae non evenient, nisi nationes, statim ac rerum adiunctis licebit, annuent quod imponatur limitatio supremae suae potestatis circa rem militarem, eo modo quo iam faciunt circa rem oeconomicam. *Ratio*: Suppressio periodus iterat quae iam dicta erant in praecedenti paragrapho; et substituta per se patet.

N. 100, pag. 80, linn. 1-2, deleantur verba « auctoritatis internationalis existentis » eisque substituantur sequentia: instantiarum ad lites componendas existentium vel creandarum subiiciant.

Postea, addatur: Quod attinet ad milites qui nuntium nostrum legent, non dubitamus quin sensus generosi quibus impulsi sunt ut in nationis propriae obsequium sese impendant, eos ut sint etiam, sicuti saepe fuerunt, inter optimos pacis ministros, adducant. *Ratio*: formula in schemate adhibita constituere videtur approbationem organismi quem vocant O.N.U. et ceteras praetermittit internationales instantias (v. g. tribunal Hagense). Ad addita quod attinet: per se patent.

N. 101, textus novus post par. 100 inducendus: (*Quidam spirituales profectus*) Sed quaevis politica solutio, quantumvis perfecta, nequit semper et ubique pro omnibus casibus efficaciam habere, nisi homines, omnes dicimus homines, mutuis conatibus ad bonum commune totius humanitatis adlaborent. Bella quae mundum universum oppresserunt, homines adduxerunt ut conscii

fierent quantopere sibi invicem essent coniuncti. Huiusmodi sensus dilucidus esto, neque verbis tantum exerceatur. Non tolletur bellum eo quod vel nonnulli tentabunt a violentia mentem avertere, vel aliquis universalismus ideologicus optabit ut novum genus humanum efficiatur quod diversitates excludat.

Salva existentia munerum proprie politicorum, oportet ut homines et communitates ad quas pertinent, non recusent seipsos inspicere et seipsos invicem perspicere secundum veritatem. Non negantes valores quos praeseferunt, at eos perficientes in omnium commodum, communitates nationales praeterire proprias particularitates debent, ut permagni habeant bonum commune totius humanitatis.

Haec requirunt cooperationem in ordine technico, mutua commercia in ordine oeconomico et culturali, progredientem organismorum internationalium statum, uti Summi Pontifices et hoc ipsum Concilium in lucem iam protulerunt. Haec etiam requirunt, ultra munera in campo temporali necessaria, aliquod munus spirituale quod omni homini cum vivendi rationes tum dignitatem praestabit.

Ratio: haec nova paragraphus controversiam extollere intendit: nam institutionibus internationalibus stare, ni oblivionem adducit pacem opus esse Christi, et in mentem inducit pacem ex quodam « pactu sociali » (un contrat social) oriri; quod naturalismum redolet.

N. 102, pag. 80, lin. 35, loco: « vi missionis divinae », dicatur: Propter missionem divinam, Ecclesia ... *Ratio*: ob stylum.

N. 102, pag. 80, linn. 36-37, loco: « promovere studet », dicatur: Magis magisque promovere intendit ... *Ratio*: minus de eis quae fecit Ecclesia quam de eis quae facere intendit curat mundus.

N. 103, in fine paragraphi, addatur per modum conclusionis: Hoc modo agnoscetur indoles spiritualis communitatis humanae. Historia qualis evolvitur, et qualem eam facimus, nihil aliud est nisi via qua, per Passionis angores, et movente Spiritu, augetur Corpus Christi a mortuis suscitati. « Omnes insimul et unusquisque pro sua parte mundum fructibus spiritualibus alere debent (cf. *Gal.* 5, 22), in eumque spiritum diffundere, quo animantur illi pauperes, mites et pacifici, quos Dominus in Evangelio beatos proclamavit (cf. *Mat.* 5, 3-9) » (Constit. *Lumen Gentium,* n. 38).

Ratio: optamus ut quadam conclusione claudatur praesens capitulum, et occasionem nanciscamur afferendi constitutionem *Lumen Gentium,* ut maior unitas appareat in laboribus Concilii.

[*Subscripserunt etiam*] G. Jacquot, ep. Gap.; G. Guibert, ep. Réunion; Ch. de Provenchères, arch. Aix; H. Varin de la Brunelière, ep. Fort-de-France; A. Marie, ep. Cayenne; G. Béjot, ep. tit. Cassandria; A. Charles de la Brousse, ep. Dijon; M. Rigaud, ep. Pamiers; A. Atton, ep. Langres; B. Alix, aux. Le Mans; P. Gouyon, arch. Reims; J. Guilhem, ep. Laval; H. Donze; G. Barthe, ep. Toulon; R. Johan, ep. Agen; R. Piérard, ep. Châlons; Cl. Dupuy, arch. Albi; A. card. Liénart, ep. Lille; H. Dupont; J. Vincent, ep. Bayonne; G. Matagrin, aux. Lyon; J. J. Weber, arch. ep. Strasbourg; J. Ménard, ep. Rodez; J. Goupy, ep. Blois; F. Marty, arch. Reims.

12

EXC.MUS P. D. MICHAEL BALAGUER
Episcopus tit. Castellominoritanus

N. 100. Es inútil buscar la disminución de los armamentos si no se propicia una fórmula práctica que haga efectiva esta disminución, y que prácticamente haga que las naciones no estén en pie de guerra.

Una fórmula podría ser el que sólo el Organismo Internacional que tiene la misión de tutelar la paz pueda fabricar armamentos y distribuirlos a las naciones en la medida de sus necesidades no guerreras, sino para mantener la paz interna.

Con esto se evitarían también las guerras civiles pues los revoltosos no encontrarían armas.

Si se permite fabricar armas y su libre venta nunca se alcanzará el desarme y los ambiciosos y prepotentes siempre podrán ser una amenaza para la paz.

Propongo que el Concilio propicie ésta u otra fórmula efectiva para alcanzar el desarme.

13

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Ad cap. V, pag. 75-76, n. 96. Cum in hoc numero neque aliqua principia neque doctrina traduntur sed solummodo generalis exhortatio, mihi videtur sine ullo detrimento hunc numerum omitti posse.

Quod autem in eodem numero de atrocitate bellorum nostri temporis dicitur, est commune omnibus temporibus. Meminisse iuvat sortis Ierusalem paucis annis post mortem Creatoris, invasiones saracenorum et aliorum ex Asia in Europam. Modus tractandi captivos et civiles tempore belli 1914-1918 fuit valde humanus comparatus cum illis, quae in traditione praeservantur apud populum de invasione suedorum, bello napoleonico etc. ex praeteritis saeculis. Etiam ex ultimo bello meminisse iuvat differentiam inter exercitus et nonnulla gubernia. Ex parte exercituum quantoties civiles potius iuvati, quam molestiis affecti fuerunt. Gubernium vero communisticum Russiae quales atrocitates multoties ante bellum perpetravit, idem fecerunt tempore belli et faciunt post bellum. Item gubernium nacionalsocialisticum Germaniae quale fuit ante bellum, tale remansit et tempore belli. Atrocitates nostrorum temporum non tam bellis quam spiritui gubernii attribui debent.

Ad pag. 78, n. 99. Non est contra rationem habere arma, quae nunquam adhibita sunt, si hoc est efficax remedium multos a malo cohibere et avertere. Possumusne affirmare esse contra rationem custodem publicum habere arma, quibus neminem occidit vel laesit, multos autem praecavet a tentatione malum faciendi? Ceterum hic dicta contradicunt dictis in n. 100, linn. 31-33.

Ad pag. 80, n. 101, lin. 25. Quod dicitur de servitio militari, potest esse opinio personalis, nullo tamen modo potest pronuntiari uti regula nomine totius Ecclesiae et uti doctrina Ecclesiae (omnia enim Decreta habebunt hunc characterem). Si hoc dictum de servitio militari relinquatur uti in schematis textu sonat, aperiet viam omnibus egoistis, proditoribus et omnibus malae voluntatis individuis « doctrinam Ecclesiae » in suum favorem invocare. Rectam vero conscientiam habentes, amantes patriam uti decet honesto civi tali dicto non erunt aedificati. In schemate *de libertate religiosa* dictum est de competentia gubernii civilis contra « conscientias » contrarias ordini et bono publico.

Si in schemate remanebit sententia de conscientia excusante a servitio militari, necesse est ponere conditiones, ut talis conscientia recta vocari possit.

Ad n. 101, lin. 30. Quod continetur in sententia: « Denique etc. » omnino reiciendum puto, cum hoc malum sine comparatione minus est, quam occisio vel physica mutilatio. Media s. d. psychologica et similia sunt humaniora, quam arma destructionis physicae.

In genere in hoc schemate de quaestionibus politico-technicis melius deficere quam abundare affirmando aliquid, contra quod non pauca fundate in contrarium dici possunt. In schemate ponenda sunt principia, ratiocinia vero possunt exprimi ab unoquoque variis aliis modis et proprio nomine, non vero nomine totius Ecclesiae docentis.

14

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congr. Angliae O.S.B.

N. 98, linn. 13 ss. Loco huius phraseos ponatur: « Sic adloquendo christianos et omnes homines bonae voluntatis, nullo modo volumus nos ingerere in rebus quae propriae ab auctoritate civili pendent, sed secundum mandatum evangelicum nobis commissum media investigare quibus, Deo adiuvante, mala notissima huius temporis superari possint ». *Ratio*: Ecclesiae est non tantum limites ostendere sed vias pacis aperire.

N. 101, linn. 15 ss. Addatur haec: « Probandi autem et aestimandi sunt ii qui, neque iniustitiae passive se resignantes neque iniustitiam vi repellere volentes, malunt aperte sed pacifice iniustis oppressoribus resistere, ita tamen ut vindictae se exponant. Sic enim faciendo, conscientiam hominum provocant et manifestant leges ita mutandas esse ut bono communi aptius provideatur ». *Ratio*: hic modus agendi est positivum alternativum ad vim vi repellendam; et multos fructus iam antehac tulit.

Ibid., linn. 27 ss. Addatur: « Qui autem tali lege a militia excusentur, necesse est ut servitium aliquod civile et ad pacem inserviens suscipiant, sicuti est belli victimas labore sustinendo etc. ». *Ratio*: obiectores conscientiae non sint nec se sentiant exempti a civili cooperatione in re pacifica.

15

EXC.MUS P. D. ANTONIUS CARDOSO CUNHA

Episcopus tit. Barenus in Pisidia, aux. Beiensis

In nostro schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* in ultimo capite, agitur de communitate gentium et de pace promovenda.

Ecclesia Christi, sponsa illius qui Princeps pacis a prophetis annuntiatus est, non potest non loqui, praesertim hoc tempore in quo genus humanum in periculo est ut penitus a novis et valde mortiferis armis deleatur.

Semper Romani Pontifices promoverunt pacem inter populos. Meminerimus, venerabiles Patres, ultimos Pontifices qui in Cathedra Petri sederunt: Pium X qui excruciatus mortuus est in praevisione primi belli mundialis; Benedictum XV, principem pacis cognominatum; Pium XI, qui omnia fecit ad ultimum bellum vitandum; Pium XII, qui inter ruinas et lacrimas a bello accumulatas, eloquentissime vocem suam semper extulit ad pacem promovendam; Ioannem XXIII qui *Pacem in terris* scripsit. In omnibus opportunitatibus, Pontifex noster Paulus VI, de pace loquitur inter gentes, et nunc Organisationem Nationum Unitarum visitat certo certius ut pacem foveat. « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem evangelizantium bona »! (*Rom.* 10, 15).

Itaque Concilium nostrum potest et debet de magno problemate pacis loqui. Multa et pulcherrima in hoc capite dicuntur. Liceat tamen mihi aliquas animadversiones facere de his quae minus recta et exaggerata videntur. Omnia hic cum immodico optimismo scripta sunt et valde longe a tristi realitate et sic inducere possumus homines nostri temporis, fideles et non credentes, in spem nimis utopicam pacis.

De fraternitate universali et *de liberatione servitutis belli* loquitur tamquam de rebus quae facile ab hominibus obtineri possint. Sine dubio, omnes conatus facere oportet ut bella et odia inter homines extinguamus. Peccatum originale et eius consequentiae semper erunt in origine discordiarum usque ad finem temporis. Audiamus Paulum de interiori certamine deplorantem: « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati quae est in membris meis » (*Rom.* 7, 23).

Affirmatur quidem in textu existentia peccati originalis et existentia bellorum usque ad secundum adventum Domini, sed tales affirmationes non cohaerent cum stylo idealistico expositionis.

Pius X et Pius XI omnia fecerunt ut impedirentur primum et secundum bellum mundiale et tamen verba et animadversiones eorum non audita sunt ab hominibus, furore bellico possessi. Ecclesia verba pacis ad homines dicit sed multis in casibus solummodo ei restat ut, sicut Christus coram civitate sancta Hierusalem, ploret et dicat: « Quia si cognovisses et tu et quidem in hac die tua quae ad pacem tibi nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis » (*Luc.* 19, 42).

Magna fiducia ponitur in associationibus internationalibus quae vere sunt maxima utilitate. Sed hae benemeritae organisationes frequenter inveniunt insuperabiles difficultates in exercitio suae activitatis. Magnae potentiae, pondere suae potestatis abutendo, dictant non raro decisiones iuxta convenientias earum. Experientia nos clarissime docet.

Quomodo autem creari possit aliqua societas internationalis, potestate effectiva dotata ut prompte et iuste dirimat discordias inter nationes, nescio. Idea est pulcherrima sed difficillime ad ordinem practicum transire potest.

Non mihi placet distinctio et separatio inter ea quae de bello sic dicto *totali* dicuntur in 98 et ea quae in n. 101 scribuntur de bellis minoribus. Ne obliviscamur quod magna bella semper de parvis quaestionibus et conflictibus orta sunt.

N. 98, *de ratione politica demographica,* melius esset in cap. I *de dignitate matrimonii et familiae fovenda.* Si incrementum populationis in aliquibus nationibus periculum constituit pro pace, hoc dicatur breviter et remittendo ad caput primum.

Forsitan hoc caput *de pace promovenda* scriptum est eo fine ut impressionem faceret apud homines bonae voluntatis qui extra Ecclesiam sunt et generose et ardenter pacem in mundo desiderant. Nuntium pacis faciamus qui respondeat expectativae et desideriis horum hominum bonae voluntatis. Sed nequidem nimis dicamus sed tantum ea quae in caritate et veritate dicere possumus.

16

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

N. 90, pag. 72, lin. 1. Sic compleantur: « ad obtinendum ordinem moralem, oeconomicum, socialem et politicum etc. ». Sine ordine morali, ceteri ordines parum vel nihil valent ad pacem.

N. 91, pag. 72, linn. 26-28. Loco « Bonum commune ... decursu temporum incessanter mutationibus concretis subiicitur » dicatur: « Bonum commune ... decursu temporum incessanter mutantibus applicationibus concretis subiicitur ». *Ratio*: bonum commune in se est immutabile; mutantur e contra eius applicationes concretae.

N. 93, pag. 74, lin. 33. Loco « cum omnimoda honestate ex altera » dicatur: « cum omnimoda honestate et cum gratitudine ex altera ». Nam haud raro nationes quae generose adiuvantur nullam gratitudinem, immo odium servant relate ad nationes adiuvantes.

N. 94, pag. 75, lin. 4. Loco « qui maiorem vim in alios exercent » dicatur « qui maiorem influxum in alios exercere possunt ».

N. 95, pag. 75, lin. 27. Loco « etiam ipsis fortunis, non tantum superfluo suo » dicatur clarius: « non tantum de superfluo, sed et de suis ipsorum bonis ».

N. 97, pag. 76, lin. 32. Loco « ad rectam et vere humanam officii conscientiam in respectu Legis divinae et consideratis adiunctis rerum ac temporum humanis excolendam » dicatur simplicius: « ad rectam et vere humanam officii conscientiam in respectu Legis divinae (...) efformandam ». E textu videretur posse concludi quod consideratio adiunctorum rerum ac temporum possit modificare respectum Legis divinae. E contra respectus Legis divinae debet semper praevalere cuicumque considerationi adiunctorum rerum ac temporum, nisi haec adiuncta intrent iam tamquam conditiones in ipsa Lege divina.

Pag. 77, lin. 4. Loco « per omnimoda subsidia » clarius dicatur « per cuiusvis generis subsidia ».

Pag. 77, linn. 4-8. Totum comma mihi videtur ita emendandum: « De progressibus scientificis tamen quorum firmitas bene probata sit, et de quorum honestate habeatur moralis certitudo, homines, si res id postulent, certiores fiant ». Loco « sufficiens certitudo » dicitur « moralis certitudo », quod clarius videtur et obiective securius.

N. 98, pag. 77, lin. 18. Loco « quae indiscriminatim pertinet » dicatur « quae indiscriminatim pertineat ». Loquimur enim hypothetice.

Pag. 77, linn. 21-26. Tota haec pericopes maximi est momenti doctrinalis, quia iudicium fert in vexata quaestione de bello eiusque condicionibus. Unde singula verba sunt omnino perpendenda. E contra in textu invenio quasdam incertitudines: a) illae tres condiciones sumendaene sunt copulative an disiunctive? In hoc secundo casu dicendum esset: « vel respectus ... vel proportionalitas ... vel omnis possibilitas etc. »; *b*) in prima condicione mihi clara non sunt illa verba « ac bonorum actione bellica laesorum »; quaeritur enim de quibus bonis (materialibus an spiritualibus) agatur, sintque haec verba cumulative an disiunctive sumenda a superioribus verbis; *c*) in secunda condicione, verba « sequelas actionis violentae inceptae » ad quemnam sese referunt, ad legitime bellantem an ad adversarium eius?

Conclusio: textus debet denuo ad trutinam revocari ita ut omnes ambages auferantur, cum agatur de re momentosissima.

Pag. 77, linn. 27-34. Etiam totum hoc comma, cum difficilem aggrediatur quaestionem, ad trutinam revocandum est. Legenti enim statim occurrit quaestio: licetne atomicae aggressioni respondere atomicis armis? Ex textu videretur quod defensio atomica sit crimen obiectivum. At si ita, nonne mundus totus in dominium deveniret delinquentium et effrenatorum hominum arma atomica habentium?

N. 100, pag. 79, lin. 28. Loco « et ad eos puniendos qui ordinem pacificum internationalem perturbant » dicatur: « et ad eos impediendos et puniendos qui ordinem pacificum etc. ». *Ratio*: ad nihil valeret illos punire, nisi possint impediri.

N. 101, pag. 80, linn. 22-27. Totum comma, quod agit de sic dicta obiectione conscientiae, mihi videtur auferenda. *Rationes*: a) est quaestio libere disputata inter theologos; expedit ut Concilium talem eam relinquat; *b*) « obiec-

tio conscientiae » aut est iusta aut non. Si iusta, Concilium non deberet dicere « sat conveniens videtur » (lin. 22) sed deberet statuere praeceptum. Si autem non est iusta, aut est dubia, Concilium sileat et relinquat potestati civili solutionem dare. Ad summum posset dicere: « auctoritas civilis legitime potest, si vult, legem positivam concedere pro obiectoribus »; *c*) in textu nulla fit distinctio inter servitium militare tempore pacis (quando ne ... avis quidem occiditur a militibus) et servitium tempore belli.

Pag. 80, lin. 31. Sic compleantur: « perversa existimanda sunt instrumenta vel actiones quae destructionem etc. ». *Ratio*: aliquando, nullis adhibitis instrumentis, sed sola defatigatione aut continua suggestione verbali destruitur personalitas adversarii.

N. 102, pag. 81, linn. 15-19. Sic proponitur emendatio: « In eiusmodi formatione et actione christianorum principalis sollicitudo pertinet ad sacros Pastores: summum enim munus quod (...) in tota Ecclesia gerunt, etiam ad officia iustitiae et caritatis, praesertim a christianis in commodum omnium implenda extenditur ». *Ratio*: inter sacros Pastores evidenter primus adnumeratur Successor Petri.

N. 104, pag. 82, linn. 12-15. Sic emendentur: « Ad episcopos itaque variarum regionum, iuxta suum prudens iudicium, cooperantibus quidem clericis ac laicis cuiuscumque territorii, spectabit ut eam magis determinent atque explicent etc. ». *Ratio*: non enim ad clericos aut laicos potest spectare magis determinare et explicare doctrinam Ecclesiae hac in re. Clerici et laici poterunt utique cooperari.

N. 105, pag. 83, linn. 14-24. Ista exhortatio ad caritatem intra septa Ecclesiae dicit quidem res veras ac optimas. Sed non est hic locus: hic enim Ecclesia colloquitur cum mundo ad extra! Ergo tota pericopes supprimatur.

17

Exc.mus P. D. ALFREDUS CAVAGNA

Episcopus tit. Tianus

L'argomento della pace è di tale eccezionale importanza che proprio agli uomini d'oggi va presentato in una visione completa.

Lo schema mette nel suo giusto valore la gravità del pericolo di una guerra e insieme cerca di presentare tutti i mezzi per assicurare una vera pace. Sollecita che tutti si formino una coscienza comunitaria che li impegni personalmente a togliere i disagi dei fratelli sofferenti, a promuovere e partecipare con ogni mezzo le istituzioni che possono assicurare una pace tranquilla e duratura.

Suscita tuttavia meraviglia che nello schema si lascino un po' troppo dimenticare le conseguenze del peccato: anche S. Ecc. Mons. Philbin, Vescovo Irlandese, lo ha fatto notare al Concilio.

Verissimo che non si tratta di una costituzione dogmatica, ma semplice-

mente pastorale e che assume quasi l'aspetto di un « Nunzio » che vuol parlare e giovare indistintamente a tutti gli uomini di buona volontà, indipendentemente dalla loro origine, stirpe e professione religiosa, usando un linguaggio che tutti possono comprendere e apprezzare anche se oggi i cristiani rappresentino quasi una minoranza nel complesso sociale. Ma questo non diminuisce, anzi aumenta l'importanza e responsabilità di questa costituzione; è un messaggio di un Concilio al mondo d'oggi ma segnerà una data storica, sarà ricordato anche in seguito per la sua decisiva importanza.

Non si deve quindi permettere, che si possa trovare una palese contraddizione fra quanto si dichiara in queste pagine e quanto è sancito nella Costituzione *de Ecclesia* ove tutti sono chiamati ad appartenere al popolo di Dio e al cap. I *de principiis doctrinalibus* del decreto *de activitate missionali Ecclesiae*. Si rimane infatti sorpresi e incerti nel notare come alla luce dei principi cristiani messi in evidenza nei due citati documenti, non si dichiari come l'intervento della Chiesa alla soluzione dei problemi del mondo dipende dalla missione conferitale da Cristo che è venuto in terra per togliere il peccato. È vero che si deplorano le colpe che si impongono alla comune riprovazione come il divorzio, l'infanticidio, il razzismo ecc. ma sembra che si temi di esplicitamente affermare che la guerra è anche un castigo provocato dalle colpe degli uomini.

Giustamente lo schema mette in risalto il male che produce l'ateismo, sia organizzato dal comunismo sia insegnato da una scienza superficiale, ma non può sfuggire anche ai non cristiani l'esistenza di un Dio, che se fa piovere sui buoni e sui cattivi, non dovrebbe rimanere indifferente davanti al moltiplicarsi di colpe, che anche in un settore umano, si devono ritenere offese a Dio e alla sua provvidenza, davanti ai quali la giustizia divina non può rimanere indifferente per lo stesso bene comune.

Il compito di responsabilità di cui parla lo schema, per il cristiano non basta si manifesti nei settori sopra accennati, ma deve comprendere anche l'impegno di illuminare i fratelli sulle conseguenze dell'offesa che si reca al Signore.

Tutto l'Antico Testamento lo conferma: e possiamo incontrarci in situazioni che facciano rivivere i tempi di Sodoma e Gomorra, della Torre di Babele, delle sconfitte e dell'esilio del popolo eletto.

Gesù stesso insegna questa verità: piange sui castighi che si preparano a Gerusalemme infedele e ne ammonisce le pie donne sulla via del Calvario; sotto questa luce annuncia la fine del mondo.

Il testo insiste sul dovere di ogni uomo di formarsi una coscienza sulle condizioni che si trovano in situazioni di inferiorità recando un concorso personale e aiutando validamente le opere suscitate in loro favore.

Insieme però va a tutti spiegato come il Signore non deve essere dimenticato e tanto meno offeso.

Ai cristiani si deve domandare che siano cristiani davvero: il loro motto di pace deve essere: « Non più il peccato: non più offendere il Signore ».

Forse anche nei sacerdoti si incontrano talvolta esitanze nel detestare il peccato: la sua realtà non va nascosta e non bisogna chiamarlo con altri nomi che finiscono col nascondere le sue tristi conseguenze. Purtroppo dove si è raggiunto un maggior benessere sociale, invece di mostrarsi più riconoscenti al Signore, i contatti con Lui diventano più rari e ingrati e ci si incammina più facilmente sulla via del male.

Il moltiplicarsi delle offese al Signore renderebbe meno efficace tutti i mezzi consigliati nel testo: Nisi Dominus aedificaverit domum in vanum laborant qui aedificant eam.

Se non si cambia rotta, se non ci si impegna a disarmare la divina giustizia, potrebbe bastare anche un solo malinteso fra le parti maggiormente interessate per suscitare la più micidiale delle guerre, senza che nessuna delle parti si sia reso perfettamente conto del male commesso. I tardi superstiti si affanneranno per scoprire il vero responsabile: in realtà è il Signore che confonde e castiga.

In nessuna maniera si vuole attenuare il bene che ne conseguirebbe se si riuscisse ad attuare quanto lo schema propone.

Si potrà osservare che il ricordare gli interventi divini non si fa che aumentare la trepidazione ormai tanto diffusa di chi già vive sotto l'incubo delle armi atomiche. Ma non si tratta di inutili e pericolosi allarmi, ma di aver sempre presente la sentenza divina: Initium sapientiae timor Domini; in questo clima di filiale timore ci si avvia a servire Deo in laetitia, con l'evitare il peccato e sempre più amare il Signore. Non si aumenta quindi l'incubo della guerra con queste riflessioni, ma si diminuiscono con l'invocare Dio come Padre misericordioso.

Di qui l'invito a tutti a pregare per la pace: il mondo va male, osserva già il Rosmini, perché non si prega. Nessuno di noi, Vescovi e Sacerdoti vorrà assumersi la responsabilità di tacere: piuttosto ci incoraggi l'invito sapiente dell'antico profeta: Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor iustus eius, et salvator eius ut lampas accendatur.

D'accordo il tono della costituzione deve essere incoraggiante, ma l'irenismo è più pericoloso, la verità presentata con cuore davvero pastorale susciterà in tutti le migliori riflessioni, e renderà pensosi gli spiriti di buona volontà il sapere che per ottenere le benedizioni del Signore sui promotori della pace e per evitare i suoi giusti castighi vi sono anime generose che non solo pregano, ma offrono sacrifici e la loro stessa vita per invocare la misericordia del Signore e ottenere il dono della pace.

In tal modo il messaggio di pace recato dal Santo Padre Paolo VI alle Nazioni Unite e così favorevolmente accolto porterà efficacemente i suoi felici risultati.

La Madonna, invocata Regina della pace, che anche a Lourdes e a Fatima ha già manifestato il suo cuore materno per la salvezza del mondo, otterrà dal suo Figlio divino la grazia tanto desiderata della pace.

18

EXC.MUS P. D. BERNARDUS M. CAZZARO

Episcopus tit. Pyrgensis, vic. ap. Aysênensis

In cap. V secundae partis, relate ad bellum haec est mea humilis sententia:

a) Simpliciter declaretur illicitum, per se, omne bellum, ablatis distinctionibus quae sunt in textu. Etenim bellum est in societate quod rixae et contentiones in individuo. Quae omnia sunt « opera carnis », ut tam clare docet apostolus ad Galatas (5, 15-21). Immo bellum est veluti acervum huiusmodi operae.

b) Pressius indicetur: defensio omnium iurium apud organismos internationales sit.

c) Concilium nostrum genuinam mentem Iesu Salvatoris exprimere tenetur. Ille enimvero docuit dimittere « septuagies septies » (*Mt.* 18, 21-22) fratribus peccantibus, et in Oratione dicere: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris » (*Mt.* 6, 12). Hoc valet pro singulis et pro omnibus, etiam pro nationibus. Si huc nondum pervenimus, non est ex natura rei, sed ex duritia cordis nostri.

Si haec positio accusaretur ut « pacificista », totum Evangelium mereretur similis accusatio.

d) Ceterum: Maximum ius hominis est ius vivendi. At quodcumque bellum, nostris praesertim temporibus, ad tuenda alia iura minora, pessumdat illud maximum ius vitae. Dat enim locum vehementissimae irae, quae subvertit rationem et ducit ad transgressionem mandati Dei: « Non occides ».

e) Concilium dicat mundo quod iam dixit, per Personam Summi Pontificis et coetum Patrum conciliarium qui Eum comitabantur, in consessu Nationum Unitarum (O.N.U.) Neoeboraci die 4 oct. vertentis anni. Alioquin textus noster erit vetus antequam nascatur.

19

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS CHARRIERE

Episcopus Lausannensis, Genevensis et Friburgensis

Relate ad nn. 102 et 103 de praesentia Ecclesiae in communitate internationali. Valde insistendum est, ut facit schema, in necessitate huiusmodi praesentiae. Quamvis Summi Pontifices, inde praesertim a Pio XII, multum laboraverunt ad hanc praesentiam procurandam et adiuvandam, adhuc multi, inter catholicos, collaborationem suam afferre negligunt. Rectissime ergo Concilium, etsi breviter, super obligationes hac de re insistit.

20

EXC.MUS P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Pag. 72, lin. 1: « ad (non « ab ») obtinendum ».
Pag. 73, lin. 29: « ad *hos* fines ».
Pag. 74, lin. 6: legere « nuntii », non « nuntiis ».
Pag. 75, linn. 11-12: dicatur « principio subsidiaritatis », vel inscribatur inter uncos expressio gallica: « principe de subsidiarité ».
Pag. 75, lin. 27: an intelligatur expressio « etiam ipsis fortunis »? Iam clarius esset si haberetur inversio phrasis: « ... mos fuit, non tantum superfluo suo, sed etiam ipsis fortunis ». Forsan: « etiam ipsa fortunatarum copia », vel « numarium copia »?
Pag. 77, lin. 9: « *te*terrima ».
Pag. 77, lin. 15: « propri*ae* ».
Pag. 79, linn. 2-3: « servat » loco « servet ».

21

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Octeriensis

Ad n. 102, pag. 81, lin. 18, addendum esset: « In quibus omnibus exsequendis Ecclesiae Pastores una cum fidelibus ex caritate Christi impulsi, operantur ut vera pax, quae caritatis est fructus, per rectas iustitiae et communis adlaborationis vias obtineatur ».

22

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Ad perficiendum et complendum schema haec proponuntur:
Pluries in nostris congregationibus Patres loquuti sunt de necessitate reprobandi, solemni documento, communismum. Nam, ubi potest, religionem persequitur; dignitatem humanae personae minuit vel destruit; spiritales et morales valores despicit vel impedit; multaque alia mala in ipsa ordinatione oeconomica affert, ita ut — ut palam est videre — post multos annos plenam decoctionem (vulgo: fallimento) habeat et clamorosum naufragium in ipsa ordinatione oeconomica consequutus sit et iisdem ad reprobata systemata redeundum est ad progressum praesertim in rebus agricolis ruri procurandum. Ex fructibus ita cognoscitur arbor: et fructus amari sunt in ordine morali et materiali ut omnibus patet.

Attamen ad bona materialia recte distribuenda, et *ad pacem constituendam,* videndae sunt et sedulo perpendendae conditiones quaedam quae adhuc in mundo sunt (praesertim in America Latina), quae conditiones simul cum communistarum theoriis reprobanda sunt censemus.

Neminem latet in talibus regionibus possessores bonorum paucissimos esse. Inter paucissimos terrarum dominos rarus invenitur qui verum agricolarum progressum curet technicis instrumentis et machinis. Rarissimus dominus invenitur qui habitationes disponat dignas hominibus, qui saepe vivunt in conditionibus vere primordialibus contra dignitatem et sanitatem familiarum. Scholae non raro desunt ob eamdem rationem, et magna pars populi in vera miseria versatur dum omnes conditiones naturales inveniantur ad ordinatum progressum et ad elevationem tenoris vitae, ut aiunt, procurandam.

Adnotare insuper praestat in praefatis regionibus religionem catholicam adesse, adsociationes catholicae, paroeciae, etc.

Verum est magna inveniri sacerdotum penuria, attamen spiritus populum informans absque dubio christianus manet.

Ergo ex una parte habetur conditio miserrima maioris partis incolarum, ex altera parte, actio Ecclesiae, etsi erronee, apparet incapax ad mala socialia sananda.

Non raro praedivites homines praesentantur, vel saltem apparere (proh dolor) volunt, Ecclesiae benefactores, donationes quasdam Ecclesiae tradendo, vel ad festivitates sacras (quae saepe nimio externo fastu celebrantur) concurrendo. Putant ita officiis iustitiae et caritatis satisfecisse.

Ad pacem ergo construendam et firmandam nobis videtur: necesse est clarissimis verbis et aperta voce reprobare systema vexatorium communistarum quod libertatem destruit, et dignitatem humanae personae laedet, ad mundum meliorem, ut dicunt, parandum et ad progressum operariorum et pauperum procurandum; sed, validiore voce, et clarioribus verbis, oportet alte adfirmare reprobationem systematis socialis quod in latifundo, ut aiunt, fundatur. Ecclesia mater, nequit talem evidentem iniustitiam socialem adprobare, et miserorum conditio clamat vindictam a Deo, dum talis iniusta conditio facilem sternit viam ad communismum.

Ita Ecclesia, quae iustitiam et pacem fovet, reprobando extrema systemata capitalismi et communismi, verum bonum populorum promovebit et non amplius ansam adversariis praebebit dicendi imperialistico et capitalistico mundo ipsam Ecclesiam esse addictam.

Sit ergo coniuncta declaratio qua invitantur homines responsabiles communisticae regionis ad dignitatem et libertatem restituendam hominibus, itemque divites materialistae aliarum nationum invitentur ad praecepta evangelica et sociologiam catholicam in actum deducenda, ne fertile terrenum communistis praeparetur et ne pax ex iniustitia aliquorum periclitetur. Nam « fructus iustitiae pax » ait S. Iacobus.

23

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

Mi permetto inviare una considerazione circa il cap. V del suddetto Schema: « De communitate gentium et de pace promovenda ». Scrivo in italiano per maggior precisione e chiarezza, trattandosi di argomento contemporaneo.

In tale Capitolo non si parla della così detta *guerra economica.* Una delle forme di essa sono le « sanzioni economiche », che se attuate lealmente e fermamente possono alla fine aver efficacia decisiva pur senza le conseguenze orribili delle armi moderne. Ma la « guerra economica » può avere svariate e molteplici altre forme, quante può inventarne l'ingegno umano nella sete del denaro; e implica problemi morali assai gravi e complessi.

Adduco un esempio. È noto che le grandi Nazioni occidentali (U.S.A.; Canada; Inghilterra; Germania West, ecc.) hanno ingenti rapporti di affari con l'U.R.S.S., a cui forniscono grano ed altro. (Si sa che i Liberali della Germania West si opposero ad Adenauer perché non volevano rompere i loro affari con la Germania Est, come pure avrebbe giovato per imporre una soluzione a quei gravissimi problemi!). Se questi rapporti di affari, se questi rifornimenti cessassero, certamente l'U.R.S.S. si troverebbe in difficoltà; e con estrema probabilità finirebbe per non poter più dedicare somme enormi per la produzione di armi atomiche, per voli interplanetari ecc. ecc. E così potrebbe cessare — o almeno attenuarsi assai — l'asserito bisogno di ricorrere al mostruoso « aequilibrium terroris ».

Ma la cessazione di questi affari e di questi rifornimenti importerebbe un grosso sacrificio economico alle Nazioni occidentali. Anzi proprio la fine o l'attenuarsi dell'« aequilibrium terroris » importerebbe ancora gravi sacrifici per la necessaria conversione dell'industria di guerra in industria di pace. Come suol dirsi, se invece della guerra « scoppiasse la pace », si determinerebbe una grave crisi industriale.

Ora si pensi alla mostruosità di questo fatto: che una Nazione direttamente o indirettamente fornisca mezzi a una Nazione rivale in modo che questa possa armarsi contro di essa; e ciò al solo scopo di difendere ed accrescere l'agiatezza dei propri cittadini: agiatezza che è orribilmente stridente con le condizioni della maggior parte dell'umanità; agiatezza dovuta precisamente a queste forniture e alla conseguente asserita necessità di produrre armi infami per conservare l'equilibrio del terrore.

Soltanto la Chiesa possiede il rimedio a questi orrori: l'uso ordinato dei beni terreni, non in danno del prossimo ma anzi subordinato al bene degli altri; anzi cautela e distacco dai beni terreni contro l'inclinazione — conseguenza del peccato originale — a far di essi il nostro ultimo fine.

Oso pregare istantemente che a tutto questo argomento della guerra eco-

nomica, in tutte le sue forme, e dei rapporti economici, si dedichi profonda attenzione, ricorrendo anche a dati economici e tecnici che attraverso i Periti non deve esser difficile avere e approfondire.

24

Exc.mus P. D. IOANNES DE CAMBOURG

Episcopus tit. Eutymensis, aux. Bituricensis

N. 94, pag. 75, lin. 4: « qui maiorem vim in alios exercent ». Dicatur potius « qui responsabilitatem detinent ».

N. 96, pag. 76, linn 8-11: « Ardua condicio... solvi potest » deleantur, quia iam dictum est in n. 94 *b*).

N. 98, pag. 78, lin. 4: post « aptum esse ad violata iura sarcienda », optarem ut addatur: « et ad iura in graviore periculo constituta tuenda ».

N. 99, pag. 79, linn. 8-9: maluerim ut dicatur « quod occasionem praebet ut homines, in hoc horrendo et imminenti periculo, controversias suas omnino sine mora, modo homini digno componere queant ».

25

Exc.mus P. D. GEORGIUS MARCUS DE OLIVEIRA

Episcopus S. Andreae in Brasilia

N. 93, lin. 16. Causae malorum homines vexantium non satis analysantur. In capite de communitate populorum non solum affirmare debetur quod aliqui populi « etiamsi contumaciter laborentur, fame et miseria cruciantur », sed monstrandum est causas et modos tyranni abusus qui hoc drama procreat.

N. 99, pag. 78. Tractatus de aedificanda pace, praeter lamentatione de habitudine quae populos aequilibrio terroris stringit, adhuc propugnare debet diremptum contentionum per abolitionem causarum eas provocantium.

De suggestionibus aliquibus. Si schema denuo scribi potest, duas partes habeat: prima pars sit nuntium christianis universi orbis terrarum; secunda sit nuntium omnibus hominibus bonae voluntatis.

Nuntium christianis indicet conscientiam Ecclesiae, ordinatam a Christo ad amorem Dei et hominum, in fidelitate Sancto Spiritui. Fidelitas Deo sine fidelitate hominum concipi non potest. Idem de fidelitate homini dicatur, quae sine fidelitate Deo non exsistit.

* * *

Schema XIII, in actuali compositione, monstrat christianis, problematibus mundi solutionem quaerentibus, viam qua sint Deo fideles. Talis fidelitas magis

de Theologia Biblica se nutrire debuerit. Tamen venturo schema XIII opus erit christianis indicare quo modo fidelitas homini exprimitur.

De fidelitate homini. « Fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae haec cogitate ». *Phil.* 4, 8.

Oportet Concilium christianos verbis Pauli memores facere, ut illi, non iuxta mundum, sed cum mundo iter conficientes, partem in vita mundi habere possint.

1. Partem habere in vita mundi idem est ac evehere necessarias mutationes, quasi servitium Deo proditum. Nam Deus, inde a Creatione, hominibus hoc munus commisit: « Replete terram et subiicite eam » (*Gen.* 1, 28).

Hodie humanum genus reliquit empiricum ordinem pro rationali, manufacturam pro industriali. Secundum Theillard de Chardin, finita est aetas neolitica, scientifica incipit novam faciem societati conferens. Etenim, nos testes sumus de eruptione demographica et de dilatatione spatiali, de progressu « urbanizationis » et de ortu socialisationis, de revolutione automationis et de acceleratione temporis.

2. Partem habere in vita mundi est communicare cum eo infortunia eum opprimentia. Est ire simul cum omnibus victimis omnium bellorum, cum omnibus carcere clausis, cum esurientibus omnium nationum, cum contemptis omnium stirpium, cum omnibus victimis abusus, obviam Christo qui praesens est in homine, sed speciatim in pauperibus et sufferentibus, et, secundum mentem Apostoli Pauli, fieri omnia omnibus, particulari modo, infirmus cum infirmis.

3. Partem habere in vita mundi idem est ac spondere certamina ab eo sumpta. Certamina illa contra plures adversarios, scilicet, odium « raciale », abusum oeconomicum, bellum nucleare, oppressionem ideologicam fiunt. Saepe pugnae illae a non christianis inspirantur et sustinentur. Christianis opus est fateri conscientiam humanam prius quam christianam evolutam esse de eis quae ad humanum genus attinent. Magnopere refert christianos laetari quia omnis qui contra Christo non est, pro Cristo est.

4. Partem habere in vita mundi idem est ac veras « aestimationes », quibus adhaeret, causa propria liberationem et promotionem acceptare.

Hodiernus mundus scit felicitatem possibilem non esse, sine reverentia dignitatis et libertatis unusquisque hominis, et sine collectivo conatu coexsistendi in solidarietate et fraternitate.

Christianis opus est invenire in iis humanis « valoribus » inspirationem Illius qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et venit in terram « ut omnes habeant vitam, et abundantius habeant ».

Nuntium Concilii hominibus bonae voluntatis sic exprimi potest: Vos omnes, qui veritatem et vitam quaeritis, veritatem rerum et hominum. Nos, onus Ecclesiae habentes, partem inquisitionis vestrae capimus, quia aeque ac vos, scimus homines facti sunt ad veritatem et ad vitam. Praeterea, credentes Deum veritatem et vitam esse, a Christo, Principio et fine universi, peti-

mus ut, simul ad veritatem proficiamus, et ad invicem vitam communicemus.

Vos omnes qui pro iustitia et pace luctam sustinetis, nos partem habemus in certamine vestro, quia aeque ac vos, scimus homines factos ad iustitiam et pacem. Praeterea credentes, Deum iustitiam et pacem esse, a Christo mortuo et resuscitato petimus, ut nos adiuvet ad iustitiam et pacem simul aedificandam.

Vos omnes qui ad unitatem et amicitiam adspiratis, nos partem habemus in adspiratione vestra, quia, aeque ac vos, scimus homines ad unitatem et amicitiam factos. Praeterea, credentes Deus Unitatem et Amicitiam esse, a Christo Iesu, Filio Dei et Unigenito novae Creationis petimus, ut nos omnes in Unitatem introducat, ut simul praegustemus laetitiam amicitiae.

Quia scimus Deum aliquando omnia in omnibus esse desiderare, a Spiritu Sancto petimus, ut huic nuntio det virtutem illam quae verbo Apostoli Petri, die Pentecostes.

26

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Pag. 72, n. 91, lin. 17, post: inclinationum, addere: inter se oppositarum. *Ratio*: quia ordo potest consistere in aequilibrio partium diversarum.

Lin. 20, post: conetur, addere: dum a lege revera protegatur: ita ...

Lin. 28, verbum: « concretis » deleatur, quia est inutile, et debet inter « ... » poni.

Pag. 73, lin. 15, post: impendebit, addere: « ; » vel: « , ».

N. 92, linn. 27-28, legere: tunc enim homo vere proficere poterit, si conditiones ei praebeantur vitam sub omni respectu vere humanam degere. *Ratio*: perfectio hominis ultimatim dependet a libera sua voluntate. Societas tantum praebet instrumenta et conditiones.

Lin. 41, pro: magis, legere: simul. *Ratio*: quia iustitia et fraternitas etiam non sufficiunt sine institutionibus.

Pag. 74, lin. 6, legere: nuntii et testes Evangelii ...

Linn. 6-7, loco: « Quocirca ... laudet, qui », legere: Ad hoc amoris, pacem nutrientis, testimonium conferre possunt illi homines, qui, datis circumstantiis ad iura sua ... *Ratio*: saepe actio non-violenta miscetur theoriis pacificis, non tam rectis, quas Ecclesia ut sic « laudare » non potest. Additur: datis circumstantiis, quia disputatur utrum talis actio sit semper ethice recta.

N. 93, lin. 27, legere: sed ut ...

Linn. 38-39, legere melius: conflictus, conceptuum et praxeos oeconomicorum. *Ratio*: systemata ut sic non existent in sua puritate.

N. 94, lin. 40, legere: progredientes.

Pag. 75, n. 95, linn. 34-35, si tantum hic de fratribus christianis loquimur, videtur restrictivum (cf. Decretum *de Oecumenismo,* n. 12). Aliquid addi posset n. 93, lin. 28 et iam cap. III, n. 84 vel 85.

Pag. 76, n. 97, lin. 35, post: « exigit » addere: Attamen cum in nonnullis regionibus adhuc in populo vigeant ignorantia et status deficiens familiae, auctoritas publica actionem suppletivam impendere potest, salvis normis moralitatis. Aliquando etiam solutio inveniri non potest in ambitu unius nationis. Quare ius ad emigrationem plene agnoscatur, excluso omni egoismo et praeiudicio nationalismi vel racismi. *Ratio*: quae in hoc n. 97 dicuntur aliquo modo realismo carent. Nam ex defectibus cognitionis et sanae institutionis familiaris, responsabilitas personalis est de facto impossibilis. At solutio urgens desideratur. Unde auctoritas publica supplere debet. Insuper, de facto numerus incolarum est excessivus in aliquibus nationibus. Nulla solutio videtur possibilis hic et nunc, dum remaneat conceptio falsa autonomiae cuiusque nationis (souveraineté). Problema solvi potest tantum si bonum commune universale ut norma vitae politicae agnoscatur.

Pag. 77, n. 98, lin. 17, legere: evangelicum illuminationis, unitatis ... *Ratio*: magisterii est docere.

Lin. 29, pro: atomicorum, rectius legatur: thermo-nuclearium et addatur: magnae potentiae. *Ratio*: non valet de aliquibus armis tacticis.

Post: peior est, addere: dum insuper ambitum (milieu) pro lungo spatio temporis et pro numerosis generationibus radioactivitate polluere possint, ipsum sacrum depositum geneticum speciei humanae afficientia. *Ratio*: clare exprimi debet effectus specificus talium armorum.

Lin. 32, legere pro: atomicae: thermo-nuclearis.

Lin. 33, verbum: « facile » deleatur. *Ratio*: obiective crimen damnandum est. Ne Concilium videatur fortitudine morali carere, praetextu « prudentiae » falsi nominis, loquela sit sine ambiguitate.

Cf. de hoc, recens declaratio S. S. Pauli VI pro anniversario Hiroshima.

Pag. 78, lin. 1, pro: Quamvis ergo, legere: Cum ex una parte, exhaustis ...

Lin. 2, pro: possit, legere: videatur; post: iura, addere: essentialia.

Lin. 3, pro: attamen, legere: ex altera parte.

Lin. 4, pro: fit, legere: appareat. *Ratio*: loco duarum affirmationum contradictoriarum, sic contradictio ostenditur esse obiectiva, in ipsa situatione.

Lin. 5, legere: clare apparent gravitas effectuum et immanitas ... *Ratio*: sic alluditur ad effectus radioactivitatis qui dari possunt ante exitum postremum.

Lin. 7, post: liberet, addere: eius malitiam moralem melius perspiciens, periculo. *Ratio*: quia ratio fundamentalis est ethica. Textus sapit pragmatismum. Immanitas belli est occasio naturam moralem belli melius perscrutandi. Bellum est reiciendum quia est malum, non tantum quia est onerosius.

Linn. 15-16, pro: atomicis, legere: thermo-nuclearibus ...

N. 99, linn. 25-26, deleatur verbum « concretas », quia est inutile.

Lin. 31, post: potest, addere: cum vera pax super fundamenta spiritualia, scilicet veritatis, iustitiae, amoris et libertatis reponatur. *Ratio*: valde dolendum est textum hanc doctrinam in « Pacem in terris » expositam ignorare. Forsan nova paragraphus ad hoc addatur.

Lin. 39, post: gignendis, addere: scandalose.

Pag. 79, lin. 1, post: « sunt » addere: quidquid sit de eorum moralitate.

Lin. 6, post: locando, addere: Insuper talis status secum fert nefaria consectaria quoad animum populorum, dum praesupponat aliorum contemptum vel odium, mutuam diffidentiam, superbiam et nationalismum, quas passiones non raro ab auctoritatibus publicis excitantur. Gravissime etiam peccant ii omnes qui lucri causa auctoritates ad arma acquirenda impellunt. *Ratio*: Aequilibrium terroris non est sine effectibus moralibus. Damnantur etiam hi qui ex tali statu lucrifiunt; bellum habet aspectum oeconomicum.

N. 100, lin. 36, post: superandae, addere: Ad hunc statum pacis adipiscendum progressive et per gradus procedendum est. *Ratio*: solutio realis solum progressiva esse potest. Cavendum ne Concilium accusetur utopismo laborasse.

Pag. 80, n. 101, lin. 17, post: captivorum, addere: vel alia huiusmodi. *Ratio*: ne videatur exhaustivum.

Linn. 31-32, « ... » ante et post: intrinsece, videntur inutilia.

Pag. 81, n. 103, lin. 29, pro: « quod catholicis certe congruit », legere: quod catholici in sua vocatione filiorum Dei eminenter hauserunt. *Ratio*: « congruit » est nimis debile.

Lin. 33, pro: profitentur, legere: colunt. *Ratio*: profiteri potius dicitur de fide.

Pag. 82, n. 104, lin. 4, pro « sive credant ... sive non credant », melius: etiamsi Deum explicite non agnoscant; vel etiam haec verba deleantur. *Ratio*: credere, non credere (quod ad fidem theologalem proprie refertur) videtur in textu esse quid contingens, quod patet esse falsum.

N. 105, lin. 22, legere: veritate cum littera « v » minuscula.

Lin. 36, post: pacis, addere: in ordine suo temporali. Nam: alia res est unitas christianorum in Ecclesia, alia unitas et pax in ordine civili.

Pag. 83, lin. 2, post: humanae, rectius legere: quae in familiam filiorum Dei in Christo Iesu vocatur.

Lin. 3, pro: in Deum credunt, rectius legere: qui Deum agnoscunt ...

Lin. 5, post: adigat, addere: ad hominem promovendum et ad impulsionibus ... *Ratio*: collaboratio habet duplicem scopum: defensio hominis et oboedientia impulsibus salvificis Spiritus ..., quod potius pertinet ad schema de Missionibus.

Lin. 13, legere: ad recte aedificandum ... *Ratio*: « aedificare mundum » est expressio abstracta et aequivoca, dum plures hoc intendunt, tamen falso modo.

Lin. 19, legere melius: transcendens doctrinae fidei ... *Ratio*: ad reiciendam falsam opinionem secundum quam fides ultra doctrinam esset. Datur doctrina fidei firma. Unitas habetur etiam ex parte veritatis.

27

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

In genere: Imprimis adhaereo eis quae ab em.mo card. Léger, die 6 novembris, in aula dicta sunt. Praesertim in sequentibus:

1. Concilium discriminationes implicatas facere non debet.
2. Dicatur clare bella hodierna secundum criteria moralia traditionalia iudicari non posse.
3. In schemate dicatur bella nostri temporis irrationabilia esse tamquam medium ad iustitiam faciendam et ad propria iura defendenda.

In particulari. N. 93, pag. 74, linn. 21-33: textus in minoribus implicatur, quae quidem non oportet in documento conciliari.

N. 96: idem ac praecedenti.

N. 98: multae discriminationes innecessariae in textu fiunt.

N. 99: etiam abbreviandus: sunt enim ibi innecessariae explicationes.

N. 100: idem ac praecedenti.

N. 101: idem ac praecedenti. *Notanda*: Praesertim in nn. 98 ad 101, ea absunt, quae quidem principaliora sunt, scil. relationes cum dignitate personae humanae, de qua perlongum in parte I locutum est.

N. 106, pag. 83, linn. 30 s.: citatio biblica omittetur. *Ratio*: relatio ad sermonem directe non facit. In toto n. 106, videtur visionem eschatologicam meliorandam esse.

28

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES
Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Ad n. 90: si hic numerus facta in mundo intendit describere, nonne includi debent haec duo:

a) factum « non violentiae » quod magnum influxum habuit et habet in quibusdam magnis mundi regionibus?

b) factum « pacifismi », ut aliquid quasi propheticum, viam vel directionem pacis omnibus patefaciens vel saltem innuens?

29

Exc.mus P. D. GEORGIUS BERNARDUS FLAHIFF
Archiepiscopus Vinnipegensis

Nn. 99-100. De medio deterrendi a bello in hodiernis adiunctis haud pari ratione in schemate loquitur. Totam essentiam medii deterrendi schema videtur reponere in mera *possessione* armorum hodiernorum. Attamen ad es-

sentiam medii deterrendi omnino pertinet etiam *voluntas adhibendi* talium armorum. Et ut medium deterrendi possit adversarium efficaciter deterrere requiritur insuper clara et perspicua *manifestatio* talis voluntatis. Ergo, ad possidendum in ordine existentiae medium verum et efficax deterrendi a bello, civitas omnino debet habere non tantum arma apta sed etiam firmissimam et inconcussam voluntatem adhibendi illa arma. Talis firmissima et inconcussa voluntas autem haud potest distingui ab intentione, et quidem intentione manifesta adhibendi talia arma si facto opus sit. In possessione ergo medii deterrendi vere efficacis iam inest praeparatio ad bellum totale. Schema iam in n. 98 damnavit ut « obiective crimina » actiones bellicas ad bellum totale pertinentes; inde sequitur schema etiam debere intentionem manifestam bellum totale gerendi et praeparationem ad tale bellum damnare, et quidem propter rationes sequentes:

1. intentio manifesta peccandi moraliter iam censetur peccatum. Nec valet argumentum ex minis mutuo fucosis ("bluff and counter-bluff"), quia, data natura complicata et quasi independenti hodiernorum belli machinamentorum, non potest excludi possibilitas concursionis rerum omnino fortuitarum capacis bellum iam instituendi;

2. a fortiori, tali bello iam, quibusvis ex causis, incepto, vix tempus utile daretur ad ulteriora iudicia moralia ferenda de liceitate huiusmodi singularum actionum bellicarum;

3. talis praeparatio ad bellum totale nec potest esse res tantummodo coetus peritorum nec rei publicae moderatorum. Omnes cives debent iam et pecuniam et approbationem moralem praestare. Et manifesta intentio adhibendi media deterrendi civibus istis etiam debet clare apparere. Iure ergo Ecclesia de pravitate talis praeparationis loquitur quia res respicit non tantum animadversiones technologicas peritis tantum intelligibiles sed responsibilitatem moralem civium omnium.

Propono ergo talem reformationem textus schematis: in fine n. 99, loco « Forsan " aequilibrium terroris "... in eam locando » (pag. 79, linn. 1-6), scribatur « Insuper, firma et publice manifesta voluntas adhibendi media belli totalis, utpote iam exhibita a quavis civitate quae sibi talia media comparat, aeque damnanda est cum actu adhibendi, quia cives a quibus quaeritur approbatio talis modi agendi possunt eum habere tantum ut pravissimum in ordine intentionis ».

Et deleatur in n. 100 tota propositio: « Quamdiu tamen institutiones... in se illegitima » (pag. 79, linn. 31-34).

N. 101: Schema agnoscit auctoritati competenti praesumptionem iuris aptam ad reddendum omnino vanum ius singulorum civium ad conscientiam propriam in rebus talis ingentissimi momenti libere efformandam. Res publica vix unquam agnoscet se bellum iniustum gerere! Insuper invocabit arcana consilia (classified information) ad singulis civibus ius diiudicandi negandum.

Etiam cavenda est redactio quae videtur insinuare eos qui ex conscientia

servitium militare recusent potius scrupulantes vel saltem cives quodammodo exceptionales esse.

Praeterea omnino debemus curare de sorte et iuribus illorum qui, etiamsi servitium militare radicaliter non recusant, tamen possunt specificum iussum saltem pro semetipsis crimen esse censere. In genere sapit simplismum politicum agnoscere rebus publicis immunitatem illam a peccato originali quae singulis omnino et quidem ex fide definita negatur!

Propono ergo sequentem omnino novam redactionem totius paragraphi, pag. 80, linn. 16-27: « Nemini licet dare vel exsequi mandata quae evidenter legi Dei adversantur, ut sunt occisio innocentium et captivorum. Ubi autem talis violatio legis Dei non manifeste patet, non licet cuilibet civi vel militi levibus ex causis auctoritatem moderatorum competentium in dubium vocare. Attamen Ecclesia, quamvis ius rei publicae in rationabile obsequium omnium civium omni tempore etiam tempore belli valde agnoscit, nullo modo potest tacere aliquod ius ponderandi atque etiam iudicandi in rebus talis momenti pro conscientia hominis singulis civibus debere confirmari, et quidem dupliciter: imprimis, qualibet res publica debet iis consulere qui propter sinceram persuasionem quod alia media ad lites componendas omnino et radicaliter vi et violentiae praeoptanda sunt, vel propter metum offendendi Deum in exercitio iniusto violentiae, vel propter reverentiam erga vitam humanam ex conscientia servitium militare omnino recusant; secundo, vero, et multo subtilius, decursu belli in hodiernis adiunctis, ipsa notio eorum quae " evidenter legi Dei adversantur " indiget ampliori explicatione. Crescentibus armorum destructionis viribus, crescit pariter rationabilis singulorum formido ne talibus armis etiam modo solito utendo crimina coram Deo perpetrent. Qua de causa, in casibus particularibus, etiam is qui nihil contra bellum quod iustum esse censuit obiciebat potest in casu particulari singulum mandatum saltem pro seipso crimen esse diiudicare et censere. Sane non potest singulus pro omnibus iudicare; attamen res publica debet singulis opportunitatem praebere rationem de propriis iudiciis reddendi nec unquam singulum cogere contra conscientiam suam agere. Tali modo agendo, res publica nullo modo damnum patitur sed potius amorem iustorum consequitur ».

30

Exc.mus P. D. ALBERTUS ALOISIUS FLETCHER
Episcopus Petriculanus

I. In pag. 74, linn. 6-10: *a*) Loco verbi « sua », utatur verbo « propria », ne quis intelligat Ecclesiam laudare homines qui iura aliorum vindicare recusant. *Ratio*: aliquis ad iura propria vindicanda actioni violentae renuntiare potest sed, datis dandis, iura aliorum vindicare aut ex iustitia aut ex caritate potest et debet. Utique inimicos diligere debemus, non autem magis quam propinquos vel amicos. In legitima tutela gravium iurium adversus iniu-

stum et inhonestum aggressorem, aliquis laudabiliter ea actione, etiam violenta uti potest quatenus necessaria ad iura vindicanda, dummodo absit potestas legitima quae iura eius protegat et vindicet.

b) Omittantur verba « cunctis etiam debilioribus patentia ». Num dici possit illicitum uti armis fortioribus quibuscumque in legitima iurium defensione?

II. In pag. 80, lin. 2 (n. 100) verbo « existentis » utitur quasi auctoritas internationalis iam in mundo adsit, cui moderatores Civitatum se subicere debent. Sed de facto nondum constituta est talis auctoritas cuius consultis, aequis et iustis, moderatores cum fiducia se subicere possint. In textu melius loquatur *de spe* talem auctoritatem constituendi, immo de necessitate progressus hac in re.

Utique in pag. 79, linn. 20 s., loquitur de necessitate auctoritatis *constituendae*; sed nisi perperam intelligatur verbum « existentis » in lin. 2, pag. 80, de futura auctoritate explicite loqui debet textus.

Ratio: hoc principium actionis, i. e., parere et oboedire consultis auctoritatis internationalis, validum et iustum esset tantummodo si omnes civitates huius associationis talem auctoritatem agnoscerent et eius consultis obsecundarent; aliter talis modus agendi neque ex iustitia neque ex caritate postulatur.

31

Exc.mus P. D. SAMUEL ALOISIUS GAUMAIN
Episcopus Munduensis

Omnino assentio verbis a R. P. Butler Christopher, Sup. Gen. Congr. Benedictinorum Anglorum, in aula d. 7 m. oct. prolatis, tam de « tono » totius schematis quam de bello.

Nisi enim reficiatur paragraphus « de bello », magna erit deceptio populorum.

Quod attinet ad « obiectionem conscientiae » (n. 101) schema est valde timidum dicens « sat conveniens videtur ut leges "positive" eos respiciunt ... ». Non pauci enim agunt ut « prophetae ».

Mirandum quod nihil dicatur de « non-violentia » ut instrumentum pacificum et Evangelio consonans ad iustitiam in multis casibus obtinendam. Memoratur hodie actio Martini Luther King.

Mihi videtur opportunum cum Summo Pontifice clare loqui de perversitate communismi, sed nihil de hoc dicendum est nisi etiam clare et forte dicatur quod omnes christiani, unitis viribus et sine mora, debent collaborare ad novum ordinem socialem efficiendum.

A nn. 21 (pag. 21, lin. 4), 71 (pag. 55, lin. 26), 97 (pag. 76, lin. 26), 104 (pag. 82, lin. 2) et forse ad alios numeros in quibus dicitur « Sancta Synodus » vel « Sacra Synodus »: supprimatur verbum « sancta » vel « sacra » et dicatur simpliciter « Concilium », « Vaticana Synodus », « Concilium Va-

ticanum ». *Ratio*: in aliis locis huius schematis sic dicitur simpliciter « Synodus » et quidem optime. Quamvis enim Concilium sit quid sanctum, « sanctum concilium » vel aliqua similis expressio videtur convenire tantum in documentis quae directe respiciunt catholicos, non autem in documentis ad omnes homines dirigatis.

32

EXC.MUS P. D. HENRICUS HECTOR GOLLAND TRINDADE
Archiepiscopus Botucatuensis

Ad n. 105. Nuntium, quod in I sessione huius Conc. Vat. II, a nobis, Patribus conciliaribus, missum fuit ad homines universos, qui, magna cum spe illud receperunt, in hoc schemate XIII habere videtur suam, ut ita dicam, vivificationem, quia Ecclesiam, scil. ut mysterium divinum et factum humanum, actuale, et etiam nos, clericos et laicos, in medio ponit universi huius temporis, ut « spectaculum simus mundo et angelis et hominibus ».

Scripsimus, enim, tunc tertio iam elapso anno, « in hoc Conventu vel Concilio, Spiritu Sancto duce, quaerere volumus quomodo nosmetipsos renovare oporteat, ut Evangelio Christi, magis magisque fideles inveniamur ». Sic! Quibus verbis ad intimum conscientiae examen adoriamur illud, de quo conclusio huius schematis 13 agitur, in n. 105, et sine quo, nequit Ecclesia temporibus nostris aptari, quod finis est huius Concilii pastoralis.

Ioannes XXIII hoc dicit et hoc fecit, non solum in domo sua vaticana, in sic dictis audientiis, sed in viis et nosocomiis et carceribus, omnes alloquens homines. Et etiam quando, prima vice, ex Urbe exiit, loca humilitate et paupertate et devotione ornata petiit, scil. Assisiense et Lauretanum Sanctuaria. Paulus quoque VI eamdem mundo universo praebet lectionem, paroecias sub-urbanas percurrens, et etiam Palaestinam et Indiam, patrias tantorum egentium et miserabilium invisens. Insuper tiaram pretiosam suam et sellam gestatoriam renuncians, Summus Pontifex, nobis omnibus Episcopis quasi dixit: exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.

His memoratis, commissio quae hanc constitutionem pastoralem emanavit, gravissima attingentem problemata, quoad actionem ipsius Ecclesiae, quattuor fiduciarios aspectus, non solum Ecclesiae Universae sed et dioecesibus, paroeciis, missionibus, religiosis domibus etc. quae etiam Ecclesia vocari possunt, proponere audet:

1. Ecclesia, habitaculum fraternitatis
2. Ecclesia, sedes colloquii
3. Ecclesia, pignus supremae veritatis
4. Ecclesia, signum unitatis generis humani.

Quattuor hae notae adeo evangelicae et actuales sunt, ut vias mundo aperiant Ecclesiam authenticam recognoscendi et in hac Ecclesia Christum vivum

inveniant, non solum in mysterio eucharistico, sed et in praedicatione vera et in unione omnium fratrum, in caritate non ficta, corona totius Evangelii.

1. *Habitaculum fraternitatis* i. e., Ecclesia ut Cenaculum hierosolymitanum, domus apostolorum et primorum christianorum, ubi omnes se domi sentiant, divites et pauperes, humiles et nobiles, absque sueto fastu et amplitudine temporis acti, ut sunt, verbi gratia, goticae vel renovatae artis (Rinascimento) monumenta.

En omnes nos in hac magnifica Basilica Vaticana, iam in sessione quarta, et plures adhuc ignoti aliis, non colloquimur nec fortasse invicem salutem dicimus. Salva reverentia, VV. PP., difficile haec venerabilis Basilica habitaculum fraternitatis appellari posset, praesertim quia acceptio personarum tam visibilis est, maxime in sollemnitatibus, ubi praesente Summo Pontifice patre omnium, absente autem magna pauperum et humilium familia, quae est Ecclesia.

Utinam Concilium dicat verbum de novis Ecclesiis construendis, ut aetas nostra exigit, id est, dignas sed modestas, sacrales, domus verae fraternitatis, ubi evangelium praedicetur, panis eucharisticus distribuatur et in vera fraternitate omnia fiant. Architectura, ut dicitur, moderna, sobria, austera, sine fictione multum fieri potest in pulchritudine et profunditate, ut habitacula fraternitatis vere sacra multiplicentur. Dum catholici, in Brasilia, et forsan etiam ubique terrarum, magna cum ostentatione et amplitudine et magno cum sumptu, ecclesiam unam aedificant, protestantes eodem tempore duas vel tres modestas faciunt aedes, quas domus orationis vocant, et ubi cum perseverantia pastorum et fructu adsistentium etiam catholicorum evangelium legunt et explicant.

2. *Ecclesia, sedes colloquii.* Iam in ecclesiis nostris, non amplius, ut antea, eloquentes praedicationes aut panegirici vel dictiones eruditione plenae audientur, sed homiliae simplices, secundum Evangelii spiritum, quae quasi colloquium videntur, uti sermocinatio Iesu ad pauperes, peccatores, multitudines fame laborantes sed etiam ad doctores et divites. Colloquia fiunt etiam in confessionariis, in officiis paroecialibus, in puerorum vel adultorum catechesi etc. Dentur occasiones, et perplures, ut pauperes, miserabiles non solum ad eleemosynas veniant, sed et etiam pro colloquiis ... Evangelizare pauperibus misit me ...

3. *Ecclesia, pignus veritatis,* quod quasi naturaliter, etsi mystico modo, fluit ex Ecclesia quae domus est fraternitatis, id est, caritatis, et ex ecclesia, quae est sedes colloquii, aperta, sine acceptione personarum, modesta, humilis ... Ubi caritas et humilitas, Christus ibi est ... Et Christus dixit: Ego, via, veritas et vita ... Ego veni ut testimonium perhibeam veritati ... Praedicetur Christus ... Christus sit vivus in Ecclesia viva ... Et multitudo gentium Eum sequetur ...

4. *Ecclesia, signum unitatis totius generis humani.* Ecce voluntas Christi: ut omnes unum simus, sicut Filius et Pater unum sunt. Magnum enim impe-

dimentum unitatis sunt divitiae una cum superbia vitae. Ecclesia fermentum, Ecclesia lux et sal, in silentio, ut elementa ista evangelica, operetur semper in bonum totius generis humani, inprimis pro aegrotis, derelictis, egentibus, invidiam hominum non suscitans.

Victoria Ecclesiae, in mundo huius temporis, erit solummodo in paupertate evangelica, unacum caritate activa, omnimoda, erga pauperiores, aegrotos, sine labore, sine pane, derelictos. Conditio sine qua non, pro hac victoria, est paupertas ipsius Ecclesiae, id est modestia, simplicitas, cum amore et laetitia. Pius XI iam dixerat Ecclesiam operarios perdidisse. Caveamus ne etiam egenos, miserabiles et fame laborantes ignoremus, qui plusquam dimidiam partem mundi huius temporis constituunt.

33

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON
Archiepiscopus Rhedonensis

N. 98 « La réprobation de la guerre d'agression » (Après le premier alinéa du n. 98 intégralement maintenu ajouter:)

Pour l'immédiat le Concile se sent le devoir de déclarer ceci:

Dans les circonstances présentes toute guerre qu'elle soit générale ou limitée apparaît comme un mal tel que son déclanchement ne peut plus être toléré.

Toute guerre limitée en effet même si elle arrivait à épargner les enfants, les femmes et les vieillards et à respecter les villes ouvertes, ce qui paraît impossible aujourd'hui, entraine malheureusement les souffrances et la mort d'innombrables combattants, innocents vis à vis des injustices qui ont pu provoquer la guerre ou étrangers aux intérêts pour la sauvegarde desquels on l'a déclarée. L'acharnement à vaincre l'obstination de l'adversaire aboutit souvent à des actions commises au mépris du droit des gens, et qui, par l'emploi des ressources scientifiques qui rendent la guerre plus horrible, font retourner l'homme à une barbarie dont, hier, il se glorifiait d'être sorti. Ainsi la torture physique, ainsi également l'action psychologique qui ne recule plus devant aucun procédé de viol des consciences ni aucune manipulation des sentiments collectifs, tant chez les partisans que les adversaires, afin d'arriver aux objectifs que la guerre s'est assignée.

La guerre gaspille des forces vives que les pays belligérants ont le devoir d'employer à la construction de leur avenir et au service de l'humanité. La guerre, mauvaise dans son objet, ne comporte aucune signification par rapport à la justice. Ce qui fait le succès d'une guerre, ce n'est pas la justice de la cause qu'elle défend mais le poids plus grand des forces brutales dont dispose celui des pays qui l'emporte. Enfin dans le monde contemporain par le fait d'un enchaînement inéluctable, la guerre la plus localisée et la plus limitée peut dégénérer en un conflit mondial dont le résultat peut être d'en-

trainer l'anéantissement total de très vastes régions, la mort cruelle de millions d'hommes, à la limite d'une sorte de suicide collectif de notre planète.

Sur les responsables de ces horreurs et leur conscience l'Eglise n'a pas l'intention de porter un jugement qui ne revient qu'à Dieu. Mais à l'exemple de Celui qui est venu pour sauver tous les hommes sa compassion se tourne d'abord vers la foule des victimes qui périssent alors. C'est au nom de toutes ces victimes innocentes qu'elle élève la voix en demandant à toute l'humanité maintenant consciente de soi: « De quel droit ces massacres? » La guerre à outrance n'est plus désormais un instrument capable de restaurer le bon droit violé. Et aucune nation n'a le droit de se proposer comme fin l'anéantissement d'un peuple ennemi quelle que soit l'importance du dommage causé par celui-ci.

C'est pourquoi ce Saint Concile déclare que tout pays qui le premier tente par la force des armes d'obtenir la reconnaissance d'une revendication ou même la réparation d'un droit lésé commet un crime dont il portera la responsabilité devant Dieu et devant les hommes, la fin ne justifiant jamais les moyens. La guerre d'agression ne saurait plus jamais être juste. Par contre dans l'état présent du monde on ne saurait dénier à un peuple le droit de se défendre contre une agression armée à moins qu'il ne l'ait provoquée.

Mais au cas où un peuple est contraint à une guerre défensive, nous nous devons de rappeler à tous qu'il existe, pour ces situations de détresse, de moins en moins acceptables maintenant que l'humanité a suffisamment poursuivi sa maturation, un code du droit des gens et un minimum de conventions internationales qui sont toujours valables et impératives. Ce ne sont nullement là des institutions dépassées en faveur de droits nouveaux de la violence et de la lutte à mort entre les diverses fractions des hommes. Ce sont, bien au contraire, une toute première base de limitation des effets atroces de la croissance des moyens militaires et la recherche d'un tempérament apporté aux horreurs de la guerre. Nul n'a le droit de se soustraire à ce minimum de limitations. Les ordres donnés à l'encontre de celles-ci sont injustes et la désobeissance aux ordres injustes est, chez tout homme, non seulement la plus sacrée des libertés mais le plus sacré des devoirs. Le Concile se doit de rappeler que l'état de guerre n'autorise pas tout entre les hommes qui se combattent et qu'à tout se permettre en vue de l'emporter sur l'autre, on conduit l'humanité à l'abîme, un abîme dans lequel on sera soi-même englouti.

N. 99 (L'équilibre de la terreur). Les armements scientifiques actuels, il est vrai, ne sont pas accumulés dans la seule intention de s'en servir en cas de guerre. En raison de leur affrayante puissance de destruction que les chefs d'états et les hommes responsables connaissent, ils servent d'une manière nouvelle à menacer les éventuels adversaires d'un pays ainsi armé, détournant les nations d'entreprises hostiles qui pourraient aboutir à leur propre désastre. Une permanente stratégie de la dissuasion s'est ainsi créée en temps de paix. Son résultat actuel est ce que l'on a appelé « l'équilibre de la terreur ». Aux

yeux de certains, ce serait pour aujourd'hui la meilleure garantie d'une paix relative entre les grandes puissances de ce monde.

Il ne saurait être question de contester aux nations le droit de pourvoir à leur sécurité dans le monde tel qu'il est aujourd'hui, par les moyens que leurs responsables temporels, après avoir bien pesé les circonstances, jugeront raisonnables et efficaces. Dans les conditions présentes, la bonne volonté des hommes n'est pas telle qu'elle suffise à assumer d'elle-même la sécurité des individus et des peuples. Mais la voie actuelle de la course aux armements et du soi-disant équilibre que la dissuasion réciproque engendre n'est pas la bonne voie. La paix relative qui en résulte n'est pas la paix véritable. Une stabilité temporaire est ainsi obtenue, faute de mieux. Nul ne peut garantir son caractère durable et la dissémination qui se fait en ce moment même des armes scientifiques de destruction laisse prévoir une précarité de plus en plus grande de l'équilibre dont on se flatte et par quoi on veut se rassurer aujourd'hui. Or si jamais, par malheur, cet équilibre venait à se rompre, l'immense désastre qui menace l'humanité actuelle s'en suivrait fatalement.

Il est déraisonnable d'ailleurs d'entasser face à ses adversaires des armes dont chacun veut espérer qu'elles ne serviront jamais, cela alors que l'expérience passée montre qu'un jour ou l'autre les armes existantes sont employées. A supposer qu'elles ne le soient jamais il est déraisonnable de consacrer d'immenses ressources financières à la fabrication et au perfectionnement de ces armes alors que tant de peuples pauvres de la terre ne sont pas aidés à suffisance. Les nations riches se croient le droit d'acheter ce qu'elles appellent paix — et qui n'est plus la paix — par des moyens techniques riches, alors qu'elles pourraient choisir d'autres voies qui ne coûtent que la réforme du cœur afin de redécouvrir entre elles la vraie paix. Ce scandale, s'il se poursuit, ne durera pas indéfiniment. Nous déclarons donc aussi ce qui suit: « La course aux armements est une plaie grave de l'humanité et une offense faite aux pauvres qui crie contre le ciel; si elle persiste, elle amènera d'elle-même ses justes châtiments ».

Au bord d'un désastre dont ils connaissent maintenant quelque peu la nature, les hommes jouissent d'un certain répit qui leur est donné pour se reconnaître devant eux-mêmes et devant Celui qui les a créés. L'époque actuelle et la Providence divine leur demandent avec insistance de faire, à tous ensemble, un effort tout nouveau pour se libérer de l'antique servitude de la guerre. Que si cet effort de la générosité de tous venait à être refusé, la guerre et ses catastrophes se chargeraient de briser une civilisation sans cœur, quelques grands que puissent paraître son intelligence et ses moyens matériels.

N. 100 (L'action internationale pour éviter la guerre) Mais il ne suffit pas pour établir la paix de condamner la guerre d'agression, la course aux armements et l'équilibre de la terreur qui en résulte. Il faut réaliser une institution internationale qui puisse substituer ses règles de droit et ses interventions aux décisions unilatérales des nations en conflit.

L'histoire récente montre que l'existence de cette institution est loin d'être une utopie puisqu'en dépit des difficultés qui ont parfois freiné son action, elle a pu efficacement travailler à mettre fin à de sanglantes querelles.

C'est à cette autorité internationale qu'il appartiendra de poursuivre la réparation des droits lésés en se servant pour atteindre ce but de sanctions d'ordre économique et moral dont les nations redoutent à juste titre l'application. C'est à elle qu'il appartiendra de défendre, du seul fait qu'il est attaqué, tout pays victime d'une agression armée. C'est à elle qu'il appartiendra de régler tout protocole conduisant à une réduction progressive et simultanée des armements. C'est à elle enfin qu'il appartiendra de travailler à l'instauration d'un ordre moral et économique qui mettra fin aux inégalités sociales et politiques sources permanentes de guerre.

L'efficacité des interventions d'une telle autorité seule capable de construire la paix est liée à une compréhension nouvelle que les nations doivent avoir de leur rôle.

La science et la technique modernes sont des moyens spirituels de connaître et d'agir dont la puissance est, de soi, indéfiniment croissante. Ce sont des moyens dont Dieu a voulu que l'humanité soit dotée par l'effet même de sa propre conquête, les destinant au bien commun, non seulement d'un groupe d'hommes limité qui en tirerait avantage contre les autres, mais au bien commun de la terre entière et de toute l'espèce humaine. Il est donc, de plein droit, injustifiable qu'une partie de l'humanité se serve de la science et de la technique modernes pour s'assurer des avantages exclusifs au détriment d'autres parties. Il est encore bien plus injustifiable que chaque nation détourne la science et la technique modernes de leur destination véritable pour en faire le moyen de poursuivre ses conflits fractionnels avec les autres nations. Tout ceci a été relativement tolérable au début de l'entreprise scientifique alors que ni la science ni la technique n'avaient encore beaucoup de puissance. Mais aujourd'hui l'humanité en est arrivée au point où ce n'est plus tolérable. En prétendant poursuivre les anciennes voies de la polémique entre les nations avec les moyens que la science donne à chacune, l'espèce humaine engendre au dedans d'elle-même une capacité de se détruire qui, elle aussi, grandit au delà de toute limite. Elle se fait ainsi elle-même constructrice d'une machine infernale dont le déchainement aura à son tour des effets dépassant toute limite. Il est désormais devenu urgent d'arrêter cette construction aveugle et insensée.

Nous ne doutons pas que ceci demandera d'importants sacrifices aux nations, à commencer par les plus puissantes et les plus civilisées, que le changement des ideés devra être profond jusque chez les plus cultivées d'entre elles, que l'effort des âmes devra être des plus considérables jusque chez celles qui se croient les plus chrétiennes. Mais c'est la grandeur de l'humanité actuelle qu'un tel effort lui soit demandé. En un sens, s'est la marque de l'estime dans laquelle Dieu tient lui-même cette génération.

L'effort demandé aux nations est multiple. Alors qu'au siècle dernier,

elles étaient encore à tous égards les unités fondamentales du bien commun temporel des hommes, elles vont avoir à se désaisir de leurs prérogatives d'indépendance absolument souveraine, non seulement au point de vue économique, ce qu'elles semblent de plus en plus disposées à accepter, mais aussi, au point de vue militaire, ce à quoi les plus puissantes d'entre elles n'envisagent pas encore de consentir. La force militaire soutenue par les moyens scientifiques modernes ne peut plus, en effet, demeurer longtemps la prérogative individuelle des nations coexistantes à la surface de la terre. Il leur faut y renoncer au profit d'institutions solides de paix collective véritable qui puisse leur éviter à toutes le fardeau et la plaie de la course aux armements. Ce qui signifie la création, décidée par toutes les nations ensembles, non seulement d'un organisme destiné à promouvoir la réalité morale d'un droit international, comme cela existe dès à présent, mais d'un organisme capable de garantir avec les forces adéquates l'observation de ce droit. Chaque nation de la terre, en effet, ne peut consentir à se désaisir de la faculté de pourvoir par elle-même à la force que lui donnent ses armements que si elle est vraiment et réellement garantie que toutes les autres observeront son bon droit. Et l'on ne saurait demander à aucune d'entre elles de risquer de se supprimer par dévouement pur à l'idéal moral.

Le désaisissement des traditionnelles prérogatives militaires de chaque nation n'est nullement destiné à supprimer l'originalité propre des unités nationales ni à fondre les états particuliers dont elles ont légitimement fait la constitution en un unique super-état mondial. Il est destiné au contraire à assurer la juste permanence des états dans une conversation collective vraiment pacifique, tout comme la sortie de la barbarie primitive et l'institution de la société policée n'abolit pas l'individualité des individus mais au contraire l'élève à de toutes nouvelles et plus humaines possibilités. C'est une triste compréhension de l'homme que celle qui croit qu'il ne saurait avoir sa personnalité d'homme qu'armé à outrance et entretenant ainsi la crainte et la méfiance de tous envers tous. C'est de la voie de cette triste compréhension que les nations sont désormais invitées à sortir.

Cela ne saurait se faire en un instant ni sans de sérieuses tractations préalables. L'Eglise n'a pas de plus grande joie que de voir celles-ci déjà entreprises, plus ou moins timidement, il est vrai, mais avec une efficacité qu'elle veut espérer croissante. Elle entend, par la voix du Concile, faire un devoir urgent à tout ses fidèles de favoriser par tous les moyens de telles tractations dans un esprit de bonne entente et de restauration volontaire de la confiance.

En même temps elle invite tous les peuples à mettre à profit les années qui viennent — et au cours desquelles la miséricorde divine travaille à l'emporter sur l'efficacité désastreuse du mal, lui aussi au travail parmi les hommes, — pour développer le dialogue humain, animé d'esprit de fraternité véritable. Seul en effet celui-ci permettra la création de ces institutions sans lesquelles l'humanité en possession de la science ne pourra plus jamais connaître que la paix redoutable de la mort. Mais le cri de l'Eglise n'est pas un

cri d'angoisse désespéré. Il est un cri d'espérance et d'énergie: « Voici le temps opportun, voici le jour du salut. O hommes! lorsque vous verrez toutes ces choses se produire, relevez vos têtes, voici que le rachat de votre malheur approche. Et vous, mes fils, allons, nous ferons bien encore cette journée ... ».

Le n. 101 est supprimé.

34

EXC.MUS P. D. IOANNES GRAN

Episcopus Osloensis

N. 90 (pag. 72, lin. 7): « hanc unitatem » claritate deest: non locutum est antea de aliqua unitate verbis propriis.

N. 90 (pag. 72, lin. 11): « Ecclesiae est » ambiguitatem secumfert. Estne Ecclesiae onus (devoir, il incombe)? Estne Ecclesiae privilegium (monopole, il appartient)? Versio gallica dicit: il appartient: melius esset scribere: il incombe. Textus latinus clarificetur.

N. 92 (pag. 73, linn. 21-22): Bis « omnes » premit textum et inutile videtur.

In genere: De hoc capitulo maxime valet quod dictum est de toto schemate: textus non satis loquitur de laboribus exantlatis extra Ecclesiam catholicam. Imperare non decet, sed gratum esse oportet et proprio nomine appellare institutiones quae bene promerentur de internationali societate (FAO, ONU, etc. ...).

N. 93 (pag. 74, lin. 21): Clarius exprimatur sermonem esse de his nationibus quae incrementum suum nunc aggrediuntur. Textus sensu caret, si de incremento uniuscuiusque nationis interpretatur (praesertim linn. 25 s.).

N. 94 (pag. 75, lin. 9): Num textus de ONU interpretari debet? Clarius exprimatur.

N. 95 (pag. 75, lin. 33): Cooperatio cum seiunctis fratribus magis cordialiter commendatur (sicut in n. 103).

N. 96 (pag. 75, lin. 39): « aptis instrumentis adhibitis » deleatur ut superfluum et inane.

Sectio secunda. De bello et mortiferis armis temporis nostri. Schema fere omnes opiniones conciliare conatur, non sine fortitudinis et claritatis detrimento. Melius est textum strenuum et audacem proponere: Patres diriment iuxta conscientiam suis votibus! Debilis conciliatio neminem satisfaciet. Summi Pontifices saepe fortius quam schema locuti sunt: eorum exemplum sequamur!

N. 98 (pag. 78, lin. 6): Cum « Providentia » in hoc contextu?

N. 98 (pag. 78, lin. 17): Non satis est dicere nullam nationem ius habere sibi internecionem gentis adversae ut finem proponendi. Damnandum est etiam propositum indiscriminatim cives gentis adversae aggrediendi.

N. 100 (pag. 80, lin. 1): Significatio « bonorum officiorum » explanetur.

N. 101 (pag. 80, lin. 4): « Praesertim et sponte ». Inutile, premit stylum.

Nn. 102-103. Textus inordinatus. Proponitur: 102) de laicorum munere in communitate internationali et praesertim in institutionibus internationalibus; 103) de episcoporum munere et eorum qui conscientiam aliorum efformant.

Conclusio. N. 106 (pag. 83, lin. 27): Quaeritur utrum christiani anteactorum temporum ius habuerint mediocriter vivendi?

35

EXC.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Episcopus tit. Thunigabensis, prael. Acrensis et Puruensis

Nn. 90-106. 1. Quae advertimus et facienda desideravimus quoad cap. III et IV, hic feliciter videmus impleta; nam dum in cap. III et IV non praemittebantur principia revelata et ipsorum influxus vix manifeste apparebat in expositionis decursu, hic econtra, nempe in capite quinto et conclusione, haec revelata principia dilucide praemittuntur et incessabiliter, expositionis decursu, ad memoriam revocantur.

2. Inter omnia huius pastoralis constitutionis capita, hoc cap. V partis II, primum, ratione doctrinalis perfectionis, lucidae perspicuitatis et caritatis veluti flammantis, obtinet locum. Immo sub iugi et manifesta Sancti Spiritus illustratione atque impulsu conscriptum videtur. Laudetur ergo divinus magister eiusque dociles validique cooperatores!

3. In re de qua caput disserit peritissimi, fortasse nonnulla addenda aut elimanda invenient: at, meo humili iudicio, etiam prout in omnibus sonat omni laude est dignum.

36

EXC.MUS P. D. AEMILIUS MAURITIUS GUERRY
Archiepiscopus Cameracensis

Paucis diebus post novissimam nostram sessionem, advenit res maximi momenti ad pacem in mundo componendam, scilicet imploratio ex Bombay, 4 decembris 1964, ad universum mundum a S. S. Papa Paulo VI directa, ut cursum ad arma denuntiet, et nationum principibus solutionem pro pace proponat, definitam, concretam, et immediatam.

1. *Vox populorum et publicae conscientiae coram mortiferis minis.* S. Pontifex populos cum angore gementes evocavit, qui omnes ad pacem adspirant, bellum horrent, vivunt tamen sub constanti minatione novi belli, quod, hac vice, in summum periculum iaceret civilisationem ipsamque humanitatis existentiam. Ceterum Papa se proposuit, in pluribus aliis circumstantiis, ut publicae conscientiae interpretem et prophetam ad intercedendum adversus vastationes cursu ad arma in populorum vitam productas. S. Sanctitas in Bombay

declarat: « Cursus iste immanes vires tractat consumitque hominum opumque ... psychosiam nutrit vis et belli ... ducit ad fundandam pacem super inhumanam diffidentiae et reciproci metus fundamentum ».

2. *Sapientiae rationisque solutio.* Declaratio ex Bombay facta non solum malum eiusque causas discernit: positivam solutionem offert. Hic Papae interventus eo magis necessarius est quo cum dolore comperitur quasi impotentia tragica, in qua se iactant Principes, ad furialem cyclum sistendum qui alias post alias nationes trahit, licet invitas, ad arma excogitanda et fabricanda semper numerosiora, cariora, mortiferiora. Unusquisque ius invocat inculpatae tutelae. Creare credunt dissuasionis vim. Omnes possidere volunt quod potentiae signum factum est.

Adversus hunc insensatum cursum, Papa qui nullis quod ad se attinet politicis emolumentis ligatur, qui alienus manet territorialibus querelis, nihilque vult nisi commune bonum universale, vocem emisit rationis et sapientiae, solutionem concretam proponendo, scil. quod parcendo de militaribus expensis, mundialis pecunia creetur ad pacificos fines et fraternum adiumentum.

3. *Iustitia et fraterno amore requisita.* Cursus ad arma scandalosam disparitatem adhuc plurimum aggravat inter divites populos et alios qui auctu indigent, scil. quoad vitam, famem, morbos, incrementi possibilitatem oeconomici et socialis.

Cursus ad arma uniuscuiusque nationis oeconomiae valde gravia sacrificia imponit, quae reipublicae gubernatores cogunt ut sumptus minuant struendarum domorum, scholarum, valetudinariorum, laboratoriorum; breviter loquendo, omnium pacis operum quae necessariae sint ad civium bonum, ut populorum vitae media augeantur.

Qua de causa, propositio in Bombay facta iustitia et fraterno amore requisitis repondet, ita ut faveat, ait Papa, « iis qui patiuntur et alacre substantialeque adiumentum exspectant ».

4. *Pacificae voluntatis signa.* Quamdiu internationales organisationes in capite auctoritate publica non potientur, cui praebeantur efficacia media, ut conflictus praeveniant et solvant, quodam progressu substituendo vi materiali et violentiae inter populos, mutuae comprehensionis formam et sincerae cooperationis, diversi status credunt necessario cogi, ut se defendant, ad legem, ut aiunt, « de la Jungle », quae secum trahit quod fabricentur et disseminentur nuclearia arma et alia belli moderni media. Porro multi sunt horum statuum qui pacem vellent. Summi igitur momenti est eorum pacis voluntatem discernere posse signis quae nullum prorsus dubium admittant. Pulchra enim verba non iam sufficiunt.

Propositio ex Bombay plura signa affert: ex una parte, negative, sibimet interdicere de omni verbo aut actu, qui creare aut sustinere possit « vis et belli psychosiam » ... « inhumanum diffidentiae et reciproci metus fundamentum » ... ex altera parte, positive, quod liberaliter Status in partem veniant praedictae internationalis pecuniae, indubitandum signum erit eorum pacis voluntatis: simulque eos annumerabit inter humanitatis benefactores.

Votum. Qua extraordinaria fama, repercussa in totum mundum, gauderet adhaesio, cum unanimi voto, omnis nostri conciliaris conventus, propositioni ex Bombay, ad principibus supplicandum ut cogitationis Sanctissimi Patris rationem sumant et teneant.

37

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS SEVERINUS HALLER

Episcopus tit. Bethleemitanus, abb. null. S. Mauritii Agaunensis

Pag. 77, n. 98, linn. 38-41, nota: si bellum totale condemnatur, cur initium talis belli non esset semper condemnandum? Desideratur ut bellum totale seu genocidium iam in ovo absolute condemnetur.

38

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN

Archiepiscopus Novae Aureliae

Pax est res maximi momenti, quapropter summa cura adhibenda est in conficienda Sectione « De Pace Firmanda seu de Bello Vitando ».

Sectio egregie exprimit expectationes et appetitiones Ecclesiae universique generis humani circa pacem, at, meo iudicio, has expectationes et appetitiones confundit cum normis praeceptisque moralibus. Totum schema indolem pastoralem habet; pastoralis vero sollicitudo postulat, si trahere vult homines ad meliorem mundum aedificandum, ut ratio habeatur status rerum hac nostra aetate existentis.

Haec discrepantia rerum et verborum maxime apparet in postrema sententia n. 100 ubi monentur Civitatum moderatores ut « sese consultis auctoritatis internationalis existentis subiciant ». Oportet ut textus emendetur ita ut, supposito alio verbo, legatur, « iustis consultis ». Manifestum est enim nullam civitatem obstringi posse ut sese subiciat consultis vel iussis cuiusdam superioris auctoritatis, nisi haec iusta sint, quia pax et concordia civitatum in iustitia fundatur. Nec ulla civitas induci potest ut paret iussis auctoritatis internationalis existentis nisi iusta causa intercedat.

Agitur in hoc schemate de conditionibus mundi nostrorum temporum, et eo proposito ut excitentur homines ad novas fovendas conditiones in quibus nullum detur bellum. At nemo est qui non videat hactenus, in praesenti statu rerum, bellum iustum interdum possibile est.

Ceterum meminisse iuvabit pacem, quam pertinaciter et omni opere contendimus, *opus esse iustitiae.* Nec pacem quis habere potest nisi paratus sit persequi iustitiam et libertatem defendere. In hoc ipso schemate innuitur libertatem adimi posse externa coactione (n. 15) et multa mala inferri in mundo ex proclivitate hominis ad malum (n. 19). Consentaneum est igitur

ut in eodem schemate aperte admittatur possibilitas belli iusti ad tuendam iustitiam et libertatem.

At in hac secunda sectione nec ulla laus tribuitur nationi, quae recto usu armorum, cum alia subsidia exhausta fuerint, iuste defendat libertatem et iustitiam, quod quidem cohaeret cum doctrina quam Ecclesia semper docuit.

Hoc vero silentium non intelligitur, praesertim si prae oculis habeatur postrema sententia n. 92, ubi laudantur homines qui « ad iura sua vindicanda actioni violentiae renuntiant »; nec cohaerere videtur cum decisionibus Concilii, quae clare statuunt iura libertatis sive hominis (cf. constitutio *de mediis communicationum socialium*), sive populi Dei (constitutio *de Ecclesia*). Nam, si reputamus libertatem praecellentissimum bonum esse et si admittimus eam iniuste posse vi adimi, necesse est ut etiam plane et omnino admittatur quamlibet civitatem recte suo iure uti cum defendit iustitiam et libertatem.

Speciatim vero haec sequentia notanda sunt:

1. In n. 98, initio ultimi paragraphi, non satis clare statuitur ius civitatis ad iustam defensionem contra iniustum aggressorem. Legimus ibi, « Quamvis ergo exhaustis omnibus pacificae tractationis subsidiis, non illicitum esse possit iura iniusta impetita contra iniustum aggressorem vi et coactione defendere ... ». Loco, « non illicitum esse possit » proponimus ut legatur « licitum sit ».

2. In n. 100 legitur, « Patet igitur liberum usum armorum hodiernorum moraliter admitti non posse, et tendendum esse ad eorum omnimodam suppressionem ». Sententia haec non satis clara videtur et emendanda est. Non enim intelligitur si illis verbis « liberum usum » designatur actio bellica quae indiscriminatim ponitur, sine scil. ullo respectu sive personarum sive bonorum laesorum. Quod si ita est, addantur alia verba ut clarior sententia fiat.

3. In n. 99 legitur, « Nam si quacumque de causa in hoc statu rerum conflictus oriretur, mutua destructio populorum qui sibi invicem opponuntur omnino instaret ».

At haec sententia videtur effingere ut factum certum quod est mera possibilitas, quinimmo recentiores eventus demonstrant eam solido fundamento non inniti. Ceterum pessimismum redolet nec videtur favere iustae paci, cum voluntatem hominum attenuat et male eam disponit ad resistendum iniquae aggressioni.

4. In n. 101 statuitur ut specialis ratio habeatur eorum qui « ex obiectione conscientiae » ut dicitur, servitium militare recusant. Opportunus autem hic mihi locus videtur, ut Concilium laudet eos qui ex conscientia servitium militare ineunt ad tuendam iustitiam et libertatem. Ingens numerus militum qui, recta at informata conscientia hoc officium adimplent, procul dubio non sunt posthabendi iis qui servitium militare recusant.

39

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Caput in genere placet. Quaedam tamen emendanda videntur:

1. N. 92 (pag. 74, linn. 6-10), dicatur: « Quocirca Ecclesia facere non potest quin illos homines laudet qui, *in spiritu huius Evangelii* virtutumque vere humanarum, etiam in iuribus suis vindicandis actioni violentae renuntiant ». *Ratio*: dantur etiam renuntiationes actioni violentae, quae ex falsis ideologiis procedunt et aut principia iustae et legitimae, immo aliquando obligatoriae defensionis coactivae iuris, clare adhuc a Pio XII contra falsas formas pacifismi vindicata, negant, aut saltem negant eos qui haec principia affirmant, sufficienter revereri vitam vel fidere vigori veritatis. Ne hic error irrepat in doctrina morali Ecclesiae, phrasis dicto modo emendetur.

2. N. 93 (pag. 74, lin. 36), loco « supputationes ordinis militaris » dicatur « vel militaristicae » (scil. appetitus dominationis). *Ratio*: « Supputationes ordinis militaris » etiam legitime in elementa ordinis oeconomici universalis instaurandi influere possunt, immo debent.

3. N. 96 (pag. 75, linn. 37 s. et pag. 76, lin. 1), loco « inexhaustam fere » dicatur « miram »; loco « quasi inexhaustas » dicatur « ingentes ». *Ratio*: ita melius congruit formulae modestiori pag. 89, lin. 16 « sat amplam », scil. potentiam; nec falsae nutriuntur exspectationes.

4. N. 98 (pag. 77, lin. 18), dicatur « Omnis actio bellica quae *tendit* in indiscriminat*am* destructionem..., a fortiori *destructionem* ». *Ratio*: « Pertinet ad » non est clarum; intelligi potest de meris effectibus in ordine physico. Appositio adiectiva vocabuli « indiscriminatam » videtur veritati morali conformior quam adverbialis. Maneant ultima verba in omni casu!

5. N. 98 (pag. 77, linn. 29-34), omittatur ultima phrasis. *Ratio*: non sufficienter clara est et abusus ad partes oppositas admittit; nec est necessaria, quia quae dicenda sunt obiective, clare in antecedentibus continentur. Sequens comma cum hoc coniungatur in unum.

6. N. 98 (pag. 77, lin. 37), loco « ineluctabili » dicatur « funesta ». *Ratio*: ineluctabilitas dicta obiective non adest; et hoc magni momenti est ad faciendas interventiones, si actiones quaedam bellicae initium sumunt. Omnis exaggeratio hac in re funestas sequelas pro pace servanda habere potest. Ideo prudentissime dicendum est, prouti hac in re Summi Pontifices etiam fecerunt.

7. N. 99 (pag. 78, linn. 35-37), omittatur phrasis ultima commatis. *Ratio*: quamdiu hac sola ratione bellum totale impediri potest — et hoc pro temporis quodam intervallo obtineri potest —, non est contra rationem, sed ei e contrario maxime consonum, ut nationes vires insumant in apparandis armis quae nusquam adhibentur. Cetera dicuntur recte in commate sequenti.

8. N. 99 (pag. 79, linn. 9 s.), dicatur post « superest »: « *Formas efficaces ordinis iuris et politici creant* quibus controversias suas... ». *Ratio*: ita clarius.

9. N. 100 (pag. 79, lin. 14), post « boni communis » addatur « universalis ». *Ratio* patet.

10. N. 100 (pag. 79, lin. 15), loco « ad extremum » dicatur « tandem aliquando ». *Ratio*: videtur esse sensus, isque clarius expressus.

11. N. 100 (pag. 79, lin. 23), dicatur post « necessitatem »: « appetendae talis auctoritatis qua condiciones parentur in quibus... ». *Ratio*: ita prudentius, magis intra competentiam Concilii.

12. N. 100 (pag. 79, linn. 31-36), dicatur: « Quamdiu... valent, enixe agendum est ut tali statui... superandae ». *Ratio*: ita evitatur *explicita* declaratio de liceitate possessionis armorum, quamvis illegitimitas eiusdem non affirmatur; vitantur controversiae difficiles cum textu praeiacente coniunctae.

13. N. 101 (pag. 80, lin. 3), *titulus* sit (« De aliis quibusdam quaestionibus connexis »). *Ratio*: ita rectius et opportunius.

14. N. 101 (pag. 80, linn. 16-22), altera phrasis huius commatis deleatur. *Ratio*: inopportune coniungitur cum phrasi praecedenti; vox « manifeste » contradicit doctrinae multorum moralistarum quibus sufficit dubium prudens ad hoc ut cesset certa obligatio obediendi; aliud est quid sit in *iure* praesumendum, quid obliget in *conscientia*.

15. N. 102 (pag. 80, linn. 23 ss.), dicatur: « ... leges provideant humano modo eis qui ex conscientia servitium militare vel quosdam actus bellicos praestare recusant ». *Ratio*: casuistica motivorum inopportuna est. Ratio habenda esse videtur omnis genuini iudicii conscientiae, quodcumque motivum sit. Secus errores excitantur circa fundamentum obiectivum postulati hic stabiliti (i. e. reverentia erga dictamen conscientiae), via panditur abusibus, et statuuntur criteria nimis vaga.

Ad totum haec animadvertantur:

1. Diligenter evitentur omnes modi dicendi quibus condemnari videtur *doctrina hac in re prolata a Pio Papa XII*. Haud raro enim in detrimentum doctrinae catholicae et a Communistis et a Pacifistis extremis hoc fit.

2. Invitatio ad adiutoria praestanda populis in evolutione intensius et distinctius fiat ad *iuvenes*.

3. Adhibeantur ad crisim textus periti *laici!*

4. Non tam in « quam citissime » solutio complurium thematum exspectanda est, sed in « quam diligentissime, patientissime et constantissime ».

5. Clare respiciantur *limites competentiae Concilii!*

40

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Dorensis, prael. Cluniensis

N. 90, pag. 72, lin. 1. Sic compleantur: « ad obtinendum ordinem moralem, oeconomicum socialem et politicum etc. ». Sine ordine morali, ceteri ordines parum vel nihil valent ad pacem.

N. 91, pag. 72, linn. 26-28. Loco « Bonum commune... decursu temporum incessanter mutationibus concretis subiicitur » dicatur: « Bonum commune... decursu temporum incessanter mutantibus applicationibus concretis subiicitur ». *Ratio*: bonum commune in se est immutabile; mutantur e contra eius applicationes concretae.

N. 104, pag. 82, linn. 12-15. Sic emendentur: « Ad episcopos itaque variarum regionum, iuxta suum prudens iudicium, cooperantibus quidem clericis ac laicis cuiuscumque territorii, spectabit ut eam magis determinent atque explicent etc. ». *Ratio*: non enim ad clericos aut laicos potest spectare magis determinare et explicare doctrinam Ecclesiae hac in re. Clerici et laici poterunt utique cooperari.

41

EXC.MUS P. D. IOSEPH HEUSCHEN

Episcopus tit. Druensis, aux. Leodiensis

Fateri placet normas et principia, quae in cap. V continentur, ea esse quae a iudicibus etiam severioribus probari possint; neque ambigi potest redactores commissionis conciliaris dignos esse qui magna laude donentur.

Liceat tamen quasdam animadversiones proponere quas utiles fore confidimus, ut opus a commissione confectum optimum undequaque reddatur. Animadversionum nostrarum aliae schema in universum, aliae singulos quosdam articulos respiciunt.

I - In universum hae quae sequuntur sufficiant:

1. Textus qui nobis a commissione praebetur plurium scriptorum manibus exaratus apparet. Facile intelligi potest in quot difficultates inhaeserint redactores, quorum erat priorem textum commutare, emendationes substantiales et necessarias addere, medias solutiones quaerere etc. Inde quaedam inaequalitates in evolvendis rationibus et principiis, inde etiam quandoque admixtio rerum maximi et annotatiuncularum minoris momenti. Submisse ominamur ut hinc omnes capitis partes ultima scriptura cohaerentes reddat, inde totus textus, sicuti iam antea nonnullae partes, concreto et directo stylo conficiatur.

2. Gallica translatio nunc rigidius nunc tenuius quaedam latina verba reddit. Sufficiat nobis quaedam exempla proferre: in n. 93, pag. 74, lin. 33

« honestas » non sufficienter redditur per « droiture »; in n. 94, pag. 75, lin. 13 idem valet pro « in his actionibus » (gallice: « ici »); in n. 98, pag. 78, lin. 1 constructio latina non servatur in translatione gallica, quae incipit per « en conséquence »: sed agiturne revera de consequentia ex praecedentibus?

3. Textus coniuncte sumptus iis quae foris sunt adhuc apparere potest tanquam affirmans, nimia cum satisfactione, Ecclesiam potissimum nosse ea quae facienda sunt ut regnet in orbe terrarum pax. Praesertim pax constare et pendere videtur ex definito rerum ordine, quem vereri necesse est et cuius leges uni Ecclesiae manifestae sunt. Ita fit ut infirmetur et debilitetur communitarium et creativum character certaminum pro pace: de quo secundo tantum mentio fit.

4. Cum paragraphi leguntur, ubi schema edisserit de organisatione mundiali et de necessitate auctoritatis cuiusdam, quae pro bono communi omnium gentium tandem creetur, quaerere licet nonne sit optandum ut ipsum schema magis palam et aperte loquatur de societate mundiali, simulque resumantur argumenta et consilia quae Ioannes XXIII proposuit in encyclicis litteris *Pacem in terris*. Expetendum sane videtur ut:

a) Munus declaretur auctoritatis politicae mundialis, ad quam pertineat bonum commune tueri omnium gentium.

b) Definiantur officia huius auctoritatis mundialis, quae sunt: incrementa bonorum componere et sollicitare, pacem et securitatem in tuto collocare, inaequalitates minuere. Statuatur insuper auctoritati huiusmodi disponendum esse rebus, opibus, instrumentis, quibus prospere et feliciter agere possit.

c) Eiusdem auctoritatis munera describantur: aequitas nempe, agnitio, approbatio, defensio et promotio iurium personarum, subsidiaritas relate ad munera, iura et officia singularum nationum earumque foederationum, quae tanquam corpora intermedia funguntur.

d) Difficultates enumerentur, quae re quidem existunt at semper superari possunt, quibus impediri potest ne res ad effectum deducantur. Nonne insuper solemniter invitandi sunt viri vere periti in variis iuris disciplinis, qui tota mente incumbant ut quam citius formulae iuridicae aptae inveniantur et idonea artificia parentur, ut opus hoc amplissimum et perdifficile ad felicem exitum ducatur.

II - Animadversiones quae determinatos quosdam articulos respiciunt (quae sumus dicturi ad textum latinum sese referunt):

1. In par. vel art. 91 transitus videtur esse de ordine philosophico ad ordines et theologicum et sociologicum: qui transitus dilucide non apparet. Nonne melius esset ex realitate sociologica, quam dicunt, procedere et ea dein patefacere quae Ecclesia se dicere posse praesumit? Phrasis initialis huius numeri: « Pax tranquillitas ordinis recte dicitur », hodie gravibus argumentis in controversiam adducitur. Rectius fortasse ita ordiri posset: « Mos est definire pacem tranquillitatem ordinis ».

2. *a*) In n. 92, pag. 73, lin. 29 s.: « Ad hos fines assequendos », dicit textus, « institutiones communitatis internationalis necessitatibus diversis hominum pro sua parte prospicere debent ». Quidam fortasse dicent talem affirmationem negligere momentum institutionum nationalium; magis tamen patet difficultas in gallico quam in latino textu.

b) In n. 92, pag. 74, linn. 6-10: haec non-violentiae laus manifestior appareret si ab iis rebus quae superius dictae sunt distingueretur: quarum est applicatio circumscripta. Obscuriora autem sunt verba: « non recurrentes nisi ad subsidia defensionis apta, cunctis etiam debilioribus patentia... ».

3. In n. 93, pag. 74, linn. 14-15: Verba gallici textus « dépendence abusive » emendatiora nobis videntur esse quam ea quae in latino textu leguntur: « indebitae dependentiae ». Quae vero sequuntur in eadem linea fieri potest ut quibusdam paternalismum sapiant: fere totum adiutorium ab externo venire debet.

4. In n. 93, pag. 74, linn. 32-33: « haec (diversae adiutorii formae) fiant cum generositate et sine cupiditate ex una parte, cum omnimodo *honestate* ex altera ». Textus gallicus (« en toute droiture de l'autre ») angustior videtur esse quam textus latinus; melius fortasse diceretur: « sans cupidité d'un côté et en honnête coopération de l'autre » ou: « de l'autre, en coopération loyalement disposée vis-à-vis des efforts honnêtes accomplis », vel melius adhuc, ut ad alterutram partem identidem dirigantur cohortationes: « haec omnia fiant non solum cum generositate et sine cupiditate ex una parte, sed etiam cum cooperatione honesta et vera ex altera ».

5. In n. 93, pag. 74, linn. 34-39: Quod hic declaratur, nonnullis oriri posse videtur ex conceptione leviore ordinis internationalis: requiritur enim ut cuivis institutioni militari abrenuntietur (num hoc fieri potest?), immo ipso desiderio diffundendi ideologias; nonne melius esset si diceretur: « imponendi per vim ideologias »? Ceterum diversitas constitutionum oeconomicarum, in se, nullo modo concordiae et harmoniae obsat (contrarium videtur innui a textu linn. 37-38).

6. In n. 94, pag. 74, lin. 40: Huic numero titulus est: « Normae opportunae »; iamvero in eo enuntiantur argumenta et principia omnino essentialia; non expedire videtur ut tanquam « opportuna » proponantur: sunt enim summi momenti.

7. In n. 94, pag. 75, lin. 13: « In his actionibus » gallice vertitur « ici »: iamvero hoc in errorem inducere potest: hic, non vero alibi (communitas internationalis procedere debet in tuto positis bonis spiritualibus et moralibus)?

8. In n. 95, pag. 75, linn. 21-22, dicitur: « Spiritus enim paupertatis et caritatis gloria et testimonium Ecclesiae Christi est »: nonne melius, in praesenti contextu, locus princeps reservatur spiritui caritatis et curae iustitiae condendae? Audemus quasdam formulas proponere, quae nobis magis opportunae videntur, quibuscum illa commutari potest: « concretus paupertatis sensus et disponibilitas erga alios verum atque germanum spiritum caritatis exprimunt, qui est signum et gloria Ecclesiae Christi », vel: « caritas et

spiritus paupertatis sunt signum Ecclesiae Christi », vel etiam: « magis in dies sibi sint conscii amorem Christi eo imperosiorem fieri, quo maiores facultates hominibus sunt concessae ut fratribus in necessitate positis opem ferre possint. Se ergo obstrictos sentiant a sancto amore ut sine fallacibus et fucatis imminutionibus totis viribus adlaborent in elevandis dignitate et aequalitate hominum. Humana fraternitas, quam arctiorem reddidit Redemptio Christi, sit eis titulus gloriae et signum quo apparet quantopere spiritu filiorum Dei moveantur ».

9. In n. 96, pag. 75, lin. 42; pag. 76, lin. 1: minus idonea videntur esse verba: « opes terrae *quasi inexhaustae* »; nonne melius est dicere: « *amplae et luculentae* opes terrae »? Nobis tamen quaedam addenda videntur, hoc fere sensu et modo: « Quamquam haec intelligentia et potentia expostulant ut homo conscientiam magis et magis acquirat de suis in proximos officiis. Nam opes istae, quamvis maximae sint, ambitu tamen quadam certe circumscribuntur. Ceteroquin hominum conatus et incepta hac unica condicione sunt profutura, si non solum praesentium sed etiam futurarum aetatum homines ad altiorem dignitatis et prosperitatis gradum possint provehere. His rationibus ducantur oportet ii qui in provinciis scientiarum sive naturalium sive technicarum explorando inquirunt ».

10. In n. 96, pag. 76, lin. 15: textus affirmat: « capacitas res utiles edendi qua terra pollet continet adhuc potentiam sat amplam ad nutriendum hominem »; de hac re acerrime certant homines docti huius nostri temporis; ad prudentiorem formulam declinare forsan opportunum est: « *peritorum hominum plures* opinantur capacitatem... ».

11. In n. 97, pag. 76: magni interest ut aperte patefiat quo nexu hae res cum oeconomico incremento copulentur. Quare has sequentes formulas proponimus: « Ut mundus ex hac miserrima conditione egredi possit, a multis affirmatur incrementum... omnino minuendum esse »; deinde addatur: « Sancta Synodus declarat... ». Vel adhuc: « Quoniam ad hoc nituntur ii omnes qui in re politica sunt et incrementis oeconomicis praesunt, ut scilicet humanae gentes melius vivere possint, necessario oeconomia politica, quae dicitur, cum politica demographica connectitur. Nam a multis affirmatur... ».

12. In n. 98, pag. 77, linn. 23-24: damnatur omnis actio bellica, in qua omnino desunt tres conditiones, quarum tertia est: « proportionalitas rationabilis inter rationes belli et sequelas actionis violentae inceptae »; iamvero tertia haec conditio numquam prorsus deest: eius mentione, saltem in hac forma, ceterae enervantur. Variis modis difficultas superari potest, vel dicendo: « talis est omnis actio bellica, in qua unum vel plura elementa quae sequuntur absolute *aut graviter* desunt », vel alio modo: « talis est omnis actio bellica in qua desunt sive omnis possibilitas praevidendi damna et malos effectus continendi, sive respectus ad qualitatem personarum (bellantium vel non bellantium, senum, puerorum, mulierum) ac bonorum actione bellica laesorum. Huiusmodi habenda est quaevis actio, in qua de facto, non vero

solum intentionaliter, desit rationabilis proportio inter legitimas belli causas et consequentias actionis violentae de qua agitur ».

13. In n. 98, pag. 78, lin. 1: animadversio nostra solum gallicam translationem spectat, in qua dicitur: « En conséquence », dum e contextu non apparet ea quae dicuntur esse sequelam paragraphi praecedentis. Nonne melius in gallica translatione diceretur: « Toutefois ».

14. In n. 99, pag. 78, linn. 32-33: textus affirmat: « aequilibrium hoc est aliquid de se omnino deforme ». Haec formula videtur nobis ambiguitate peccare, cum brevior sit et pressior. Atrox sane et inhumana res est homines talem solutionem quaesivisse; at huiusmodi aequilibrium quandam stabilitatem, quantumvis precariam, secumfert, ut textus noster ceteroquin infra agnoscit. Melius ergo diceretur « *Stricte in se* consideratum aequilibrium hoc horrendum quiddam et infandum prae se fert, nam ex viribus oritur quae ad eversionem omnium rerum conducunt », vel: « aequilibrium hoc nullo modo firmam pacem constituere et reddere unquam poterit », vel etiam: « In se aequilibrium hoc est reapse aliquid ancipitis, fragilis et periculosi ».

15. In n. 99, pag. 79, linn. 1-2: ubi textus declarat « forsan aequilibrium hoc, loco melioris consilii, reapse stabilitatem quandam *in consortione humana* servet », aptius fortasse sermo fieret de « quadam stabilitate *in relationibus quae intercedunt inter nationes* ». Alio etiam modo dici posset: « Hoc aequilibrium forsan affert stabilitatem quandam caducam et fluxam in relationibus quae intersunt inter potestates nucleares necnon inter nationes ».

16. In n. 101, pag. 80, lin. 10: modus dicendi « quaecumque sunt causae eiusmodi conflictuum » contrahere et minuere videtur legitimitatem horum conflictuum. Magis opportune affirmari posset: « Cum hi conflictus sint saepe ultimum suffugium hominum iniuste laesorum vel oppressorum ad sese defendendum, omnia facienda sunt ad tollendas iniustitias ».

17. In n. 101, pag. 80, lin. 18 textus affirmat: « praesumptio quidem iuris auctoritati competenti agnoscenda est »: hic « praesumptio » gallice redditur « *la* présomption du droit ». Non est dubium quin, si dicamus « *une* présomption *de* droit », obsequentiores nos praebeamus coram iis qui conscientia pura et sincero animo veritatem quaerunt.

18. In n. 101, pag. 80, linn. 24-25 sermo fit de iis qui « ex sincero fastidio omnem vim exercendi » servitium militare recusant: expressio adhibita sensus magis afficit quam rationem; sunt inter ipsos qui « ex ima fide et animi iudicio » bellum ex se semper esse crimen horrendum autumant. Alia ex parte aliquid etiam dicendum videtur intuitu eorum qui legitimis praescriptis obsequuntur, quibus auctoritas competens ipsis missionem imponit defendendi ordinem iniuste laesum.

19. In n. 102, pag. 80, lin. 38: ubi in textu est: « per cognitionem nempe legis divinae et naturalis », ut notam ex Evangelio depromptam verba prae se ferant, ulterius declarari potest: « per amorem Dei et proximi ».

20. In n. 102, pag. 81, linn. 8-9 sermo fit de cura peculiari impendenda in formandis iuvenibus ad cooperationem cum communitate internationali.

Nonne haec observatio melius veniret in fine paragraphi sequentis, quae praecise de hac formatione in particulari tractat, dum e contra paragraphus praecedens indolem generaliorem habet.

21. In n. 102, pag. 81, lin. 17: sermo fit de officiis iustitiae et caritatis *praesertim* a christianis in commodum omnium implendis (translatio gallica dicit: « les chrétiens *plus* que les autres »); nonne melius diceretur: « les chrétiens *à un titre qui leur est particulier* » (« christiani, singularibus rationibus moti »), ne ansam praebeamus controversiae.

22. In n. 103, pag. 81, lin. 20: praesentia christianorum in Institutionibus internationalibus « excellens forma navitatis internationalis » dicitur; nonne opportunius diceretur: « unus ex optimis modis », nam, iuxta organisationes, ponendi sunt contactus personales et colloquia quibus singuli cum singulis sermones conferunt.

[*Subscripserunt etiam*] L. Van Petegem, ep. Gent; G. Van Zuylen, ep. Liège; M. De Keyzer, aux. Brugge; L. De Kesel, aux. Gent.

42

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

N. 90, pag. 72, lin. 11: loco « Ecclesiae est invitare ... » ponatur: « Ecclesia homines instanter hortatur » vel aliud huiusmodi.

Generatim caput hoc etsi in multis placeat nimis verbosum est. Est potius tractatus quam urgens exhortatio.

N. 92, pag. 73, lin. 23: nonne ad bonum commune universale requiri oporteret non tantum ordo mundialis sed *auctoritas* quaedam mundialis ita ut cessationi « egestatis intolerabilis numerosarum regionum » (linn. 24 et 25) efficaciter provideatur et sic pax firmetur, quia, ut pluries dictum est, disaequilibrium semper crescens inter nationes divites et nationes pauperes ut unum ex praecipuis belli totalis hodierni periculis recensendum est?

Pag. 73, lin. 26: haec vox « autem » et idea ab ipso introducta in hoc loco omnino infeliciter ponuntur. Melius esset dicere hanc egestatem, pro dolor! sese extendere ad omnem humanae vitae aspectum.

N. 92 (totaliter): hoc in numero vel alibi hoc in capite, ut plures Patres postulaverunt, ponendus est textus Nuntii a Papa Paulo VI ex Bombay ad mundum directi: « « Would that the nations could cease the armaments race, and devote their resources and energies instead to the fraternal assistance of the developing countries! Would that every nation ... contribute even a part of its expenditure for arms to a great world fund for the relief of the many problems of nutrition, clothing, shelter and medical care which affect so many peoples! » (*A.A.S.*, LVII, 1965, p. 135).

Circa n. 92, pag. 74, lin. 6 s.: conservetur laus « non-violentiae » uti hic habetur.

Circa n. 97, pag. 77, lin. 1: deleatur vox « Sanctam ». Idem pro n. 100, pag. 79, lin. 22.

Circa n. 100: illa quae dicuntur pag. 79, linn. 29-36 repetunt iam prolata in n. 99. Haec omnia indigent magis compendiari.

Circa n. 101 (linn. 22 s.): conservetur haec affirmatio circa « conscientiae obiectionem » quin tamen sit necessarium motiva afferendi.

N. 94, pag. 74, linn. 40, 41 s.: psychologice loquendo hoc in contextu locus selectus ad disserendum de plena perfectione humana gentium progredientium non videtur esse opportunus. Haec dicenda sunt sed in alio contextu.

Ceterum sunt repetitiones in n. 94 rerum iam dictarum in n. 93.

N. 95: officium est ex iustitia derivans pro hominibus et pro christianis adlaborare ad erectionem structurarum internationalium quae scandalo famis et miseriae tertii mundi finem imponere sincere et efficaciter conentur.

Unde cavendum est in hac parte capitis nos apparere uti consentientes in hoc quod adiutorium ordinis caritativi etsi maximum, possit locum tenere pugnae (combat) pro promovenda iustitia internationali in campo oeconomico.

Pag. 75, linn. 35 s.: cur limitaretur haec actio coniuncta cum solis fratribus separatis et non extenderetur ad omnes homines bonae voluntatis?

N. 98: secunda paragraphus huius numeri 98 (linn. 18 et s., pag. 77) claritate caret in re maximi momenti. Condemnatio belli « totalis » (linn. 18-21) videtur optime prolata. Sed postea (linn. 21-26) res obscurior evadit. Cur ibi ponitur haec vox « omnino » (lin. 22)? Videtur quod sensus a scriptore intentus sit quod haec omnia elementa *simul* deesse debent ut actio bellica damnanda sit.

Pag. 77, lin. 33: tollatur verbum « facile » quod in re tam gravi laxismum sapit.

Paragraphi 4 et 5 (pag. 77, lin. 35; pag. 78): haec pars n. 98 claritate caret, immo non videtur contradictionem vitare.

In quarta paragrapho (linn. 35-41, pag. 77), agitur de periculo « omnis belli »: dicitur ipsum ducere « connexione ineluctabili » ad bellum totale. Ergo in bona logica eamdem condemnationem meretur ac bellum totale.

Sed quaero: in hac paragrapho agiturne de bello offensivo, vel de defensivo, vel de utroque? Si de offensivo, nulla difficultas. Sed tunc quomodo potest introduci paragraphus 5 ubi de bello defensivo per vocem « ergo » seu « consequenter ». Legenti totum textum sequentem intentio auctorum schematis videtur esse quod si aliquando bellum defensivum licitum esse potest (pag. 78, linn. 1-3) e contra omnino damnandum est quando « internecionem gentis adversae intendit » (pag. 78, linn. 16-17). Sed non bene intelligitur ex antea dictis cur bellum etiam defensivum non damnatur eo quod totale est « etiam si non internecionem gentis adversae intendit ».

Circa n. 99: *a*) Saltem hic numerus abbreviandus est. Continet multas repetitiones et insistit nimis in considerationibus quae valorem prioris partis capituli penitus destruere possunt.

b) Immo non videtur utilitas huius numeri. Periti hac in materia dicunt

quod officinae in quibus educitur energia nuclearis ad fines industriales converti possunt ad conficienda arma nuclearia in spatio paucorum dierum.

Unde problema ibi positum accumulationis armorum atomicorum non habet magnum influxum practicum.

Quamvis principium belli defensivi cum moderamine inculpatae tutelae verum videatur manere, non videtur necessarium hoc iterum applicari occasione iudicii ferendi supra accumulationem armorum (stockage des armes atomiques). Nam homines nostri temporis difficile intelligent quod ex una parte prohiberetur proiicere « bombam atomicam » et ex alia parte licitum esset eamdem fabricare ... ita ut numquam in usu redigatur.

c) Propterea optatur ut hic n. 99 deleatur.

43

Exc.mus P. D. PAULUS HNILICA
Episcopus tit. Rusaditanus

Ad nonnullas paragraphos cap. V, in parte II schematis XIII inclusas, pauca hisce addere audeo.

1. Et imprimis de paragraphis agam sequentibus: 92 scil. 93, 94, 96. In illis cumulative ideae de communitate gentium et de institutionibus internationalibus exponuntur, deinde de cooperatione internationali tam in campo oeconomico quam illo demographico sermo fit.

Quaestiones hae tanti sunt momenti et tam profunde implicant Ecclesiae missionem salvatricem inter populos, ut a Concilio opportune examini subiciendae sint: haec etenim problemata, si tempestive non providetur, nutrire incipiunt et germinare solutiones aliquando erroneas et aliquando falsas, ex quibus iterum in vita quotidiana populorum actiones oriuntur, quae mundum sine Deo et contra Deum construere audent in toto orbe terrarum, discordias, divisiones, inquietudines et bella disseminando.

Ecclesiae, Matri communi omnium populorum, ius et cura competit, ut in mutuis relationibus gentium Divinae Sapientiae ordinationes advocet earumque observationem promoveat mediis magisterii sui et exemplo vitae fidelium. Cum ex eadem Divina dispositione et lege homines diversarum terrae partium administratores bonorum sint et non iam domini absoluti et quasi in se stantes sicuti a reliquo humanitatis consortio separati vel seiuncti, oportet, ut responsabiles populorum et cives nationum ditiorum participes faciant facultatum suarum, tam temporalium quam spiritualium, alias quoque nationes et homines indigentiores.

Pro qua re fundamentum sit, oportet, et remedium — praeter legem a Divina Sapientia inditam et cordibus hominum inscriptam — de aequali statu uniuscuiusque nostrum sine discrimine coloris, linguae vel originis propriae — illud praeprimis donum a Filio Divino nobis superadditum, quo omnem hominem e plaga miseriae peccatricis provexerat ad gradum fratrum et filio-

rum communis Patris: donum dico caritatis, novum adimplens testamentum, quo omnino pervasi, unum omnes simus in Christo.

Cuius rei, inter alias, haec sit prima consequentia: ut hospitalitas immigrantium in nationes a propria diversas ubique incrementum habeat nec ullum detrimentum patiatur, prout sapienter a Pio duodecimo felicis recordationis dictum fuerat. Multis enim nationibus terra earum nativa ad sustentationem hominis dignam iam non sufficit. Promoveatur ergo christifidelium participatio in coetibus huiusmodi internationalibus talis, qualis eorum numero correspondet et qualis ex amore Christi discipulorum scaturire debet ad obligationes onerosas quidem et responsabilitates graves adimplendas.

Ex cooperatione fidelium in hac concertanti actione missio Ecclesiae in mundo nostri temporis lucem Evangelii vivam humanitati practice irradiabit et populos in eorum conaminibus sese elevandi ad illas usque aspirationes, quas solus Deus in unione cum Christo eiusque amore adimplere queat, efficaciter adiuvabit.

Nonne haec est una ex conditionibus, ex quibus oritur totius humanitatis unitas? Haec ad aedificationem terrae novae et populi novi contribuent, et calumniarum Ecclesiae et discordiarum inter populos materiam, saepe subterfugiis nutritam amovebunt.

Sed vos, venerabiles Patres, vim amoris eiusque irresistibilem penetrationem cognoscitis. Quis tamen, nisi nos omnes, Pastores cum sacerdotibus et populo fideli nobis a Christo commisso, in hac via passu forti et securo procedere possit, qui Christum ducem habemus?

2. Sub luce huius persuasionis examinanda erit et paragraphus nonagesima quinta: de munere christianorum inscripta. In ea bene et opportune de egestate maioris partis mundi schema loquitur, simulque de periculis divitiarum, si fundamento caritatis et iustitiae carent, fideles admonet.

Haec paragraphus, in nostris temporibus, a fidelibus eorumque Pastoribus assidua meditatione et examine conscientiae indiget. Abusus enim, immo et negligentiae in hac materia, faciem Ecclesiae coram propriis filiis, manibus praeprimis laborantibus, obfuscat et saepe apostasiae in massa occasio et causa sunt. De hoc testimonia eloquentia Summorum Pontificum et experientiae propriae abundanter nos edocent, ita ut mirari quasi desineamus, cum fervorem aliquando genuinae etiam iustitiae promovendae apud homines, qui atheismum militantem profitentur, invenimus. Vexillum pauperum illi, qui Christum pauperem non agnoscunt Eumque reiciunt, discipulis Christi eripere conantur.

Sed et inter nos et sacerdotes nostros inaequalitates bonorum temporalium et indolentia divitum inter nos, iam invidiam et discordias provocare minantur. Dioeceses pauperes cum melius stantibus dioecesibus raro condividunt adiuvamina fraterna; parochiae miserae cum pauperibus ecclesiis in umbra splendoris et abundantiae aliarum stant; ordines religiosi quoque mediis apostolatus et sustentationis orbati, respiciunt aliquando in vanum ad domos confratrum cum amplis habitationibus.

Practica esset huius paragraphi consequentia: ut imprimis homines Christum pauperem sua professione sequentes pro mutuo adiutorio originem alicui Instituto mutuae cooperationis darent: dioeceses ad invicem, parochiae in dioecesi, ordines religiosi recurrere possint ad cassam communiter administratam. Dato hoc exemplo facilius apud fideles et in mundo progredi Ecclesia posset, et ea in realitatem deducere, de quibus aliis in locis sermo fuit.

3. Par. 91, 98, 99 invicem cohaerent; prima de natura pacis, postremae duae de bello, praesertim totali et de communi consectario, de « aequilibrio terroris » scil., tractant.

Post missionem pacis Summi Pontificis Pauli VI, recenter peractam, multitudo aspectuum huic materiae addita et clarificata fuit, nec adest quid novi, quod addam.

Omittere tamen non possum comparationem inter conamina pacis promovendae christianorum et asseclarum atheismi, praesertim illius, qui militans appellatur. In opinione multorum conatus horum ultimorum superant conatus christianorum, et quod, si unice propagatio ideae pacis (etsi apud sequaces atheismi coinquitata scopis politicis) consideratur, difficulter negari potest. Obvium etiam est, qualem influxum huiusmodi propagatio apud operarios habet.

Oporteret proinde, ut ab Ecclesia initiativae assumerentur pacisque verae, quae non est impiis, idea magis propagaretur, idea, quae caritativa operatione secuta, fructus duraturos certe afferret.

4. Ultimo loco par. 102, quae « de praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali » inscribitur, breviter commemorare volo. Cui unum verbum de par. 103 addam.

Si divisionem mundi hodierni secundum ideologias, uti factum non desiderabile et necessario brevi quam possibili tempore superandum, consideramus, Ecclesiam in utraque parte invenimus. Ecclesiam dico, quae filios suos ibi nutrire, educare, ad salutem ducere vult et debet. In Ecclesia proinde respiciamus oportet fulcrum responsabilitatis pro nunquam extinguenda spe unionis populorum et pignus duraturae reconciliationis.

Ad quod, praeter ponderatam et tempestivam deviationum admonitionem et applicationem medicinae poenitentiae, necessarium est, ut Ecclesia proponat clarum iudicium et demonstrationem, quomodo populi convivere possint et in iusta via procedere.

Proinde falsitas, errorum accumulatio, oppositio ad Dei leges silentio ab Ecclesia, et ab hoc Concilio, nullo pacto praeterire permissum est. Pastores clare cognoscant viam salutis, decisiones Summorum Pontificum, decreta huius modernae synodi: eas studeant et intelligant, in circulis fideles forment de eorum significatu et valore, duces, maiori experientia praeditos praeparent, qui ulterius doctrinam et actionem propagare parati sint. Missio hominis ad hominem, non exclusis illis qui in Deum iam non credunt, in hisce temporibus requiritur. Ab hac missione et vere christiana vocatione nemo dispensatur. In ea enim vocatio discipulorum Christi adimpletur.

Ulterius providentia specialis incumbit Ecclesiae, illa nempe, ut cura materna prosequatur illos qui longe ab ea stant. Formet et habeat etiam Ecclesia sacerdotes et laicos in his problematibus et psychologia atheismi expertos.

Cum vero haec missio limites unius dioecesis, unius etiam nationis excedit, cooperatio internationalis huius curae pastoralis imponitur, modique eam in actum deducendi ab Instituti alicuius specialis membris excogitentur, ut vera actio universae Ecclesiae concors promoveatur, cooperantibus omnibus etiam mediis communicationis socialis, de quibus sermo iam fuit.

Haec omnia concordant, quae in par. 103 dicuntur, cum catholicorum labore et opere in Institutionibus internationalibus. Haec paragraphus requirere debet, ut catholici in huiusmodi coetibus uti catholici agant. Asseclae atheismi in omnibus Institutionibus praesentes sunt et omnes suas inclinationes particulares obliviscuntur, ut unice causae eorum communi sese totaliter dent eique inserviant. Catholici, qui decem et septem pro centum terrae incolarum hoc tempore numerantur, minime modo proportionato in Institutionibus internationalibus repraesentati inveniuntur. Proinde catholicorum praesentia in huiusmodi coetibus adiuvanda sit a Pastoribus et Ecclesia curet, ut ibi fideles suae missionis discipulorum Christi et filiorum Ecclesiae sint conscii. Ceteri vero omnes fratres eos mutuo adiutorio et orationibus prosequantur, ut vocationem suam pro bono totius humanitatis et in servitio Christi adimpleant.

Haec sunt, venerabiles Patres, quae ad commemoratos paragraphos capitis quinti in secunda parte schematis decimi tertii contentis notare volui. Requiritur, prout patet, concertans actio omnium discipulorum Christi, ut eius amor redemptrix humanitatem huius temporis ad se trahat.

44

EXC.MUS P. D. GERARDUS HUYGHE
Episcopus Atrebatensis

N. 91, deuxième ligne du premier alinéa. Il est bien difficile aujourd'hui de s'appuyer sur la définition de la paix par Saint Augustin. La « tranquillité » n'a pas grand sens dans une humanité en mutation, et l'ordre n'y est pas un ordre stable, mais un ordre qui se fait en évoluant.

Il faudrait donc préciser: « Si la définition de Saint Augustin n'a pas perdu sa riche signification dans la mutation en cours de l'humanité, la paix est plutôt devenue l'harmonisation des tensions ».

On pourrait alors enchaîner: « Cette harmonisation dynamique dépend de la conspiration des volontés vers le bien commun ».

N. 92, dernière phrase du dernier alinéa. Cette phrase, de soi discutable et peu claire dans sa rédaction actuelle, ne doit-elle pas être supprimée du fait du conflit Inde-Cachemire? Si on désire la laisser, il faudra la clarifier: s'agit-il des « hommes » ou des « peuples »?

N. 93, deuxième alinéa, 7 ligne de la page 85. Après le mot « coopérateurs », il serait *très important* d'ajouter: « Ils devront éviter toute ostentation dans leur genre de vie et toute morgue dans leur comportement qui les écarteraient des peuples dans lesquels ils sont temporairement insérés. Ils devront aussi donner l'exemple d'un travail acharné, et toujours accroître leur compétence, pour mieux servir.

Pour que leur efficacité soit assurée, ils devraient être organisés en équipes bien unies, composées de spécialistes complémentaires de telle sorte que leurs recommandations recouvrent, de façon cohérente, toute la réalité à explorer et à faire évoluer. Il est nécessaire aussi que soient associés à leur travail des techniciens du pays concerné, de façon qu'à leur départ, l'application des mesures acceptées par les autorités locales puissent passer à exécution ».

N. 93, tout à la fin de ce n. 93. Ajouter: « Les dirigeants économiques et politiques devraient avoir l'intelligence et le courage de repenser l'utilisation fraternelle des ressources de chaque peuple et du monde ».

N. 94, 2 ligne de l'alinéa *b*). Après le mot « parler », ajouter: « Elles éviteront de s'immiscer dans les politiques nationales et de s'opposer aux groupements régionaux que les pays plus voisins entre eux et plus complémentaires choisissent de fonder. Elles procèderont aussi, de bon gré, ... » (suite du texte).

N. 94, 3 ligne de l'alinéa *c*). Après le mot « équité », ajouter: « Ainsi, la distribution des surplus doit être orientée et coordonnée de telle sorte que chaque pays bénéficiaire reçoive ce dont il a effectivement besoin, et que son propre développement agricole et industriel n'en soit pas compromis, les exploitants et les entrepreneurs n'osant plus produire dans les secteurs d'activité pour lesquels les prix de vente risquent de s'effondrer, par l'afflux imprévisible de surplus extérieurs ».

A la ligne 4 de l'alinéa *c*), il faudrait mettre: « il revient aussi à la communauté internationale d'ordonner... » (suite du texte).

N. 96, ligne 12 du premier alinéa. Au lieu de « faire l'inventaire de toutes les richesses alimentaires », dire plutôt: « faire l'inventaire *des besoins et des ressources afin* d'améliorer... » (suite du texte).

N. 96, lignes 4 et 5 du deuxième alinéa. Au lieu de « par l'aide effective des nations riches », dire plutôt: « par une coopération internationale bien ordonnée, intelligente et fraternelle, dans laquelle les nations mieux pourvues donneront le maximum d'efficacité à leur apport ».

N. 98, lignes 4 à 9 du troisième alinéa (Sans vouloir ici...). Cette phrase tortueuse ne ferait pas estimer l'Eglise. Qu'on la supprime, quitte à garder la finale: « Les actes de guerre (atomique, biologique, chimique) sont objectivement des crimes ». Ou encore: « Que ceux qui se trouvent entraînés, même pour de nobles motifs, dans la dynamique de guerre atomique, biologique et chimique mesurent que ces actes sont objectivement des crimes ».

N. 98, 1 ligne de la page 89. La théorie du droit de légitime défense atomique contre un injuste agresseur est aujourd'hui question disputée, et d'ailleurs dépassée par les événements. Il est souhaitable qu'ici comme ailleurs, le Concile laisse cette question aux discussions des spécialistes. Il y a danger pour l'autorité du Concile et de l'Eglise d'entrer à ce sujet dans des considérations précaires.

N. 99, 3 ligne de la page 90. Après les mots « des peuples », ajouter: « Il est assurément scandaleux, et contraire à la civilisation, que les dépenses mondiales en vue de la destruction dépassent, dans une proportion effroyable, les dépenses consacrées à la coopération pacifique pour le développement ».

N. 101, tout à la fin du premier alinéa. Après les mots « bons offices », ajouter: « Malheureusement, des groupes très puissants d'intérêts égoïstes font pression pour qu'il n'en aille pas ainsi, pendant que les armées elles-mêmes, sortant de leur fonction, prétendant parfois avoir le droit de dominer la politique ou même de s'emparer du pouvoir, au risque de provoquer, à plus ou moins long terme, la guerre civile ».

N. 102, les deux dernières lignes du premier alinéa. Les remplacer par le texte suivant: « et ils auront à cœur d'unir leurs efforts à ceux des institutions et des hommes qui travaillent sincèrement au développement solidaire et à l'établissement de la paix ».

N. 103, les deux dernières lignes du premier alinéa. Il serait mieux d'inverser les mots et de mettre: « une conscience non moins universelle de leurs responsabilités ». Par ailleurs, après le mot « responsabilités », on pourrait ajouter: « Elles devront en particulier contribuer à la formulation d'une éthique internationale correspondant à la situation actuelle du monde et à sa meilleure évolution, éthique qui sera la préparation d'un nouveau droit international adapté aux transformations en train de s'accomplir dans l'humanité ».

N. 104, 3 ligne du deuxième alinéa. Pour inciter les évêques à agir collégialement, il serait préférable de ne pas parler seulement « des évêques de chaque territoire », mais « des Conférences épiscopales des différents pays ».

45

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH IRIARTE

Episcopus Reconquistensis

Pag. 73, linn. 5-10: tollantur aut funditus immutentur. Etenim hic modus loquendi ob vocabularium et stylum nequit intelligi ab his quibus haec declaratio destinatur... immo et etiam a quibusdam catholicis!!!

N. 100. Linn. 31-34: « Quamdiu tamen institutiones internationales pacem satis communire non valent; non potest certe credi quod singulae nationes arma deponant singulatim, modo unilaterali ac incondicionali... ». *Ratio*: actio pacifica quae debet institui et evolvi, necessario rationem habeat status

de facto existentis illius « aequilibrii terroris »... at videtur saltem dicendum quod in declaratione conciliari non esse affirmandam explicite ad minus eius legitimitatem; sed et hoc omnem vim adimeret declarationibus praecedentibus et subsequentibus de armis atomicis!

N. 101, lin. 26 « ... ex conscientia servitium militare vel quosdam actus qui ad immanem crudelitatem in bello conducunt, recusent » dicatur: « ... immanem crudelitatem tempore belli vel pacis conducunt... ». Nam multoties tempore pacis homines seu milites a Statu violentiam exercere compelluntur, v. g. « custodes publici ordinis » in persecutione ob discriminationem secundum castam, colorem, religionem, etc. ...

46

Exc.mus P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER
Episcopus Lunganensis

Ad pag. 77 s., n. 98: estne sententia in hoc numero proposita ita certa ut Concilium Oecumenicum eam proclamare possit?

Argumentum in textu enucleatum mihi non videtur clarum. Impressionem reprimere non possum, textum potius de una ad alteram partem circumagi. Descriptio actionis bellicae enim, quae datur in pag. 77, linn. 18-26 de omnibus bellis maioris amplitudinis nostri temporis valet, quod textus in linn. 35 s. aperte admittit. Consequenter cuncta bella hodierna, saltem ampliora, diiudicanda essent « de se obiective crimen contra Deum et hominem quod firmiter et incunctanter damnandum est » (linn. 20 s.). Ast in pag. 78, linn. 1 ss. de iisdem actionibus bellicis, absque ulla limitatione quoad amplitudinem, tantummodo dicitur, a ratione alienum fieri eas « instrumentum aptum esse ad violata iura sarcienda », sed « non illicitum esse » declaratur, debitis cautelis adhibitis, « iura iniuste impetita contra iniustum aggressorem vi et coactione defendere », i. e. actione bellica. Ac tandem in fine (pag. 78, lin. 15 ss.) ius belli, quod « internecionem gentis adversae ut finem » sibi proponat, quodque in praxi de omnibus bellis maioribus nostri temporis, uti textus pag. 77, linn. 38 ss. agnoscit, verificatur, gentibus denuo denegatur.

Ad pag. 80, linn. 23-27: passus de servitio militari mihi videtur potius e textu retrahendus, et quidem ex ratione prudentiae. Timeo nempe, ne multis hominibus ansam det appellandi ad talem Ecclesiae declarationem non ex rationibus quae Ecclesiam movent, sed ex rationibus multo inferioribus quae cum conscientia vix habeant aliquid faciendi.

47

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG

Episcopus Tainanensis

Vere donum Dei est pax, cum humana voluntas peccato pessumdata ad invidiam et odium inclinaretur et gratia Christi adiuta ad bonum ordinem tantummodo trahi posset! Vere donum necessarium hominibus est pax, cum bellum hodiernum ad necem quasi totalem et reciprocam belligerantium duceretur.

Peropportunum igitur est in schemate nostro de pace enixe et diffuse loqui et gravisissimis verbis actiones bellicas damnare.

Attamen in conditionibus internationalibus huius temporis adsunt homines et regitores rerum publicarum qui mala voluntate perturbationes sociales fovent et dominationes proprias extendere omnibus modis quaerunt. Hi vero homines verbum pacis praedicant eodemque abutuntur ad confusionem generandam in opinione publica atque ad acquirendam conditionem psychologicam sibimetipsis favorabilem.

Nos igitur in loquenda pace duplex periculum evitare debemus.

1. Primo, evitare debemus quominus homines malae voluntatis abutantur damnatione enunciata in schemate nostro contra omnes bellicas sic dictas totales. Omnis ista actio bellica damnata est uti crimen contra Deum et contra hominem (pag. 77, n. 98). Illi homines neque Deum neque homines timentes, damnationem nostram parvipendent, ea tamen abuti cupiunt ut timor moralis et psychologica apud homines timentes Deum de usu talium instrumentorum bellicorum efficiatur et ipsi postea quasi immune ea adhibere valeant.

Propterea propono ut in pag. 78 in primis lineis ubi agitur de liceitate defensionis contra iniustum aggressorem clarius dicatur de liceitate cum instrumentis adaequatis contra actiones bellicas iniustorum aggressorum.

2. Secundo evitare debemus quominus amor noster pacis aliis appareat uti pacifismus ad extremum deductus. Adsunt nationes vel Status qui insidiis et minis inimicorum malae voluntatis circumdatus, socialem ac propriam exsistentiam defendere semper constringitur. Auctoritas istorum Statuum male videt praedicationem pacifismi inter proprios concives ne zelus et fortitudo populi minuantur. Accidit apud nos quondam ut una secta religiosa legitimitatem recusationis servitii militaris praedicaret atque ita magnam suspicionem et contrarietatem apud gubernium provocaret.

In Missionibus omni nisu faciendum est ut suspiciones removeantur et labores missionales maiores difficultates devitare valeant.

Propono igitur ut ea quae habentur in pag. 80, in linn. 23-27 scil. ultima propositio secundae paragraphi n. 101, deleantur. Ubi agitur de legitimitate recognoscenda in lege Status pro casibus recusationis servitii militaris « vel propter testimonium lenitatis christianae, vel propter reverentiam erga vitam humanam, vel ex sincero fastidio omnem vim exercendi ». Omnes istae mo-

tivationes nimis vagae sunt et multis abusibus affici possunt. Postea hic casus est vere particularis de quo Concilium Oecumenicum agere non debet.

Habemus iam tantas difficultates in Missionibus. Rogamus quominus nobis aggraventur adhuc et creentur a nobismetipsis difficultates non necessariae et fastidiosae.

* * *

Post quamplures interventiones super hoc schema mihi liceat aliquid adhuc notare quod vitam nostram socialem et missionalem tangit, scil. de pace promovenda et de matrimonio.

Exsistunt duo systemata doctrinalia de iure, de libertate et de pace in mundo huius temporis: systema doctrinale recognoscens personam humanam et systema doctrinale recognoscens communitatem classis socialis.

Relate ad pacem schema nostrum, supponens dignitatem personae humanae, notionem et naturam pacis ponit in recti ordinis tranquillitate, quae iustitiam et caritatem inter homines exigunt. Econtra alterum systema doctrinale quod communitatem classis hominum tantummodo recognoscit, bellum inter classes uti medium progressus socialis praedicat et bellum contra imperialismum esse necessarium ad libertatem adfirmat. Illi homines qui hoc systema doctrinale amplectuntur, pacem quidem in verbis officialibus et in conventibus internationalibus proclamant; sed intentio eorum est ut praeparatio eorum bellica perfectior fiat et dominatio politica ab ipsis acquiratur mediante insurrectione interna uniuscuiusque nationis.

In hac conditione schema nostrum cum de condemnatione actionis bellicae agatur propositiones suas claras ac undequaque perfectas habeat oportet. Inde periculum abutendi sententiis schematis conciliaris evitari poterit. Postea debet evitari etiam periculum loquendi de pace quasi de pacifismo ad extremum reducto. Nos loquimur de pace cum fundamento in iustitia et caritate et nunquam sine hoc fundamento.

His dictis, velim tria puncta relate ad caput quintum schematis indicare, in quibus maior claritas ac praecisio desiderantur.

1. De aequilibrio terroris. Merito et iuste reprobatur a schemate nostro conditio aequilibrii terroris uti aliquid de se omnino deforme et gravissima detrimenta secumferens. Sed conclusio data a schemate nostro est nimis debilis et quasi anormalis. Dicitur enim in textu, in fine n. 99, pag. 79, « Hoc triste et temporarium aequilibrium nonnisi quoddam perfugium a nobis haberi debet, quod occasionem praebet ut homines in hoc brevi temporis spatio quod superest, controversias suas modo homini digno componere queant ». Schema ignorat vel ignorare voluit veram causam huius aequilibrii terroris in mundo huius temporis, quae in systemate doctrinali atque in programmate politica unius partis mundi huius temporis ad imponendum proprium dominium doctrinale et politicum super alios populos. Tunc altera pars pro propria defensione tale aequilibrium terroris quaerere coacta est. Conclusio in schemate proponere debet solutionem huius aequilibrii deformis in efficiente conventione internationali diminutionis vel abolitionis armorum bellicorum mo-

dernorum, sicut habetur in Litteris Encyclicis « Pacem in terris » et in allocutione Summi Pontificis Pauli VI apud Nationes Unitas. Haec conventio est conditio, sine qua non, pro cessatione aequilibrii terroris.

2. Dum agitur de condemnatione omnis belli, quae placere pluribus Patribus videtur, agi etiam debet in schemate de condemnatione doctrinae et actionis quae insurrectionem internam et perturbationes sociales uti viam ad evolutionem et dominationem acquirendam praedicat et promovet. Bella et timores bellorum huius temporis causam suam habent in his actionibus. Contra istas actiones quae ordinem socialem et consequenter pacem evertunt, Status ius habet adhibendi omnia media idonea etiam bellica, quia defensio exsistentiae nationalis est legitima.

De defensione legitima in schemate quaedam affirmatio tenua et quasi timorosa invenitur in ultima paragrapho n. 98. Sed hoc principium clare affirmari oportet in schemate nostro etiam relate ad condemnationem usus instrumentorum bellicorum quae bellum totale constituere possunt.

3. De casu conscientiae recusationis servitii militaris. In textu dicitur in hodiernis adiunctis sat conveniens esse de hoc tractare. Sed nobis videtur quod haec adiuncta sunt adiuncta societatis europeae. In Asia ac in Africa fere omnes nationes, insidiis externis ac internis circumdatae, ordinem socialem atque exsistentiam propriam defendere semper constringuntur. Auctoritas publica valde male videt praedicatores pacifismi inter suos concives. Sicut accidit apud nos ut quondam quaedam secta religiosa christiana legitimitatem recusationis servitii militaris praedicans, magnam suspicionem et contrarietatem provocaret. Parcite nobis a talibus difficultatibus et tollite istam propositionem a schemate nostro. De tanto casu particulari Concilium loqui non oportet. In hoc mecum concordant omnes mei Confratres in Sinis.

48

REV.MUS P. D. GERALDUS MAHON
Superior generalis M.H.M.

On page 94 of the English Text, n. 96. On line 13 after "... history of mankind" put: "This unprecedented increase may be judged from the fact that a fourfold increase is expected to take place in the population of the world in this century. In the year 1900, the population of the world was estimated to be just over 1½ billion (one thousand million); at mid-century, it was 2½ billion and by the year 2000 sober estimates suggest that it will be 6 billion. The situation is made all the more grave because the increase is taking place mainly in the less developed countries. It is reckoned that in the second half of the century, the population of Africa will double, that of Asia will be trebled and for every 100 people in Latin America in 1950 there will be over 400 by the year 2000. By then 75% of the world's population will be in the countries now classed as less developed".

The last sentence of that paragraph "It is therefore ... whole human community" should go at the beginning of the next paragraph.

Then at the end of n. 96 a new paragraph should be added as follows: "But it must also be realised that the increase of population at present rates will cause such continuing difficulties that some limitation of the rate of this increase in the areas most affected is desirable. Catholic population experts and others should be urged to study the whole range of problems connected with demographic expansion and the factors affecting population growth and to have an honest dialogue with experts outside the Church on a scientific basis without prejudice to the moral teaching of the Church. The concern of the Church with regard to the problem which is very much to the fore in the minds of men would thus be clearly manifested. The realities of the population explosion must be faced and seen to be faced by the Church. A simple trust in Providence without the great efforts necessary to understand the designs of Providence or a naive interpretation of the biblical injunction to increase and multiply does great disservice".

* * *

Pro schemate Constitutionis Pastoralis *de Ecclesia in mundo huius temporis,* suggeritur ut includatur hic brevis textus de valore orationis in familia pro eius fructifera unione in Deo.

Pars II, cap. I, n. 61, lin. 40: « ... accedunt. Ad roborandum sensum Dei in sinu familiae maxime confert illa oratio qua omnia sua membra insimul in fide et caritate Deum colunt et eius uberrimas benedictiones impetrant. Unde per ipsos etc. ».

49

Exc.mus P. D. IOSEPH MARTENETZ
Episcopus tit. Soldaiensis

N. 98. Certe ea quae in schemate asseruntur de vitando bello pro eis qui certa principia moralia admittunt, valent. Attamen schema, ut in titulo affirmatur, dirigitur ad homines huius temporis, inter quos exsistunt quidem, qui nullis principiis moralibus se considerant adstricti. Ipsis, bonum et morale est, quod ad dominationem totalem mundi per factionem politicam ducit, sine respectu ad quaecumque principia. Estne rectum et prudens damnare usum mediorum imprescendibilium, ut populi possint repellere iniustam aggressionem istius factionis? Defendere valores non materiales ut vitam, sed spirituales, libertatem, cultum Dei, educationem moralem prolis etc.? Certe « *boa constrictor* » postquam deglutivit victimam, necessitatem habet requiei, ut digestionem eius facile possit completare. Sed per hoc momentum quietis non extinguitur in eo instinctus rapacitatis et aggressionis. Porro necesse est declarare in schemate legitimitatem propriae securitatis per apta media et belli *defensivi* contra iniustam et non provocatam aggressionem.

50

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

Post perpulchrum interventum em.mi Ottaviani, alia duo mihi videntur esse declaranda in hoc capite ad melius stabiliendam pacem inter communitates hominum.

Prima est declaratio de libertate migrationis hominum quocumque velint praesertim cum finis migrationis non sit turismus, vel cupido cito ameliorandi suam conditionem: sed necessitas vivendi et propriam familiam alendi. Nationes quae magnam regionem possident non possunt sine crimine contra humanitatem ianuas sui territorii claudere indigentibus, qui petunt tantum terram quam colant ad seipsos sustentandos.

Hoc intelligitur semper cum moderamine rationis, scilicet migratio necesse est ut sit ordinata, et omnia parentur ut fluxus populationum ordinato modo fiant.

Secunda declaratio specialis et *ad hoc* deberet esse ad vitium sic dicti « razzismi » estirpandi, damnando omnis praxis quae cultum propriae stirpis, vel propriae nationis, vel propriae culturae sic fit ut cedat in damnum moralem aliarum stirpium.

51

Exc.mus P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH

Episcopus S. Iacobi Veraguensis

Cap. V *de communitate gentium et de pace promovenda* valde laudandum est. Omnia sub respectu pacis proponuntur. Pro attente caput legentibus autem nova quaedam visio pacis ante conspectum oritur. Pax non est mera absentia belli, neque aliquid mere iuridicum nec politicum. Pax vera est complexum illarum omnium relationum quibus homines in unaquaque communitate sicut etiam in universo orbe iuste, harmonice, fraterno modo inter se connectuntur. Pax politica sine pace oeconomica, culturali et ideologica est mera fictio quae non potest longe stare. Pax non est mera bona dispositio rerum sed primo et fundamentaliter manat ex intentione spirituali cordium. Eget absolute hac intentione et hoc fundamento spirituali et morali. Pax non est aliquid staticum, neque umquam definitive habitum; sed est essentialiter dynamicum — « numquam factum » sicut textus asserit, « sed semper aliquid faciendum ».

Nemini latet hanc esse visionem pacis quam Summus Pontifex Paulus VI feliciter regnans nuper descripsit ante amplum consessum Nationum Unitarum. Est etiam visio pacis quam proponit noster textus. Attamen fatendum est textum nostrum, quamvis longiorem et magis specificum quantum ad

aliquas condiciones pacis et quaestionem difficillimam belli moderni, minori claritate et acuitate visionem pacis exhibere. Non dico textum nostrum nimis abbreviandum esse, quia munus Concilii in hoc campo est etiam de particularioribus agere; sed certe aliqua clariori et fortiori modo dicenda sunt sicut exemplum nobis dedit carus Papa Paulus VI.

Primum de introductione, sub n. 90. Unicuique capiti huius secundae partis praeficitur similis introductio seu brevis descriptio status rerum in campo de quo caput agere intendit. Elementa essentialia habentur in nostra introductione, sed clariori modo exhibenda sunt, scil.: 1. Signum horum temporum quod certe inter praecipua est, nempe realis unitas physica universi mundi, cuius partes tam immediate inter se per media actualia communicationis inter se connectuntur; et factum exinde notabilis inter-dependentia nationum orbis inter se in omni ordine rerum. Quasi non est pax hodie in mundo nisi sit pax universalis. 2. Secundum, quantum iam factum est a multis hominibus et per perplures associationes internationales ad promotionem pacis et eius conditionum in mundo, praesertim per ipsum coetum Nationum Unitarum, qui in se constituit etiam maximum signum horum temporum pro bono universali et ad vitanda mala aeque universalia sicut dixit Papa Paulus: « ultima spes concordiae et pacis ». Nisi haec in initio dicuntur, venerabiles Patres, videtur Concilium ingenue commendare in posterum multa quae iam facta sunt, vel sibi assumere munera pacis et promotionis in favorem egentium quae Ecclesia ut institutio officialis haud in actum reducere queat. Omnino augenda sunt opera promotionis et caritatis Ecclesiae, sicut ait ipse Summus Pontifex, exempli gratia per illum secretariatum pro fame quem plures Patres conciliares iam optime proposuerunt. Attamen, sicut etiam observavit Summus Pontifex, media nostra minima sunt ante tam ingentem laborem.

Clarius sic evadit peculiaris missio Concilii in favorem pacis, et clarius poterit in textu affirmari. Ecclesiae, praesertim in Concilio, est lineamenta spiritualia fundamentalia pacis exhibere; condiciones oeconomicae, politicae et etiam militares pacis quae immediate ex hac visione spirituali hominis in hodierna societate consequuntur valide enuntiare; et deinde exemplum praebere actionis pro pace, exhortando simul praesertim ad proprios christifideles ut suas partes agant una cum omnibus hominibus bonae voluntatis in favorem pacis tam desiderandae. Optima, perpulchra et perutilia sunt dicta in nostro capite de pace construenda et firmanda. Magis significarent autem si clarius perspicere potuerit lector quare et quo modo ea ab Ecclesia dicta sunt.

Tria tantum exempla praebeo, denuo sumpta ex recentibus verbis Summi Pontificis. Primum attinet ad significationem huius signi praecipui nostrorum temporum supra adducti, i. e., semper crescens unitas omnium hominum et eorum maxima inter-dependentia. Sane hoc constituit « idealem desideratum ab ipsa humanitate in sua peregrinatione per tempora ». Nonne etiam « ostendit in ordine temporali id quod Ecclesia vult esse in ordine spirituali ». Ex hoc

apparet evidentius necessitas et etiam convenientia sub omni respectu maiorum conaminum et in necessariis etiam gubernii in plano universali in quo homines omnes nunc conveniunt.

Secundo, multo fortius dicenda est obligatio nationum progressarum illorum mediis utendi ad pacem construendam auxiliando ad provectionem illorum omnium populorum qui nunc de eis oeconomice sic dependent ut pauperiores quotidie eveniunt dummodo nationes progredientes divitiores evadunt. Insistere fortius quod media sunt utenda ad pacem construendam potius quam ad bella paranda. Difficile et durum est hoc dictu; sed omnes norunt hoc esse aliquo modo verum. Ecclesiae est conscientias hominum in re tanti momenti tangere.

Tertio et ultimo, fateri debemus catholicos non praeeminere inter alios hoc nostro tempore in illis quae ad promotionem internationalem pro pace attinent. Catholicus vult dicere universalis; sed catholici persaepe sunt paroeciales tantum. Si Sacra Synodus in hoc schemate omnes homines bonae voluntatis vocat ad actionem mundialem pro pace construenda, praeprimis haec vocatio dirigi debet ad catholicos qui per eorum professionem universalis fraternitatis hominum in Christo debent scire clarius eos esse, verbis Papae Ioannis XXIII, consolidarie responsabiles pro fame in universo mundo. Debent omnes pro pace modis positivis et generosis adlaborare, sicut Papa Paulus catholicos Neo-Eboracenses recenter docuit. Haec omnia apertius dici poterint sub numero 102. In hoc etiam tempore novae congregationis omnium hominum in unum, saltem physica unitate mundi actualis, providentia divina disposuit hanc universalissimam Synodum episcoporum ex omni parte mundi, sicut numquam visum est antea in Ecclesia, doctrinam de collegialitate episcoporum sub directione Summi Pontificis iterum in lucem ponere. Gaudendum est deinde ut textus pag. 81, linn. 15 ss. nos memores reddit nos ipsos principalem sollicitudinem habere in formatione et actione christianorum pro suis fratribus in tota dimensione mundi.

Addo hoc tantum. Sub n. 101 mihi videtur omnino necessarium aliquam referentiam facere ad bellum insidiosum (« guerrilla », usus terroris) quod nunc est forma communissima belli in mundo, magis quam forma classica.

52

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 74, linn. 6-10. Occurrit obiiciendum, ad ea quae hic dicuntur: « ad iura sua vindicanda actioni violentae renuntiare » non est simpliciter et in omni casu laudandum. Immo talis renuntiatio non semper licita est, cum saepe sit necessaria et laudabili heroismo coronata talis vindicatio iurium et bonorum superiorum personae, familiae, patriae, innocentium, debilium, contra iniquam aggressionem vel iniustam violentiam, prout optime in ethica

christiana probatur. Hoc ipsum saepe Spiritus Sanctus in Scriptura laudavit et commendavit, ut exempli gratia laudatus est Iudas eo quod « exhortatus est suos ut fortiter dimicarent et usque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria et civibus » (*2 Mach.* 13, 14).

53

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ROSARIUS MENNONNA
Episcopus Neritonensis

N. 101. Videtur viam aperiri legitimationi obiectorum conscientiae per aliqua verba in schemate introducta. Id magnum vulnus societatibus democratice constitutis, in quibus tantum exstat libertas utendi et abutendi, inferre potest.

54

EXC.MUS P. D. LUCIANUS METZINGER
Episcopus tit. Autentensis, prael. Ayaviriensis

De cap. V schematis sectionem tertiam tantummodo attingere vellem, quae sub nn. 102 et 103 de praesentia Ecclesiae in communitate internationali et de partibus christianorum in Institutionibus Internationalibus agit. Et quidem

1. Ad manifestandum quantum placeant quae ibi dicuntur et suadentur de cooperatione Ecclesiae in fundamentis consortionis pacificae hominum et populorum stabiliendis. Nam in hoc saltem puncto apparet iam haberi illud inter Ecclesiam et mundum colloquium, quod de principalioribus huius temporis problematibus Concilium instituere intendit, sicut in prooemio schematis explicite declaratur.

2. Cum de Consociationibus Catholicis sermo fit, optime revera indicatur momentum cooperationis, quam christiani, sive singuli, sive consociati, Institutis Internationalibus praebere possunt; attamen maioris momenti adhuc foret, si ipsa Ecclesia ut societas per viros quosdam publice delegatos in Illis Institutis praesens fieret. In his enim coetibus problemata totius mundi examini subiciuntur, solutiones exquiruntur et decisiones praeparantur; ibique expedit Ecclesiam adesse, ubi efficaciorem cooperationem praestare valeat atque spiritu verae caritatis et iustitiae mentes et animos eorum imbuere de quibus decisiones pro totius mundi ambitu ferendae pendent.

3. Consociationes Catholicae ordinis internationalis, v. g. sic dicta O.I.C. seu Officia Internationalia Catholica, quae brevissimis subsidiis magnam iam navaverunt operam, laborem tamen in ipsius Ecclesiae ambitu nimis impendere videntur, impellantur ut consuetudinem faciant cum Institutis non catholicis et cum viris omnibus eodem genere activitatum addictis. Tali enim

commercio et maior inter Christianos et mundum cooperatio obtineretur, maiorique auctoritate ipsae Consociationes Catholicae apud universam societatem pollerent.

4. et ultimo. Consociationes Catholicas ubique esse instituendas atque fovendas peropportune commendatur; sed cavendum, dum novae Institutiones a conferentiis episcopalibus conduntur, ne consociationes iam existentes ignorentur et parvi pendantur. Quod pluries nuper accidit, cum in quibusdam nationibus instituta sunt sic dicta Officia Opinionis Publicae, quae quidem ex explicito mandato Decreti Conciliaris *de instrumentis communicationis socialis* ubique terrarum condenda sunt, sed auctoritati illarum Consociationum Internationalium semper subicienda, quae « a sola Sancta Sede legitime approbantur et ab eadem pendent ».

Quae omnia in ipso textu nostrae constitutionis paucis verbis intexere nec laboriosum, nec supervacaneum fore censeo.

55

EXC.MUS P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON
Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sidneyensis

Attentionem vestram dirigere velim ad pag. 78, linn. 1 ss., ubi sic legimus: « Exhaustis omnibus pacificae tractationis subsidiis, non illicitum esse possit iura iniuste impetita contra iniustum aggressorem vi et coactione defendere ».

Propono ut formula illa negativa: « non illicitum esse possit » mutetur in hanc formulam positivam: « licitum est » vel saltem « licitum esse potest ».

Absolute affirmo, et semper affirmabo, quod amor patriae qui inter nobilissimas virtutes naturales exsistit, recte omnino impellit omnes homines, qui vere homines sunt, non pulli quidem, ut patriam suam contra iniustum aggressorem vi et coactione usque ad mortem defendant. Quidquid nos hic dicamus, homines recte asserunt se habere non tantum ius inalienabile, sed et verum munus patriam tuendi contra aggressiones iniustas.

Praeterea, auctoritas suprema civilis gravem obligationem moralem habet omni vi et conatu nationis et civium libertatem, dignitatem et prosperitatem protegendi contra incursiones eorum qui populum suum in servitutem redigere cupiunt. Non tantum, sed gravem obligationem habet nationem suam ad bellum defensivum parandi, si percipiat aliam nationem intendere bellum contra se gerere. Quicumque alius modus agendi esset gravissima derelictio muneris publici, proditio patriae, quae iram populi sui iure meritoque mereretur.

Semper licitum est sese parare ad bellum defensivum contra aggressorem iniustum. Semper licitum est vi et coactione sese actualiter defendere contra aggressorem vere iniustum.

Insuper, aliquando omnino obligatorium esset iniustum aggressorem tota

vi totoque conatu repellere. E. g. quando natio aliqua bellicose intendit toti mundo dominari, sicut hodie verificatur, tunc unaquaeque natio, pro pace et pro bono totius mundi, obligationem habet faciendi quod in se est ut immanis et monstruosa illa natio eiiciatur foras. Et hoc eo magis verum est si aggressor ille diabolice intendit Ecclesiam Dei destruere et libertatem filiorum Dei auferre.

Quis ex vobis non urgeret populum vestrum ad strenue resistendum incursionibus nefandis alicuius nationis communismo atheistico imbutae?

Nunc transeo ad pag. 79, lin. 32. Iuxta meum iudicium, quae iam dixi debent proportionaliter applicari ad hunc locum. Et audeo dicere quod si aggressor iniustus arma nuclearea, proh dolor, adhibeat, non possit affirmari quod illegitimum esset par pari referre. Si enim verum ius adest sese defendendi contra iniustum aggressorem, tunc ius adest sese adaequate defendendi.

Pag. 73, lin. 8: « restituens omnium unitatem in uno populo et uno corpore ». Haec verba simpliciter falsa sunt. Mors Christi ex se et per se non iustificavit ne unum quidem hominem. Similiter non restituit « omnium unitatem in uno populo et uno corpore », sed *possibile* reddidit iustificationem omnium, et *possibilem* reddidit unitatem omnium in uno populo et in uno corpore. Calix salutis, nisi bibatur, non medetur quempiam. Doctrina de redemptione obiectiva et subiectiva est dogma Fidei.

Praeterea, de facto Christus per Crucem suam non restituit omnium unitatem in uno populo et uno corpore sicuti omnibus patet.

Ibid. lin. 10: Christus « Spiritum caritatis in corda hominum diffudit ». Uti ex textibus S. Scripturae indicatis constat, Christus non diffudit Spiritum caritatis in corda *omnium* hominum, sicut contextus schematis velit innuere, sed in corda *suorum* seu credentium seu christianorum.

Pag. 77, lin. 3: loco verborum « nullam rationem habent » legatur: « debitam rationem non habent ». *Ratio*: ne quidam dicant « aliquo modo *legis moralis* rationem habemus ».

Pag. 77, lin. 18: faveatis clarius exponere significationem vocis « indiscriminatim ». Aliqui Patres sic dicunt: si intentio est destruere « installationem militarem » in aliqua urbe, tunc non est illicitum destruere totam urbem, et non est actio bellica indiscriminatim facta. Alii autem Patres dicunt: non, non licet totam aliquam urbem destruere ut installatio quaedam militaris eo ipso deleatur. Praecaveamus contradictorias interpretationes.

Pag. 79, lin. 33: loco verborum « solum ad deterrendum adversarium » ponantur haec verba: « sive ad deterrendum sive ad se defendendum contra adversarium » etc.

Ibid. lin. 34: ante pericopen « Sed enixe agendum est ... » etc. inserantur haec verba Summi Pontificis Pauli VI coram Organizatione Nationum Unitarum prolata: « Immo, finché l'uomo rimane l'essere debole e volubile e anche cattivo, quale spesso si dimostra, le arme della difesa saranno necessarie, purtroppo ». *Rationes*: *a*) verba quae sequuntur, scil. « non affirmari potest ut in se illegitima » verificantur, et in casu sui defensionis, et in casu

deterritionis. Utique, circumstantiae adesse possunt in quibus actualis usus illorum armorum esset illegitima, v. g. si pax totius mundi in periculo poneretur; *b*) verba Summi Pontificis, quae se referunt etiam ad arma hodierna nuclearea (« le armi, quelle terribili specialmente che la scienza moderna vi ha date ») doctrinae constitutionis contradicunt.

56

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

N. 98 s. Quanto gaudio afficimur legentes quae in schemate dicta sunt de « Pace firmanda et de bello vitando »; nos qui pondus atrocis belli sustinuimus ac sustinemus viginti abhinc annis! maxime cum belligerantes sunt ideologia athea infecti, nihil de principiis evangelicis cognoscentes, capaces omni atrocitatis genere sine scrupulo. Duo videmus notanda quae non inveniuntur in schemate: insinceritas et informatio seu propaganda perfida.

a) *Insinceritas.* Sinceritatis defectus omnem dialogum aut inutilem aut impossibilem reddit: nam intendit interlocutoris aut deceptionem aut non intellegentiam in sensu communi; omne pactum, omnis tractatio in vanum cadit.

In multis circumstantiis, talis insinceritas in systema erigitur, ut ait Pius XI, f. m., et necessario provocat susceptibilitatem, dubium et defectum fiduciae.

b) *Informatio falsa,* partialis, non minus nocet pacis causae: nam in pacis quaestione, multum valet opinio publica et internationalis. Sed proh dolor! Quoties a potentissimis communicationis socialis modernis mediis sparguntur notitiae falsae, absconduntur vel erroneae interpretationi subiiciuntur veritates, et quod multo peius est, immensas atrocitates unius sub secreto absoluto custodiuntur, dum activitates falsificatae et imaginariae super tecta publicantur in detrimentum alterius.

Immo quod nobis magis mirandum est, opinio publica praeferre videtur affirmationes non fundatas falsi propagatoris quam testimonium oculare iniuriae patientis!

Optamus ut in n. 100, pag. 79, post verba « per formationem opinionis publicae », lin. 19, addantur haec verba vel alia huiusmodi: « in veritate et sinceritate » fundatae...

57

EXC.MUS P. D. DOMINICUS YOSHIMATSU NOGUCHI

Episcopus Hiroshimaensis

Subsignatus episcopus Hiroshimaensis in Iaponia proponit ut n. 100 schematis constitutionis pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, in pag. 79, a lin. 31, ita emendetur: « Si tamen propter insufficientiam institutionum internationalium ad pacem communiendam constitutarum omnimoda suppressio istorum armorum statim obtineri nequeat, enixe agendum est ut tali statui rerum quam citissime finis imponatur, etiamsi ad hunc finem assequendum summae difficultates sint superandae ». *Rationes*:

1. Ita evitatur directa approbatio, quae videtur opponi illis quae dicuntur de his armis in n. 98, pag. 77, linn. 29-34.

2. Evitatur etiam phrasis problematica: « possessio illorum armorum, solum ad deterrendum adversarium iisdem armis instructum »; talis possessio enim sensum non habere videtur sine intentione utendi iisdem armis in casu conflictus.

3. Timendum est ne in nostris regionibus, quae primo experientiam horrendam istorum armorum habuerunt, assertio directa textus schematis (« non affirmari potest ut in se illegitima ») a multis aegre feratur.

4. Christiani et non-christiani in Extremo Oriente expectant declarationem firmam et univocam Concilii de hac re.

58

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PILDAIN Y ZAPIÁIN

Episcopus Canariensis

N. 100. 1. Perpulchra revera sunt quae in hoc schemate de pace firmanda dicuntur, utpote eloquentissimae reiterationes eorum quae ab ultimis Romanis Pontificibus prolata fuere — quaeque, proh dolor, inania et inefficacia de facto devenerunt, non quidem culpa Romanorum Pontificum, sed culpa eorum qui ipsis aures surdas praebuerunt.

2. Timeo, igitur, vehementer ne idem omnino contingat iis pulcherrimis quae in hoc schemate nostri Concilii dicuntur, nisi expresse et vehementer proponantur et inculcentur media concreta, et practica, prorsus, ad humanitatem, semel pro semper, liberandam ab hoc horrendo scelere belli quod hodie secum ferret totalem ipsius humanitatis destructionem.

3. Nec talia media desunt. Duo praecipue. Primum, magna ex parte efficax. Alterum, omni ex parte, plane efficacissimum.

Primum: Omnes nostis Romanum Pontificem Benedictum XV post varia alia documenta, quae inefficacia de facto exsistere, exhortationem et vehementem invitationem direxisse omnibus rectoribus nationum belligerantium,

ad statuendam pacem, cuius cardo fundamentalis esset in substituenda vi materiali armorum per vim moralem iuris, ita ut per mutuam conventionem perveniretur ad simultaneam et reciprocam armamentorum diminutionem; ad institutionem supremi cuiusdam Tribunalis internationalis vel supranationalis quod arbitri munus gereret inter nationes.

4. Quae solemnissima invitatio pontificalis, inefficax omnino — sicut et ceterae — devenit, immo et ansam dedit non paucis, etiam ex catholicis, dicendi, invitationem et remedia a Romano Pontifice proposita illusoria esse, utpote carentia mediis ad tantum et talem effectum obtinendum.

5. Et tunc em.mus card. Gasparri, nomine Summi Pontificis scripsit ad arch. Senonensem epistolam, in qua, inter alia, em.mus Secretarius Status clarissime aiebat: « Ego non haesito confiteri ex omnibus systematibus usque nunc propositis, nullum de facto revera practicum, efficax in praxi, exstitisse ».

Et tamen hoc systema revera practicum existit — addebat ipse em.mus cardinalis — est systema quod Summus Pontifex pro reverentia erga praesides nationum noluit publice indicare, et consistit in hoc: in suppressione, per mutuam inter nationes conventionem, in suppressione servitii militaris obligatorii, in constitutione tribunalis cum munere arbitri supremi, et in stabilienda sanctione « boycottage » universalis adversus quamlibet nationem quae, aut servitium militare obligatorium restaurare, aut decisionem praedicti tribunalis reiicere auserit.

6. Supprimere ergo non exercitus nationum, quos Ecclesia semper maxime honoravit, et quos ipsemet Benedictus XV in praefata Adhortatione necessarios proclamavit ad sustinendum ordinem publicum uniuscuiusque nationis; sed suppressionem servitii militaris obligatorii, cuius exitiales effectus iam insignis Pontifex Leo XIII, in sua Encyclica *Praeclara gratulationis,* amarissime lamentabatur, deplorans quod « improvida adolescentium aetas, procul parentum consilio magisterioque, in pericula truditur vitae militaris: validissima pubes ab agrorum cultura, a studiis optimis, a mercatura, ab artificiis, ad arma traducitur ». Hinc exhausta magnis sumptibus aeraria, attritae civitatum opes, afflicta privatorum fortuna.

Suppressio igitur servitii militaris obligatorii in omnibus nationibus, subiectio ipsarum ad Supremum internationale Tribunal, et omnimodum universale boycottage adversus quamlibet nationem quae contra egerit; boycottage nempe totale, sive diplomaticum, commerciale, sive industriale, sive culturale, sive turisticum, sive aëreum, sive navale, boycottage nempe ex toto et in totum.

En primum efficax medium ad bellum vitandum haud quidem parvae auctoritatis, utpote a Romano Pontifice pacis, Benedicto videlicet XV, propositum.

7. Sed restat adhuc aliud, inter omnia, ni fallor practicum et efficacissimum.

Fundatur in illa persuasione hodierna populorum, qui, in semetipsis, horrendissima, ut numquam, bellorum exitia experti sunt, quique prius

magis minusve confusa, nunc vero clarissima et incoercibili certitudine convicti sunt de hoc: quod si ipsimet populi possibilitate non caruissent, sicut caruerunt, semetipsos syndicandi, et corrigendi dispositiones et acta Potestatum publicarum, Guberniorum videlicet, duo ultima praesertim horrendissima bella exorta non fuissent. Non sunt verba alicuius demagogi aut anarchici, haec, sunt verba insignis Pontificis Pii XII, in allocutione sua Natali anni 1944 habita.

« Necesse igitur est — addebat ipsemet Pontifex — ad tales in posterum catastrophas vitandas, creare in ipso populo "garantias" (garanzie) fideiussiones nempe quae in manu ipsius populi sint, non in placito gubernatorum eius.

Quae? Mea humillima, sed firmissima sententia, sunt haec: Ut omnes et singuli populi sive nationes universi orbis, democratice omnino, hoc est, per suffragium directum, seu referendum, legitime et indeclinabiliter omnino conveniant et firmiter paciscantur ut, statim bello quacumque ex causa exorto, primi qui ad campum bellicum pergant et in loco maioris periculi permaneant sint reges, praesides, duces et supremi populorum gubernatores simul cum suis ministris, secretariis, diplomaticis, deputatis, etc. etc., et quod uxores et filiae eorum ipsissima loca occupent ac humillimae ac pauperrimae mulieres populi, absque speciali tegumine sive securitate, aut protectione; in casu enim extremae necessitatis, qualis est bellum, omnia sive bona sive mala debent esse communia.

Est unicum medium revera efficax ad omne bellum perpetuo impediendum.

9. Nam si bello quomodocumque exorto et dum filii populi moriuntur in luto campi bellici, moderatores vero populorum, sive reges, sive praesides et politici et diplomatici et duces, placide et securi dormiunt in suis blandissimis lectulis, numquam deerunt bella in terris.

Dum e contra, si ipsis plane compertum et indeclinabile sit, quod bello, quacumque ex causa exorto, ipsi erunt qui, primi prae ceteris, ad locum maioris periculi profecturi sunt, et si renuant ire, aut intentent remeare, a legitimo tribunali populari morte erunt plectendi, statim, sine mora, circa mensam diplomaticam sedentes, inter pocula champagne aut wisky subito invenient et subscribent formulas concordiae, quae omne bellum et periculum belli indefectibiliter evanescere facient a superficie universae terrae.

Omnes tenentur exponere absque dilatione, dubitatione aut tergiversatione quod possibile est ad bellum semel pro semper proscribendum et delendum, dixit non recordor quis.

Et ecce quod ego omnium minimus proponere ausus sum huic S. Concilio Vaticano II, intime persuasus quod omnes institutiones et societates internationales pro pace erunt prorsus inutiles, donec non praesideat ipsas realiter Princeps pacis.

10. Ideoque, quo indigniori premitur silentio suavissimum Redemptoris nomen in conventibus inter nationes habendis, et in Curiis internationalibus, eo altius illud conclamari oportet « nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ».

59

EXC.MUS P. D. ERNESTUS PRIMEAU

Episcopus Manchesteriensis

N. 100, pag. 98, second paragraph, "intervene effectively in the arbitration of international disputes". A better translation would be something like "settling disputes by its good offices".

The reason for my observation in both cases is that there are two types of disputes in both labor relations and international relations. One concerns *rights* and this can correctly be submitted to a judicial board, such as a board of arbitration of the International Court of Justice. But when disputes involve *claims* rather than clear rights, the appropriate remedy is conciliation, not judicial procedure. In labor disputes, this involves the use of public or private mediators. In international disputes, one might use the United Nations or a friendly nation acceptable to both sides.

If arbitration was really meant in both cases, this should be corrected lest the Council appear rather uninformed to readers skilled in labor relations or international relations.

60

EXC.MUS P. D. IOSEPH RAPHAEL PULIDO MENDEZ

Archiepiscopus tit. Cyrrhensis, coad. c.i.s. Emeritensis in Venezuela

N. 92, pag. 74, lin. 9. Deleatur « cunctis etiam debilioribus patentia ». *Ratio*: suadere videtur ut nationes paucissima faciant ad sese defendendas.

N. 93, pag. 74, linn. 11-39. Mutetur numerus, subsumatur textus et in unum digestus cum n. 84, ibidem transferatur. *Ratio*: ne fiat inutilis repetitio; sufficit, pro hac sectione, quod dictum est in n. 92, pag. 73, linn. 20-28.

61

EXC.MUS P. D. MAURITIUS RIGAUD

Episcopus Apamiensis

N. 98, prima paragraphus: Modus: « Sic adloquendo christianos necnon homines bonae voluntatis de gravissima quaestione, nullo modo intendimus nos ingerere in rebus quae proprie ab auctoritate civili pendent, sed volumus, secundum mandatum Evangelicum nobis commissum, media investigare quibus, Deo adiuvante, mala notissima huius temporis superari possint ». *Rationes*: 1) Doctrina Ecclesiae, quamvis cupida sit debitam autonomiam potestatis civilis servandi, necessario circumfert consequentia in ordine politico et

technico. 2) Non est tantum Ecclesiae limites ostendere, sed vias aperire quibus pax positive firmari possit.

N. 100, secunda paragraphus. Modus: « Attamen, quamdiu institutiones internationales paci firmandae impares maneant, non est exspectandum a nationibus ut singillatim et sine conditione arma deponant ». *Ratio*: nam, ut consilium arma deponendi sapienter sumatur, considerandum est « aequilibrium terroris » reapse existere et grave obstaculum constituere. Attamen non possumus tale aequilibrium terroris licitum dicere quin videamur ipso facto contradicere aut irritum facere id quod iam ante dictum est aut quod ulterius dicetur.

N. 101, ad primam paragraphum, addendum in fine. Modus: « Probandi et adhortandi sunt ii qui, nolentes ex una parte iniustitiae se passive resignare et ex altera parte iniustitiam vi repellere, malunt aperte et pacifice oppressoribus resistere, ita tamen ut vitam et iura eorumdem observat, se tali modo gerendo, poenis et vindictae sese exponant. Sic faciendo, conscientiam humanam provocant et excitant et coram hominibus manifestant legem mutandam esse ut bono communi provideatur ». *Rationes*: 1) Necesse est clare ostendere quomodo respective ad bellum se gerant iis qui violentia renuunt uti, de quibus mentio fit n. 92.

2) Nobis signum esse debet quod « praemium Nobel pro pace » (gallice: Prix Nobel de la Paix) oblatum est duobus viris qui partibus sic dictis « non-violentiae » favebant, immo praeerant, Alberto Luthuli et Martino-Luther King. Haec attributio clare indicat mundum hodiernum partes « non-violentiae » probare et exspectare ut ii qui pacem amant, tali incepto faveant.

3) Talis modus agendi assumi potest etiam a pauperibus. Occasionem praebet iis qui condicionibus vitae opprimuntur, et palam manifestare quae sit reapse sua condicio, et efficaciter laborare ut ad libertatem accedant, quin ad factiones violentas auxilium dent, ut puta ad fractiones marxistas, seu « racistas », seu nationalisticas.

4) Qui modus, nuper clarior factus ab hominibus non christianis, ut Gandhi, aut non-catholicis ut Luthuli et pastor King, consentaneus est Evangelio, traditioni Ecclesiae nec ideo a catholicis ignorari potest.

N. 101, secunda paragraphus. Ut in melius emendetur secunda paragraphus, ordinem sic immutandum proponimus: Modus: Proponimus ut initietur paragraphus in lin. 17, pag. 20: « Ubi autem violatio, etc. ... » usque ad lin. 23 « et secundum legem moralem agendi ». Tunc, sic dicatur: « Attamen, nemini licet dare vel exsequi mandata quae evidenter legi Dei adversantur, ut sunt occisio innocentium et captivorum, aut correptiones ad carcerem pro arbitrio et praeter ius factae. Cum timor huius modi iniuriarum hodie diffundatur et homines premat quasi indesinenter, opportunum nobis videtur ut, in praesentibus adiunctis, lex civilis ius admittat eorum qui pro sua conscientia, id est sive quia vitam humanam reverentur sive quia evolumento violentiae se opponere volunt, sive ad spiritum evangelium sequendum, servitium militare recusant vel ea facere abnuunt, sive in pace sive in

bello, quae humanum genus ad mores barbaros reducerent ». *Rationes*: 1) Ut ordo logicus melius servetur. 2) Ut textus fortior evadat. Nam, ut sonat in nostro schemate, mollis apparet. « Obiectio conscientiae » ut ibi describitur, non videtur quid rationabile et compactum, sed potius opinio confusa et immatura tantum a quibusdam individuis, vel perturbatoribus (gallice: anarchistes), vel « mysticis » electa.

Adnexa. N. 101, secunda paragraphus in fine. Modus: « Insuper necesse est ut qui, in praedictis conditionibus, militiam evaderent, possint paci instaurandae laborare, armis pacificis utendo, servitio civili faciendo, quaerendo et promovendo, pro suis viribus, vias diversas quibus oppressis bello adiuvari et iniustis aggressoribus pacifice resisti possit ». *Rationes*: 1) Necesse est ut, si voluntarie abnuere militiam possunt, astringantur oneribus haud minoribus. 2) Necesse est etiam, ut hi qui hanc viam ineunt positive de suis officiis moneantur.

[*Subscripsit etiam*] P. Gouyon, arch. Rennes.

62

EXC.MUS P. D. THOMAS ROBERTS

Archiepiscopus tit. Sugdaeus

De bello nucleari multum agitur in hoc schemate, quo innuitur quidem parum humanum esse hunc modum belli gerendi; hoc autem condemnato, non eo ipso liquet quid ultra faciendum sit, vel quomodo singuli christiani agere debeant. Nam usque modo christianis re vera non successit ut hoc problema modo fide sua digno solvant. Cuius causa nonne inde quaerenda est, quod ipsa arma belli potius quam personas ea gerentes consideravimus? Ut exemplo explicem id quod dico: non multo ante tempore, legatus quidam militaris, apud iudices britannos testificans, palam asseveravit se non dubitaturum, si modo iure iuberetur, ne impulsum electricum premendo excitaret, quo innumeris hominum millibus mortem, sive mala vel morte peiora, immitteret. Eo enim pervenimus ut ipsum digitum humanum ab hoc impulsu electrico non iam distinguamus; obliti sumus digitum hominis instrumentum esse mentis, cordis, conscientiae hominis, unde homo Deo respondere habet de factis quorum consequentiae in aeternum stabunt.

Nonne mentem graviter turbat, reverendissimi Patres, considerare quam raro nos pastores catholici, sive in re sive in theoria, agnoverimus ius conscientiae militiam recusandi, ubi quis bellum vel propter causas vel propter modum gerendi iniustum sincere iudicet? Et hoc non obstante quod his quinquaginta annis fere omnes rei publicae quibus principia iuris anglicani communia sunt, exemplum Britanniae secutae sunt, quae respublica iam inter primum bellum mundiale, ubi primum lege lata universis civibus militiam decrevit, tunc etiam quasi principium iuris agnovit, conscientiam non violan-

dam esse, sed potius illum qui ex conscientia honesta, rationibus gravibus, militiam recusaret, dimittendum esse.

Num quis fratrum separatorum, quos in hoc Concilio tanto cum gaudio excepimus, hoc ius conscientiae non agnoscet, etiam si rarius invocetur? Ex alia vero parte, quanta neglegentia, quanta cordis duritia catholici plerumque illos aspexerunt quos verbis perpensis martyres conscientiae vocare licet; inter quos rusticum illum austriacum honoris causa nomino, Franciscum Jaegerstaetter, qui sub tyranno Hitler mortem crudelissimam subiit, ne iussis oboediret quae, ut rectissime iudicabat, sibi peccatum fuissent. Quam saepe tales martyres, sive antea sive hodie, ab illis qui Christi vicem gerunt verbum solatii vel hortamenti frustra speraverunt!

Etiam in terris ubi ius militiae secundum conscientiam recusandae vi legis agnitum est, hoc ius ipsis catholicis saepius negatum est, quia auctoritas civilis censuit « fieri non posse ut membrum Ecclesiae Romanae Catholicae secundum conscientiam militiam recuset ». Qui error, proh dolor!, saepius aggravatus est ab ipsis presbyteris ac pastoribus qui ad tribunalia de recusantibus ad testificandum vocabantur.

Porro non praetereundum est quod alii catholici, qui conscientia quidem non minus certi essent se peccaturos si iussa exsequerentur, voluntatis autem firmitate imbecilliores essent, fortasse saepe militiam praestiterint quam sibi peccato esse crederent, solum quia ab illis ducibus, a quibus directionem moralem exspectabant, neque auxilium nec solatium neque comprehensionem quidem acceperint. Si illis de conscientia propria violata respondendum erit, saltem aliquid et his respondendum erit qui illis in hora necessitatis defuerint.

De hoc supremo conscientiae officio, quod hominibus animi sinceri mentem in dies magis agitat, multo minus quam debetur in hoc schemate invenitur. Nam de hoc profecto discrimine pependit iudicium in famosis illis processibus Nurembergae alibique actis datum, quia de flagitiis contra ipsam humanitatem commissis, excusatio, quod rei oboedientiam caecam praestare debuissent, non est accepta. Qua excusatione reiecta, iudices eo ipso principium affirmaverunt, quemque hominem teneri, de actibus sibi iniunctis secundum propriam conscientiam iudicare.

Reverendissimi Patres: ad co-operationem cum fratribus separatis melius instituendam, sed et ad reparationem Christo, principi pacis, praestandam, quem per tot saecula tam graviter defecimus, peto ut hoc Concilium coram universo mundo demonstret, libertatem conscientiae non verbotenus vel commoditatis gratia nobis cordi esse, sed quia vere diligimus et volumus eam libertatem qua « Christus nos liberavit » (*Gal.* 4, 31).

Ea quae de iure conscientiae militiam recusandi dicta sunt (2; 101) tam languida et indecisa sunt ut aut omittenda aut valde corroboranda videantur. Quare propono

1. ut omittatur tota sententia qua « praesumptio iuris » rei publicae conceditur, quia *a*) gubernatores plurium rerum publicarum, exemplar regiminum absolutorum imitati, hodie modos belli gerendi adhibent qui iure tum natu-

rali tum internationali condemnati sunt; et *b*) quia ad hanc ipsam praesumptionem praesertim provocaverunt rei in processibus Nurembergae actis condemnati;

2. ut loco verborum « sat conveniens videtur », substituatur sententia: « Hoc concilium libenter accipit et proponit quasi normam ab omnibus accipiendam, ut iura conscientiae eodem modo agnoscantur, qui a pluribus nationibus iam plures annos cum bono successu adhibitus et probatus est »;

3. ut addatur: « Hoc Concilium in votis habet ut talis agnitio iurium apud " Nationes Unitas " et apud tribunal quoddam iuris internationalis, saltem discutiatur ».

63

EXC.MUS P. D. IOSEPH CALASANCTIUS ROSENHAMMER
Episcopus tit. Amporensis, vic. ap. Chiquitosensis

Pag. 73, linn. 14 ss. Recte in introductione huius capitis dicitur: « Quatenus enim homo peccator est, impendet periculum belli ... quatenus autem peccatum superat, pariter possibilis erit victoria de violentia reportanda ».

Necesse esse videtur quod hoc loco *media* ad peccatum superandum enumerentur, quae a Christo ipso ad demonia vincenda indicantur, oratio scil. et ieiunium seu poenitentia.

In toto capite quinto permulta et optima quidem de bellis vincendis et de pace reportanda scripta et a Patribus in Aula prolata sunt; sed mirum est, quod de istis mediis a Christo ipso indicatis silentium observetur.

Necessarium esse videtur quod Concilium paucis siquidem verbis mundum adloquatur, ut omnes homines bonae voluntatis magis ac magis in oratione et operibus poenitentiae et expiationis se adsocient ad violatam Dei iustitiam expiandam et benevolentiam divinam impetrandam.

Historia generis humani docet quod per orationes et expiationes communes et universales haud raro pax restituta aut conservata est.

Qua de causa siquidem verbis supra citatis addi poterit locus ille S. Evangelii ubi Christus de superatione diaboli per orationem et poenitentiam (ieiunium) loquitur et cruciatus orationum et expiationum enixe recommendentur.

[*Subscripserunt etiam*] H. Eccher, prael. Aiquile; J. Senner, ep. tit. Equizeto.

64

EXC.MUS P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

Post brevem crisim totius schematis quod simul « paternalismo » populi Dei et naturalismo indulget, necnon modi dicendi qui logica et claritate caret, tria proponuntur:

a) Aliqua in textu poni deberent de officio quod christianis, praesertim catholicis, incumbit testimonium praebendi in sinu ipsius christianitatis, maioris solidarietatis, maioris caritatis, maioris unitatis moralis, etiam ubi viget libertas optionis. Mysteria Eucharistiae (de qua recentissime in hoc sensu Summus Pontifex) et Corporis Mystici centrum sunt huius fraternae caritatis inter christianos ad totum mundum salvandum necessariae.

b) Ius migrandi fortiter ponendum est. Remedium est paupertatis. Aliquod aequilibrium fovet in re demographica. Limitationem prolis inutilem reddit. In S. Scriptura fundamentum habet.

c) Prudentiori modo de mediis ad pacem fovendam loquendum est ubi quae in nn. 98, 99, 100, 101 habentur rem politicam vel licite controversam incaute tangunt. Doctrina quae in Encyclicis, et praesertim *Pacem in terris* vel in sermonibus Summi Pontificis exponitur omnino sufficit ad principia ponenda.

[*Subsignaverunt etiam*] F. Spanedda, ep. Bosa; A. Marena, ep. Ruvo et Bitonto; A. Ramos, arch. Belem; N. Calmels, abb. gen. O. Praem.; L. Bianchi, ep. Hongkong; M. Quéguiner, sup. gen. M.E.P.; Ph. Nguyen trim Dien; J. Arnaud, vic. ap. Savannakhet; A. Jacq; S. Hien, ep. Dalat; F. Charrière, ep. Lausanne, Genève et Fribourg; J. Serrano, ep. tit. Ipseli; P. Grau, ep. tit. Pella; P. Kobayashi, ep. Sendai; J. Satowaki, ep. Kagoshima; R. Graffin, arch. tit. Mistia; J. Adam, ep. Libreville; H. Varin de la Brunelière, ep. Fort-de-France; P. Schweiger, sup. gen. Claretiani; P. Taguchi, ep. Osaka; F. Gomez, ep. tit. Sinna; F. Tanaka, ep. Takamatsu; B. Tomizawa, ep. Sapporo; M. Doumith, ep. Sarba; Octavius, ep. Palmiera dos Indios; R. Bidawid, ep. Amadiyah; Geraldo, arch. Diamantina; G. Layek, arch. Alep Armen.; J. Nepote, ep. tit. Elo; M. Terzian, ep. tit. Comana di Arm.; Polycarpus, ep. Guarda; J. Lopez Ortiz, ep. Tuy-Vigo; C. Alvim, arch. Lourenço Marques; Abilius, ep. Calahorra; J. Pohlschneider; Fl. Ariola, ep. Legazpi; J. B. Velasco, ep. Hsiamen; G. Bertrand, ep. Nairongo; R. Massimiliani, ep. Civita Castellana; S. Cassulo, ep. Macerata; G. Bueno Couto, ep. tit. Leuce; B. Zorzi, ep. Caxias; J. Neves, ep. Assis; B. Alvarez, ep. Pereira; An. D'Souza, ep. Poona; M. Gaviola, ep. Cabanatuan; V. Reyes, ep. Borongan; L. Selvanaden, ep. Salem; P. Tobar, ep. Cuttack; Th. Pearson, ep. tit. Sinda; J. Rudderham, ep. Clifton; E. Pechuan, ep. Cruz del Eje; C. Kramer, ep. Luanfu; G. Mongeau; Aurelius, ep. Lerida; E. Mason, vic. ap. El Obeid; A. Fauvel, ep. Quimper; J. Zarranz, ep. Plasencia; M. Tato, ep. Santiago del Estero; W. Brasseur, vic. ap. Mountain Province; P. de la Fuente, prael. Batanes; Ludovicus, arch. tit. Sion; J. M. Garcia, ep. Huelva; Vincentius, arch. Oviedo; Angelus, ep. Jaca; J. Carroll, ep. tit. Atenia; Th. Muldoon, ep. tit. Fessei; P. Cronin, prael. Ozamis; A. Schell, ep. Lomas de Zamora; M. Morgante, ep. Ascoli Piceno; W. Buckley, sup. gen. O.S.F.S.; J. Donovan, ep. tit. Raso; G. Baroni, ep. Reggio Emilia; J. Nuzzi, ep. Campagna; H. Hoffmann, ep. Djibuti; S. Conti, prael. Roràima; J. Dadone; J. Picco; L. Faveri, ep. Tivoli; E. Olazar, ep. tit. Prusa; F. Rendeiro, ep. tit. Benepota; F. X. Sanguon, vic. ap. Chantaburi; J. Calderón, ep. Cartago di Colombia; R. Bayan, ep. Alexandria d'Egitto; D. Stuyvenberg, vic. ap. S. Salomon Islands; R. Zambrano, ep. Facatativá; F. Valenzuela, ep. Antofagasta.

65

EXC.MUS P. D. PAULUS RUSCH
Episcopus Oenipontanus

Petit verbum ad schema 13 in specie, ad cap. V, sectio II: de pace firmanda.

In capite de bello vitando et de pace firmanda damnatur quidem bellum totale sed nonnulla desunt, quae tamen iure exspectantur.

1. Ad n. 98, pag. 77: in hoc numero bellum offensivum non damnatur. Hoc autem ad minimum generatim exspectatur. Natura enim belli nostris temporibus mutata est, quia moderamen inculpatae tutelae hodiernis condicionibus practice teneri iam non potest. Arma moderna tam efficacia, exclusis adhuc armis atomicis, etiam personas non bellantes passim laedunt vel occidunt, puta in incursione ex aere. Multo magis hoc valet in bello atomico.

Cum ergo moderamen inculpatae tutelae practice teneri iam non possit et ideo bellum per se iniustum fiat, patet, bellum offensivum damnandum esse. Solummodo bellum defensivum ex causis proportionate gravibus ad interim admitti potest.

Quare rogo, ut pag. 77, lin. 17, addatur: Concilium expresse declarat, hodiernis condicionibus omne bellum aggressivum iniustum esse, ad quod bellum pertinet etiam bellum subversivum, quod ergo eodem modo damnatur.

2. Ad n. 100, pag. 79: in hoc numero bene statuitur, auctoritatem universalem necessariam et bellum omnino excludendum esse, sed ordo mediorum ad finem non ea claritate, firmitate et integritate indicatur, quae desiderari possit. Propono ergo, ut pag. 79, post lin. 36 addatur: Quae auctoritas universalis ut finem proximum sibi proponat proscriptionem belli atomici per pacta sarciendam. Medium ad hoc melius obtinendum sit mutua restrictio armorum. Ut finis autem ultimus statuatur proscriptio simpliciter omnis belli. Medium, ut haec proscriptio efficax fiat, in eo est, quod unice haec auctoritas universalis arma fortiora habeat, ut omnem laesionem pacis repellere possit. (Patet, finem ultimum per gradus tantum obtinendum esse). Hanc definitivam proscriptionem omnis belli exspectant populi et conscientia totius humanitatis.

3. Ad n. 102, pag. 80: in hoc numero agitur de praesentia efficaci Ecclesiae in communitate internationali. Quae praesentia magis efficax fieret, si Ecclesia instrumentum proprium et ad pacem servandam aptum in manibus suis haberet, quo instrumento praesertim in periculo uti possit. In qua re recordari liceat, in nonnullis statibus iam existere instituta scientifica ad omnes quaestiones pacis tractandas. Sic e. g. hoc anno in Groningen, Hollandia, academia pro inquisitione scientifica de pace servanda erecta est. Plures tales academiae existunt in Statibus foederatis Americae Septemtrionalis. Ergo etiam Ecclesia aliquod instrumentum aptum habere debet, ut in quaestione de pace in campo internationali efficaciter praesens reddi possit.

Quare rogo, ut pag. 81, post lin. 18, addatur: Ad quod efficacius obtinen-

dum, erigatur apud Sanctam Sedem *consilium pacis,* quod constituitur ex peritis in re morali, technica, politica, militari. Quod consilium officium habeat efformandi conscientiam christianorum et populorum, declarandi pericula, quae ex cursu ad arma eveniunt, in casu urgenti indicandi media apta ad pacem servandam, denique sese iungendi cum auctoritatibus internationalibus in hisce quaestionibus, et generatim omne medium aptum adhibendi, quo perveniatur tandem ad proscriptionem omnis belli, ut humanitas post atroces experientias feliciter liberetur a servitute belli.

Quod consilium simul urgere potest, ut secundum desiderium Papae nostri, Pauli VI, saltem pars eorum mediorum, quae ad constructionem armorum adhibentur, pro adiuvandis populis pauperibus collocetur.

4 et ultimo: nihil dicitur de bello ideologico. Bellum sic dictum ideologicum exoritur ex eo, quod in mundo existunt motus politico-sociales, ut communismus, nationalismus exaggeratus, qui excessivam habent libidinem dominandi, et nonnunquam super totum mundum regnare cupiunt. Ideo propter causas ideologicas odia seminant inter nationes vel inter populum et eius regimen, et alia huiusmodi. Haec autem libido dominandi totum mundum iustae libertati gentium adversatur, quare illicita est. Sciant omnes, qui tales ideas fovent, se contra conscientiam totius humanitatis et eius progressus agere. Iudicantur insuper per verba Scripturae: maledicti sunt populi, qui bella volunt.

Rogo ergo, ut talis vel similis passus in fine n. 101 admittatur.

Ille autem, qui dixit: beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, excitet in Ecclesia sua spiritum, quo non solum singuli christiani, sed totus populus christianus pacificus fiat, id est pacem efficiens fiat, et sic dignus, ut qua totus a Domino beatus nominetur.

66

Exc.mus P. D. ANTONIUS SAMORÈ
Archiepiscopus tit. Ternobenus

N. 98 addantur ea quae Pius Papa XII dixit de liceitate belli defensivi in nuntio Nativitatis Domini anno 1956.

N. 101 addatur id quod idem Pontifex edixit de obiectoribus conscientiae in eodem nuntio.

Addatur etiam tanquam malum huius temporis usus illicitus et venditio narcoticorum.

67

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN
Archiepiscopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Cap. V in prima sectione series est institutionum politicae oeconomicae. Concilium autem nuntium evangelicum praebet hominibus. Namque in n. 98

proclamat schema: « Nolumus nos immisceri competentiae propriae auctoritatum terrenarum nec solutiones politicas et technicas afferre ».

In fine n. 97 dicitur circa politicam demographicam: « De progressibus scientificis tamen quorum firmitas bene probata est et de quorum moralitate habetur sufficiens certitudo, homines, si res id postulat, certiores fiant ». Videtur quasi nos velle invitare Summum Pontificem ad reddendam rationem de iis quae de moderandis nativitatibus sint conclusa. Operiamus religioso silentio studia Beatissimi Patris et expectamus cum fiducia.

In n. 101 agitur quaestio de iis, qui « obiettori di coscienza » solent nuncupari i. e. de iis qui munus militare armatum et tempore pacis et tempore belli detractant. Etiam catholici alii aliter de re sentiunt. Doctrina Ecclesiae munus militare non prohibet. Quaestio psychologiam et politicam magis quam religionem sapit. Concilium bene faciet si rem hominibus et collegiis ad leges condendas (Parlamenti) reliquerit discutiendam.

N. 102 habet: « Ad fovendam ergo et stimulandam cooperationes inter homines, in sinu Communitatis gentium omnino praesens sit Ecclesiae... per suas institutiones officiales ». Concilium videtur quasi imponere praesentiam Sanctae Sedis in conventibus internationalibus, quod opportunum non est.

In n. 105 schema petit: « Ubi deest violentia, cur sine dolo ad aedificandum mundum cooperari non possumus? ». Hic in causa veniunt asseclae communismi, qui a multis annis dialogum cum catholicis instaurare volunt ad aedificandum mundum secundum principia socialismi. Catholici, qui sine dolo sunt, instrumentum essent quo uterentur communistae ad finem quem novimus.

Proh dolor non desunt catholici qui hoc iam faciunt et laetanter hunc stimulum accipient. Sed et alii multi in communistarum fraudem et dolum incident.

68

EXC.MUS P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Ad n. 98, pag. 77, linn. 18-34. Ces deux paragraphes visent à condamner les destructions massives par des actes de guerre utilisant des armes soit conventionnelles soit classiques ou bactériologiques.

Dans l'alinéa — lignes 18-26 — on dit que tout acte de guerre visant des destructions massives (objectifs démographiques) est objectivement un crime contre Dieu et l'homme, il doit être fermement condamné. On précise ensuite les éléments d'appréciation pour forger et caractériser un tel acte de guerre. Mais, on ne parle pas des moyens utilisés. Ceux-ci sont évoqués dans l'alinéa suivant: lignes 27-34; mais d'une manière qui semble autoriser après avertissement précédent, l'utilisation des armes conventionnelles.

Il faudrait préciser que la condamnation de la guerre totale implique l'interdiction d'armes de très grande puissance.

Par ailleurs les effets biologiques de l'arme thermo-nucléaire ne sont pas assez mis en évidence: c'est l'espèce toute entière qui est menacée. « La destruction du capital génétique humain doit être mentionnée » dit-il.

On propose de remanier les 2 alinéas (lignes 18-34) de la façon suivante: conserver lignes 18-26: « Tout acte de guerre... et d'en contrôler les effets » auquel on ajouterait la précision suivante: « L'usage exclusif des armes dites conventionnelles ne justifie aucunement de telles opérations militaires du moment qu'elles visent ou qu'elles ont pour conséquence des destructions de cette ampleur ».

Suppression de la phrase: « Ad tales actiones bellicas ... quae appellantur ».

On pourrait reprendre l'alinéa de la façon suivante (il aurait trait aux armes atomiques et mettrait en évidence les méfaits de la radioactivité):

Ligne 27 s.: « Si les destructions massives par l'emploi des armes classiques sont criminelles, à combien plus forte raison le sont-elles par l'emploi d'armes atomiques de grande puissance et spécialement de la bombe thermonucléaire. Leur usage entraîneraient non seulement des destructions considérables immédiates, mais menaceraient par les effets radioactifs prolongés, le milieu vital et le capital génétique humain ». On pourrait alors enchaîner avec: « Sans vouloir ici juger quiconque »... texte latin: ligne 29: Quamvis hic de iudicando quocumque...

Ad n. 98, pag. 77, lin. 33. L'expression « on ne peut pas facilement absoudre la conscience humaine de tels actes de guerre » est d'une ambiguité complice. On peut donc absoudre mais « difficilement ». Nous préférons — il s'agit toujours, ne l'oublions pas, de la guerre *totale* — « on ne peut pas, en conscience, absoudre ».

Il est certain que la sévérité d'un tel avertissement inciterait les responsables à une très grande prudence dans leurs décisions.

Ad n. 98, pag. 78, linn. 1-4. On propose la formule suivante pour lever ambiguité de la formulation proposée: « En conséquence, si, après avoir épuisé toutes les possibilités de conciliation, il peut ne pas être illicite de défendre contre un injuste agresseur, par la force et la coaction, les droits injustement attaqués, il devient chaque jour de plus en plus impensable de considérer la guerre comme un instrument apte à restaurer le droit violé ».

69

EXC.MUS P. D. ERNESTUS SENNA D'OLIVEIRA
Archiepiscopus-episcopus Conimbricensis

N. 101. Meo humili iudicio, quae in linn. 22-27 enuntiantur mihi videntur sat periculosa et etiam plena gravibus consectariis:

Omnes christiani plus minusve volunt dare « testimonium lenitatis christianae »; omnes fere homines plus minusve habent « reverentiam erga vi-

tam humanam » et abhorrent « ex sincero fastidio omnem vim exercendi ». Et sic omnes homines plus minusve, praesertim christiani, si manerent verba quae in praedictis lineis leguntur, magnam voluntatem haberent a servitio militari sese eximendi, saltem cum periculum belli oriretur.

Quanti ergo essent illi qui, cum maiori vel minori fundamento, non possent, *ex conscientia,* servitium militare recusare, vel saltem quosdam actus qui ad immanem crudelitatem in bello conducunt?!

Concilium ergo, saltem meo humillimo iudicio, haec gravia consectaria considerare debet et prae oculis habere suam magnam responsabilitatem praesertim coram populis ac nationibus plus minusve christianis quae sat difficulter possent, manu militari, sese defendere a populis et guberniis praesertim non christianis qui vellent esse contra ipsos iniustos aggressores. Et hoc modo nationes plus minusve christianae (quae solae, per se, Concilii exhortationes cum reverentia acceptare debent) a nationibus non christianis (quae per se exhortationes Concilii naturaliter negligunt) facile opprimerentur et in servitutem reducerentur.

Melius ergo esset, saltem mea humillima sententia, totaliter aut fere totaliter, supprimere quae in praedictis lineis leguntur, vel ea alio feliciori modo enucleare, ne male interpretentur et in discrimen ponantur populi et nationes plus minusve christianae.

Sit mihi venia ut hic etiam quaedam alia addam: Mihi valde placeret ut in hoc schemate, vel alicubi aliquid clare et aperte diceretur quoad moralitatem publicam, circa quam, proh dolor, tot lugenda habentur. Contra talia non sufficit ut gubernia leges condant. E contra, valde oportet ut, Ecclesia duce, omnes possibiles conatus fiant ut animi et conscientiae et mores cum exigentiis Legis Divinae conformentur.

70

EXC.MUS P. D. IOANNES TAYLOR

Episcopus Holmiae

N. 101. Cum adsit minatio crescens belli nuclearis, quod schema debet et quoad praeparationem et quoad executionem damnare, verba in sectione centesima prima ius personale recusandi participationem in bello supportantia debent roborari.

1. Verba praeliminaria, praesumptionem iuris in bello auctoritatis civilis declarantia, « ubi violatio legis Dei non manifeste patet », de facto tenderent annihilare ius et officium conscientiae resistendi iussa iniusta. Enormis emphasis praeterita hac in regula et consequentes tragediae morales in contextu nationalismi moderni clare demonstrant referentiam ad talem regulam (pagina octogesima, sectio centesima prima, a linea decima septima ad vicesimam secundam) simpliciter esse delendam et verba sequentia esse substituenda. « Cum crimina monstruosa tam saepe ab utraque parte in bello perpetrata

sint, cumque praeterita christianorum participatio in his per submissionem caecam auctoritati adfuisset, christiani hodie ante possibilitatem criminum etiam terribiliorium non possunt tradere iudicium morale suorum de bello in manus auctoritatis civilis. E contra habent ex iustitia caritateque responsabilitatem examinandi iussa auctoritatis et praebendi testimonium, sicut conscientia dirigit eos, pro pace Christi et sacra inviolabilitate vitae humanae ».

2. Laudabilis confirmatio a schemate data de iure conscientiae ad recusandam participationem in bello (pagina octogesima, sectio centesima prima, a linea vicesima secunda ad septimam) debet roborari per elucidationem *positivae ideae de christiana resistentia malo sine violentia.* Verba sequentia ergo inserenda sunt inter lineam vicesimam septimam et vicesimam octavam. « Cum bellum totale sit bellum contra Dei consilium et contra ipsam humanitatem, actuatio spiritus Christi Domini est urgentior quam antea: spiritus mansuetudinis humilitatisque, violentiam renuntians, natura sua contra vim etiam in usu iusto opposita, amore inimicos amplectenti ad superandum malum per bonum zelans. Ergo ut respondeatur indigentiis nostrae aetatis, coleant christiani profundiorem conscientiam violentiam esse expressionem naturalem odii, et examinent plenius media non violenta malum resistendi, secundum doctrinam et exemplum Christi ».

71

Exc.mus P. D. GREGORIUS VARGHESE THANGALATHIL

Archiepiscopus Trivandrensis Syrorum Malankarensium

N. 96, pag. 76, linn. 2 et 3. Omittantur verba: « Saltem in nonnullis partibus orbis ». *Ratio*: non correspondent realitati. In illo loco dicatur « Pluribus in partibus orbis ».

Omissio assertionis de iure emigrationis gravis est defectus schematis et videtur causari a timiditate et timore ne quaedam nationes offendantur. Officium nostrum nos obligat ut asseratur principium quod iniustum est retinere terram ut monopoliam ratione stirpis vel coloris vel huiusmodi quando aliae nationes premuntur per nimium incrementum incolarum.

72

Exc.mus P. D. HONORATUS M. VAN WAEYENBERG

Episcopus tit. Gilbensis, aux. Mechliniensis-Bruxellensis

Nn. 98-101. 1. Interventiones em.rum et rev.rum Patrum sufficienter indicaverunt unanimem sensum favorabilem ut votum admittatur ad bellum condemnandum.

2. Periculum tamen evidens est votum vanum mansurum, cum etiam nostris temporibus bellum geratur in multis regionibus, sicut semper inter homines irae et iniuriae manebunt.

3. Quapropter practice considerandum est votum ut obligatio pro omnibus populis solvendi difficultates et lites in pacificis disceptationibus, v. g. adiuvante organismo internationali sicut U.N.O.

4. Sed videtur periculosum esse emittere declarationem secundum quam unumquodque bellum esset iniustum, distinctione ablata inter offensivum et defensivum bellum (immo pro U.N.O.).

5. Quod principium si non admittatur, difficultates multae surgere possunt:

a) an adhuc necesse erit exercitum instruere et obligationem servitii militaris iuvenibus imponere?

b) quidnam erit problema conscientiae pro militibus in casu belli, si non unumquodque sit iniustum? Immo U.N.O. interventus esset iniustus.

c) quid evenit de amore patriae (cf. rev.mi DD. Ancel, Carli, Bouillon) ac de memorandis victimis belli in exercitu?

d) an apud omnes excitandae evenient obiectiones conscientiae de quibus schema fere nihil dicit?

e) quoad arma nuclearia, si non omnes magnae nationes, absque ulla exceptione, inspectione admissa, recusant eorum usum, quid faciendum si inquisitio scientifica ad usum belli non omnibus nationibus imponi possit? Certe si, proh dolor, iste usus v. g. in Europa eveniat, auxilium aliunde v. g. in Statibus Unitis Americae petere debebit victima, sed ipsi mediis propriis non amplius armati essent. Cum mentio fit horribilis destructionis Hiroshima et Nagasaki, semper in stricta oblivione manent Coventry, Rotterdam, Pearl Harbour et concentrationes.

Quibus dictis, credo vota non sufficere, etsi pia, cum realitas tam gravis sit, ut multi Patres dixerunt.

Patria nostra, Belgium, sufficienter damna oppressionis belli experta est ut nimis platonicas declarationes vereatur. Audacia ne iuvet propter propriam experientiam cum in primo bello per quinque annos, ut subdiaconus, militiae servitium feci et graviter feritus sum, et cum in secundo bello damnatus fui ad carcerem pro « inoboedientia » sic dicta.

73

REV.MUS P. D. ATHANASIUS WELYKYJ
Superior generalis Ord. Bas. S. Iosaphat

Pag. 74, lin. 33. Compleatur textus: « ... cum omnimoda honestate, sinceritate et gratitudine ex altera ». *Ratio*: si sacrificia talia exigamus ex una parte, saltem sensus gratitudinis ex altera parte aliquod aequilibrium animorum exaequet oportet.

Pag. 75, lin. 5. Addatur: « ... officium gravissimum est fraternitatis et humanae solidarietatis omnes populos ... ». *Ratio*: patet ex ipsis verbis.

Pag. 77, linn. 10-31. Revideatur modus locutionis, quia non concordat

cum prima sectione eiusdem capitis quinti, ubi locutio est impersonalis seu obiectiva, hic vero personalistica et subiectiva (etsi pluralis), ut e. g. « *nos* impellunt (11), ad *nos,* cum *nostra* conscientia, *nolumus* (14), noli*mus,* affir*mamus* (lin. 31), firmiter dic*imus* (pag. 78, lin. 16) ».

Non patet clare *quis est subiectum* locutionis: Patres, Concilium, Ecclesia Universa, christianitas? Ideo propono, ut *redeatur ad locutionem impersonalem et obiectivam* partium et capitum praecedentium, immo ipsius praesentis capitis quinti (sectio I).

Pag. 79, lin. 5. Addatur: « ... institutionem sanam, efficacem *et stabilem* pro rationibus ... ». *Ratio*: patet.

Pag. 80, lin. 2. Addatur: « ... existentis subiciant; et in primis populos suos omni conatu educare curent ad consilia pacis, concordiae et fraternitatis, edoceant de inaptitudine recursus ad arma in negotiis iustitiae et veritatis deque humaniori modo vivendi et conversandi inter omnes gentes instituendo ». *Ratio*: indicetur ratio practica et quotidiana actionis pro bono pacis, unicuique homini, etiam simplici, accessibilis.

Pag. 80, linn. 22-27. Deleatur hic incisus, a verbis « Insuper ... recusent », quia est res nimis particularis, innumeras suscitat quaestiones ordinis politici, iuridici, moralis etc. Concilium in res particulares individuorum ne descendat!

Et tandem, in fine, sequentia propono: 1. Brevientur, quae, salva claritate et sensu, possunt in breviorem formam contrahi.

2. Tollantur repetitiones, quae proveniunt ex simultaneo labore textus extensorum.

3. Ultima redactio textus revideatur ab uno eodemque coetu peritorum.

4. Revideantur omnia « prooemia » singularum partium et capitum, praesertim ubi sermo est de dispositione rerum tractandarum, ut modus proponendi sit uniformis, ut decet unicum documentum Concilii.

5. Provideatur legibilitati textus, etiam quod spectat homines simpliciores, multiplicando sub-titulos apte selectos et in definitivo textu retinendos, ne mole quaestionum lector obruatur et visionem generalem perdat.

6. Revideatur usus locutionum et terminorum, ut e. g. communitas, societas, civitas, natio, populus, coetus etc., ut sit ubique uniformis et univocus, ne confusiones fiant postea in commentando, et applicando.

7. Tandem propono, ut in promulgatione documenti praesentis, qualiscumque ei imponatur titulus: « Constitutio, declaratio, litterae synodales », etc. non adhibeatur formula: « approbamus, statuimus, decernimus », sed alia, magis respondens characteri et momento, ut e. g. « approbamus, subscribimus et publici fieri iuris mandamus » vel similia.

Praesentes propositiones, quae sincera ducuntur voluntate adlaborandi ad tempestivam, meliorem et perfectiorem formam obtinendam (unde textus in forma proponuntur et suggeruntur), benevolae considerationi Commissionis competentis transmittuntur, salvo meliori iudicio ...

Suprascriptas animadversiones et propositiones nostras facimus, probamus et proprio et pari nomine eidem commissioni proponimus:

A. Senyshyn, arch. Philadelphia Ucr.; J. Martenetz, ep. tit. Soldaia; A. E. Hornyak, ep. tit. Ermontis.

74

Exc.mus P. D. IOANNES WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Hoc caput aliquas difficultates sat magnas pro me ponit. Conclusio (nn. 102 et 103) videtur esse patronizans et aliquatenus superflua.

N. 91, pag. 73, linn. 5-10. Certe, sine gratia Dei pax terrena numquam habebitur. Sed tota haec paragraphus videtur esse aliquo modo extranea et pia. Melius omittatur haec paragraphus.

N. 92, pag. 73, lin. 32. Omissio notabilis hic est vox « migratio ». Addatur.

N. 92, pag. 74, linn. 6-10. Haec sententia est ita nebulosa ut significationem non intelligo. Si refert ad pacifistas, illos non laudo, sed illorum iura admitto dum incertus sum de eorum rationibus. Sunt pacifistae propter rationes vere religiosas; et sunt pacifistae propter rationes politicas, qui saepe iudicium nimis simplex in re valde complexa proferunt. Haec sententia certe debet clarior esse. Quos homines nunc laudat Ecclesia et propter quas rationes?

N. 93, pag. 74, lin. 33, mihi videtur vocem « responsabilitas » addendam esse, ita ut legatur: « cum omnimoda honestate *et responsabilitate* ex altera ».

N. 97. Haec paragraphus placet. Suggero autem additionem verbi de obligatione evitandi matrimonia praematura. Haec est solutio primaria huius problematis.

N. 98, pag. 77, linn. 27-29. Haec sententia non placet; in meo iudicio haec sententia non correspondet praesenti scientiae militari. Haec sententia est iudicium militare et non morale et extra competentiam Concilii est. Uti dixit ep. Hannon anno praeterito, adsunt parva arma atomica quae effectum relative limitatum habent. Non video veritatem in linn. 27-29.

N. 98, pag. 78, linn. 1-18. Principia recta hic bene exprimuntur. Sed notiones iusti et iniusti belli sunt, in mundo hodierno, aliquatenus simplices.

N. 99, pag. 78, lin. 34. Vox « omnino » est, in mea opinione, vox falsa. In talibus circumstantiis, mutua destructio *possibiliter* haberetur, sed non *omnino* haberetur. Fere omnes exercitus nunc possunt habere arma biologica vel chimica, sed ea non adhibent. Fortasse sic erit pro armis atomicis.

N. 100, pag. 80, lin. 1. « bonorum officiorum »: non intelligo hunc conceptum. Quid significant haec verba?

N. 101, pag. 80, lin. 15. Hic terminus technicus non intelligitur (« bona officia »).

N. 101, pag. 80, linn. 22-27. Uti supra dixi, aliqui pacifistae sic agunt non propter rationes religiosas, sed propter rationes personales vel politicas. Facile est servitium militare evitare propter conscientiam. Mihi videtur haec verba melius omitti.

75

EXC.MUS P. D. VILLELMUS GORDIUS WHEELER

Episcopus tit. Theudalensis, coad. c.i.s. Medioburgensis

N. 94. C) Forsan debet concludere cum verbis opportunis de necessitate dialogi secundum principia « Ecclesiam Suam » cum progressu scientiae oeconomicae, e. g. id quod describitur « intermediate technology ».

N. 99. « Forsan aequilibrium terroris ... servet ». Haec verba contradicent « Pacem in terris » n. 112.

N. 101. « Ubi autem violatio legis Dei non manifeste patet ... est parendum ». Forsan haec verba contradicent ius conscientiae quod in eodem paragrapho expositum est.

76

PLURES EXC.MI PP. CONCILIARES

Ci permettiamo di suggerire che nella votazione sul cap. V, « De bello vitando » della Parte II dello Schema XIII si voti « Non placet ». Ci permettiamo inoltre di suggerire che se gli errori sotto indicati non saranno corretti, si voti « Non placet » anche nella votazione sull'intero Schema. (Lo Schema potrebbe eventualmente essere demandato al Sinodo dei Vescovi per ulteriore studio e revisione).

Le ragioni sono le seguenti:

1. Nel n. 80 viene condannato come immorale il possesso di armi nucleari (arma scientifica): « Singulare belli hodierni periculum in hoc consistit quod illis *qui recentiora arma scientifica possident quasi occasionem praebet talia scelera perpetrandi,* et, connexione quadam inexorabili, hominum voluntates ad atrocissima consilia impellere potest ». E anche nel n. 81: « Belli exinde causae quin eliminentur, potius paulatim aggravari minantur... Potius quam dissensiones inter nationes vere ac funditus sanentur, iisdem aliae mundi partes inficiuntur ».

Queste affermazioni ignorano il fatto che il possesso di armi scientifiche ha assicurato la libertà a un gran numero di nazioni del mondo. Orbene la difesa di una larga porzione dell'umanità dall'aggressione non è un delitto da condannare, ma all'opposto un grande servizio reso ad essa.

Queste asserzioni ignorano inoltre il fatto che la causa della guerra e dei dissensi è l'ingiustizia e non già il possesso di armi scientifiche (ad es. la causa della seconda guerra mondiale non fu il possesso di armi da parte di alcune

nazioni, ma l'ingiustizia). Il vero rimedio contro la guerra e i dissensi sta nello sradicare la ingiustizia e assicurare la pace fondata nella libertà e giustizia.

L'affermare che le armi scientifiche causano la guerra e i dissensi è altrettanto illogico come affermare che la legge e la polizia in una città sono la causa dei delitti e dei disordini della città stessa.

La inclusione di queste affermazioni e idee nello schema sarà certamente dannosa alla Causa della libertà nel mondo.

Queste frasi poi contraddicono quanto viene detto nel n. 79 (così come pure una parte del discorso di S. S. Paolo VI all'ONU nello scorso settembre) in cui si afferma il diritto di una nazione alla auto-difesa. Nel mondo di oggi non esiste un adeguato mezzo di auto-difesa per le Nazioni più grandi se non nel possesso di armi scientifiche.

2. Oltre a ciò neghiamo quanto viene asserito e cioè che « i Papi recenti » hanno condannato la guerra totale *nel modo in cui essa viene condannata* in questa sezione dello Schema: « His attentis, haec Sacrosancta Synodus, suas faciens condemnationes belli totalis iam a recentibus Summis Pontificibus enuntiatas, declarat » (n. 80). Dove si trovano le citazioni su cui si fonda questa asserzione?

3. Facciamo poi presente che il Concilio non dovrebbe in nessun modo emettere una decisione su questo argomento, nei riguardi del quale non c'è affatto un comune consenso da parte dei teologi che hanno una vera competenza in questa materia.

[*Subscripserunt*] Francis card. Spellman, New York; Lawrence card. Shehan, Baltimore; Patrick L. O'Boyle, Washington; Phiilp M. Hannan, New Orleans; Miguel D. Miranda, Mexico; Guilford Clyde Young, Hobart; Denis E. Hurley, Durban; Adolfo Servando Tortolo, Paraná; Joseph Khoury, Tyr Maronitarum; Felipe Cueto González, Tlalnepantla.

77

EXC.MI PP. DD. EPISCOPI ALGERIAE

N. 93, lin. 28, pag. 74, post « cooperatores », addatur: « L'effort pour le développement doit être conçu et organisé dans un esprit et sur des bases d'une entr'aide réciproque. Cela suppose:

— de la part des experts travaillant dans un pays sous-développé: une réelle compétence, le respect des libres options du pays, de ses valeurs, de sa culture propre, de son système politique, la volonté d'acquérir la connaissance la plus intime possible du pays, un sincère esprit de service, ce qui entraîne l'acceptation d'une certaine simplicité de vie et de rejet de la recherche exagérée du profit;

— de la part des pays qui reçoivent cette aide, une attitude d'accueil fraternel, l'utilisation rationnelle des coopérants selon leurs propres compé-

tences en vue du maximum d'efficacité, le respect d'une certaine initiative pour que chacun puisse travailler selon ses dons personnels.

La coopération ne peut être efficace que dans un climat d'amitié sincère où chacun se sente le prochain de l'autre et où les efforts de tous soient tendus vers le bien commun ».

78

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE ORIENTALIS

Caput ut totum bene placet, et quoad rem expositam et quoad modum expositionis.

Art. 100, pag. 79, lin. 44: loco « et sollemnibus pactis » dicatur « et stabilibus atque efficacibus pactis ».

Art. 101, pag. 80, linn. 22-23: in sententia: « Insuper, hodiernis adiunctis sat conveniens videtur ut leges *positive* eos respiciant... » dicatur potius: « *explicite* eos respiciant... ».

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. Lusakaensis; Guido del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis; Timotheus O'Shea, ep. Livingstoniensis; Firminus Courtemanche, ep. de Fort Jameson; Adolphus Furstenberg, ep. Abercornensis; Renatus Pailloux, ep. de Fort Rosebery; Iacobus Corboy, ep. Monzeensis; Clemens Chabukasansha, ep. Kasamaensis; Nicolaus Agnozzi, ep. tit. Adramittenus; Rupertus Hillerich, praef. ap. Solweziensis.

79

PLURES EXC.MI PP. DD. CONCILIARES BRASILIAE

Par. 93, pag. 74, lin. 28: « Ils devront éviter toute ostentation dans leur genre de vie et toute morgue dans leur comportement qui les écarteraient des peuples dans lesquels ils sont temporairement insérés. Ils devront aussi donner l'exemple d'un travail acharné, et toujours accroître leur compétence pour mieux servir.

Ils devraient être, pour que leur efficacité soit assurée, organisés en équipes bien unies, composées de spécialistes complémentaires de telle sorte que leurs recommandations recouvrent, de façon cohérente, toute la réalité à explorer et à faire évoluer. Il est nécessaire aussi que soient associés à leur travail, des techniciens du pays concerné, de façon qu'à leur départ l'application des mesures acceptées par les autorités locales puissent passer à exécution ».

Par. 93, lin. 39: « Il faut tendre vers de nouveaux modes d'échange et de relations entre les peuples dans un esprit de solidarité authentique jusqu'à modifier profondément les structures générales de production et de répartition ».

Par. 94, lin. 6: « Elles éviteront de s'immiscer dans les politiques nationales et de s'opposer aux groupements régionaux que des pays plus voisins entre eux et plus complémentaires choisissent de fonder. Elles procéderont aussi, de bon gré... ».

Par. 94, pag. 75, lin. 11: « Ainsi, la distribution des surplus doit être orientée et coordonnée de telle sorte que chaque pays bénéficiaire reçoive ce dont il a effectivement besoin, et que son propre développement agricole et industriel n'en soit pas compromis, les exploitants et les entrepreneurs n'osant plus produire dans les secteurs d'activité pour lesquels les prix de vente risquent de s'effondrer, par l'afflux imprévisible de surplus extérieurs ».

Par. 101, pag. 80, lin. 15: « Malheureusement, des groupes très puissants d'intérêts égoïstes font pression pourqu'il n'en aille pas ainsi, pendant que les armées elles-mêmes prétendent parfois, sortant de leur fonction, avoir le droit de dominer la politique ou même de s'emparer du pouvoir, au risque de provoquer, à plus ou moins long terme, la guerre civile ».

Par. 101, pag. 80, lin. 27: « Cependant pour éviter des comportements lâches ou hypocrites, il est normal que les objecteurs soient astreints à des obligations de service qui peuvent être, en certains cas, très pénibles ».

Par. 102, pag. 81, linn. 3-4: « et ils auront à cœur d'unir leurs efforts à ceux des institutions et des hommes qui travaillent sincèrement au développement solidaire et à l'établissement de la paix ».

Pag. 81, par. 103, lin. 30: « Elles devront en particulier, contribuer à la formulation d'une éthique internationale correspondant à la situation actuelle du monde, et à sa meilleure évolution, éthique qui sera la préparation du nouveau droit international adapté aux transformations en train de s'accomplir dans l'humanité ».

Par. 103, pag. 81, lin. 30: « Une très forte coordination est nécessaire entre toutes ces initiatives, sans pour autant les réduire à un dénominateur commun ou les paraliser dans leur liberté d'action.

Les diverses actions entreprises, parfois à des niveaux assez élèvés, ne doivent pas s'ignorer les unes les autres, et il ne doit pas y avoir des cloisonnements entre les différents organismes catholiques désireux de travailler, ou déjà au travail dans des conditions souvent précaires ».

[*Subscripserunt*] Helder Câmara, arch. Olinda et Recife; José Mauro, ep. Iguatù; M. A. Noronha, ep. Itabira; N. Monte, adm. ap. Natal; A. Melillo, ep. Piracicaba; David, coad. Santos; João, arch. tit. Martiropoli; B. Neto, ep. tit. Cremna; João Batista, arch. Vitória; W. Calheiros, aux. Rio de Janeiro.

Insuper subsignaverunt omnia praeter pag. 81, lin. 30: J. de Sousa Lima, arch. Manáus; S. Fernandes de Ataujo, ep. tit. Verinopoli.

APPENDIX

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema decreti de Activitate Missionali Ecclesiae post periodum III, ante disceptationem decreti

1

Em.mus P. D. VALERIANUS card. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Quando vero numerus conversionum inaequalis invenitur diuturno labori arduoque conatui missionariorum, animus ipsorum communiter affligi videtur.

Non erit forsitan fons gaudii, — uno eodemque tempore indicatio aliqua unius ex finibus laborum missionum — si adiunctio quaedam facta fuerit schemati unius vel duorum paragraphorum per quas plane ostendatur de bono exitu apostolatus missionum iudicandum esse non solum numeris conversionum, verum etiam propagatione vis christianae ope scholarum aliarumque societatum ad bonum sociale fundatarum. Id est praesertim quod accidit in regionibus missionum. « Scholae nostrae et collegia inter aptissima media ad religionis catholicae cognitionem apud ethnicos spargendam adnumeranda sunt » (cf. *Acta et Decreta Primi Concilii Plenarii Indiae,* 1950, p. 186). Verum est paragraphum duodecimam art. 1 cap. II loqui de praeambulis Evangelii, et mentionem facere operum socialium et scholarum; nihilominus, ea locum momentumque habere in labore evangelii praeconum patefacere oportet.

Hac in re, opere pretium erit animadverti illa quae dicta sunt ab em.mo card. Newman in suo libro, *On the present Position of Catholics in England,* a. 1851 edito. Loquens de obligationibus catholicorum ipse scribit (hic autem non possum quin ipsa verba anglice proferam): « Your strength lies in your God and your conscience; therefore it lies not in your number. It lies not in your number any more than in intrigue, or combination, or worldly wisdom. God saves whether by many or by few; you are to aim at showing forth His light, at diffusing "the sweet odour of His knowledge in every place": numbers would not secure this. On the contrary, the more you grew, the more you might be thrown back into yourselves, by the increased animosity and jealousy of your enemies. You are enabled in some measure to mix with them while you are few; you might be thrown back upon yourselves when you became many. The line of demarcation might be more strictly observed; there might be less intercourse and less knowledge. It would be a terrible state of things to be growing in material power, and growing too in a compulsory exclusiveness. Grow you must; I know it; you cannot help it; it is your destiny; it is the necessity of the Catholic name, it is the prerogative of the Apostolic heritage; but a material extension without a corresponding moral manifestation, it is almost awful to anticipate; awful, if there should be the sun of justice within you, with so little power to cast the illumination of its rays upon the

multitudes without. On the other hand, even if you did not grow, you might be able to dispense on all sides of you the royal light of Truth, and exert an august moral influence upon the world. This is what I want; I do not want growth, except of course for the sake of the souls of those who are the increment; but I want you to rouse yourselves to understand where you are, to know yourselves. I would aim primarily at organisation, edification, cultivation of mind, growth of the reason. It is a moral force, not a material, which will vindicate your profession, and will secure your triumph. It is not giants who do most. How small was the Holy Land! Yet it subdued the world. How poor a spot was Attica! yet it has formed the intellect. Moses was one, Athanasius was one, Leo was one. Grace ever works by few; it is the keen vision, the intense conviction, the indomitable resolve of the few, it is the blood of the martyr, it is the prayer of the saint, it is the heroic deed, it is the momentary crisis, it is the concentrated energy of a word or a look, which is the instrument of heaven. Fear not, little flock, for He is mighty who is in the midst of you, and will do for you great things. »

2

EM.MUS P. D. PAULUS PETRUS CARD. MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. Le nouveau texte, qui sera soumis à la Commission compétente, le 29 mars courant, est certainement supérieur aux précédents textes qui ont traité de l'activité missionnaire de l'Eglise, par sa teneur théologique, par sa précision et sa clarté. Il y a lieu, cependant, à quelques observations et remarques.

2. Il me semble que ce nouveau texte est froid et terne. On ne sent pas palpiter l'Esprit ni cette charité de l'Eglise pour les âmes qui ne lui appartiennent pas encore d'une manière visible. En d'autres termes, l'aspect dramatique de la mission de l'Eglise est passé sous silence. Les développements du texte ont une belle allure logique, sereine, mais sans émotion ni onction spirituelles.

3. Un grand silence est gardé vis-à-vis de ceux qui travaillent dans les missions en vrais témoins de la foi. Je crois qu'un mot d'encouragement et d'hommage serait le bienvenu de la part du Concile. Il aurait les meilleurs effets.

4. Il faudrait, à mon avis, prononcer le Nom de N.S.J.C. dès le Prooemium, Lui qui est l'objet de la bonne Nouvelle. L'introduction parle d'Evangile, à plusieurs reprises; du Christ, une seule fois, et encore dans « Règne du Christ ».

Par ailleurs, il me semble nécessaire de préciser les étapes de la vie du Christ dans le mystère de sa passion, de sa mort et de sa résurrection. Il y est l'exemplaire vivant et la source de toute vie chrétienne et missionnaire. Dans le chapitre premier, on parle seulement de la passion et de la mort du Christ, sans signaler sa résurrection, objet d'espérance, de joie et de paix intérieure pour les missionnaires dans les difficultés et les persécutions (cf. *Actes* 5, 41: ibant gaudentes). C'est dans et par la Croix que le Christ a été victorieux de la mort.

L'on devrait montrer que toute l'activité missionnaire doit prendre le rythme de la mort et de la résurrection du Christ.

Cette affirmation sur la mort et la résurrection du Christ devrait — après mention faite dans l'introduction — se développer particulièrement dans le paragraphe

qui traite de la Mission du Verbe, et pourrait être avantageusement insérée à la page 4, entre les lignes 9 et 10.

De plus, l'on ne voit pas suffisamment que les Apôtres doivent prêcher dans le Christ la source de la joie parfaite, « solutio omnium difficultatum », « pax nostra », « gaudium nostrum » dont est plein l'Evangile de S. Luc (p. e. 2, 10), et dont retentit l'Evangile spirituel de S. Jean (p. e. 16, 22).

5. N'aurait-on pas pu signaler la Vierge comme patronne des missions et insister sur son rôle dans le travail missionnaire?

L'on aurait pu aussi donner aux missionnaires l'exemple de F. Xavier et de Thérèse de Lisieux.

Le rappel du grand et premier missionnaire du Père, N.S.J.C., de la sainte Vierge, des Saints Xavier et Thérèse, pourrait très bien conclure tout ce Schema qui se termine étrangement sans conclusion générale. Cette conclusion reprendrait l'idée centrale du Schema et l'orienterait dans un sens eschatologique de perfection du Royaume de Dieu et de plénitude du Christ qui soumettra tout au Père après s'être soumis le monde dans la charité.

6. Il me semble nécessaire d'insister, d'une manière particulière, sur le sacrement de confirmation dont on parle à peine dans le Schema. Or c'est le sacrement de la milice chrétienne et du témoignage chrétien. Avec le baptême et l'Eucharistie, il constitue l'armature spirituelle du croyant. Un Schema sur l'activité missionnaire de l'Eglise serait incomplet, si l'affirmation n'était pas faite de ces trois sacrements. On pourrait introduire cette mention à la page 11, entre la ligne 25 et la ligne 26.

7. Je crois dommageable la suppression du Conseil central de l'Evangélisation dont parlait le texte précédent. Conçu comme il devrait être, il ne porterait pas ombrage à la S. C. de Propaganda Fide. Il serait, au contraire pour elle, un moyen de mieux réaliser les problèmes concrets des différentes missions et de leur apporter la solution adaptée.

Nous sommes, en effet, à l'époque où le problème missionnaire est devenu complexe et exigeant de nombreuses solutions adaptées au milieu social, culturel, religieux, ethnique, économique etc. de chaque région. Or ce Conseil central distinct de la Propagande, mais en rapport étroit avec elle, aurait la charge de représenter toute l'Eglise en travail dans les régions où le Christ n'est pas encore ou n'est plus connu pour y apporter la bonne Nouvelle.

8. Je constate avec joie que la mission de l'Eglise a été rattachée aux missions du Verbe divin et du S. Esprit. Au cours du développement l'on perd un peu de vue cette intériorité de l'Eglise par rapport aux missions des Deux personnes divines et les réflexions deviennent plus juridiques. Donc, il serait désirable que le texte soit revu dans ce sens, afin qu'une unité de pensée y soit maintenue.

9. Le chapitre troisième sur les « Missionnaires » est assez pâle.

a) Pourquoi seraient-ils seuls missionnaires ceux qui partent pour les terres lointaines et quittent leur Pays? Ce serait restreindre le sens de la Mission qui est proprement extension de l'Eglise, comme le pensent les Encycliques missionnaires des derniers Papes.

b) Pourquoi les citations d'Abraham qui viennent ici d'une manière tout à fait insolite (p. 16, ligne 12).

c) Le chapitre devrait être davantage nourri de textes de l'Ecriture et des Pères. Tel quel, il est assez maigre et décevant.

10. Le chapitre cinquième qui traite de la « collaboration » doit être précisé, me semble-t-il, dans le sens d'union ecclésiale. L'Eglise est une par son fondateur et par son but, où qu'elle soit. La collaboration découle de cela. Elle n'est pas la conséquence d'une entente morale ou d'une convention ou d'une convenance.

11. A la page 3, lignes 35-36, il me semble, parlant de l'incarnation, qu'on peut caractériser tout d'abord le Verbe incarné par l'obéissance « Ecce venio ut faciam voluntatem tuam » (*Hebr.* 10, 9) plutôt que par la pauvreté.

* * *

1. Il me semble que le Prooemium qui se caractérise par deux points importants: la vocation missionnaire de l'Eglise et les circonstances actuelles dans lesquelles la Mission doit s'exercer, est *un peu sec.*

Comme je le notais dans les réflexions envoyées à la Commission missionnaire le 23 mars dernier, l'on ne sent pas suffisamment, dès le début de ce Schema, palpiter l'Esprit et la charité « in visceribus J. C. » pour tous ceux qui n'appartiennent pas encore à l'Eglise visible.

Par ailleurs, l'allure de ce Prooemium est un peu juridique.

Enfin, après avoir parlé de la Croix du Christ (p. 5, ligne 15), l'on pourrait, l'on devrait même, me semble-t-il, ajouter: « Regnum Christi, Domini historiae, *Regnum pacis, iustitiae et gaudii* ».

2. Il va sans dire que le chapitre premier reprend inévitablement, et avec raison, des principes théologiques de la Constitution *Lumen gentium.* Il me semble que cette manière de faire est bonne, au risque de revenir à un Schema juridique et sec.

Par ailleurs le n. 2 fait bien, comme je l'avais suggéré dans les notes précitées, de rattacher la mission de l'Eglise aux missions du Fils et de l'Esprit Saint dans le dessein premier du Père. Par là le point de vue ecclésial devient trinitaire et donne à toute la théologie de l'Eglise et des sacrements une structure trinitaire qui la valorise.

L'insistance sur la volonté de Dieu de faire de ses fils dispersés un Peuple nous rappelle avantageusement la Constitution *Lumen gentium.*

3. Le n. 3 parlant de la mission du Fils fait bien d'insister sur son effet qui est une Société visible et sociale de salut. En cela les Missions trouvent leur fondement et les missionnaires la source de leur travail auprès des nos-chrétiens pour leur transmettre le message de salut.

Par ailleurs, cette mission du Fils ne reste pas idéal mais réalité incarnée qui sauve ce qui a été assumé.

Enfin l'acte du Christ fut plénier et absolu. L'attitude de l'Eglise et des Apôtres est l'actualisation du geste du Christ.

On a peut-être bien fait d'insister sur la *pauvreté* du Fils incarné et d'en faire un élément de la mission (p. 6, ligne 21). Il me semble nécessaire aussi d'insister sur l'obéissance: « ecce venio ut faciam voluntatem tuam » (*Hebr.* 10, 9); « meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me » (*Io.* 4, 34), etc.

Dans le dernier § (p. 6, lignes 34-44) on pourrait indiquer que l'Eglise dans sa mission suit le rythme de la vie du Christ: mort et résurrection. Cela donnerait un sens plus pastoral encore au Schema.

4. Le n. 4 a bien fait de noter le sens missionnaire de la Pentecôte, sans nier l'œuvre et le travail de l'Esprit qui ont précédé ce jour.

5. Le n. 5 insiste avec raison sur le sens hiérarchique de la mission de l'Eglise à laquelle tous les membres du Peuple de Dieu participent.

On a bien fait dans le second § d'insister sur la pauvreté et *l'obéissance* (servitium pris dans le sens d'obéissance au Père). Mais il me semble que la mission du Christ ne s'est pas terminée à la mort, comme le dit le texte (p. 7, ligne 34). Il faudrait ajouter ici, après le mot « mortem, *quae missio resurrectione et ascensione consumitur* ».

6. Pourquoi répéter dans les lignes 38-39 du n. 6, p. 7, ce qui a été dit plus haut dans le n. 5, p. 7, lignes 20-24?

On a bien fait de donner à ce numéro le titre d'« activité missionnaire » et non d'« apostolat missionnaire ». La mission est une. On y participe différemment et par différentes activités, aussi bien dans les Pays de mission proprement dits que dans les Pays de vieille chrétienté devenus Pays de mission, ou bien auprès des fidèles.

De plus les définitions de la « mission » sont complexes: territoriale, plantation de l'Eglise avec aspect juridique et social et organisé, et dilatation du Royaume du Christ.

Il me semble que ce § serait à reprendre et à être mieux organisé.

On évite, tout en parlant des cultures différentes, d'émettre le principe de l'adaptation.

On y revient — ce qui est bon — sur les Eglises missionnaires qui sont des Eglises particulières dans la grande catholicité où toutes les Eglises sont particulières. Le lien de la charité et de la communion constitue la catholicité qui est ce principe qui pousse le Peuple de Dieu dans toutes les régions de la terre à porter témoignage actif et dynamique de prédication et de vie.

On fait bien de noter que la mission ne finit jamais ici-bas. Même dans une église déjà plantée, elle demeure nécessaire. Les vicissitudes des hommes et des temps demandent toujours une adaptation, un redressement.

L'insistance sur la collégialité rejoint la Constitution *Lumen gentium* et relie avantageusement ce Schema au Schema de l'Eglise. Par ailleurs cette collégialité est en conformité avec l'affirmation des Eglises particulières qui doivent s'intéresser à leur propre sort et s'ouvrir à la sollicitudo omnium ecclesiarum.

7. Le n. 7 a raison d'insister sur la nécessité absolue de la mission, toujours et partout. Tant que dure l'Eglise terrestre, la mission durera. Cette nécessité est fondée sur l'amour de Dieu et du prochain et particulièrement sur l'accomplissement du dessein de Dieu de réunir l'humanité en un seul peuple, en un seul corps, du Christ, en un seul temple du Saint Esprit. Cela rejoint ce qui est dit au n. 2 et dénote l'unité dans la composition du Schema. Cela continue à donner à ce Schema une allure profondément religieuse.

8. On aurait pu, dans le n. 8, détailler davantage la relation du Christ à l'humanité à sauver, ce qu'il lui apporte dans sa mission et ce que l'Eglise confère à cette humanité en lui donnant le Christ. La parole de S. Irénée serait peut-être ici la bienvenue: le Christ en venant sur terre « attulit omnem novitatem ».

Le § est assez dense. Il y aurait peut-être à le développer un peu dans le sens susdit.

9. Il était inévitable de ne pas parler du sens eschatologique de la mission au risque de ne pas préciser le dynamisme de l'Eglise et son orientation vers la Jérusalem céleste. Le n. 9 en désignant la réalisation de la mission entre les venues du Christ, précise le rôle efficace de l'Eglise dans la pénétration du monde par la grâce et la parole du Christ jusqu'à sanctifier les éléments de vérité qui s'y trouvent répandus. Ce dernier point qui est dit dans le texte pourrait être précisé encore davantage.

Réflexion générale. Le chapitre premier de ce Schema est bon, sauf les quelques remarques susmentionnées. Je voudrais insister encore sur les points suivants, qu'on sente dans le texte:

a) que la vie du missionnaire doit suivre le rythme de la vie, de la mort et de la résurrection du Christ;

b) que la joie jaillit de la souffrance du missionnaire;

c) que la Trinité Sainte préside à la constitution et au progrès de la Mission et d'une façon très intime.

Chap. II. 10. Le programme du dialogue avec les non-chrétiens développé dans le n. 11 est assez clair, dénote du sens de l'incarnation de l'Eglise dans les différentes cultures qui portent des « semina Verbi », et du courage de l'Eglise pour ne rien laisser en dehors de l'influence du Christ dont elle est le Corps.

C'est pourquoi on a bien fait d'appeler les §§ 11 et 12 les « Préambules de l'Evangélisation ». De plus on a bien fait de dire non chrétiens au lieu de païens.

11. Le n. 12 rappelle l'Epitre à Diognète où est décrite la situation chrétienne. Aucune différence extérieure dans les attitudes n'est visible entre les chrétiens et les non chrétiens: l'intention valorise les actions de bonté et de charité et oriente par delà le terrestre vers Dieu lui-même.

Le n. 12 dénote un sens concret d'une situation présente de l'Eglise dans notre monde moderne. Elle ne doit pas être étrangère et un élément d'exportation. Elle doit être le symbole vivant de la vitalité chrétienne de la région où la charité et la lumière du Christ ont éclairé et animé les cœurs.

12. Le n. 13 donne en peu de mots et très bien une théologie de la conversion fondée sur l'action de la Trinité.

On ferait bien peut-être de mettre la référence au Schema *de libertate religiosa* dans les lignes 5-8, de la page 13.

Qu'on veuille bien ne pas séparer l'annonce de Dieu de celle de J. C.

13. Le n. 14 est très beau. Le juridisme est dépassé. Le catéchuménat est une initiation au mystère chrétien par une participation réelle mais progressive à la vie de la Communauté et par sa liturgie. Cette initiation doit révéler petit à petit le mystère pascal.

Tout est vu de l'intérieur ici et c'est là un progrès net sur le Schema précédent qui traitait de l'activité missionnaire de l'Eglise sous forme de propositions.

Cependant on aurait pu insister davantage ici sur le mystère de vie et de mort et de résurrection du Christ que le chrétien doit répéter dans sa vie et qui serait un thème central dans le développement de ce Schema.

14. Le n. 15 insiste avec raison sur la nécessité de constituer des Communautés dont l'exemple est plus profond que l'exemple individuel. Ces Communautés seront peuple de Dieu. C'est ce qui est dit aussi au numéro précédent.

Par ailleurs, l'insistance mesurée et nuancée sur l'ouverture œcuménique de ces Communautés, sur leur loyalisme politique et civil, est bonne. Il semble toutefois que sur ce dernier point il y ait déjà des répétitions qui ne nuisent pas à l'ensemble du Schema. Elles montrent peut-être le point de vue de l'Eglise avec plus de précisions.

Enfin le Schema, encore dans le même esprit d'adaptation et d'incarnation, insiste avec raison sur la nécessité de créer les différents ministères dans ces communautés, indispensables à sa vitalité.

15. Un grand souffle spirituel anime le n. 16, celui de l'institution des premières communautés chrétiennes. Le mystère du salut historique et révélé dans les Ecritures et vécu dans la liturgie traverse toutes les lignes. Ce mystère doit faire les fondements de la formation cléricale.

De nouveau, ici, sens de l'incarnation de l'Eglise à propos de la formation du Clergé local.

L'insistance sur le diaconat permanent est une orientation précise de ce qui a été dit dans la Constitution *Lumen gentium* et qui aurait pu rester lettre morte.

16. Je note dans le n. 17 les deux points nouveaux suivants: la création éventuelle d'une œuvre qui recueille les subsides nécessaires pour la vie des catéchistes; et l'institution d'une liturgie de consécration.

Par là le Schema élargit le sens du ministère et considère celui des catéchistes comme une coopération avec l'Ordre sacerdotal. Mais il me semble utile et nécessaire de fonder en tradition ce nouveau développement du sens du ministère et d'en structurer une théologie inspirée peut-être de celle des charismes, ou déterminée par rapport au sacerdoce commun des fidèles d'où jaillissent des vocations spéciales au service proprement apostolique en union avec le sacerdoce ministériel.

17. Le n. 18 est intéressant à plus d'un titre:

a) on pourrait, me semble-t-il, transporter dans le Schema sur la vie religieuse, une affirmation aussi importante que celle des lignes 7-9 de la page 17 sur la valeur ecclésiale de la vie contemplative. Une affirmation aussi claire ne s'y trouve pas.

b) Les mots « plantatio ecclesiae » sont encore répétés ici. Il me semble que le Schema s'en défendait un peu au début, du moins de son emploi exclusif qui sent un peu la structure extérieure et le juridisme. C'est pourquoi, il me semble utile d'en préciser l'emploi de temps en temps, par l'insistance sur le caractère intérieur de l'Eglise.

Ici aussi, le numéro insiste sur le sens concret et adapté de la vie religieuse aux différents pays et cultures.

18. Je voudrais de nouveau, redire à propos du n. 19 ce que j'ai dit dans de précédentes réflexions, au mois de mars dernier. L'Eglise locale particulière est l'Eglise catholique dans une région donnée. Elle a besoin de l'aide, non de l'Eglise catholique, mais des autres églises-sœur particulières et constituent ensemble la catholica, à moins que sous la dénomination d'Eglise catholique, le Schema n'entende ce que nous disons.

L'insistance sur le fait que les églises locales qui se forment doivent arriver un jour à se suffire, dans leur structure hiérarchique, est excellente. Là aussi grand sens de l'incarnation de l'Eglise.

19. Le n. 20 est encore dans l'esprit de l'ensemble du Schema: Incarnation et adaptation de l'Eglise. Il est bon, en effet, d'insister sur l'apport des Eglises particulières à la richesse de la pensée et de la tradition chrétienne, étant donné que la foi emprunte des voies nouvelles qui, par les éléments socio-culturels nouveaux trouve les éléments à intégrer à l'ensemble de la tradition chrétienne.

Il est heureux que le n. 20 ait vu l'objection de syncrétisme qu'on aurait pu lui faire. L'affirmation du multitudinarisme dans la catholica était nécessaire.

Par ailleurs, il est normal, dans le contexte de ce Schema, d'insister sur la théologie vivante qui naîtra d'études et pratiques jaillissant de la situation de l'Eglise dans les différentes régions de la Mission. Pour cela que la formation se fasse dans le propre pays, sans exclusion des voyages pour les autres pays et séminaires. Ce point est très important. Il faudrait, me semble-t-il, y insister dans le Schema qui traite de la formation des Clercs.

Chap. III. 20. Il est heureux que le n. 21 ait insisté sur le but de la mission: aller labourer et semer l'Evangile, et sur l'idée d'envoi par l'autorité religieuse légitime: ce qui équivaut à une consécration par l'Eglise du travail apostolique. Ces deux idées, surtout la seconde étaient quelque peu oubliées. L'idée de la « plantatio ecclesiae » doit être toujours complétée par celle plus intrinsèque du départ pour la semence évangélique et de l'envoi.

21. Le n. 22 qui traite de la spiritualité missionnaire a attiré l'attention avec raison sur la pauvreté la joie et l'obéissance. J'insiste pour que l'on parle davantage, dans ce Schema, de la joie qui naît de la souffrance et des privations du prêtre.

22. Je voudrais dire que pour le n. 23 on pourrait ajouter à la ligne 3 de la page 20 le texte de S. Pierre (*1 Pt.* 4, 13) sur la joie dans les souffrances.

23. Les encouragements que le n. 25 adresse aux missionnaires sont les bienvenus, pour les pousser encore plus dans le travail héroïque qu'ils réalisent.

24. La manière dont le n. 27 envisage le renouveau dynamique dans la S. C. de la Propagande peut satisfaire à un travail rénové et concret.

Le Conseil dont j'ai demandé la création dans mes précédentes notes envoyées en mars dernier pourrait être remplacé par la refonte de la S. C. telle qu'elle est décrite dans ce numéro.

25. Ce qui est affirmé dans le n. 36 à propos des prestations à fournir par chaque Diocèse en prêtres, en argent, etc. doit être précisé davantage pour éviter le relent d'un paternalisme d'un diocèse par rapport à l'autre. Les formules devraient être étudiées avec tact.

Considérations générales. 1. Le présent Schema est certainement supérieur aux « Propositions » qu'on avait soumies aux PP. à la troisième session.

2. Cette supériorité tient dans les points suivants: *a*) ce Schema est plus théologique et complet.

b) Il envisage les problèmes sous un angle moins juridique — l'on voudrait, cependant, à certains moments des précisions sur certaines affirmations comme celle de plantatio ecclesiae pour leur éviter une allure purement juridique.

c) Un souffle paternel — non paternaliste — court à travers les pages de ce Schema, et cela ne peut qu'encourager les missionnaires.

d) Un sens religieux de la mission domine toutes les affirmations.

3. Parfois le Schema demande à être unifié dans les thèmes principaux qu'il

développe et qui forment la structure même des différents chapitres comme p. e. le thème de la vie et de la mort du Christ, celui de l'obéissance et de la pauvreté, celui de la joie, etc.

4. On aurait pu, en prévoyant l'accord qui doit naître, en pays de mission entre l'autorité de l'Evêque et les Instituts religieux, insister davantage aussi sur une certaine centralisation et rationalisation du travail et même des pratiques du culte et des dévotions.

5. On aurait pu mettre l'accent plus nettement peut-être sur le caractère eschatologique du devoir missionnaire, puisque la mission est la vie chrétienne et que celle-ci est essentiellement finalisée sur la vision béatifique.

6. La conclusion du Schema, qui est la bienvenue, aurait pu être aussi trinitaire que le premier chapitre.

3

Em.mus P. D. PAULUS M. card. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Aliquam praecisionem parvam sed satis praestantem, vellem producere quoad hoc schema, tam optime renovatum.

In fine n. 6, pag. 8, linea ultima et sequentes, mihi videtur notandum est quod activitas pastoralis in regionibus ubi sunt iam multi fideles non habet tantummodo, sicut dicitur in textu, coniunctionem arctissimam cum missionali nativitate Ecclesiae, sed prae se fert veram et essentialem actionem missionalem. Nam in fere omnibus istis regionibus hoc tempore adsunt multi increduli et non baptizati, apud quos non differt activitas pastoralis ab ea quae perficitur et bene exponitur in cap. II nostri schematis erga populos non credentes. Si differentia in hac re ostenderetur nimis absoluta, magnum periculum appareret pro apostolatu omnium sacerdotum fideliumque in aliis dioecesibus Ecclesiae. Tota ecclesia, omnes episcopi, sacerdotes, fidelesque in quacumque regione, etiam si dicatur christiana, sunt et debent in eorum territorio mentem et activitatem missionalem praebere.

4

Exc.mus P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Ad n. 4. *Constitutio alicuius Internationalis Consilii evangelizationis.* Opportunitate temporum inspecta, valde optanda est constitutio alicuius « Consilium Mundiale Evangelizationis » in quo partem habeant, praeter Sacras Romanas Congregationes quae actionem missionalem promovent, repraesentantes novellarum Ecclesiarum mediantibus conferentiis episcopalibus, necnon repraesentantes conferentiarum episcopalium nationum antiquitus christianarum, superiores generales institutorum quae in missionibus fatigant atque supremi moderatores organizationum quae in iuvamen missionum laborant.

Post n. 5. *Vocationes missionarias promoveant episcopi.* Alacri ac generoso animo inter eorum christifideles vocationes ad munus missionarium foveant insti-

tutionesque ad hunc finem stabilitas intento studio prosequantur, memoria semper recolentes Deum se liberalitate vinci non pati atque numquam contingere, si pauper dioecesis alteram pauperiorem particularem Ecclesiam propriis suis filiis iuvat, ut ea indigentior fiat.

Institutiones religiosae et missionariae, a quibus notabili parte apostolatus evangelizationis pendet, benevolentiam et favorem episcoporum requirunt ad adimplendum officium missionarium eis impositum. *Ratio*: Pius Papa XII, in encyclica *Fidei donum, A.A.S.*, 49, 1957, pp. 243 et 245.

Gemellationem duarum Ecclesiarum promoveant episcopi. Ad perficiendam fraternitatem Ecclesiarum, sedulo Episcopi satagant quantum possibile eis sit, ut quamplurimi sacerdotes eorum particularium Ecclesiarum, una cum probatis laicis, alicui novellae Ecclesiae apostolicam, ut Evangelii praecones, praebeant collaborationem sub auctoritate episcopi loci missionis, atque generoso studio curent alii post alios illic mittantur.

Quo certius uberiusque haec incepta in praxim eveniant, utantur Episcopi, si opportunum eis videatur, organizationibus nationalibus aut internationalibus quae de missionibus curant.

Meminerint sacerdotes eos esse ordinatos « in adiutorium episcoporum catholicorum » et « ad eorum societatis et operis adiumentum » cooptatos providos cooperatores, ut in Rituale constat. Haec etenim gemellatio inter duas particulares Ecclesias, quarum una antiquitus christiana, speciali mutuae vitae intercambii nexu, novellam Ecclesiam in missionibus sibi germane sociat, hodiernae sensibilitati christifidelium respondere videtur atque opulentos fructus caritatis producit, catholicae unitatis conscientiam efficaciter promovendo atque communionem sanctorum nova luce illustrando.

Ut bonum omnium missionum arte servetur ac odiosas inaequalitates conditionum sive oeconomicarum sive numero missionariorum quantum fieri potest evitentur, Episcopi pro Domino rogantur ut de talium gemellationum inceptibus Commissionem episcopalem nationalem quotannis edoctam fiant. *Ratio*: Pius XII, *Fidei donum, A.A.S.*, 1957, pp. 245-246.

Post n. 6. *Spiritum catholicitatis inter christifideles promoveant.* Omnes quidem sacerdotes spiritus catholicitatis inter christifideles indesinenter promoveant, memoria semper recolentes vitam supernaturalem plebis Dei tantum ad maius progredi quantum evangelizationi omnium gentium devoveri, nam sacramenta omnia, quibus vita christiana perficitur, ad bonum totius Ecclesiae natura sua ordinantur.

Opera missionalia Pontificia omnibus in paroeciis instituant, dies missionales studio ac generoso animo disponant, vocationes missionarias inter iuvenes utriusque sexus faveant, unionem christianorum informatione periodica et doctrina promoveant atque reverentiam, aestimationem et caritatem semper demonstrent cum de non-catholicis sermo sit. *Ratio*: Pius Papa XII in encyclica *Evangelii praecones, A.A.S.*, 43, 1951, p. 526.

5

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Ad cap. II, pag. 13, n. 14. Legendo huius capitis art. 2 non inveni monstratam differentiam inter baptizatos extra Ecclesiam catholicam, nunc adspirantes ad eam, et ceteros non baptizatos.

Quae dicuntur de praeparatione catechumenorum in hoc n. 14, omnino sequi possunt pro baptizatis non catholicis. Minime vero eadem sequenda puto cum non baptizatis. Tam theoretice loquendo quam experientiam sequendo baptismus est valde magni valoris in debita et fructifera ipsa praeparatione cathechumeni.

Non facientes debitam differentiam inter baptizatos et non baptizatos implicite negamus partem diaboli in personam non baptizati, negamus aliquo modo etiam valorem baptismi. Omissio huius differentiae aliquo modo redoleret errore theologico.

Practice vero loquendo datur differentia inter baptizatum et non baptizatum in fructifera praeparatione cathechumenorum et etiam usu temporis destinati pro cathechumenis.

Propono in hoc n. 14 hanc distinctionem esse faciendam, suggerendo et consiliando non baptizatos esse baptizandos quamprimum, quantum prudenter iudicando illi satis praeparati sunt ad baptismum recipiendum. Post baptismum vero et illi praeparandi sunt modo baptizatorum cathechumenorum ad participandum in plena vita Ecclesiae.

6

EXC.MUS P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

Lo schema, a mio modesto parere, è uno dei migliori sia per la chiarezza e la precisione dell'esposizione, sia per la doverosa modernità con cui si espone l'attività missionaria della Chiesa ai nostri giorni.

Tuttavia mi sono permesso alcune marginali osservazioni lasciando la decisione alla competente Commissione.

1. La prima osservazione riguarda l'art. 27 del cap. IV « De ordinatione activitatis Missionalis ».

D'accordo che oggi sia indispensabile, non meno di ieri, un competente Dicastero romano, per corrispondere alle gravi esigenze attuali.

Ma proprio per questo mi sembra che per alcune specifiche attribuzioni, e forse anche per lo stesso nome, lascerei ogni decisione ai successivi decreti post-conciliari: in tal modo meglio armonizzeranno con le decisioni degli altri Decreti e completeranno quanto già si dice all'art. 37. Per ora forse basterebbe un conciso e preciso riassunto di quanto ivi è detto in modo che possa servire da sicura base e guida dei successivi decreti.

2. All'art. 34, verso la fine della riga 15 (cap. V « De Cooperatione ») consiglierei di sostituire *illud* con una migliore parola.

7

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. CIRARDA LACHIONDO

Episcopus tit. Drusilianensis, aux. Hispalensis

Nota introductiva. Sobre las proposiciones presentadas a los rev.mos Prelados españoles en torno a un nuevo esquema conciliar de Misiones por la Dirección Nacional de las Obras Misionales Pontificias.

1. Voluntaria y conscientemente hemos limitado el campo de nuestras sugerencias al tema de la cooperación misional, dejando fuera de nuestro estudio todo lo relativo a la actividad misionera propiamente dicha entre los no-cristianos.

2. Dos ideas fundamentales, presentes en todas nuestras sugerencias, dan unidad orgánica al conjunto de proposiciones prácticas: la primera de estas ideas abunda en el concepto de la responsabilidad misionera del Colegio Episcopal; la segunda, mira a definir la actividad eclesiástica como encaminada a restaurar en el mundo la unidad del género humano, unidad destruída por el pecado y restablecida por Cristo.

3. Nuestras sugerencias, tras definir la condición misionera de la Iglesia, como etapa definitiva en que se realiza el plan salvífico de Dios, fijan su atención en los responsables de la evangelización mundial —y en sus colaboradores—, y esto en el triple plano internacional, nacional y diocesano.

a) en el plano internacional propone la constitución de un *Consejo Mundial de la evangelización;*

b) en el ámbito nacional sugiere la creación de una *Comisión Episcopal de Misiones* en el seno de las Conferencias Episcopales nacionales;

c) en el plano diocesano, la creación de un Secretariado episcopal por medio del que le sea dado al Obispo llevar a la práctica su responsabilidad misionera como miembro del Colegio de los Obispos.

4. La solicitud misionera de los Obispos ha de concretarse, principalmente, en la preocupación por hacer intervenir a todo su clero diocesano, secular y regular, en la actividad misionera de la Iglesia. Se les ofrece para ello la organización denominada Pontificia Unión Misional, en la que, a tenor de las normas de la Santa Sede, han de tener parte los religiosos laicales, las religiosas y los seminaristas teólogos, además de los sacerdotes. Los seminaristas de los cursos de filosofía intervienen como miembros aspirantes.

5. Preocupación de los Obispos será respaldar con su magisterio y autoridad el fomento de las vocaciones misioneras. Su solicitud deberá expresarse en una alertada atención de asistencia a las instituciones que se ocupan del reclutamiento de vocaciones con destino a la evangelización de los no-cristianos.

6. Una atención especial merece la fórmula del « jumelage » entre dos Iglesias particulares. Nuestro criterio es que se debe respaldar este nuevo modo de colaboración misionera. En el *Apéndice n. 1* se determina el alcance de esta iniciativa. La salvaguardia del bien general de las misiones, recomienda que la Comisión Episcopal controle la orientación y volumen de esta iniciativa, pudiendo servirse, para ello, de los Secretariados diocesanos de misiones y, en último término, de la Dirección Nacional de la Organizacion Misional Pontificia.

7. Tenemos también en cuenta la reciente fórmula de las Misiones diocesanas, fórmula surgida en nuestra patria en el año 1947 y que ha demostrado, en el transcurso de estos años, ser extraordinariamente fructífera y contar con la aprobación agradecida de la Santa Sede. En las notas presentadas al pié del texto relativo a esta iniciativa de las Misiones diocesanas, se numeran brevemente las realizaciones llevadas a cabo hasta esta fecha.

8. Sostenemos que el espíritu misional y la colaboración misionera de los sacerdotes de ambos cleros ha de fundamentarse en la condición sacramental de colaboradores en el apostolado episcopal.

9. La colaboración misional de los seglares, fundamentada en la teología sacramentaria, recoge la idea de la misión unificadora de la Iglesia frente a un mundo sin unidad por causa del pecado. Se subraya la oportunidad actual de favorecer el incremento de los misioneros seglares.

10. En el plano de la colaboración económica, se sugiere la idea de crear un *Comité internacional de la cooperación,* en el seno del Consejo Mundial de la evangelización, dado que son muy numerosas las organizaciones que intervienen en la financiación del apostolado misionero, según se detalla en el *Apéndice n. 2.*

También insistimos en la conveniencia de que se tenga conocimiento de los fondos económicos con que los fieles ayudan a las misiones propias de las instituciones consagradas, total o parcialmente, a la actividad misionera.

Proponemos por último la simplificación de la Organización Misional Pontificia en su aspecto económico, Organización que los Obispos han de urgir ante los fieles como *cauce oficial y primario* de los cristianos en la actividad misionera de la Iglesia.

Caput I

1. (*Salutare Dei aeternum propositum*). Volens Deus, in sua infinita caritate, hominem salvum facere ac universum genus humanum in unum tantum corpus denuo coadunare (*Io.* 11, 52) misit in mundum Filium suum Iesum Christum, plenum gratiae et veritatis, ut de eius plenitudine omnes nos accipere possimus.

Christus autem « ut salutiferum redemptionis opus a se patratum perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit » (I Conc. Vat. Const. *De Ecclesia*), ac, post suam gloriosam resurrectionem, Collegio Apostolorum mandatum imposuit Evangelium salutis toto in orbe terrarum praedicandi, per illa, quidem, verba: « Sicut misit me Pater et Ego mitto vos ... Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae ».

Praedicatio ergo Evangelii in universo mundo et ad homines omnes, tota et unica ratio est existentiae ipsaemet Ecclesiae ac, proinde, natura sua, Ecclesia catholica est.

Notae. « Neque enim ad aliud nata Ecclesia est, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando, universos homines salutaris redemptionis participes efficiat » (PIUS PAPA XI in encyclica *Rerum Ecclesiae, A.S.S.,* 18, 1926, p. 65).

2. (*Natura sua Ecclesia Christi catholica est*). Ecclesia enim Christi, utpote catholica, omnibus omnino populis pariter destinata est ac pertinet, nullam culturam seu civilizationem prae aliis praeferens.

Ut nullam apud gentem seu nationem extranea sese manifestet, usui vitae uniuscuiusque populi consentanea in sua theologica elaboratione mysterii Christi necnon ac in externis modis Ecclesia materne sese praebere debet ac, proinde,

« quodcumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae » (*Phil.* 4, 8), assumere contendat ad aedificationem universi populi Dei, ita ut « omnia recapitulare in Christo » atque « afferre gloriam et honorem gentium in illam » valeat, incarnationem Verbi Dei semper prae oculis mentis habens, qui, naturam humanam assumens, venit ad instaurandum, ultimis temporibus, universas res creatas in se Ipso (*Eph.* 1, 10).

3. (*De primatu apostolatus evangelizationis in Ecclesia*). Gratiose ad unitatem populi Dei vocati ac misericordiam consecuti (*1 Pt.* 2, 10), memores sint omnes Ecclesiae cives, eorum singularem conditionem non tantum honoris ac solatii causam esse quam socialis sollicitudinis erga ceteros homines argumentum, secundum id quod Beatus Petrus dicit: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis ut virtutes annuntietis Eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum » (*1 Pt.* 2, 9).

Unusquisque ergo sanctae plebis Dei unanimiter cum ceteris in aedificationem Ecclesiae ubique terrarum concurrere debet. Membrum vero Corporis mystici Christi per baptismum factus atque virtute Spiritus confirmationis Sacramento publice roboratus, activam operam unusquisque christifidelium praestare debet, donec « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » perveniat Ecclesia, nam et gratia fidei atque communicatio Spiritus, sicut et cetera dona « ad utilitatem communem » eis sunt data (*1 Cor.* 12, 7).

Notae. « Affari iam libet universos homines, quicumque, magno Dei miserentis munere, verae fidei compotes ac innumerabilia, quae inde manant, beneficia participant » (Benedictus Papa XV in encyclica *Maximum illud, A.A.S.,* 13, 1919).

Cap. II. *De reorganizatione directionis apostolatus evangelizationis.*

1. (*Constitutio alicuius Internationalis Consilii evangelizationis*). Opportunitate temporum inspecta, valde optanda est constitutio alicuius *Consilii mundialis evangelizationis* in quo partem habeant, praeter Sacras Romanas Congregationes quae actionem missionalem promovent, repraesentantes novellarum Ecclesiarum mediantibus Conferentiis episcopalibus, necnon repraesentantes Conferentiarum episcopalium nationum antiquitus christianarum, Superiores generales institutorum quae in missionibus fatigant atque supremi moderatores organizationum quae in iuvamen missionum laborant.

Notae. Internationalizatio Romanae Curiae, saepe saepius a Suprema ecclesiastica auctoritate considerata plurimis in textibus, valde commendatur pro Directione Centrali apostolatus evangelizationis apud non-christianos.

In litteris, iussu Summi Pontificis Pii Papae XII, missis die 12 augusti a. 1958, a S. Congregatione de Negotiis Extraordinariis — Prot. 6656/58 — ad em. card. Praefectum S. Congr. de Prop. Fide, clare dicitur quod territoria de facto missionalia habentur sub iurisdictione S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, S. Congregationis de Negotiis Extraordinariis et S. Congregationis Consistorialis, praeter S. Congregationem de Prop. Fide.

2. (*Specialis episcopalis Commissio de Missionibus in Conferentiis episcopalibus constituatur*). Ad augendum studium christifidelium erga missiones, vocationes missionarias fovendas atque pluralia incepta in iuvamen missionum concilianda ut bonum universarum missionum arcte servetur, instituatur apud unamquamque nationalem episcopalem Conferentiam, commissio quaedam specialis de Missionibus.

Notae. « Quo autem efficacius expediantur multiplices quaestiones quae ad Evangelii praeconum conquisitionem et delectum pertinent, singulorum nisus minime suppetunt. De iis quaestionibus in coetibus pertractate, venerabiles Fratres, et ad easdem solvendas utimini illis institutis, si quae sint, quae intra cuiusque vestrum Nationis ambitum missionibus provehendis operam praestant. Hoc modo facilius erit aliis alia adicere instrumenta, quibus adulescentium voluntates ad sacras expeditiones divinitus inclinatae efficacius excitentur, et leviora evadant commissa vobis munera, quae in solidum vos communi Ecclesiae provehendo bono adstringunt » (Pius Papa XII in encyclica *Fidei donum,* A.A.S., 49, 1957, p. 244).

3. (*Secretariatus dioecesanus Missionum in unaquaque particulari Ecclesia constituatur*). Ut sollicitudo uniuscuiusque Episcopi pro universa evangelizatione in practicam reddatur, commendatur constitutio in unaquaque particulari Ecclesia alicuius Secretariatus Missionum, cuius ope Episcopus studium christifidelium erga missiones promoveat, institutiones ad fovendas vocationes missionarias iuvet ac universum apostolatum missionale in dioecesi dirigat, attentis normis a supremis moderatoribus actionis missionalis prolatis.

Cap. III. *De episcopali officio missionali in propria particulari Ecclesia.*

1. (*Episcopi sunt in solidum sponsores universalis evangelizationis*). Apostolicum munus implantationis Ecclesiae in universo orbe terrarum totum Episcoporum Collegium tenet sub ductu Summi Pontificis.

Collegio etenim Apostolorum, cuius successores in solidum Episcopi sunt, Dominus Christus commisit officium evangelizandi omnes gentes (*Math.* 28, 18-20), et Beato Petro, cuius cathedram Summus Pontifex detinet, unitatis apostolatus et directionis causa, constituit Pastorum Principem.

Sollicitudo ergo universae evangelizationis toto Episcoporum Collegio incumbit atque in exercitio missionarii officii omnia et singula membra Episcoporum coetus Romano Pontifici actuosam operam praestare debent, sive singillatim sive collegialiter.

Notae. « Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiae » (S. Thomas, *Summ. Theol.,* III, q. 64, a. 2, ad 3).

« Apostolus autem idem est quod missus. Sunt enim a Christo missi, quasi Eius auctoritatem et vicem gerentes. Sicut misit me Pater et Ego mitto vos, id est, cum plenitudine auctoritatis. Unde Ipse Christus Apostolus sive missus, alii autem secundario Apostolatum consecuti ... Sicut enim Christus in nomine Patris venisse dicitur, quasi plenam Patris auctoritatem habens, ita et Apostoli in nomine Christi venisse dicuntur, quasi in persona Christi » (S. Thomas, *In Romanos,* I, lect. 4).

« Iturus esset (Christus) ad gentes, non praesentia corporis, sed pedibus suis, scilicet, Apostolorum. Misit enim ad nos membra sua et fecit nos sua membra » (S. Thomas, *In Io.,* VII, lect. 4, n. 5).

« Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit unitatis principium ac visibile fundamentum » (Conc. Vaticanum I, Const. *de Ecclesia*).

« Maximum illud sanctissimumque munus quod, suo iam instante ad Patrem reditu, Dominus Iesus Christus discipulis mandavit, cum dixit: Euntes in mundum

universum, praedicate Evangelium omni creaturae, non erat sane Apostolorum vita terminandum, sed apud eorum successores perpetuandum usque ad consummationem saeculi, quoad scil. futuri essent in terra homines, quos veritas liberaret » (BENEDICTUS PAPA XV, in encyclica *Maximum illud, A.A.S.,* 1919, p. 440).

« Non uni Petro, cuius cathedram obtenemus, sed omnibus Apostolis, quorum vos in locum successistis, Iesum Christum praecepisse: Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae ... » (PIUS PAPA XI in encyclica *Rerum Ecclesiae, A.A.S.,* 18, 1926).

« Haec quae " omnes gentes ... usque ad consummationem saeculorum " amplectitur missio, cum Apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in Episcopis, communionem cum Iesu Christi Vicario habentibus, adhuc perseverat » (PIUS PAPA XII in encyclica *Fidei donum, A.A.S.,* 49, 1957, p. 237).

2. (*Episcopi consecrantur pro bono totius Ecclesiae*). Sollicitudo omnium Ecclesiarum principem partem habere oportet in apostolicis curis uniuscuiusque Episcoporum, nam Episcopi, « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam », pro bono totius ecclesiasticae communitatis consecrantur atque propriam particularem Ecclesiam praesident in caritate Christi ut plenitudo Corporis mystici Iesu quamprimum obtineatur. Praecipuo ergo Episcopi eorum muneri deessent si non totis viribus adlaborarent ad implantationem Ecclesiae universis in terrae plagis. Unusquisque enim Episcoporum, antequam sacer Pastor particularis Ecclesiae sit, membrum Apostolici Collegii est.

Caritas Christi, « qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis », egregie in Episcopis clarescere debet, quatenus eminentiora ipsi membra Christi corporis sunt ac, singulari prorsus nexu Christo Capiti iuncti, in unaquaque particulari Ecclesia locum Domini tenent.

Notae. « Nonne reapse Episcopi eminentiora universalis Ecclesiae membra habendi sunt, ut qui singulari prorsus nexu iunguntur cum divino totius Corporis Capite, atque adeo iure vocantur partes membrorum Domini primae? De his magis quam de ceteris asseverari potest, Christum, Mystici Corporis caput, requirere membra sua: primo quidem, quatenus Iesu Christi persona a Summo geritur Pontifice, qui ne pastoralis officii onere obruatur, alios non paucos in sollicitudinis suae partes vocare debet ... Vosmet, quos caritas Christi urget, penitus adstringi Nobiscum gravissimo officio sentiatis, dilatandi scil. Evangelii et toto terrarum orbe Ecclesiae condendae ... Quodsi unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris episcopis sponsor fit ... » (PIUS PAPA XII in encyclica *Fidei donum, A.A.S.,* 49, 1957, pp. 236-237).

3. (*Spiritum catholicitatis foveant Episcopi*). Studeant Episcopi ut omnes omnino sacerdotes, tum saeculares tum regulares, necnon ac omnes laici religiosi et omnes moniales, Pontificali Unioni Missionariae nomen praebeant, ut animis eorum congrua scientia ac periodica informatione accensis pro universo in orbe terrarum Ecclesiae implantatione, totus per illos populus Dei studio erga catholicam evangelizationem inflammetur et sic tota Ecclesia ad regnum Christi per terram dilatandum concurrat.

Notae. « Quo certius uberiusque optata Nostra eveniant, debetis omnino vestri cleri disciplinam peculiari quodam modo ad Missiones dirigere ... Scitote igitur

Nos cupere, in omnibus orbis catholici diocesibus eam quam vocant Missionalem cleri consociationem institui » (Benedictus Papa XV in encyclica *Maximum illud, A.A.S.,* 11, 1919, p. 455).

« Ut cum ceteris pastoralis officii curis huiusmodi negotium apte componatur, Consociationem cleri Missionalem apud vos aut iubeatis constitui aut iam constitutam ad acriorem in dies actionem consilio, hortatu, auctoritate vestra incitetis » (Pius Papa XI in encyclica *Rerum Ecclesiae, A.A.S.,* 18, 1926).

« Probe meministis per encyclicas litteras *Rerum Ecclesiae* eam vehementer commendari, quam Missionalis Cleri Sodalitatem vocant, et cuius est homines ex utroque clero sacrorumque alumnos adsciscere ad catholicarum Missionum causam coniunctis viribus omnique ope propagandam » (Pius Papa XII in encyclica *Evangelii Praecones, A.A.S.,* 43, 1951, p. 525).

« Haec Pia Unio sibi proponit animos sacerdotum gentium conversionis amore accendere, ut per ipsos universus populus christianus studio erga missiones catholicas inflammetur et ita Ecclesia universa concurrat ad regnum Christi per orbem dilatandum » (Statuta Pontificiae Unionis Missionalis Cleri, art. 4).

4. (*Vocationes missionarias promoveant Episcopi*). Alacri ac generoso animo inter eorum christifideles vocationes ad munus missionarium foveant institutionesque ad hunc finem stabilitas intento studio prosequantur, memoria semper recolentes Deum se liberalitate vinci non pati atque numquam contingere, si pauper dioecesis alteram pauperiorem particularem Ecclesiam propriis suis filiis iuvat, ut ea indigentior fiat.

Institutiones religiosae et missionariae, a quibus notabili parte apostolatus evangelizationis pendet, benevolentiam et favorem episcoporum requirunt ad adimplendum officium missionarium eis impositum.

Notae. « Vestrum est imprimis christifidelium animos ita confirmare ac talem iis inicere sollertiam, ut Ecclesiae totius sollicitudines participent, ac libentius aures praebeant Domino, sive olim sive per hominum aetates omnes, imperanti: Egredere de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui et veni in terram, quam monstrabo tibi. Quodsi homines ad studia huiusmodi vere catholica in domestico convictu, in scholis, in paroeciis, in sodalitatibus ab Actione Catholica aliisque in piis coetibus, informati fuerint, non est dubium quin Ecclesiae subsidio mittant ministros, quibus haec indiget ad verbum divinum inter omnes homines disseminandum ».

« In memoriam etiam reducimus Moderatores illorum Institutorum, optime de re meritorum, quos Apostolica Sedes appellare non desistit, ut sacrarum expeditionum instantioribus necessitatibus prospiciant, quique nequeunt Evangelii praeconum numerum adaugere, nisi Ordinarii locorum eorum industriam benevolenti animo sustineant » (Pius Papa XII, in encyclica *Fidei donum,* 49, 1957, pp. 243 et 245).

5. (*Gemellationem duarum Ecclesiarum promoveant Episcopi*). Ad perficiendam fraternitatem Ecclesiarum, sedulo Episcopi satagant quantum possibile eis sit, ut quamplurimi sacerdotes eorum particularium Ecclesiarum, una cum probatis laicis, alicui novellae Ecclesiae apostolicam, ut Evangelii praecones, praebeant collaborationem sub auctoritate Episcopi loci missionis, atque generoso studio curent ut alii post alios illic mittantur.

Quo certius uberiusque haec incepta in praxim eveniant, utantur Episcopi,

si opportunum eis videatur, organizationibus nationalibus aut internationalibus quae de missionibus curant.

Meminerint sacerdotes eos esse ordinatos « in adiutorium episcoporum catholicorum » et « ad eorum societatis et operis adiumentum cooptatos providos cooperatores, ut in Rituale constat.

Haec etenim gemellatio inter duas particulares Ecclesias, quarum una antiquitus christiana, speciali mutuae vitae intercambii nexu, novellam Ecclesiam in missionibus sibi germane sociat, hodiernae sensibilitati christifidelium respondere videtur atque opulentos fructus caritatis producit, catholicae unitatis conscientiam efficaciter promovendo atque communionem sanctorum nova luce illustrando.

Ut bonum omnium missionum arcte servetur ac odiosas inaequalitates conditionum sive oeconomicarum sive numero missionariorum quantum fieri potest evitentur, episcopi pro Domino rogantur ut de talium gemellationum inceptibus Commissionem episcopalem nationalem quotannis edoctam fiant.

Notae. « Alia opitulandi ratio, onorosior sane, quae ab aliquibus sacris Antistibus invecta est, eo efficitur, quod ii, licet gravamen sentiant, sinunt hunc illumve sacerdotem e dioecesi abire et certo temporis spatio Africae locorum Ordinariis opem ferre » (Pius Papa XII in encyclica *Fidei donum, A.A.S.,* 1957, pp. 245-246).

In schemate *De cura animarum* sic de hoc argumento dicebatur: « Sin autem proprium praefatum territorium evangelizandum habere nequeant, sedulo saltem episcopi satagant ut nonnulli idonei suae dioeceseos sacerdotes et laici per certum annorum tempus, alii post alios, mittantur ad territorium missionum ut opera apostolatus et caritatis sub auctoritate Ordinarii loci apte ac suaviter foveant et promoveant ».

6. (*Territorium missionale propriae dioecesi concreditum petant episcopi*). In quantum possibile sit, territorium aliquod missionale — sive ex novo constituto sive aliqua in parte novellae Ecclesiae — ab Apostolica Sede poscant atque propriae suae dioecesi ita illum concreditum habeant, ut episcopus pro tempore, praevia concordia cum Ordinario loci missionis, ex officio teneatur illic mittendi sacerdotes et probatos laicos numero sufficienti in perpetuum vel ad tempus definitum, quorum apostolicum laborem tamquam servitium propriae nativae Ecclesiae quoad omnia in Domino reputabunt.

Notae. In schemate *De cura animarum* sic dicebatur: « Territorium aliquod ab Apostolica Sede designandum petant, cuius evangelizatio peculiariter ita suae dioecesi concredatur ut Ordinarius loci officio curandi teneatur ut sacerdotes et religiosi utriusque sexus et idonei laici legitime illuc mittantur, in perpetuum vel ad tempus praefinitum ». Haec etenim commissio alicuius missionalis territorii uni aut pluribus coniunctim dioecesibus, magno cum fructu iam a multis annis facta est. Dioecesibus S. Sebastiani in Hispania, Flaviobrigensi et Victoriae Apostolica Sedes commendavit plura missionalia territoria, sive totaliter sive particulariter, in Praelaturis nullius Los Ríos atque El Oro (Ecuador), dioecesi Manabí (Ecuador), Valle del Tuy (Venezuela), Sao de Bandeira ac Malange (Angola), Rwanda et Katanga. Additur etiam Seminarium Intermissionale Pius XII in Ecuador, sub iurisdictione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide in servitium plurium territoriorum missionalium in ipsa Republica ecuatoriensi.

Archidioecesis Pampilonensis tria territoria in commissionem habet in Ecuador, Venezuela atque Rwanda.

Cap. IV. *De missionali officio sacerdotum.*

1. (*Sacerdotes sunt cooperatores episcoporum*). In partes ministerii episcoporum tamquam providi primarii cooperatores per sacerdotalem ordinationem cooptati, sacerdotes omnes, sive ex saeculi clero sive ex regulari, actuosam debent collaborationem episcopis praebere ad implantationem Ecclesiae ubique terrarum ex eo quod hoc evangelizandi omnes gentes officium, primatum inter pastoralia munera Collegio episcoporum detineat.

Notae. « Quodsi eiusmodi officium detrectare nullus e fidelium communitate queat, num clerus possit, qui sacerdotium et apostolatum Christi Domino, miro ipsius delectu ac concessu, participat...? » (Pius Papa XI in encyclica *Rerum Ecclesiae, A.A.S.,* 18, 1926).

2. (*Spiritum catholicitatis inter christifideles promoveant*). Omnes equidem sacerdotes spiritus catholicitatis inter christifideles indesinenter promoveant, memoria semper recolentes vitam supernaturalem plebis Dei tantum ad maius progredi quantum evangelizationi omnium gentium devoveri, nam sacramenta omnia, quibus vita christiana perficitur, ad bonum totius Ecclesiae natura sua ordinantur.

Opera Missionaria Pontificia omnibus in paroeciis instituant, dies missionales studio ac generoso animo disponant, vocationes missionarias inter iuvenes utriusque sexus foveant, unionem christianorum informatione periodica et doctrina promoveant atque reverentiam, aestimationem et caritatem semper demonstrent cum de non-catholicis sermo sit.

Notae. « ... illa praesertim quae in sacrarum Missionum commodum sunt instituta, adiuvari catholicorum liberalitate cupimus. Primum est Opus quod appellatur a Propagatione Fidei... Alterum, quod etiam vehementer omnibus commendamus, est Sanctae Infantiae Opus... Nec vero praetermittendum est Opus Sancti Petri... » (Benedictus Papa XV in encyclica *Maximum illud, A.A.S.,* 11, 1919).

« Illud denique universis Ecclesiae administris, Nobis sane dilectissimis, asseveramus: operam, a christiano populo datam pro infidelium salute procuranda, in optimos reviviscentis fidei fructus afflorescere; atque auctis sacrarum expeditionum studiis auctum pariter pietatis incrementum respondere » (Pius Papa XII in encyclica *Evangelii praecones, A.A.S.,* 43, 1951, pag. 526).

« Nec praetereundum est hunc animorum ad rem missionalem ardorem, in dioecesibus vestris excitatum, pignus esse novi religionis pietatisque studii, quo eaedem inflammentur. Fieri autem non poterit ut christifidelium pereat communitas quae filios filiasque Ecclesiae donet. Si ergo vita supernaturalis caritate efficitur, atque se devovendi studio augetur, non immerito affirmari licet vitam catholicam nationis cuiuslibet perpendendam esse oneribus, quae ipsa pro opere missionali ultro suscipit ac sustinet » (Pius Papa XII in encyclica *Fidei donum, A.A.S.,* 49, 1957, p. 243).

Opportune christifideles edocendo et de Ecclesiae vita iisdem nuntios rite referendo... » (*ibidem,* pp. 238-9).

Cap. V. *De missionali officio christifidelium laicorum.*

1. (*Spiritus christianus et spiritus catholicitatis unum ac idem sunt*). Corde magno et animo volenti fideles omnes implantationis Ecclesiae in universa terra laboribus indesinenter suam adiutricem operam navent, scientes se unitati populi

Dei minime adscribi nisi simul universitati credentium sciant ac velint se germane sociari atque propagationem veritatis per universum orbem desiderint efficaciter procurare.

Nihil enim aliud magis Ecclesiae Christi extraneum quam divisio vel insolidaritas. Homo vere catholicus ille est qui, caritate Christi urgenter permotus, ut bonus artifex universae familiae humanae verbo et opere sese praebet, cum Apostolo asserens « iam non esse iudeus neque graecus, servus neque liber, masculus neque femina, sed omnes in Christo » (*Gal.* 3, 28), nullo omnino mediante discrimine a Deo pariter vocari ut « ad societatem populi christiani accedant » (S. AUGUSTINUS, *De catechizandis rudibus,* 8; *PL,* 40, 319) ac Dominum, omnium Creatorem, Patrem universorum invocent.

Notae. « Missionalis operae afflatus et catholici spiritus unum et idem sunt. Catholicam esse, praecipua Ecclesiae nota est, ita ut christianus homo addictus et adstrictus Ecclesiae minime sit, nisi pariter sit addictus et adstrictus christifidelium universitati, atque adeo percupiat ut eadem ubicumque gentium radices agat et florescat. Nihil ab Iesu Christi Ecclesia tam alienum est quam divisio; nihil eius vitae tam obest, quam si eius membra vel in segregem solitudinem diffugiant, vel in se ipsi plus aequo convertantur, vel denique quomodocumque privatas proprii coetus utilitates unice curent; haec studia sane efficiunt ut peculiaris quaedam, christiana sodalitas, quaecumque sit, introrsus se colligat ».

« Rursus — hoc asseverare opus est — nihil ex iis quae ad Ecclesiam, Matrem nostram pertinent, singulis christianis alienum est, neque esse debet; quemadmodum eorum fides, fides est universae Ecclesiae, eorumque supernaturalis vita propria totius Ecclesiae est, ita solacia, angustiae Ecclesiae, eorundem erunt solacia et angustiae; itemque Ecclesiae prospectus atque proposita, quae universa complectuntur, suetae eorum christianae vitae prospectus consiliaque erunt » (PIUS PAPA XII, in encyclica *Fidei donum, A.A.S.,* 49, 1957, pp. 237 et 238).

2. (*De personali cooperatione laicorum ad implantationem Ecclesiae*). Valde laudanda est atque implantationi Ecclesiae perutilis declaranda, personalis collaboratio eorum christifidelium laicorum qui, congrua scientia periti, integralem promotionem humanam populorum in via evolutionis procurare intendunt, operam technicam aut apostolicam, saltem per aliquod spatium temporis, nationalibus vel internationalibus organizationibus praestando.

Haec fraterna collaboratio christifidelium laicorum magni momenti est ad unitatem gentium procurandam ideoque haec Sacrosancta Synodus iuvenibus laicis, utriusque sexus, instantissime invitat ut suam personalem collaborationem, generoso spiritu fraterno, communitatibus humanis quae illam requirunt, indesinenter praestent.

Notae. « Annuntias et tu Christum; quis enim fidelium tacet Christum? Tota Ecclesia praedicat Christum » (S. AUGUST., *Enarr. in Ps.* 96, 10; *PL,* 37, 1234).

« Oportet omnino homines e laicorum ordine generosam, diligentem laboriosamque operositatem suam inibi cum hierarchico cleri apostolatu consocient... » (PIUS PAPA XII in encyclica *Evangelii praecones, A.A.S.,* 43, 1951, p. 513).

« Actuosum est munus, quod laici, sub Ecclesiae signis militantes, plerumque in Institutis catholicis sive ad singulas Nationes sive ad totum orbem pertinentibus operam suam navantes, pro recens exortis christianis communitatibus acceptant. Huiusmodi operis collatio poscit sane alienis commodis debitum studium, mo-

derationem, prudentiam; at multopere prodest illis dioecesibus instantia novorum apostolicorum munerum pressis. Hi laici sub Christi vexillo militantes, et plane obsequentes episcopo, qui in se apostolatus summam recipit, prorsus cum catholicis Africae, qui fraterna huiusmodi auxilia aeque pandunt, consentientes, utiliter exhibent recens constitutis dioecesibus experientiae usum iamdiu sibi comparatum, sive ad Actionem Catholicam et actionem socialem, sive etiam ad alia peculiaris apostolatus genera quod attinet. Praeterea — quod haud minoris utilitatis est — ii citiorem facilioremque reddunt coniunctionem singulorum catholicorum Institutorum suae Nationis cum aliis eiusdem generis innumeris, quae ad omnes pertinent Nationes. Hi omnibus egregiam in Ecclesiae commodum et utilitatem impensam libenti animo gratulamur » (PIUS PAPA XII in encyclica *Fidei donum,* 49, 1957, p. 246).

Cap. VI. *De cooperatione oeconomica ad evangelizationem non-christianorum.*

1. (*De coordinatione operum quae stipes pro evangelizatione colligunt*). Stipes a populo Dei in adiutorium novellarum Ecclesiarum oblata, colliguntur ac distribuuntur a variis organizationibus, sive nationalibus sive internationalibus.

Haec multiplicitas conatuum quamdam equidem a Divino Conditore innatam animi christifidelium propensionem ad opitulandum Evangelii diffusionem demonstrat; attamen, ex ipsamet diversitate certas difficultates atque non parvi momenti incommoda oriuntur.

Omnino igitur auspicanda evincitur coordinatio organizationum maioris quidem momenti, qua, manente integra uniuscuiusque operis autonomia, coniunctim in bonum commune novellarum Ecclesiarum conspirent. Ad hoc certius consequi, opportunum videtur intercedere periodicas consultationes inter repraesentantes diversarum organizationum.

Instituatur proinde *Comitatus Internationalis,* cuius ope, sub ductu Consilii mundialis evangelizationis, planificationem aliquam introducatur generalem pecuniarum oblatarum, salvis semper finibus propriis uniuscuiusque operis.

Notae. Oportet considerare textum in Motu proprio *Romanorum Pontificum* prolatum, quia hodiernae collaborationis oeconomicae in iuvamen missionum conditio idem atque idem est ac tempore Pii Papae XI considerata: « Verum neque haec stipes erogandi ratio accommodata est singularum Missionum necessitatibus, neque per eam licet aequabiliter atque ordine universas administrare Missiones maiore cum earum emolumento ac stabilitate » (Motu proprio *Romanorum Ponticum, A.A.S.,* 14, 1922).

2. (*De annua informatione stipium collectarum*). Pro recta aequanima dispensatione subsidiorum a populo Dei in iuvamen universarum missionum oblatarum atque ad congruam, ut decet, informationem christifidelium, quotannis Consilium mundiale evangelizationis fideliter edoctum sit de stipibus quas Institutiones religiosae et missionariae a fidelibus colligunt in commodum suarum particularium missionum, ita ut habeatur generalem conspectum totius oeconomicae cooperationis ecclesiasticae communitatis.

3. (*De distributione stipium*). Distributio subsidiorum collectarum a variis organizationibus generalibus in iuvamen omnium missionum fiat praesertim per Conferentias episcopales novellarum Ecclesiarum, quae maximam partem stipium ad fines apostolicos supradioecesanos atque opera generalia destinabunt.

Consilium mundiale evangelizationis edoctum fiat de ultima stipium distributione.

4. (*De reductione Operum Pontificalium Missionalium in simpliciorem formam*). Triplex Missionalium Operum Pontificalium ad eleemosynas opitulandas pluralitas, directione, nomine atque organizatione inter se diversa, confusionem apud christifideles equidem non parvam gignit.

Opportuna igitur commendatur trium Pontificalium Operum Missionalium reductio ad unam tantum generalem denominationem, sub unica in unaquaque natione ac dioecesi centrali moderatione, cum particularibus attamen sectionibus pro pueris atque pro clero nativo missionum promovendo; quae sectiones, propria personalitate gaudentes, locum habebunt Operum sic dictorum Sanctae Infantiae atque Beati Petri Apostoli pro clero indigena.

Apendice n. 1.

En este artículo se consideran las iniciativas de colaboración misionera personal racogidas bajo la denominación genérica de « sacerdotes *Fidei donum* », junto con la asistencia misionera de apóstoles seglares, encomiada por las encíclicas *Evangelii praecones, Fidei donum* y *Princeps Pastorum.*

Esta iniciativa tiende a poner a la disposición de los Obispos que presiden una naciente comunidad cristiana, un número de sacerdotes y misioneros seglares. La encíclica *Fidei donum* dirige un llamamiento a todas las diócesis de la cristiandad, incluidas expresamente aquellas en que las vocaciones sacerdotales se hacen de día más raras.

El documento pontificio utiliza una expresión minoritaria — *hunc illumve sacerdotem* —; pero está claro que esta petición mínima no contradice en modo alguno una mayor y más nutrida colaboración apostólica. No parece que el texto pueda interpretarse en sentido restrictivo, sino más bien como indicativo de la colaboración mínima que cada Iglesia particular ha de aportar a la obra misionera.

Son varias las diócesis, de distintas naciones, que han aceptado esta fórmula y suman ya varios los centenares de sacerdotes *Fidei donum.*

Entre las diócesis españolas que cooperan a la evangelización mundial mediante esta nueva modalidad, cabe citar las realizaciones de la Archidiòcesis de Barcelona en Camerún, de la Diócesis de Vich en Rwanda, de la Diócesis de Astorga en Leopoldville y de la Diócesis de Santander en Katanga.

Cabría comprender también, bajo esta misma iniciativa alguna de las fecundas realizaciones llevadas a cabo por las diócesis integradas en la Obra de Cooperación Sacerdotal Hispanoamericana.

Suele conocerse esta realización bajo la denominación de « jumelage ». Lo característico de esta innovación consiste en que dos Iglesias particulares —una de la antigua cristiandas, otra de reciente fundaciòn—, establecen un *intercambio* de vida, mentalidad, fuerzas apostólicas.

Esta iniciativa no está libre de inconvenientes. Puede dar lugar a una hiriente desproporción de condiciones entre las distintas misiones. Las vantajas, sin embargo, que del « jumelage » pueden derivarse (vantajas de favorecer la conciencia de unidad católica, de concretización de la doctrina de la Comunión de los santos, de mayor conocimiento de un territorio misional como plataforma para elevar el pensamiento a la situación general de todas las misiones), hacen que, en definitiva, consideremos oportunos favorecer la iniciativa del « jumelage ».

Como base jurídica para adoptar esta actitud, puede citarse el Motu proprio *Romanorum Pontificum,* en el que Su Santidad Pío XI aprueba todas las iniciativas particulares de asistencia a las misiones, al tiempo que estatuye una asistencia oficial a todas ellas por medio de las Obras Misionales Pontificas. « *Quaecumque igitur inventa sunt genera particularibus Missionibus opitulandi, Nos, aeque ac Decessores Nostri, comprobantes...* ».

Pero, al igual que el citado *Romanorum Pontificum* entiende que la asistencia a las misiones particulares puede provocar un estado de desigualdad en la promoción de las comunidades misioneras, y determina por ello una asistencia general y oficial, así también parece oportuno excogitar un medio por el que, al tiempo que se respalda la iniciativa del « jumelage », se palien sus posibles efectos negativos.

A este fin, parece obligado el establecimiento de una información periódica sobre la existencia y volumen de los « jumelages ». Mediante esta información periódica, sería posible a la autoridad superior conciliar la asistencia a determinadas misiones con el bien de todas las comunidades misioneras.

La Comisión Episcopal de Misiones, creada en el seno de las Conferencias Episcopales Nacionales, recogería el total de estas informaciones, impulsaría en cada país este género de colaboración misionera de las diócesis y marcaría la pauta a seguir para la salvaguardia del bien general de todas las misiones.

Las Direcciones diocesanas de la Organización Misional Pontificia y la Dirección Nacional de dicha Organización, podrían aportar los datos precisos y las sugerencias oportunas a la Comisión Episcopal de Misiones, dado que, a tenor del antedicho Motu proprio *Romanorum Pontificum,* se confía a las Direcciones diocesanas la atención vigilante de que el volumen de las obras particulares no contradiga el bien de la totalidad de las misiones; esta misma atenta vigilancia y promoción reposaría, en el plano nacional, sobre la Dirección Nacional de la Organización Misional Pontificia.

Apendice n. 2.

Son numerosas en la actualidad las organizaciones que concurren con subsidios económicos a la evangelización mundial de los no-cristianos.

Además de las Obras Misionales Pontificias de la Propagación de la Fe, Santa Infancia y San Pedro Apóstol para el Clero indígena, nuevas organizaciones, preferentemente de carácter nacional, asisten económicamente a las misiones con subsidios muy cuantiosos, en ocasiones más elevados que los provistos por las citadas Obras Misionales Pontificias.

Entre estas organizaciones cabe citar, como las de mayor empeño, a las instituciones alemanas « *Misereor* » y « *Adveniat* »; las « *Caritas* » de varios países; y diversas instituciones belgas, holandesas y austriacas.

Esta multiplicidad de efectivos asistenciales merece ser alabada. Es signo de la acción del Espíritu en el seno de la comunidad cristiana. Pero esta misma providencia diversificada, puede convertirse en notable prejuicio de la causa misma que trata de favorecer. De la multiplicidad de asistencias puede surgir una desigual y desproporcionada situación económica de las distintas misiones, dado que las distintas organizaciones ignoran casi por completo el volumen de los subsidios entregados por las otras.

Parece por ello absolutamente necesario que se instituya un diálogo entre las diversas instituciones de ayuda a la evangelización mundial.

Esta coordinación deberá mantener íntegra la finalidad propia de cada institución; pero permitirà establecer entre todas ellas un plan de conjunto que, a las veces, multiplicará los efectivos a concentrar en un determinado territorio y evitará, en otras, la acumulación de asistencias en una única misión.

A este fin, parece conveniente la constitucìon de un *Comité internacional* en el que estén representadas las organizaciones de mayor condición, Comité en que tomará parte la Organización Misional Pontificia.

Este Comité debará desarrollar su trabajo de acuerdo con las indicaciones emanadas del Consejo Mundial de la evangelización.

8

EXC.MUS P. D. PETRUS HAN KONG-RYEL

Episcopus Ieoniuensis

« Vocatio missionaria est specialis, totum hominem et quidem totam vitam devinciens », uti egregie enuntiatur in relatione circa rationem qua elaboratum est schema praesens.

Unde nos iuvabit notare sequentes reflexiones experientia fretas circa idealem typum missionarii.

Nostris diebus iuvenibus (sacerdotibus) in Europa et in America qui desiderant operam navare in terra missionum, praesto sunt quatuor possibilitates seu quadruplex categoria viae:

I. Prima categoria est *Titulus Individualis.* Si quis iuvenis (sacerdos) quaerit et invenit aliquam dioecesim in Missionibus, quae acceptat eum Titulo Individuali, et operam navat pro hac dioecesi, ita ut hic presbyter maneat totaliter sub auctoritate Ordinarii Loci qui disponit eum libere secundum exigentias dioecesis et capacitatem candidati.

Verumtamen difficultates oriri possunt: pro apostolatu enim in terra missionum in Asia et in Africa necessaria est formatio specialis seu praeparatio pro adaptatione vel potius pro integratione ad mores, traditiones culturamque populi. Item requiritur praeparatio ad methodum apostolatus, quae supponit cognitionem methodorum antiquarum et novarum, et cognitionem rerum agendarum vitandarumque. Atqui candidatus ad servitium individuale seu titulo individuali acceptus, undenam acceperit huiusmodi formationem adaequatam, vel a quonam facile possit eam accipere?

Praeterea, si propter aliqua motiva, v. g. ob infirmam valetudinem ... ob difficilem caracterem, etc. ... non amplius valeat manere, quo vadat hic infelix sacerdos? Haec difficultas etsi videatur non tam gravis, non est tamen negligenda.

II. Secunda categoria. Altera via seu possibilitas sic praesentatur, scil. candidatus nomen dat alicui societati missionariae sive religiosae sive saeculari. Candidatus ibidem accipit formationem adaequatam a superioribus competentibus, qui postea eum mittunt ad aliquam Missionem.

Haec formula sane melior est quam praecedens, sed notanda est duplex difficultas: scilicet

a) Difficultas assimilationis. Tendentia enim naturalis membrorum eiusdem

societatis ad massam (bloc) formandam, impedire potest assimilationem et collaborationem missionarii cum clero autochtono.

b) Collisio inter auctoritates (secunda difficultas). Si oriatur oppositio inter auctoritatem Ordinarii loci et auctoritatem Superioris societatis missionariae, iste candidatus fieri potest victima huius conflictionis.

Ad praecavendam igitur huiuscemodi difficultates, contractus inter dioecesim et societatem missionariam initus debebit praevidere cautiones pro solvendis difficultatibus possibilibus, et quidem concedens ampliores potestates auctoritati episcopali.

III. Tertia categoria servitii est « Fidei donum ». Sub hac formula, presbyter alicuius dioecesis exercet ministerium in altera dioecesi pro *tempore limitato.* Experientia teste, haec formula bonum effectum non producit nisi in casibus bene praecisis: scilicet

a) Quando candidatus iam calleat lingua loci ubi mittitur, vel habeat facilitatem in discenda ea.

b) Quando non habeatur problema linguae, v. g. professores alicuius *Instituti scholaris* directe mittuntur ad munus eiusdem typi.

c) Utroque casu supponitur formatio adaequata.

Haec formula secum fert, experientia teste, periculum perdendi aliquibus vocationem missionariam:

a) definitivam (non vero tempore limitatam),

b) totalem (quae sola esset fructuosa),

c) tributariam solidae praeparationis (non sufficit bona voluntas aut zelus affectuosus).

IV. Denique venit ultima (quarta) categoria. In aliquibus societatibus missionariis datur formatio iuvenibus, qui post initum sacerdotium, *donantur* dioecesibus quae indigent sacerdotibus. Episcopi possunt disponere eos ad libitum iuxta exigentias respectivae dioecesis. Praeterea, societas ita se obligat ad iterum recipiendos suos missionarios qui pro diversis motivis non valeant manere in dioecesi, cui donati erant.

Haec ultima nobis videtur quasi-idealis formula ... propter formationem adaequatam candidati ... propter vocationem definitivam ... propter libertatem plenam episcopi.

Conclusio (spiritualitas missionaria). Quaecumque sit formula, vocatio missionaria semper et ubique debebit esse fundata principiis a quodam missionario nostri saeculi xx ad mentem Evangelii enuntiatis: *a*) fundata in abnegatione totali, *b*) fundata in caritate sincera, *c*) fundata in gaudio constanti.

9

Exc.mus P. D. DANIEL RAIMUNDUS LAMONT
Episcopus Umtaliensis

May I offer the following suggestions in connection with the revised Schema on the Missions:

1) Some National Directors of the Pontifical Society for the Propagation of

the Faith, feel a sense of frustration in their work and assert that this stems from the fact that they have little official *status.*

In any reorganisation of the Society, they expect that their office should receive more authoritative recognition, so that they shall not only be, but be seen te be, acting with the full backing of the National Conference of Bishops.

2) Since the National Directors shall normally be appointed or at least approved in their appointment by the National Bishops' Conference, it might possibly be considered useful to determine for such Directors, the extent (if any) of their authority over the Diocesan Directors, in order that jointly they may function more efficiently.

3) To this end also, it might be advisable to constitute the National Director as an *ex officio* member of the Secretariate of the National Conference of the Bishops.

4) It the Pontifical Mission Aid Societies are to continue in existence and/or to improve in their effectiveness, the function of each Diocesan Director should be so clearly delineated that there can remain no doubt whatsoever, — particularly in the minds of clergy and religious — that the Director acts in the name of and with the authority of the local Ordinary. No Diocesan Director should be made to feel, when his work calls him to premote the Pontifical Mission Aid Societies, that he is admitted to a parish on suffrance.

5) In order to eliminate all suggestion of simony, it is most necessary that the spiritual privileges accorded to members of the Mission Union of the Clergy by the Sacred Penitentiary, should be granted without payment of money.

10

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. El Obeid

Gravis mihi videtur adesse lacuna: ubi est sermo de Institutis Missionalibus, praesertim illorum qui exclusive consecrantur Evangelizationi infidelium?

Post sermonem de debito missionali totius Ecclesiae per varias categorias hierarchiae esset naturale sermonem facere de iis qui mittuntur in mundum ad evangelizandum et praesertim de eorum Institutis quae hucusque sustinuerunt pondus evangelizationis magnis in difficultatibus et haud raro etiam cum sacrificio vitae.

Rogo ut mentio fiat de his institutis ex professo, scilicet eorundem activitatem approbando, et specifice loquendo de eorum necessitatibus adiutorii ut possint vivere, crescere et operari in vinea Domini sive Vocationes ad Missiones excitando sive pecunias colligendo pro domibus formationis sustentandis.

11

EXC.MUS P. D. SIXTUS MAZZOLDI
Episcopus tit. Lamenus, adm. ap. Morotoensis

Circa hoc schema humillime aliquae notae proponuntur.

1. Plus minusve omni tempore persecutiones contra Ecclesiam moventur, sicut Dominus Noster Iesus Christus clare praedixit. Diebus nostris etiam dirae persecutiones contra Ecclesiam aguntur, maxime in terris missionum.

Praecones Evangelii libertate populos veritatem docendi pluribus regionibus minime gaudent, e contra omni genere vexationum obnoxii sunt. Pluribus locis non admittuntur, immo expelluntur sine causa.

2. Schema de hac gravi situatione explicite tractare non videtur sicque praecones Evangelii sine clara iuridica defensione relicti sunt. Pertinere videtur ad schema de activitate missionali de hac re ex professo tractare. Iura missionarii in terris missionum recte exponenda et defendenda sunt. Qua de causa, valde utile esse videtur in schemate missionali explicite exponere:

a) Plenum ius Ecclesiae omnes gentes docere, regere et sanctificare; *b*) ius et munus Ecclesiae ad sese propagandam; *c*) munus Ecclesiae et ius mittendi Missionarios in totum orbem terrarum; *d*) opus missionarii clare enucleare; *e*) missiones valde utiles sunt Statui; *f*) Statui non licet obstaculum ponere praedicandi veritatem et salutem; neque ius habet missionarios sic et simpliciter ad nutum reiciendi; *g*) exponere coram mundo qua de causa praecones Evangelii protecti et adiuti esse deberent.

3. Cum autem persecutio exoritur contra aliquam Ecclesiam localem, actio communis totius Ecclesiae semper una cum Capite Romano Pontifice, summi momenti et necessitatis esse videtur. Tota Ecclesia praesens esse deberet suum atque ius populi defendendo, solidarietatem clare manifestando atque adiutorium praebendo.

4. Breviter, in schemate, legislatio quaedam statuenda esset ad defendenda opus missionale et missionarios ipsos qui operam dant ad evangelizandas gentes toto orbe terrarum.

12

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PILDAIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Addantur n. 12, haec vel similia verba: Valde optandum esset ut singulis dioecesibus, quae possint et libere vellent, assignaretur a S. Congregatione de Propaganda Fide pars quaedam particularis et determinta in territorio missionum stricte tali, in qua, sub auctoritate eiusdem Congregationis, unaquaeque illarum obligaretur propriis personis, tam sacerdotibus quam laicis, et propriis expensis, opus missionarium in parte sibi assignata exercere. *Rationes*: fructus splendidi colligerentur, tum in territorio ita missionato, quam in dioecesi missionaria.

13

EXC.MUS P. D. ALEXANDER PONCET
Episcopus tit. Basilinopolitanus

N. 7, pag. 9, lin. 3: Haec praemittenda: « Inter rationes huius missionalis activitatis Christus ipse salutem aeternam omnium hominum procurandam commemoravit. Praecipiens enim Apostolis ut eant in universum mundum et Evangelium praedicent omni creaturae, haec addidit: « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit » (*Mc.* 16, 16). Unde hanc omnium hominum salutem aeternam Ecclesia in sua missionali activitate nullo modo praeterire potest, e contra magni, sicut Christus, et ipsa facere debet ». Deinde sic prosequatur: « Ratio tamen huius missionalis activitatis non unice ex aeterna salute uniuscuiusque hominum evangelizandorum procuranda sumitur », etc.

N. 7, pag. 9, lin. 30: Post verba: « dicere poterunt " Pater noster " », haec addere: « His omnibus intendens Christus Salvator omnium, mox ad Patrem suum per gloriosam Ascensionem reversurus, haec sua ultima verba, tanquam testamentum dilectae Ecclesiae suae reliquit, usque ad finem saeculorum ab ea fideliter servanda, et semper ab omnibus in Ecclesia, ob eorum singularem gravitatem, prae oculis habenda, immo in corde consideranda:

" Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere e mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos " (*Lc.* 24, 46-49). " Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies... Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae " (*Act.* 1, 5. 8). " Data est mihi potestas in caelo et in terra. Euntes ergo in mundum universum docete omnes, praedicate Evangelium omni creaturae, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi " (*Mt.* 28, 18-20; *Mc.* 16, 15-16).

Patet his Christi verbis activitatem missionalem Ecclesiae esse proprium, praecipuum, et absolute necessarium eius officium, ex solemni Christi mandato, qui ei promisit in hoc tanto et tam arduo munere quotidie ei peramanter assistere ».

Deinde, deletis verbis linn. 31 et 32 (« ex hoc Dei proposito... necessaria dicenda sit »), statim concludere: « Nonnisi enim per Ecclesiam propositum Dei fideliter manifestatur et oboedienter ad effectum deducitur, ad gloriam eiusdem Dei ».

Rationes: Utilissimum apparet in memoriam revocare omnia illa Christi verba Apostolos mandantis ad praedicandum Evangelium in universo mundo, omnibus gentibus, et omni creaturae. Haec enim ipsius Christi verba aptissima sunt ad profunde et efficaciter movenda christianorum corda, ut sese devoveant ad activitatem missionalem Ecclesiae variis modis adiuvandam. His Christi etiam verbis missionariorum et missionariarum vocationes multae verisimiliter suscitabuntur, plus quam per meram theologicam considerationem. Eisdem etiam verbis facile intelli-

gitur a multis, et ab ipsis missionariis, absoluta necessitas activitatis missionalis Ecclesiae.

Insuper ratio activitatis missionalis Ecclesiae ex aeterna uniuscuiusque hominum salute sumpta, simul cum consideratione ingentis infidelium numeri, Christum Salvatorem ignorantium, multas hactenus missionariorum vocationes suscitavit, et verisimiliter suscitabit: unde videtur huius specialis rationis memoriam non obiter sed strenue renovandam esse in hoc Decreto de activitate missionali Ecclesiae.

[*Subscripsit etiam*] M. Darmancier, ep. tit. Auguritensis, vic. ap. Ins. Wallis et Futuna.

14

Exc.mus P. D. PETRUS POREKU DERY

Episcopus Vaënsis

Formatio (training) catechistarum non potest rite intelligi nisi in relatione cum *missione* qua fungi debent.

Catechistae sunt: 1. *Nuntii Dei* seu *missi in nomine Dei* ab Ecclesia, 2. *ad homines cuiusdem regionis,* 3. *ut, cum ope divina, diffundant apud eos cognitionem et amorem Dei Salvatoris mundi.*

I. Quia catechistae sunt nuntii Dei, seu quia sunt missi in nomine Dei ab Ecclesia, debent:

1. Acquirere intimam cognitionem mysterii salutis, seu Iesu Christi sese offerentis Patri in Spiritu Sancto pro hominibus.

Hoc autem mysterium agnoscatur oportet:

a) *Sub signis historicis*: seu in historia salutis, nempe in Vetere Testamento, in Novo Testamento et in historia Ecclesiae usque ad testes Christi in nostra aetate.

b) *Sub signis liturgicis*: sub quibus mysterium salutis fit praesens pro nobis.

c) *Sub forma doctrinali,* seu magis « systematica » ut *cohaerentia* veritatum revelatarum perspiciatur, quarum summa est: *Amor* Dei sese revelantis et exspectantis *responsum amoris* hominum.

Unde: Catechistae debent discere: Historiam salutis, praesertim in libris Veteris et Novi Testamenti; Liturgiam: Missam, sacramenta; Doctrinam (Catechismum).

2. Intime coniungi cum Deo Salvatore in Ecclesia et hoc:

— *Per vitam liturgicam* in qua participes fiunt mysterii salutis.

— *Per vitam spiritualem* in qua magis magisque vivunt de hoc Mysterio per meditationem, imitationem Christi in abnegatione sui et amore Patris.

Rationes: talis familiaritas cum Deo est necessaria catechistis: *a*) ut cognoscant Deum (Nemo novit Patrem... nisi... cf. *Mt.* 40), *b*) ut conformes evadant Christo et sic *testes* Christi fiant, *c*) ut sint instrumenta Sancti Spiritus, *d*) ut possint praeesse orationi fidelium si non adest sacerdos.

Unde necessariae sunt in schola catechistarum: vita liturgica; formatio spiritualis.

II. Quia catechistae missi sunt *ad homines cuiusdam regionis* debent:

1. Amare omnes homines, in specie homines huius regionis tales quales sunt.

2. Cognoscere *psychologiam hominis* in genere, in specie psychologiam evolutivam ut pueris, adolescentibus, adultis sese adaptare valeant.

3. Cognoscere in specie indolem religiosum hominum huius regionis, « praeparationes evangelicas » (stepping stones) et obstacula (obstacles), ita ut possint rite procedere in prae-evangelizatione, in evangelizatione, in catechesi proprie dicta (hoc est vere necessarium in Africa).

4. Si fieri potest, utiles esse hominibus huius regionis, etiam sub aspectu humano generali, sub aspectu culturae (Community Development).

Unde notiones psychologiae, sociologiae religione sunt necessariae, et, si fieri potest, quaedam « ars humana ».

III. Quia catechistae missi sunt ut, cum ope divina, diffundant cognitionem et amorem Dei Salvatoris mundi apud homines unius regionis, debent:

1. Discere *theoretice et practice* artem diffundendi cognitionem et amorem Dei, sive apud infideles (adultos et pueros) sive baptizatos (pueros, adolescentes, adultos). Haec autem ars intendit: formare Christum in animis.

2. Acquirere virtutes necessarias educatori christiano, praesertim: fidem, spem et caritatem.

Unde necessarii sunt: cursus et praxis: methodologiae generalis et methodologiae specialis.

15

EXC.MUS P. D. PATRICIUS FINBAR RYAN
Archiepiscopus Portus Hispaniae

Secundum vigentem C.I.C. disciplinam diaconatus ne conferatur nisi incoepto quarto cursus theologici anno, presbyteratus vero nisi post medietatem eiusdem anni.

Valde profuturum esset, in Missionibus saltem, si diaconatus integro anno ante presbyteratum conferri posset, scil. mediante tertio theologiae anno.

Durante hoc anno, per ultimos dies cuiusvis hebdomadae necnon per tria tempora feriarum diaconi possent adiuvare parochos nimis oneratos ac sensim atque sensim assuescere se diversis muneribus paroecialibus.

16

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHNEIDER
Archiepiscopus Bambergensis

Ad art. 36, pag. 25 s., linn. 39 ss. In hac alinea desidero clausulam, qua episcopi contra desideria imprudentia et inopportuna protegantur, quae a sacerdotibus adulescentioribus conditiones dioeceseos patriae minus perspicientibus foventur. Restrictio, quae habetur in textu, nempe « e melioribus suis sacerdotibus », non sufficit ad recusanda desideria inopportuna, cum indicatio minus bonae qualitatis

petentis animum facile laedere possit. Inseratur propterea fere hoc: « Sancta Synodus exoptat ut episcopi *clero satis sufficienti instructi,* gravissimam considerantes... ».

Hoc modo tenor huius paragraphi concors etiam fit cum schemate decreti *de ministerio et vita presbyterorum* (Textus Recognitus) art. 9, pag. 27, lin. 37 ad pag. 28, lin. 1, ubi legitur: « Presbyteri illarum dioecesium, quae *maiore vocationum copia ditantur,* libenter se paratos praebeant, permittente vel exhortante proprio Ordinario, ad suum ministerium in regionibus, missionibus vel operibus cleri penuria laborantibus exercendum ».

17

Exc.mus P. D. VILLELMUS SCHOEMAKER

Episcopus Purvokertensis

1. Quamquam in constitutione *de Ecclesia,* essentia missionaria ipsius corporis Ecclesiae iam proclamata sit, valde utile nobis videtur quod, de activitate missionaria fusius tractabitur in aliquod schema constitutionis propria.

Propositionis propositae non erant dignae tractatione in aula conciliari nec problema « testificationis evangelicae pro *toto* corpore Ecclesiae » clare ponebant.

2. Mihi videtur quod:

a) Principia *doctrinalia* renovanda sunt, ad mentem theologiae novae, de dispensatione salutis pro omni gente.

Valde utile hac in re audiatur Hon. Peritus Neerlandicus, prof. dr. de Groot, qui ideas claras iam proposuit.

b) Ponenda est: quod *tota* massa Ecclesiae sit in « statu missionaria vel melius evangelisationis continuae ». Non solum sic dictae « missiones ad extra ».

c) Inde proponimus i. a.: ut Congregatio « de Propaganda Fide » de novo ordinetur, ita ut tota actio evangelisationis ad *non* vel *nondum* vel *non amplius* credentium amplectat cum secretariatibus plus minusve autonomis pro:

Evangelisatio ad non credentes (atheistae, communistae, humanistae, in Europa, America, Australia primarie, et secundarie ad Asia, Africa).

Evangelisatio ad non amplius credentes (Francia, Hispania, Italia, America Latina, etc.).

Evangelisatio ad nondum credentes (massa eorum qui fidem non respuerunt, sed simpliciter sunt in ignorantia fidei, quia nondum eis praedicatum fuerit) i. e. plus minusve Opus Missionale traditionale.

Ut in centro Ecclesiae, sit planificatio centralis pro Propaganda Fide « Mediis extraordinariis », extra communem et traditionalem viam curae pastoralis, si necessarie etiam cum organisatione internationali propria tum pro Evangelisatione ad intra (communitates baptizatorum) quam pro Evangelisatione ad extra (massa non-baptizatorum). Omnia haec cum mediis appropriatis, cum relationibus internationalibus.

d) Opinor quod sic dictae « regulas vel intructiones practicas » non in constitutione ipsa enumeranda sunt, quia historice limitatae per subsequentes generationes certe mutantur. Sed « de mandato Synodi » post Concilium peractum « Instructiones practicas » dentur pro tempore.

e) Opinor quod sic dictae « missiones internas, mission de France etc. » generice sunt aequiparandi « missionibus ad extra, missions étrangères » quamquam nomen hodie minus acceptabile videtur, specifice autem sunt diversae.

18

EXC.MUS P. D. FULTONIUS SHEEN

Episcopus tit. Caesarianensis, aux. Neo Eboracensis

Titulus. Propono titulum *De activitate missionali Ecclesiae* mutari: *a*) quia hic titulus, « missionem » facit *functionem* quamdam Corporis Mystici, potius quam eiusdem essentialem naturam; *b*) quia in titulo assumitur « activitatem missionalem » *electivam* esse, a bona voluntate membrorum dependentem, non *praescriptivam,* in nostra nempe cum Christo coniunctione fundatam; *c*) conceptum praeconciliarem atque iuridicum sapit, i. e. activitas missionaria consideratur uti activitas ad Congregationem quamdam pertinens, potius quam ad Collegialitatem Episcoporum et ad populum Dei; denique, longe est ab idea Ecclesiae quae invenitur in Actibus Apostolorum, ubi Missiones et Ecclesia unum idemque sunt.

Mihi liceat alium titulum proponere, i. e. *De Ecclesia Missionali*: *a*) Ecclesia enim missionem non habet, nisi missionem Christi, et missio Christi ad mundum dirigitur: « Sic ... Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret » (*Io*. 3, 16); *b*) talis titulus ostenderet veritatem assertionis: « Quod Deus coniunxit — Ecclesiam nempe et Missionem — nullus homo separare potest ».

Prooemium. Ideae profundiores atque magis concretae esse deberent. Quae sequuntur, includi possent.

1. Missio, quae olim unica erat activitas christianismi, hodie a quadam — ut ita dicam — contra-missione mundi religionum, oppugnatur.

2. Inanitas spiritualis mundi occidentalis incipit fieri obiectum colonizationis spiritualis ab Orientalibus Religionibus promotae.

3. Hodierna die, divisio *oeconomica* inter nationes prosperas et nationes minus (sub) evolutas, praeeminet super divisionem *culturalem* mundi inter Occidentem et Orientem.

4. Vinum novum technologiae occidentalis infusum in veteres ampullas antiquarum culturarum, eas fraxit; novae ergo formae nunc quaeruntur, quae dynamice mutanti vitae adaptentur.

5. Populi universae terrae, nostris temporibus, iuridice, oeconomice atque socialiter, in unum coalescunt; et etiam nationes novissimae extra suas separatas existentias ducuntur, ad communem quamdam mundi historiam efformandam.

Principia doctrinalia. Ad nn. 2, 3, 4.

1. 67 lineae de Trinitate! Opus theologicum vere mirificum, sed non sufficienter pastorale ac missionarium.

2. Mentio *successiva* singularum Personarum, nullum manifestat vestigium circuminsessionis Trium Personarum in opere Missionis, de qua dicitur in *1 Cor.* 12, 4. 6: operationes, ministrationes et dona (Deus, Dominus, Spiritus).

3. Minime ostenditur quod omnis missionarius vel apostolus talis est, ex actione unitaria Patris, Filii et Spiritus Sancti (*Rom.* 1, 1-4).

4. Verbum « ergo » undevicies in textu cap. I invenitur! sed undeviginti propositiones non habentur.

Usus huius verbi indicat quam maxime genus dicendi praesentis capitis scholasticum sit.

Propositiones. NN. 2, 3, 4. Mihi liceat proponere nostra principia doctrinalia, super *veritates fidei* fundari.

Hoc perutile evaderet ad ostendendum Missionem relationem habere non tantum cum sua origine (Trinitas), sed etiam cum suo fine (creatio), cum tempore (historia), cum futuro (eschatologia), cum humano genere (Incarnatio), cum communitate (Ecclesia), cum imperio (Glorificatio et Pentecostes), etc.

Quae sequuntur meae sunt propositiones ad amplius fundamentum doctrinale efformandum.

1. *Trinitas*: Pater Filium mittit. Deus Filius, seipsum identificat cum illis quibus missus est, « habitu inventus ut homo » (*Phil.* 2, 7).

Deus Spiritus Sanctus, per suam actionem in cordibus hominum, possibile reddit eorum responsum Actui Dei in Christo Iesu.

2. *Creatio*: est externum fundamentum Missionis atque eius perturbationes, reconciliandae atque unificandae sunt in Christo (*Io.* 17, 23; *Eph.* 1, 9-10).

3. *Vocatio Israelis*: Israel viam missionariam Gentilibus aperuit; atque Gentilium conversio per Missionem Domini, viam parabit redemptioni Israel (*Rom.* 11, 12-25).

4. *Incarnatio*: Christus potentialiter totam naturam humanam assumpsit necnon scopum Missionis, ad actualizandum illud Dei donum, ita ut omnes homines participes fiant naturae Christi.

5. *Glorificatio et Intronizatio Christi*: Mandatum omnibus nationibus praedicandi, datum fuit tantum post victoriam Christi super peccatum et mortem. Eius exaltatio conditio fuit non solum trahendi omnes homines ad seipsum (*Io.* 12, 32), sed etiam, conditio mittendi Potestatem Spiritus (*Io.* 12, 32). Per Glorificationem, Christus factus est Dominus historiae, cui omnes nationes et omne genu genuflectere debet (*Phil.* 2, 5-11), quia aliud nomen hominibus non datur, in quo oporteat eos salvos fieri (*Act.* 4, 12).

Ita exinanitio Christi in Incarnatione (*Ph.* 2, 7) conditio fuit qua Ipse factus est plenitudo omnium rerum (*Eph.* 1, 15-23).

Munus Spiritus est Ecclesiam Corpus Christi reddere atque in Christi Missione participare.

6. *Ecclesia*: est Populus Dei, corpus per historiam et nationes peregrinans, cum verticali ad Deum relatione, atque horizontali relatione ad omnes homines ita ut ipsi in amore Dei reconcilientur (*Eph.* 1, 15-23).

7. *Historia mundi*: eiusque finalis consummatio eschatologice ligatur cum adimpletione Christi ad mundum missionis (*Mt.* 24, 14).

8. *Catholicitas Missionis*: *a*) in profunditate potestatis suae: « Omnis potestas »; *b*) in sua spatiali extensione: « Omnes gentes »; *c*) in sua temporali continuatione: « Omnibus diebus »; *d*) in sua assertione doctrinali: « Omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 18-20).

Ad n. 5. *Missio Ecclesiae. a*) Maximum momentum datur Proposito Dei, ita ut sapere videatur doctrinam Calvini de absoluto Dei dominio.

Verbum « propositum » decies in cap. I invenitur et quasi semper uti maior propositio alicuius argumenti!

b) Emphasis quae ponitur super propositum Dei, decreta Mentis Divinae extollit, potius quam amorem Dei erga hominem.

Prima mentio Vocis Dei in Sacra Scriptura habetur cum Deus hominem quaerit: « Adam, ubi es? ». Dei amor hominem non derelinquet.

c) Propositum Dei qua tale, in mente Dei, missionariam qualitatem non habet. Missio non existit in interiore quodam ac non-historico Proposito. Cum propositum manifestatur in Historia per obiectivam redemptionem, id est in vita Iesu, Hominis Representativi et Filii Dei, tum tantum Missio habetur.

Emphasis super Propositum Dei in hoc schemate ignorat historiam salvationis humani generis quae in Vetere Testamento continetur.

d) N. 5 delineatus fuit sine usu idearum quae in schemate *de Ecclesia* inveniuntur.

e) In lin. 37 n. 5, confusio habetur inter *Missionem* et *Missiones*. Missio et Missiones, res sunt valde inter se distinctae. Numerus quintus de Missione Ecclesiae agat atque nova paragraphus de Missionibus Ecclesiae addatur.

f) Praesens titulus n. 5 « Missio Ecclesiae », substituatur cum novo titulo « Ecclesia Missionalis ».

Propositiones. N. 5. *De Ecclesia missionali.* Ecclesia est missionaria, quia:

1. Christus Caput est humani generis.

2. Populus Dei in Novo et in Veteri Testamento ad missiones vocatur.

3. Collegialitas episcoporum super humeros populi Dei responsabilitatem totius mundi imponit.

4. Ecclesia et mundus correlative se habent; relate ad mundum, Ecclesia est missionaria; relate ad Deum, Ecclesia est sacramentalis.

I. Ecclesia Missionaria est quia non existit propter seipsam sed propter omnes homines.

Natura humana a Christo assumpta, potentialiter amplexa est omnes homines sub Eius Divina Persona. In Ipso, Homine Repraesentativo, omnes homines, per suum Caput, ius habent ascendendi, per incorporationem Passioni Eius, ad gloriam Patris (*Rom.* 8, 17).

Missio Ecclesiae consistit in actualizatione huius potentialitatis atque in reddendo *explicitam, implicitam* relationem omnis hominis, Christo qui « primogenitus est omnis creaturae » (*Col.* 1, 15).

II. *Populus Dei.* Ecclesia est continuatio « kahal », i. e. Israel, atque Israel a misericordia Dei selectus fuit ut missionarius esset.

Cum Deus Abraham vocavit, eum non tantum vocavit ut Pater Iudaeorum fieret, sed ut — per Abraham eiusque populum — universus mundus beneficium traheret: « atque in *te* benedicentur universae cognationes terrae » (*Gen.* 12, 3). Eadem idea repetitur in foedere cum Moyse super monte: « eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra » (*Ex.* 19, 5).

Deus, Israel suum populum elegit, sed in relatione ad genus humanum.

In *Ex.* 19, 5, Septuaginta utitur termino *Ethnos,* i. e. paganus, loco *laos,* hoc est populus.

Hebraice, terminus *'am* correspondet verbo *laos* vel populus. Hebraica autem vox pro « ethnos », est *Goi* vel « paganus ». Inde sequitur quod terminus « populus meus », vere significat « omnis populus ». Eodem tempore quo Israel seligitur uti specialis Dei hereditas, Deus continuo proclamat omnem terram ac omnes populos Ipsi pertinere, atque proinde Israel missionem ad omnem terram habere.

Aliae nationes Israel timebunt, praecise quia Deus mirabilia manifestavit populo suo: « Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit super te, et timebunt te » (*Deut.* 28, 10).

Propheta Isaias postea revelavit hanc vocationem missionariam Israel, dicens: « Ego Dominus vocavi te in iustitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te; et dedi te in foedus populi *in lucem genitum* » (*Is.* 42, 6).

Quod Israel fuit in Veteri Testamento, Novus Israel, id est Ecclesia, est in Novo Testamento: praesentia nempe Dei in medio hominum. Promissio et Lex solutae non fuerunt, sed tantum adimpletae in duodecim apostolis et in aliis membris Ecclesiae qui vocati erant ad populum sanctum constituendum.

In Actibus Apostolorum, Iacobus verba Petri refert: « Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo » (*Act.* 15, 14).

III. *Collegialitas.* Ecclesia missionaria est quia Christus suos apostolos ad mundum misit (*Mt.* 16, 16-20).

Episcopi, sub auctoritate Petri, cum sint apostolorum successores ex consacratione episcopali, responsabilitatem habent ad mundum.

Episcopi individuales tenentur, ex institutione et iussu Christi, de tota Ecclesia solliciti esse.

Munus episcopale exerceri nequit nisi in communione cum omnibus aliis episcopis mundi, quia apostolicitas exerceri non potest sine catholicitate. Dioecesis non est tantum separata quaedam entitas administrativa, sed potius pars integralis Christi missionis ad mundum. Missio non est quoddam « pium extra », sed expressio ipsius naturae Ecclesiae.

« Spiritus missionarius et spiritus catholicus unum idemque considerari debent » (PIUS XI).

In Actibus Apostolorum, nulla invenitur distinctio inter Ecclesiam et Missiones.

Magna cum sollicitudine, Spiritus Ecclesiam ad testimonium compellit, atque Ecclesia incessanter ab illa missione emergit.

« Ecclesia missionalis est » (PAULUS VI).

IV. *Ecclesia et mundus correlative se habent.* Ecclesia mundo indiget, sicut agro in quo semen seritur.

Mundus Ecclesia indiget sicut semine quod in agro seritur (*Mt.* 13, 3).

Ecclesia non coexistit cum mundo uti rivalis, sed potius sicut Bonus Samaritanus vulnera humanitatis alligans (*Lc.* 10, 33).

Ecclesia — cum considerari posset uti quaedam scala Iacobi in mundo — duplicem characterem habet: relate ad genus humanum, est missionaria, homines ad Deum ducens; relate vero ad Deum, sacramentalis est, gratias atque media salutis a Deo ad hominem afferens.

Sicut habetur in *Epistula ad Diognetum* (saec. II): « quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani » (= Ecclesia).

Ecclesia non est tam a mundo segregata ita ut mundum alloqui non possit, neque ita mundo adhaerens, ut mundus Ecclesiam non audiat.

Missio Ecclesiae consistit in restaurandam amissam humani generis unitatem, fractam cum Deo amicitiam, quae destructa fuit in Peccato Originali atque collective multiplicata in turri Babel. Qua ratione S. Iohannes loquitur de proposito mortis Christi « ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum » (*Io.* 11, 52).

Conclusio. Sicut missio Israel fuit *ad mundum,* ita est missio Ecclesiae. Neque missio Ecclesiae cuidam tantum regioni Ecclesiae limitatur.

Apostoli lux sunt mundi (*Mt.* 5, 14). Ager in quo ipsi semen Evangelii serunt, mundus est (*Mt.* 13, 38).

Nihil homini prodest si mundum universum lucratur, animae vero suae detrimentum patitur (*Mt.* 8, 36).

Finis missionis identificatur cum fine mundi (*Mt.* 22, 14; *Mc.* 14, 9). Missio messianica Domini revelata fuit in decreto Caesaris Augusti « ut describeretur universus orbis » (*Lc.* 2, 1).

Iohannes historiam Incarnationis incipit, affirmans mundum ab Ipso factum fuisse (*Io* 1, 10; *Act.* 17, 24). Pro mundo, Dominus Noster vitam suam sacrificavit (*Io.* 3, 16). Dominus peccata mundi tollit (*Io.* 1, 29). Ipse Salvator est mundi (*Io.* 4, 42), atque lux mundi (*Io.* 8, 12; 9, 5). Christus eiusque Ecclesia in mundo sunt non ad iudicandum, sed ad salvandum mundum (*Io.* 42, 47). Christi desiderium est ut mundus cognoscat quantum ab Ipso diligitur (*Io.* 14, 31).

Suam missionem complens, Christus Apostolos certiores facit de sua super mundum victoria (*Io.* 16, 33). Non petit ut Apostoli de mundo tollantur (*Io.* 17, 15), sed ut mundus credat in Eum (*Io.* 17, 21-23). Dominus Noster gloriatus est se aperte ad mundum locutus esse (*Io.* 18, 20). Evangelium annuntiabitur in universo mundo (*Mt.* 26, 13).

Ecclesia ergo non est tantum Ecclesia congregata, sed etiam Ecclesia missa; non tantum Ecclesia convocata, sed etiam Ecclesia convocans; non tantum genus electum vel Populus Dei, sed etiam servi Christi patientes; non aliquid theologice staticum, sed apostolice dynamicum.

Sicut in natura duo habentur motus — centripetalis nempe et centrifugalis — ita in Gratia, iuxta illud Domini Nostri: *Venite* et *Ite.* Uti Populus Dei, etsi « de mundo non simus » (*Io.* 17, 16. 18), vocati sumus ad misericordias Domini mundo annuntiandas (*1 Pt.* 2, 9); insuper in mundum mittimur, sicut Pater Filium suum Unigenitum misit.

Omnis persona baptizata uno aliove modo, missionaria est. Activitas missionaria, communis Ecclesiae activitas est. Nulla datur distinctio inter aspectum Congregationalem et Missionarium Ecclesiae. Ecclesia missionem ad mundum habet, et haec, missio Dei est.

Nulla ex parte Ecclesiae admittitur oblivio communis humanitatis a Christo assumptae.

N. 5, lin. 37. I. Confusio hic habetur inter Missionem et Missiones. Sicut Stephanus Neil, episcopus Ecclesiae Protestanticae, olim dixit: « Si Ecclesia Missio est, ubi sunt Missiones? »

II. Huic quaestioni responderi debet in luce: *a*) mutatarum mundi conditionum; *b*) Ecclesiae « aggiornamento », *c*) finis expansionis colonialis.

Positiva suggestio. Missiones Ecclesiae. N. 5. Ecclesia non amplius Missionem considerat uti pars tantum suae activitatis sed potius aliquid ad suam naturam pertinens. Missio — sicut vita — duplicem habet incrementum: *intensivum* et *extensivum.*

Cum Ecclesia crescit gratia, aetate et sapientia intensive, producere debet fructum extensive, redemptionem omnibus hominibus praebens.

Ecclesia introversa quae seipsam respicit, perit, dum e contra Ecclesia missionaria, crescit secundum legem « date et dabitur ».

Vetus conceptus Missionum requirebat pertransitionem finium, sicut christiani ad mundum « non christianum » missi. Hodierna die, mundus totus dici potest « in partibus infidelium » degens. Praeterea, unificatio culturalis Occidentis et Orientis, atque sociologica unificatio nationum excultarum et minus excultarum, exigit novum conceptum Missionum.

Differentia: *Missio* refertur ad *statum* permanentem vel *naturam* Ecclesiae atque ad media salutis pro omnibus hominibus.

Missiones referuntur ad *circumstantias* et *conditiones temporis et spatii.*

Missio Ecclesiae numquam mutatur, quia — ex mandato « Euntes, docete » — imponit super omne membrum, necessitatem *externalizandi* illum internum impulsum caritatis, a meritis Christi derivantem (*Ecclesiam Suam,* n. 3).

E contra, *Missiones* mutantur, cum mobilitatem et transformationem subeant quae a conditionibus politicis, oeconomicis, socialibus et religiosis dependent.

Missiones non referuntur ad aliquid *staticum,* sicut regiones determinatae vel geographia, sed potius ad dynamicas humanitatis vires, uti sociologicae conditiones nec non necessitates animae, mentis, corporis et vitae communis.

Ubicumque gravis habetur *necessitas spiritualis* evangelizationis derivans ab incredulitate vel a penuria praeconum Evangelii; necessitates *physicae* sicut scholae, nosocomia, templa, etc.; necessitates *oeconomicae* a paupertate, fame, pestilentia, ignorantia, derivantes, *Ibi sunt Missiones!*

Dominus qui dixit « Euntes, docete », idem Dominus fuit qui ingemuit: « Misereor super turbam ».

Nn. 6, 7, 8, 9, 10. Istis numeris applicari videtur illud Matthaei: « Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus » (9, 16).

Theoria missiologica, quattuor causae aristotelicae, anthropologia atque subsidia pro America Latina in unum coacervantur, sicut cinnus vel farrago, qui ad caput de principiis doctrinalibus non pertinent.

De opere missionali. Novum cap. II: *De regimine.*

a) Antequam de activitate missionaria tractetur, caput inseri deberet de organizatione missionaria.

Cap. II loquitur de « missis »; at, quis est qui eos mittit? « Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur » (*Rom.* 10, 15). Quis est qui assignat territoria? Quis episcopos nominat? Quis ecclesias et dioeceses ad clerum localem transfert? Cuius auctoritate subsidia colliguntur? Quis eadem subsidia dispensat? Suntne missionarii autonomi?

b) Hae quaestiones responsionem expostulant, priusquam de ipso opere missionali tractetur.

c) Quamobrem, novum caput inseratur inter « De principiis doctrinalibus » et

« De ipso opere missionali », quod de structura, vel organizatione, vel regimine agat.

d) Centrum evangelizationis de quo passim dicitur in schemate, perangustum (valde restrictum) videtur atque minime satisfacit propter sequentes rationes:

Centrum idem est ac sociatio voluntaria et sine auctoritate praeter eam quae ab ipsis membris derivatur.

Consilium necessarium est, quia implicat:

1. Auctoritatem desuper delegatam, id est a Summo Pontifice et a Concilio.

2. *Specifica munera* Consilio ab Ecclesia assignantur.

3. Terminus « Congregatio », cum in nullo documento iam a Concilio adprobato inveniatur, hic inseri opportunum non videtur.

e) Protestantes, ad fovendam unitatem in activitatibus Ecclesiae, in Conferentia anno 1961 Novae Delhiae habita, in unum coaluerunt Concilium Mundiale Ecclesiarum (id est, eorum Congregationem Concistorialem pro ecclesiis salde constitutis), atque Concilium Missionarium Internationale (eorum nempe Congregationem de Propaganda Fide pro ecclesiis novellis).

Ratio theologica quae eos compulit ad hoc faciendum valida omnino est: « ad unicam familiam unificandam, ita ut omnibus hominibus, ubicumque, secretum reconciliationis cum Deo Patre offeratur ».

Propositio. Ad vitandum scandalum divisionis necnon organizationum multiplicationis: ad affirmandam responsabilitatem *totius* Ecclesiae pro *universo* mundo; ad simul procedendum cum spiritu oecumenico, haec Sancta Synodus constituere deberet quoddam *Consilium Mundiale Missionum,* quod Consilium *a*) unificabit et utetur excellentioribus membris praesentium dicasteriorum; *b*) erit internationale quoad structuram atque inter sua membra adnumerabit repraesentantes: conferentiarum episcopalium, institutorum missionalium, Pontificalium Societatum Missionalium et illarum societatum nationalium quae auxilium praebent dissitis mundi regionibus (uti « Misereor », « Adveniat », « Episcoporum subsidia »); necnon peritos missionarios ex clero et laicatu includet atque eos qui — cum in terris missionum adlaboravissent — bene cognoscunt traditiones, psychologiam, structuram socialem, historiam, etc. diversarum mundi regionum; *c*) hoc Consilium Mundiale non tantum de problematibus ex evangelizatione mundi provenientibus curabit, sed etiam operam dabit activitatibus oecumenicis, societatibus internationalibus iuridicis, oeconomicis et socialibus quae ad bonum humanitatis tendunt, necnon religionibus non christianis cum quibus « provehere iuvat ac tueri alta et praeclara, quae in campo libertatis religiosae, fraternitatis humanae, eruditionis ac doctrinae, beneficentiae socialis et ordinis civilis sunt communia » (tertia pars Litterarum Encyclicarum *Ecclesiam suam*); *d*) *unitas* Ecclesiae et *missio* Ecclesiae ad *naturam Ecclesiae* pertinent.

Attamen — uti supra diximus — distinctionem instituere oportet inter *Missionem* et *Missiones.*

Missio Ecclesiae mutari nequit; *Missiones* e contra mutantur secundum tempus et circumstantias.

Cum neque geographice neque historice definiatur, Consilium Mundiale Missionum, sequentes functiones habebit:

1. Coordinabit atque unificabit activitates missionarias quae nunc divisae sunt quoad geographiam, ritum et historicas traditiones.

2. Fovebit efficientem cooperationem et actionem unitam in evangelizatione mundi, inter ecclesias, conferentias episcopales et alias communitates christianas.

3. Unificabit collectiones eleemosynarum ad missiones adiuvandas, earumque distributionem.

4. Statuet cum aliquae ecclesiae « missiones » esse desinunt, et cum aliae ecclesiae « missiones » fiunt sive per directam actionem divinam, persecutiones, mutationes politicas, sive per alias circumstantias.

5. Excogitabit *unitam quamdam strategiam* pro mundi evangelizatione, quae concreta evadat per unionem personarum et rerum necnon praeclarorum ducum ad universam Ecclesiam serviendam.

Deus ad unificationem mundi adlaborare videtur, per intimiorem relationem humanam et per unitatem oecumenicam cum omnibus hominibus.

Sacrosanctum Concilium — necessitatem Consilii Mundialis Missionum affirmando — nihil aliud faciet quam respondere providentiali impetui qui Ecclesiam (cuius essentia missio est) unum reddit cum Missionibus mundi.

Cap. III (olim, cap. II).

In introductionem (n. 12). *a*) Hoc nunc est cap. III, cum cap. II de auctoritate Ecclesiae in campo missionario, loqueretur.

b) Distinctio quae in lin. 4 habetur, inter « omnes homines et gentes », superflua videtur atque Scripturis contraria.

c) « Gentes » hic et per totum schema idem esse videtur ac « non-baptizati », ita inferendo quod « baptizati » obiectum « activitatis missionariae » considerari non possunt.

Nullibi haec assumptio iustificatur. Nam:

1. « Gentes » in Novo Testamento sumitur ad distinguendos Iudaeos a « nationibus non-iudaeis » (*Lc.* 21, 24; *Act.* 9, 15; *1 Cor.* 1, 23).

2. Aliis textibus, « gentes » opponitur « Christi sectatoribus » (*Mt.* 6, 7. 32; 10, 5; 20, 19; *Eph.* 2, 11. 12).

3. Attamen termino « gentes » utitur etiam ad significandum « omnes nationes », quin Iudaei excipiantur (*Mt.* 24, 9. 11; *Mc.* 11, 17; *Apoc.* 7, 9 etc.).

d) S. Paulus « gentes » vocat, non tantum non-baptizati, sed etiam: 1. fideles (*Rom.* 16, 14); 2. baptizati, qui ita a Iudaeis distinguuntur (*Rom.* 11, 13 ss.; *Gal.* 2, 12. 14).

e) Limitatio Missionis eis qui non audierunt verbum Dei sapit falsam distinctionem inter eos qui in Ecclesia primaeva circumcisi et eos qui circumcisi non erant: Petrus compulsus fuit hanc distinctionem superare et etiam Paulus, quodammodo, idem facere debuit cum Timotheum circumcisum voluit (*Act.* 16, 3).

f) Obiectum activitatis missionariae *omnes homines* includit (*1 Tim.* 2, 4), cum creatio, gratiae donum, redemptio et aedificatio Ecclesiae, *unum* sunt in commercio Dei cum hominibus.

g) Opportunum esset hic inserere ideam omnes homines esse « *capaces Dei* », atque creatos cum quadam ad Christum orientatione. Hoc desiderium Ecclesiae quod iam invenitur in communitate humana (anima naturaliter christiana), ad perfectionem tendit, illam nempe perfectionem quae habetur cum dispersa humanitas coadunatur in communitate divina, in Christo nempe eiusque Ecclesia (*Eph.* 2, 15).

Animadversiones et suggestiones. Cap. II, n. 13.

1. In Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam,* pro « dialogus » habetur « colloquium ».

2. Valde laudanda est in schemate idea dialogi vel colloquii.

3. Opportunum esset interpretari mandatum « Euntes, docete omnes gentes », eodem modo quo Paulus VI in suis Encyclicis, id est: « intima huius modi caritatis impulsio, quae eo tendit, ut in externum ipsa transeat donum caritatis ».

4. Descriptio non-evangelica Missionum uti de eis tantum curantes qui non audierunt verbum Dei, impedit quominus perspiciamus elementa *positiva* quae in aliis religionibus inveniuntur.

Erratum est conicere, missionarios Deum praecessisse in qualibet regione eius Creationis.

Ideae positivae potius affirmari deberent in n. 14, e. g.:

1) Deus nullam nationem dereliquit sine teste (*Act.* 14, 16).

2) Quaedam habetur alacritas in credendo ante receptionem fidei (*Io.* 9, 35: « Quis est, Domine, ut credam in eum? »).

3) Aliqui per orationes et eleemosynas ad quamdam praeecclesiam pertinent, ante eorum affiliationem cum Ecclesia, e. g. Cornelius (*Act.* 10, 1; *Act.* 8, 29).

Deus revera est « inquirentibus se, remunerator » (*Hebr.* 11, 6), sed « in omni natione, qui timet eum et operatur iustitiam acceptus est illi » (*Act.* 10, 35).

Deus benevolenter respexit eos qui extra Vetus et Novum Testamentum degebant, sicut filiam Pharaonis, Rahab, Ruth, Darium, Cyrum, mulierem Siro-Phoeniciam, et alios.

Deus implicite cognoscitur etiam a polytheistis: « Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis » (*Act.* 17, 23).

Pius XII olim dixit: « Actus amoris hominis adulti, sufficiens est ad gratiam sanctificantem obtinendam atque carentiam baptismi supplet ».

Antequam Paulus plurimos Corinthi baptizavisset, Dominus in visione ipsi apparuerat eique dixerat: « Quoniam populus est mihi multus in hac civitate » (*Act.* 18, 10).

Sanctus Spiritus operatur in omnibus hominibus et etiam extra Ecclesiam: « Spiritus ubi vult spirat ».

Inde sequitur quod ita praecones Evangelii, Christo testimonium praebebunt, ut « populus perspiciat omne bonum et verum aliarum religionum, profundiorem significatum et perfectum complementum in Christo invenire » (Pius XII, in nuntio Conventioni Ernakulam, 1952).

Omnis populus segmentum possidet circuli veritatis; ratio praecipua omnis activitatis missionariae consistit in complemento illius circuli in Christo qui seipsum cum veritate identificavit: « Ego sum veritas » (*Io.* 14, 6), quique Seipsum fecit « columnam et firmamentum veritatis » (*1 Tim.* 3, 15).

Cap. II, n. 14: *De praesentia caritatis. Propositiones.*

In perplurimis mundi regionibus, ab indispositione spirituali populorum, vel ab eorum indigentia moti, compellimur adimplere missionem Christi, « pauperibus evangelizandi » (*Mt.* 11, 15) et « curandi infirmos » (*Mt.* 10, 8; 10, 1; *Mc.* 3, 15).

Divinus Missionarius multitudines famelicas satisfecit antequam Eucharistiam annuntiaret (*Io.* 6).

Missio Ecclesiae pro pauperibus, ignorantibus et male habentibus mundi, non consistit in essendo « ecclesialis », sed in exhibendo coram mundo, id quod Filius Hominis facere potest agendo uti servus (*Mc.* 10, 43), esurientes satisfaciendo, nudos operiendo, captivos visitando, domos procurando pro illis qui domum non habent (*Mt.* 25, 35 ss.), inimicos et proximos diligendo (*Mt.* 5, 43-48), et praecipue sanando profundas contentiones lapsae societatis.

Missio, non tantum erit testis *coram* mundo non credenti, sed etiam testimonium praebebit *intra* mundum credentium.

1. Assumentes Ecclesiam, communitatem amoris, dialogum cum mundo instituere debere, missionarii curabunt ut conditiones humanae in melius mutentur per educationem, activitates sociales, artem medicam, hygienem et curam salutis corporis.

2. In hac periodo prae-evangelica, Missionarii operam dabunt cum aliis religionibus christianis ad reformationes sociales promovendas, afflictiones sublevandas, necnon ad bonum commune procurandum. « Qui non est contra vos, vobiscum est ».

3. Organizationes super-paroeciales, et associationes cleri, religiosorum et laicorum, creabuntur ad illa problemata oeconomica et socialia tractanda quae praeter arctos limites alicuius ecclesiasticae iurisdictionis inveniuntur.

4. Magnum pondus dabitur institutioni stationum radiophonicarum quae prima rudimenta literaria, necnon hygienem, agriculturam, culturam domesticam, doceant, atque praecipue erudiant populum in rebus socialibus, educationalibus, et oeconomicis.

Animadversiones et propositiones. Cap. II, art. 2, n. 15. *De evangelizatione et praedicatione.* Duae tantum ideae hic habentur: 1. Sacra Scriptura praedicationem praescribit; 2. nulla vis in conversionibus adhibenda est.

Propositiones. a) Initium evangelizationis semper quaerendum est in id quod commune est cum illis quos nos convertere conamur: e. g. « Deus Ignotus » de quo Paulus in sermone Aeropagi (*Act.* 17, 23); vel communis delectatio quae habetur in haustu aquae (*Io.* 4, 7); vel hospitalitatis participatio (*Lc.* 19, 5).

b) Missionarius in familiaritatem veniet cum religione, philosophia, mythologia et aspirationibus populi quocum ipse adlaborat, atque non tantum ostendet id quod erratum in eorum systematibus invenitur, sed potius quod verum et bonum quodque perfici potest, sicut segmentum quod ad perfectionem circuli tendit.

« Omne quod bonum et verum in aliis religionibus invenitur, plenum significatum in Christo attingit » (Pius XII).

Cum Gregorius VII obviam factus est Regi Mahumetano Mauretaniae, dixit: « Oramus, ab imo pectore, ut Deus te — post diuturnam vitam — recipiat in sinu Abrahae ».

c) Missionarius meminerit virtutem fidei initium habere posse ante instructionem.

« Si quidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati » (I-II, q. 89, art. 6).

d) Non credentes et illitterati iudicandi non sunt secundum arctam mensuram christianae moralitatis:

« Nam et infidelium peccata magis merentur veniam, propter ignorantiam: Misericordiam Dei consecutus sum quia ignorans feci in incredulitate mea » (*1 Tim.* 1, 13) (I-II, q. 89, art. 5 *c*).

e) E tribus criteriis credibilitatis quae in Vaticano I affirmati sunt, duo ad intellectum diriguntur: Miracula et prophetiae, atque incrementum Ecclesiae uti « signum in nationes » (*Is.* 11, 12). Tertium criterium consistit in aspiratione cordis ad bonum, pulchrum et verum. Desiderium naturale propter « quaecumque amabilia » (*Phil.* 4, 8), fundamentum erit apostolici laboris ad homines luci revelationis adducendos.

f) In evangelizatione et praedicatione, missionarius in mente habeat quod, dum omnes mundi religiones humanam initiativam extollunt, nostra praedicatio initium ducit ab *initiativa divina*: « Ipse prior dilexit nos » (*1 Io.* 4, 19).

Praedicatio, Christum, et Ipsum Crucifixum (*1 Cor.* 1, 13) uti centrum habebit. Nulla alia datur religio quae tam essentialiter a quadam persona dependeat sicut religio Christi.

Concedimus alios fundatores suis systematibus originem dedisse, sed ab illis personaliter non astringebantur.

« Sequere me » valde differt a « Doctrinam meam sequere ».

g) Missionarius, differentiis religiosis non obstantibus, communem humanitatem agnoscet, non tantum quia Deus Pater est omnium hominum (*Eph.* 3, 15), neque tantum quia « fecit ex uno omne genus hominum » (*Act.* 17, 16), sed etiam quia « omnes peccaverunt » (*Rom.* 3, 24). Ubicumque aliquis missionarius obviam fit homini ad aliam religionem pertinenti, Deus ibi est.

h) Missionarius profundum zelum in conversionibus ostendet, cum conversio fundetur in fecunditate Dei qui sibi genuit Filium naturalem et plurimos filios adoptivos.

Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus » (*Is.* 66, 9).

« Vae mihi si non evangelizavero! ».

Cap. II, art. II. N. 16: *De catechumenatu et initiatione christiana.* Tria — quae in schemate inveniuntur — valde commendanda sunt: 1. Catechumenatus ad liturgiam refertur; 2. catechumeni se sentire debent in societate cum populo Dei; 3. status iuridicus catechumenorum recognoscendus est.

Propositiones. Attamen, amore ducti profunditatis et zeli, sequentia proponimus.

1. Emphasis super cognitionem doctrinae christianae referri deberet rectitudini vitae moralis, ita ut Veritas divina recte comprehendatur. Difficultates catechumenorum non tantum naturae intellectualis esse possent, sed etiam naturae moralis. Fenestra munda lucem intrare permittit.

Dominus Noster non dixit: Si meam doctrinam noveritis, meam voluntatem facietis, sed « Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo est, an ego a me ipso loquar » (*Io.* 7, 17).

2. Catechumeni exhortentur ut sint testes, aliis communicantes Veritates Divinas.

Ne Veritas abstracte tantum consideretur, socialem responsabilitatem inducere deberet; catechumeni non solum passive recipient Veritatem, sed, inde ab initio instructionis, illis possibilitas dabitur alios ad Ecclesiam adducere.

3. Instructiones de re morali, potius quam negativae, super Vetus Testamentum et Decalogum fundatae, positivae erunt, amorem Dei et proximi magnificantes.

N. 17, art. 2. Estne hic numerus necessarius? Num schema missionarium statuere debet ideas quae per se evidentes sunt, uti: *a*) Fideles, membra sunt regalis sacerdotii: linn. 20-32. *b*) Ipsi fovere debent spiritum familiae, scholas atque pias associationes, necnon spiritum oecumenicum?

Spiritus oecumenicus speciali modo tractari deberet, cum spiritus oecumenicus erga religiones christianas differat ab eo qui exercendus est erga religiones mundi.

Insuper, quod in n. 17 habetur, dici posset de qualibet Ecclesia in qualibet mundi regione.

Propono n. 17 omitti.

Cap. II, art. 3, pag. 12: *De ministeriis.* N. 18: *De clero locali.* *a*) « Novellis Ecclesiis » lin. 24 necessarium non est atque confusionem gignit. Sufficit « in missionibus ».

b) Primi tres paragraphi necessarii non videntur, cum quod in eis continetur de vocationibus sacerdotalibus est: 1. nimis genericum; 2. non specifice missionarium.

c) Pag. 13, lin. 7. Nonne bonum « in Urbe » omittere, ita ut Concilium detrimenti non sit educationi datae ab Ecclesia in aliis mundi regionibus.

d) Cur — post multa tam eloquenter dicta in Aula Conciliari ab Episcopis Missionariis, atque post ipsius declarationem diei 21 novembris 1964, in constitutione *de Ecclesia* — cur nullus datur *articulus* de Diaconatu in hoc schemate? Vaga mentio quae in n. 19 (de Catechistarum Institutione) habetur, sufficiens non est; quapropter novum articulum de diaconatu proponimus, qui inseri potest sive ante sive post articulum « De Clero locali ».

Propositiones. *a*) Ad excellens corpus magistrorum providendum atque ad vitandas impensas quae necessariae non sunt, necnon ad commercium culturale cum aliis populis et nationibus fovendum, seminaria ne multiplicentur sine necessitate.

b) Instituta Missionaria in terris missionum, cum possibile erit, corpora magistrorum, alumnos et cursus unificabunt, ad maius Ecclesiae bonum, evolutionem spiritus catholici, et ad povertatem fovendam (inutiles expensas vitantes).

c) Alumni seminariorum (qui usque nunc, integro gaudent anno vacationum, in quattuor annis theologiae), per longum vacationis tempus, a suis episcopis vel seminarii rectoribus ad aliquem apostolicum laborem destinentur.

d) Studia philosophica in seminariis quae in terris missionum sunt, ad minimum reducent historiam philosophiae quae ad Europam pertinet, ita ut maiorem emphasim dent philosophiae et culturae populorum a quibus alumni proveniunt.

e) Nota Historica: Post destructionem Ierusalem, theologia ab hebraicis originibus alienata fuit atque enodata in Europa quae philosophia graeca, hellenica cultura et iure romano imbuta erat. Nunc a nostra commissione quaeritur: Num alumni asiatici vel afri theologiam occidentalem excolere tenentur? Nonne eorum mentalitas propior est hebraicis, potius quam graecis romanisque originibus?

Formatio theologica cleri fundabitur — quantum possibile erit — super biblicam historiam salvationis, non tamen neglegendo media apta ad evolutam theologiam exprimendam in luce culturae philosophicae et religiosae eorum populorum.

f) Seminaria in terris missionum, Episcopos aliarum mundi regionum invitent ad eorum alumnos seminariis missionum mittendos, ita ut clerus localis contactum cum aliis culturis instituat atque hospites, ipsi, spiritu missionario imbuantur, in bonum totius Ecclesiae.

Art. 4, cap. II, pag. 14, nn. 21-22: *De Ecclesiis localibus; De diversitate in unitate.* Viginti duae lineae adhibentur pro pia quadam exhortatione, quae ad Missiones minime pertinet.

Quod hic dicitur, affirmari potest de qualibet Ecclesia, in qualibet mundi regione.

Propositiones. De adaptatione: *a*) Modernis temporibus, christianismus perraro selectus est uti religio alicuius evolutae civilizationis, cum illa civilizatio intacta permansit. E. g. Persia, India, China, Japonia.

b) Ubi civilizatio primitiva est, aut adaptata fuit aut derelicta ad civilizationem cum christianismo connexam amplectandam.

c) Sacra communitas, in qua religio christiana permeabat omnia vitae adiuncta incipiens ab individuo usque ad familiam, rem politicam et oeconomicam, non amplius existit.

d) Quo magis educatio saecularizatur atque e manibus Ecclesiae detrahitur, eo magis imponitur necessitas pro magistris christianis participandi in associationibus professionalibus, collegiis, universitatibus, necnon in evolutione technologica.

In luce eorum quae mox exposuimus, sequentes concretas propositiones nobis facere liceat:

a) Evangelium praesentari non debet uti mera expositio individualis ac privatae salutis, cum — sicut fermentum in societate, sal terrae, civitas super montem — Evangelium respiciat ad redemptionem totius mundi, illa regna vitae humanae includens quae tam saecularizata nostris temporibus sunt. « Subiecti igitur estote in omni timore dominis, propter Deum » (*1 Pt.* 2, 13; *Rom.* 13, 1).

b) Missionarii non sunt tantum satores Ecclesiae in terris extraneis; ipsi se adaptare illi regioni debent, ne fiant *exploratores* illius christianismi qui veste tantum occidentali induitur.

c) Clima spirituale et orientatio populi cui Evangelium praedicatur, determinabunt incrementum communitatis christianae.

In vacuitate non agens, activitas missionaria considerabit athmosphaeram naturalem et spiritualem, quae — decursu temporum — animam populi formavit.

Ecclesia in territoriis missionum intrabit sicut Dominus Noster in humanam vitam intravit, pro universi mundi salute (*Io.* 20, 21; 3, 16).

d) Adaptatio in variis regionibus determinari debet a Conferentiis Episcopalibus illorum locorum, cum ecclesiae missionariae esse non debeant imagines spiritualium coloniarum mundi occidentalis.

e) *Renovatio* Ecclesiae obtinetur per contactus missionarios cum novis civilizationibus.

Ecclesiae catholicitas non tantum fundatur in plenitudine Christi, sed etiam a genere humano quamdam hereditatem recipit (*Ps.* 2, 8; *Heb.* 1, 2), atque crescit cum hominibus, culturis et populis (*Eph.* 1, 23).

Sicut Ecclesia utitur pane, vino, olio, sale, tamquam materialibus instrumentis sanctificationis spiritualis et eruditionis, ita omnibus culturis utetur uti instrumento evangelizationis et sanctificationis.

f) Ecclesiae finis non est *uniformitas,* sed *unitas*. Manifestatio missionaria Divinae Providentiae fundatur in principio multiplicationis et diversitatis (*Rom.* 12, 4 ss.; *Eph.* 4, 11 ss.; *1 Cor.* 12, 12 ss.). Sicut colluvio purorum et impurorum animalium in visione Petri (*Act.* 10, 11-12), et sicut miraculum linguarum diei

Pentecostes, aeternae fidei veritates exprimentur illis terminis qui magis apti sunt novis culturis quibus Evangelium praedicatur.

Concursus missionarius cum aliis mundi culturis, novum impetum *theologiae* afferet; etenim *viva theologia* est *theologia missionaria.* Sicut Sanctus Paulus theologiam Veteris Testamenti mundo graeco exposuit, ita multiplices traditiones religiosae missionum adhibebuntur ad exprimendam multiformem Verbi sapientiam (*Eph.* 3, 10).

g) Ipsa *diversitas* nationum significatum habet pro populo Dei, quia nationes signa sunt pacificae Dei voluntatis necnon Eius super Israel imperii (*Deut.* 33, 18). Deus omnes nationes ad eum quaerendum ducit (*Act.* 17, 26 ss.).

h) Adaptatio fundabitur super duo principia:

1. *Transcendentia* Veritatis quae in aeternum permanebit. « Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt ».

2. *Immanentia,* id est incarnatio illius Veritatis in diversis culturis. Quanto magis Veritas exprimitur modis ad particulares culturas adaptatis, eo magis eius indoles universalis revelabitur. Sancti manifestant plenitudinem gloriae divinae (*Eph.* 3, 18-19).

Cap. IV. Quae a nobis proponuntur circa ordinationem activitatis missionalis, invenies in capite « De Regimine », quod, nostro iudicio, collocari deberet ante « De ipso opere missionali ». Cap. IV ita fieret cap. II.

Cap. V, pag. 23: *De cooperatione. Officium missionale totius Populi Dei.* Nn. 37-38 repetitiones sunt. Distinctio inter officium missionale totius Populi Dei (n. 37) et missionale officium communitatum christianarum (n. 38), reale fundamentum non habet.

Propositiones. Proponimus ut duo numeri ad unum reducantur atque in Sacris Scripturis magis fundentur; e. g.

A. Sequentes rationes pro cooperatione, considerari possent:

1. Cum simus « invicem membra » (*Eph.* 3, 6; 4, 25; 5, 30; *1 Cor.* 12, 14), sequitur quod fames, sitis, persecutio atque indigentia aliorum, aestimari debet uti nobis pertinentes (*1 Cor.* 12, 14).

Id quod compassio est in anima, fit cooperatio in actione. « Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra » (*1 Cor.* 12, 26), ita ut omnes sint « compatientes, fraternitatis amatores » (*1 Pt.* 3, 8).

2. *Exemplum apostolicum*: In Actibus Apostolorum, missiones non sunt una tantum Ecclesiae activitatum, sed ipsius essentia. Eusebius et Iustinus loquuntur de Apostolis mundum inter se dividentibus (Eusebius, Hist. Eccles. III, 1; Acta Thomae, ca. 210; Iustinus, Apologia).

Mundus, onus Ecclesiae adhuc est (*Io.* 17, 23). Missiones ergo non sunt considerandae sicut orphani ad ostium Ecclesiae derelicti, sed sicut amati filii.

3. *Eucharistia* non tantum est vinculum unionis omnium Ecclesiae membrorum, sed etiam causa cur nos pro aliis sacrificia facere debemus: Eucharistia enim non tantum nos inserit vitae Christi, sed etiam morti eius (*1 Cor.* 11, 26).

Adimpletio eorum quae desunt passionum Christi (*Col.* 1, 24) realizatur in actibus abnegationis pro fratribus qui alter alterius onera portant (*Gal.* 6, 2).

Attamen, quomodo haec cooperatio concreta fit? Introducentes ideam « oikonomiae » quam in Sacris Scripturis invenimus.

De dispensatione. Oikonomia. N. B. (Caput hic inseratur de dispensatione, quae magnum momentum in Sacris Scripturis habet.

Omnia quae ab homine possidentur, ipsi non pertinent, sed Deo. Homo administrator est omnium bonorum atque eis uti debet ad fines Dei adimplendos.)

In hoc capite, de triplici dispensatione loquetur. Populus Dei trium thesaurorum dispensator est:

a) *Mysteriorum fidei,* quae christifideles responsabiles reddit pro evangelizatione mundi. « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (*1 Cor.* 4, 1).

b) *Bonorum materialium,* quae cum aliis participare debemus, quia fides nostra una est, et etiam quia « cui multum commendatum est, plus ab eo requiretur » (*Lc.* 12, 48), in diffusione Evangelii socialis.

c) *Nostrarum personarum,* quarum Deus — secundum suam voluntatem atque propter suos fines — disponere potest.

« An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliquid? » (*Rom.* 9, 21).

N. B. (Mysteria fidei alibi in schemate tractantur.)

Fundamentum scripturale dispensationis bonorum materialium. a) Fundamentum dispensationis in eo invenitur quod fratres nostros diligere debemus cum « Deus prior dilexit nos » (*1 Io.* 4, 19), atque — sicut Christus — nos ipsos offerimus uti vivens sacrificium, Deo acceptabile (*Rom.* 12, 1).

Exemplum nostrum simile erit dono redundanti Christianorum Macedoniae, qui non dederunt secundum id quod possidebant, sed instanter privilegium expostulaverunt elargiendi, quia « semetipsos dederunt primum Domino » (*2 Cor.* 8, 1-5).

b) Cum omnis congregatio fidelium manifestatio quaedam sit universalis Ecclesiae, cuius missio est omnes homines attingere, omnis congregatio resistere tenetur temptationi vivendi in seipsa et pro seipsa, non solum quia:

1. « Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur » (*Rom.* 14, 7);

2. et quia Deus responsabilitatem fratrum nostrorum super humeros nostros imponit: « Num custos fratris mei sum ego » (*Gen.* 4, 9);

3. sed etiam quia unitas uniuscuiusque congregationis perficitur in unitate cum Christo Capite eiusque visibili in terra Corpore:

« Ex capite, totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » (*Eph.* 4, 16).

Dispensatio bonorum materialium. a) Haec solidaritas et responsabilitas pro omnibus membris Ecclesiae necnon pro omnibus hominibus, Ecclesiam non dividet in *Ecclesiam dantem et recipientem,* neque in *novellam et veterem ecclesiam,* cum omnes membra sint Christi, sed potius communicationem quandam bonorum suscitabit « ut communicatio fidei tuae evidens fiat in agnitione operis boni, quod est in Christo Iesu » (*Phil.* 6).

Loco donationis, habetur commutatio (*Mc.* 8, 37).

Omnes Ecclesiae in indigentia versantur; aliae pane indigent, aliae gratiarum actione; aliae templis, aliae misericordia atque venia; aliae auxilio materiali, aliae confirmare indigent suam erga Deum dispensationem; Paulus ita scribit de ista triplici relatione inter cultum, dispensationem vel servitium, et gratiarum actionem:

« Qui autem administrat semen seminanti et panem ad manducandum praestabit et multiplicabit semen vestrum et augebit incrementa frugum iustitiae vestrae.

« Quoniam ministerium huius officii non solum supplet ea quae desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino » (*2 Cor.* 9. 10, 12).

b) Ista commutatio, cum includat auxilium pro ecclesiis indigentibus atque pro mundi pauperibus, non pertinet ad misericordiam, sed ad iustitiam. Elargire proximo id quod ipsi vere necessarium est, idem est ac dare id quod ei pertinet.

Quod superfluum pro divitibus, necessarium pro pauperibus est, ex iustitia et dispensatione.

Testimonium sociale omnis civilizationis et Ecclesiae omni tempore, consistit in eo quod pro pauperibus operatur. Abyssus inter opulentiam privatam ac paupertatem publicam compleri tantum potest ab Ecclesia quae exemplum sequatur Domini qui « propter vos egenus factus est, cum esset dives; ut illius inopia vos divites essetis » (*2 Cor.* 8, 9).

N. B. Omnia quae adhuc dicta sunt de dispensatione, pia tantum exhortatio erunt, nisi aliquid practicum et concretum suggeritur.

Ratio haec est: media quae nunc habentur, insufficientia sunt. Considerate ditissimam mundi nationem, ubi quinquaginta sex nummorum americanorum ($ 56), viritim, quotannis, in alcohol dissipantur. Contributio data Congregationi de Propaganda Fide — quae Congregatio praeter territoria ipsi concredita, auxilium praebet Americae Latinae et Vicino Orienti — fere quartam partem unius nummi americani, viritim, quotannis, attingit.

Lutherani viritim agentiae centrali missionum contribuunt plus quam tres nummos americanos ($ 3.30). Anglicani viritim $ 1.75. Testimonia Javhe triginta tres nummos americanos. Quaedam Dioecesis Anglicana omnes aedificationes per annum suspendit, ad Missiones adiuvandas. Congressus Anglicanus in Monte Reale convocato in 1963, statuit dimidiam partem bonorum paroeciarum et dioecesium, missionibus Ecclesiae in mundo, dari, quia « conscii sumus mutuae responsabilitatis necnon interdependentiae in Corpore Christi ».

c) Ad ostendendam nostram dilectionem non tantum in verbis vel locutionibus sed in opere et veritate (*1 Io.* 3, 18), propono ut addatur sequens propositio, quae iam adprobata est in sessione praecedenti: « Valde desiderandum est ut Conferentiae Episcopales statuant unamquamque dioecesem summam aliquam propriis redditibus proportionatam quotannis, ad opus evangelizationis destinare ».

Dispensatio ministrorum. Dispensatio non limitatur ad bona opera pro omnibus hominibus, maxime vero pro domesticis fidei (*Gal.* 6, 10), sed etiam refertur ad dispensationem ministrorum in terris missionum.

a) Instituta missionaria, spiritui Fundatoris obsequentia, necnon vocationem foventes suorum membrorum, quae Deus ad missiones ministrandas vocavit, curent ut ipsa membra — in quantum possibile est — digne ambulent in vocatione qua vocati sunt (*1 Cor.* 9, 16), ita ut « notum faciant mysterium evangelii » (*Eph.* 6, 19).

b) Sicut collegialitas episcoporum importat totalem eorum responsabilitatem pro universo mundo, ita etiam Instituta perfectionis, per eorum ascriptionem ad Ecclesiam, responsabilitatem pro mundo assumunt. « Quo autem melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur, quodcumque perfectionis institutum ... praestare debet missionibus ... et omnibus hominibus generosa ac diversissima servitia » (Nn. 45 et 46 *de Ecclesia*).

c) Episcopi in suis dioecesibus, in unione cum suis presbyteris, constituunt presbyterium quod universalem Ecclesiam reddit visibilem, in illa determinata congregatione vel regione. Attamen, cum sacerdotes primarie pro universo mundo ordinentur (sicut episcopi pro mundo in primis consecrantur) episcopi, intra rationabiles limites, sinent dignos ac paratos sacerdotes repraesentare localem fidelium congregationem in ampliorem regionem missionariam Ecclesiae universalis.

N. 39 cap. V: *Missionale officium episcoporum.* Haec — inter sectiones schematis — praeclarissima est, cum sit concreta, practica et missionaria.

Commissioni placeat, examini iterum subicere quod invenitur in lin. 35, pag. 24, de « adoptione » et « gemellatione ».

a) Optima idea est pro paucis qui adoptari possunt; sed odiosas inaequalitates suscitat pro illis qui adoptari nequeunt.

b) Pius XI bene dixerat, creationem cuiusdam Commissionis Centralis ab Ipso nominatae ad bona communia dividenda, optimam fuisse solutionem ad inaequalitates praecavendas (*A.A.S.*, 14, 321, 30 iunii 1922).

c) Experientia nos — in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis — docet quod, paroecia vel dioecesis quae paroeciam vel dioecesim in terris missionum adoptaverit, saepe de Missionibus in genere, minime curat. In casu quodam particulari, milliones nummorum americanorum paucis dioecesibus adoptatis elargiti sunt, dum e contra tantum duo centum milia nummorum americanorum pro omnibus territoriis sub Propaganda, oblati fuerunt.

d) Adoptio particularis regionis in terris Missionum, coarctat visionem missionariam illius dioecesis atque eam caecam reddit indigentiae totius mundi. E. g. alumnus alicuius universitatis americanae, qui ad sacerdotium aspirabat, valde miratus est, cum ipsi notum factum est in mundo alias missiones dari, praeter eam quae ab universitate adoptata erat.

e) In Ecclesia, numerus Dioecesium sibi sufficientium comparari nullo modo potest cum numero dioecesium indigentium: e. g. numerus dioecesium in Brasilia et numerus dioecesium in Statibus Foederatis, fere idem est. Sola Congregatio de Propaganda habet septingenti et sexaginta iurisdictiones quae auxilium indigent.

f) Quod supra de dioecesibus affirmatum est, dici etiam debet de paroeciis.

N. 40 cap. V, pag. 25: *Officium missionale sacerdotum.* Laudandum est id quod dicitur de presbyteris qui cum episcopo responsabilitatem evangelizationis mundi participant.

a) Omnis sacerdos, quamvis determinatae paroeciae assignetur, ad universum mundum ordinatur; eius microcosmos iuridici oneris, idem est cum macrocosmo oneris missionalis.

Existentia sacerdotalis est co-existentia missionalis.

b) Sicut primaevis Ecclesiae temporibus, omnis ecclesia localis, sua praeclara membra aliis ecclesiis mittebat (*Tit.* 3, 12; *Act.* 21, 5. 28; *1 Cor.* 16, 11), ita omnis paroecia ligamen erit in longa catena missionaria, missionarios excipiens atque fons et mater vocationum missionalium evadens.

c) In Christo, sacerdos a victima dissociari nequit. Omnis sacerdos, victima erit pro mundi evangelizatione, non tantum vitam Christi imitans, sed etiam morti Ipsius se configurans (*2 Tim.* 2, 11; *Col.* 1, 24), per exercitium paupertatis et suipsius abnegationis in favorem fratrum qui minus privilegiati sunt.

d) Energia quae aliter in generatione carnali adhiberetur, transformatur in castam Spiritus generationem (*Eph.* 3, 14. 15), cum vocationes foventur et alumni seminariorum, uti filii spirituales, in terris missionum adoptantur: « quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 2, 19).

e) Missio paroecialis et missio mundi, inseparabiles sunt. « Mundus est mea paroecia » (Iohannes Wesley, fundator Methodismi).

f) Cultus et Missio separari nequeunt, cum mundus obiectum sit amoris Patris; Liturgia, sine sollicitudine pro necessitatibus humani generis, Deo accepta esse nequit (*Am.* 5, 21-26; *Is.* 58, 5-7; *Mt.* 5, 24). Pro sacerdotibus, sanctitas et generis humani dilectio non sunt possibilitates alternatae, sed unum idemque sunt, sicut in Christo (*Io.* 3, 30). Ad missiones se devovens, sacerdos tempore (*Eph.* 5, 16) et talentis (*Gal.* 6, 10) utitur, ut magnificetur « Christus in corpore meo sive per vitam sive per mortem » (*Phil.* 1, 20).

Cap. V, n. 41, pag. 25: *Missionale officium institutorum perfectionis.*

A. Sequentia commendanda sunt:

a) expressiones gratitudinis pro orationibus et sacrificiis illorum institutorum quae ad contemplationem se dedicant.

b) Invitatio Institutis activis facta, ad conscientiam examinandam de eorum ad missiones dedicatione.

c) Exoptatio quod saecularia Instituta incrementum habeant.

B. Attamen haec est pia tantum exhortatio.

Particula « utrum », quae quinquies in linn. 37 ss. (pag. 25) adhibetur, nihil legislativi vel pastoralis habet.

Propositiones practicae. a) Instituta Missionaria, praeter apostolicam missionem ab ipsis adimplendam, una cum illis membris aliorum Institutorum quae similibus talentis praedita sunt, nosocomia, dispensaria, seminaria, scholas atque universitates, instituere curent.

« In quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in spiritu » (*Eph.* 2, 21).

b) Instituta Religiosa quae possessiones habent in terris missionum, eis possessionibus utantur exclusive in bonum Ecclesiae et populi illius determinatae regionis.

c) Ut in distributione auxilii illis missionibus quae in indigentia versantur, aequalitas habeatur, omne institutum religiosum quod membra in terris missionum habeat, quotannis, relationem ad aerarium pertinentem, Commissioni Mundiali Missionum subiciat.

d) Omnia Instituta Religiosa quae essentialiter missionaria sunt, ad missionarium laborem unificandum, constituantur sub directione Consilii vel Commissionis Mundialis Missionum, salva tamen manente eorum religiosa natura.

e) Cum possibile est, missionarii educandi sunt eodem loco ubi postea adlaborare debebunt, ita ut ipsi possint profundas aspirationes religiosas populi percipere, necnon pro animabus quibus missi erunt, Deum exorare.

f) Cum autem missionarii educationi attendere nequeunt in terris missionum, curent Superiores eos in territoriis missionis mittere, non post ordinationem, sed dum adhuc studentes sunt, ita ut campum eorum apostolatus cognoscere possint.

g) Omne Institutum Missionale — vestigia fundatoris premens et voluntatem Ecclesiae sequens — maximam partem suorum membrorum in missionibus mittet.

h) Sacra Synodus insuper commendat varias societates missionarias in eadem regione adlaborantes, quae in unum convenient ad communiter addiscendas culturam, linguam et apostolatus methodos.

i) Ad spiritum paupertatis fovendum et indigentiam populorum considerantes, pecuniae collocationes ab institutis missionariis ad minimum reducantur, ita ut aeraria condita (riserva) pro Christo et Ecclesia adhibeantur.

k) Omne Institutum Missionarium, quotannis, Commissioni Internationali communicabit numerum religiosorum qui parati sunt Missiones petere.

l) Cum terrae missionum, hodierna die, pervadantur a continua saecularizatione et industrializatione, missionarius paratus erit mutationibus aliquando revolutionariis obvium ire, necnon dominium et redemptionem Christi, populis nondum evangelizatis interpretare.

m) In formatione, emphasis ponatur super relationem personalem cum populis qui cultura et psychologia diversa ditantur; missionarii insuper discant iudicium aliorum non spernere atque patientes in destitutionibus permanere, ita ut fiant omnia in omnibus ut omnes Christo lucrifaciant.

n) Instituta Missionaria pro suis membris provideant communem locum quietum et tranquillitate plenissimum, ubi missionarii determinatae regionis secedere possint, atque, simul degentes — spiritu oecumenico ducti —, corpore, mente et spiritu renoventur.

N. 42, pag. 26: *Officium missionale laicorum.* Quae sequuntur commendanda sunt: *a*) historia activitatis laicorum in Ecclesia primaeva; *b*) munus laicorum in novo ordine sociali.

Terminus « novellae Ecclesiae » perplurimas excludit Ecclesias missionarias quibus Evangelium iam dudum praedicatum fuit: e. g. India, Corea, ubi multae ecclesiae, antiquiores sunt ecclesiarum quae in Statibus Foederatis constitutae sunt.

A. Opportunum videtur considerare id quod Sacrae Scripturae habent de laicis, in missionibus adlaborantibus.

1. Mulieres quae « ministrabant ei de facultatibus suis » (*Lc.* 8, 3).

2. Aquila et Priscilla, « adiutores » Pauli (*Rom.* 16, 3) « qui exposuerunt viam Domini » (*Act.* 18, 26).

3. Lydia quae hospitium praebuerat Apostolis (*Act.* 16, 14).

4. Tychicus, in itinere apostolico missus, mentibus exagitatis solatium attulerat (*Act.* 20, 4).

5. Phoebe « quae est in ministerio ecclesiae in Cenchris » (*Rom.* 16, 1).

6. Andronicus et Junius « qui sunt nobiles in Apostolis, qui et *ante* me fuerant in Christo » (*Rom.* 16, 7).

7. Notandum insuper est quod, in Canone Missae, nomina inveniuntur septem laicorum qui parati fuerunt Ecclesiae servire usque ad effusionem sanguinis.

8. Missionarius laicus, cum sit membrum regalis sacerdotii, onus habet Evangelium annuntiandi: « ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum » (*1 Pt.* 2, 9).

9. Vinculum inter praedicationem Christi et christianizationem institutionum, plus quam cleri, est responsabilitas laicorum. Saecularis civilizatio nostrorum temporum, munus laicorum magni momenti facit.

B. Missionarii laici qui, in terris missionum adlaborare debent, duplici praeparatione indigent:

a) *ante servitium* orientatio quae referri debet, quantum possibile est, campo futuri apostolatus;

b) *in servitio* praeparatio, quae a peritis missionariis dabitur, cum emphasi super adaptationem novis culturis.

C. Cum problemata socialia intime connectantur cum problematibus indolis religiosae, missionarii laici, *coetus* constituent, speciatim ubi servitium sociale pro pauperibus et aegrotis praeconditio est evangelizationis. Coetus isti componentur medicis, aegrotorum ministris, sacerdotibus, sororibus, machinatoribus, architectis, aedificatoribus, etc.

D. Quamvis in Ecclesia « divisiones operationum » (*1 Cor.* 12, 5) sint, divisiones tamen istae ab eodem Spiritu ducuntur atque eundem finem petunt, id est « ad consummationem sanctorum in... aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 12).

Quapropter episcopi videant ne Institutiones laicorum necnon laici missionarii indebite multiplicentur: « servare unitatem spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 3), ne multiplicatio activitatum detrimento sit apostolatus unitati.

E. Sancta Mater Ecclesia, semper sollicita quod « nemo adulescentiam contemnat » (*1 Tim.* 4, 12), atque bene cognoscens desiderium iuventutis active participandi in Missione Ecclesiae, eos iuvenes qui possibilitatem habent necnon physicas, spirituales et morales qualitates possident, exhortatur ut saltem duos annos offerant pro Missionibus Ecclesiae quae auxilio indigent; isti iuvenes vero sub auctoritate hierarchiae loci eorum originis vel loci ubi ipsi operam locant, manebunt. Talis opportunitas prompte captari debet. « Ad eos qui foris sunt tempus redimentes » (*Col.* 4, 15).

Ipsi insuper monendi sunt quod tempus evangelizationi mundi dicatum, perditum non erit, cum ille qui dixit: « Reddam vobis annos quos comedit locusta » (*Joel* 2, 25) fragmenta illius temporis colliget, « ne pereant ».

F. Christifidelibus autem qui ad ministerium apostolicum missionum se dicare nequeunt, alia media adiuvandi atque sanctificandi dantur, i. e.:

1. *Orationes,* quae Deo offerebuntur pro missionariis, primis et ante omnia pro illis qui in carcere detinentur, sicut pro Petro factum fuit: « oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo » (*Act.* 12, 5); postea, pro illis etiam Christi praeconibus orabitur, qui auxilium orationum semper exoptaverunt (*Rom.* 15, 30).

2. *Sacrificium,* oblatio nempe dolorum, atque vitae quotidianae calamitatum, ut Ecclesia illam plenitudinem in Christo consequi posset, de qua S. Paulus in Epistula ad Colossenses: « Nunc gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia » (*Col.* 1, 24.

Tolerantia doloris istarum animarum quae cum Christo crucifiguntur, tam efficax erit, quam apostolici labores eorum qui in terris missionum operam dabunt;

Scriptura enim dicit quod « qui lassi substiterant nec sequi potuerant David », remunerationem eorum qui in proelio pugnaverant, receperunt (*1 Reg.* 30, 21-24).

3. *Stipes.* Christifideles, scientes quod ipsi administratores sunt omnium quae possident atque nihil habent quod non acceperint; scientes insuper quod, quae supersunt illis qui possident, necessitates fiunt pauperum, stipes pro Pontificalibus Operibus Missionalibus necnon generatim pro Missionibus, offerent, fulgidum exemplum Domini Nostri sectantes, qui « propter vos egenus factus est, cum esset dives; ut illius inopia vos divites essetis » (*2 Cor.* 8, 9).

N. B. 1. Missionarii qui sacerdotes et religiosi sunt, *directe* ad Evangelium praedicandum vocantur. Missionarii laici *indirecte* adlaborant, et consequenter magis effective in saecularibus vitae regionibus.

2. Dichotomia « religio-labor », « communitas sanctorum - communitas hominum », sanari potest a laicatu qui activus sit in aedificatione civilizationis.

3. Religio a cultura scissa, fit anemica et introversa; cultura a religione separata, fit diabolica. Laici pristinam unitatem culturae et religionis restaurare possunt.

G. Missionarius laicus qui mundus ad Christum ducere intendit, suum testimonium super sequentes qualitates fundabit:

a) personalis integritas et aequilibrium vitae;

b) seipsum aestimabit servum societatis, sicut Christus servus fuit humanitatis;

c) aliis ostendet significatum christianum laboris et otii;

d) omnem vim et inspirationem e Christo eiusque Corpore mystico derivabit.

Addenda. Duo particulares formae cooperationis proponuntur:

I. *De cooperatione congregationum inter se.* Cum Ecclesia missionaria sit, et missiones unum sint, prout participant de communi quadam indigentia auxilii spiritualis et materialis, opportunum videtur omnia dicasteria in *unum* redigere, cui nomen erit « Commissio Mundialis Missionis »: hoc perutile erit ad affirmandum missiones onus esse totius Ecclesiae («Spiritus missionarius et spiritus catholicus unum idemque considerari debent »: Pius XI), necnon ad unificandam et facilitandam directionem missionum.

II. *Unificatio societatum pontificalium.* Cum multiplicatio Institutorum quae inter se similes sunt, sacerdotes et laicos ad confusionem ducat, necnon collectionem stipium impediat atque missionem universalem Ecclesiae infirmet, proponimus quod Ius Canonicum post-conciliare, opera Pontificia in unum componat, quia « omnes qui credebant erant pariter et habebant omnia communia » (*Act.* 2, 44).

Cap. VI. Novum caput proponimus de Oecumenismo et Missionibus. Hoc caput necessarium videtur, quia:

1. Inde a temporibus Constantini, numquam tantus fuit in mundo religiosus pluralismus, sicut hodierna die experitur.

2. Activitas — ut ita dicam — contra-missionaria mundi religionum in mundum occidentalem, opponitur activitati missionariae Ecclesiae. A. v., *omnes religiones* hodie, missionariae sunt; etiam ideologiae non religiosae, missionariae sunt. Superioribus temporibus, aliae religiones erant *obiectum* studiorum; hodierna die ipsae sunt *alternae viae ad salutem* assequendam.

3. Cum de aliis mundi religionibus, missionarius nihil vel fere nihil noverit, quaestio nunc ponitur: quomodo obviam ibit activitati missionariae aliarum mundi religionum?

4. Historici et philosophi (Toynbee, Northrop, Hocking et alii), crescentem unitatem mundi civilizationum considerantes, loquuntur de communi mundi religione quae christianismum includet.

5. Insuper, hodierna die profunde experitur insufficientiam religionum organizatarum ad problemata nostrorum temporum solvenda.

6. Haec Commissio, in memoriam revocans historiam praeteritam, colloquium cum aliis religionibus enixe affirmabit, ad praecavendam repetitionem duarum a christianitate defectionum.

a) Islamismus et communismus orti sunt in regionibus ubi fides christiana per saecula triumphaverat.

b) Uterque permotus fuit vel a Sacris Scripturis (Islamismus), vel a virtutibus christianis (iustitia socialis).

c) Uterque adiuvatus fuit, in sua origine et expansione, a languore spiritus missionarii.

Missionarii ignorare non debent novum et mutatum aspectum religiosum mundi.

Exinde deducitur necessitas capitis de oecumenismo et Missionibus.

Quae sequuntur proponenda nobis videntur:

A. Missionarius, agnoscens quod *a*) Ecclesia, uti Corpus Christi Mysticum, praesens est etiam ubi ecclesialis unitas et organizatio visibilis adhuc non est, *b*) Deus in historia agit per vias non-ecclesiales atque, *c*) Suam gratiam dispensat per media extra-sacramentalia, et « inquirentibus se remunerator est » (*Heb.* 11, 6). *d*) Ecclesia religiones naturales non *excludit,* sed bonum quod in eis invenitur, *includit, e*) in caelis populi erunt « ex omni tribu, lingua et natione » (*Apoc.* 5, 9. 10).

Missionarius, hoc agnoscens, colloquium instituet cum omnibus populis, ita ut in actu manifestetur eorum potentialis unio cum Christo, totius humanitatis Capite (*Heb.* 1, 2).

B. Sicut Christus suam gloriam cum suipsius humiliatione identificavit (*Io.* 12, 28-37), ita missionarius gloriam Ecclesiae manifestabit, mundo fideliter inserviendo; non tantum per evangelizationem; sed etiam misericordiam multitudini ostendendo. « Ut in externum ipsa transeat donum caritatis » (Ecclesiam Suam).

C. Cum missio Ecclesiae non tantum extendatur ad singulos homines, sed ad nationes, missionarii meminerint Israel signum fuisse inter adversa imperia constitutum, atque ipsam Crucem erectam fuisse ad trivium inter Ierusalem, Athenas et Romam.

Sicut Israel discere debuit Assyriam virgam et baculum furoris Dei (*Is.* 10, 5), et Cyrum, regem Persarum, pastorem et unctum (christum) Dei (*Is.* 44, 28; 45, 1) fuisse, ita missionarii agnoscent Deum mundi potestates adhibere, alias uti flagella (e. g. Communismus), alias uti auxilium Ecclesiae.

D. Haec Ecclesia missionaria separata a mundo esse debet, et tamen ipsi unita; a mundo, in spiritu, separata (*Phil.* 3, 20; *2 Cor.* 6, 17; *Io.* 18, 36; *Rom.* 12, 2), ipsi tamen unita in caritate qua Pater ita mundum dilexit, ut Filium suum Unigenitum daret. « In mundo, sed non de mundo » significat a mundo ita separata ut ipsum alloqui possit; atque ita ipsi unita ut mundus Ecclesiam audiat.

Verus dialogus nunquam illam unitatem petit, quae minuat substantiam veritatis christianae.

Caritas bene ordinata et sanctitas vitae quotidianae, duo sunt media efficacia quae, sola, praeter qualemcumque dialogum, alios ad Christum Salvatorem Eiusque Corpus Mysticum, ducent. Nunquam tam maxime alios de Redemptione convincimus, sicut cum agimus ut homines redempti.

Conclusio capitis. Omnes religiones aliquam veritatem in christianismo habere contendunt.

Dominus Noster dixit: « Ego sum veritas ». Hoc solum in historia datur exemplum, in quo Veritas et Persona identificantur.

Ipse loquitur et agit ut authenticus Dei legatus; eodem vero tempore ut humillimus hominis servus.

Praecellentia christianismi non consistit in affirmando omne verum quod in aliis religionibus invenitur, contra christianismum esse; sed potius in asserendo Veritatem, quae Christus Iesus est, omnes illas veritates amplecti atque *omne verum in mundo existens vindicare.*

Quaestio ergo non est de certitudine intellectuali, sed de identificatione cum Christo, Domino in fide Viventi.

19

Exc.mus P. D. RUDOLFUS IOSEPH STAVERMAN

Episcopus tit. Mosynopolitanus, vic. ap. Sukarnapuraensis

Quia Commissio « de Missionibus » instanter nos rogavit nos suggestiones Commissioni praesentare pro nova redactione schematis, vobis proponere vellem quaedam puncta, quae meo iudicio sine dubio in novo textu exhiberi debent. Ex industria schematice tantum puncta indico, sperans vos has ideas in novam redactionem conficere velle.

I. Initio schematis detur descriptio concisa situationis mutatae, ex qua problemata actualia pro activitate missionali oriuntur. Nempe:

a) factum quod fere omnes populi, apud quos haec activitas fit, ultimis decenniis independentes facti sunt. Concilium modo positivo hoc de facto se pronuntiet, quia nunc demum illi populi in libertate sese evolvere possunt — cum omnibus difficultatibus quae huic libertati adhaerent — et Ecclesia nunc tandem in forma vere indigena aedificari potest;

b) media communicationis inter populos quibus fit ut cognitio et experientia mutua de die in diem crescant et homines sibi obviam veniant (in quantum fines populorum non per velum ferreum clauduntur).

Populi, culturae et religiones, quae in tempore praeterito separate existebant, nunc sese inveniunt et convivere debent;

c) factum, quod apud omnes populos existit tendentia (necessaria) ad novam formam culturae technicae quae est aut videtur esse unica via ad maiorem independentiam materialem et ad participationem in bonis huius terrae;

d) Demum nova appreciatio hominis in sua libertate personali et religiosa et in suis iuribus bonorum communium totius humanitatis; nova etiam appreciatio aliarum religionum et in specie magnarum religionum quae in historia salutis magnas partes agunt. Hac nova appreciatione fit ut activitas missionalis cum dialogo iungi debet.

II. Obiectum schematis *clare* indicetur, adhaerendo in hoc Constitutioni de Ecclesia (in specie n. 17). Obiectum hoc est aedificatio Ecclesiae ubique terrarum et apud omnes gentes. Stadium missionale confectum esse videtur quando loqui possumus de Ecclesia locali indigena. Proprium non est ecclesialis usus loquendi quando terminus « missio » vel « activitas missionalis » adhibetur pro diversis operibus apostolicis in terris, ubi Ecclesia iam stabilita est. Insuper notandum est terminum « missio » immo in terris iunioribus quandoquidem aversionem suscitare, quia reminiscentias excitat periodi colonialis vel in genere aliquam infrapositionem indicat.

III. *Maximi valoris* est ut in hoc schemate necessitas et urgentia activitatis missionalis proponatur. Conscii nobis esse debemus, quod hic datur magnum problema etiam pro missionariis ipsis et praecipue pro iunioribus, ergo pro actuali et futura vocatione ad activitatem missionalem. Usque nunc schema « de Missionibus » huic quaestioni nondum satisfecit. Tamen hic cardo quaestionis; Nisi detur motivatio convincens et vere inspirans etiam novum schema iam ab initio laborat infirmitati periculosae.

Motivum hoc ne quaeratur prout nunc fit in salute individuali hominum, in huius maiore vel minore facilitate vel difficultate, sed in visibilitate sacramentali salutis Nominis Christi, in constitutione populi Dei, qui pro toto genere humano firmissimum est germen unitatis, spei et salutis (cf. Const. *de Ecclesia* n. 9).

IV. Ex hac necessitate et urgentia activitatis missionalis etiam vocatio ad missionem in textu appareat ut vocatio specialis, ad quem Concilium imprimis iuventutem Ecclesiae adhortari debet. Etiam expressis verbis dicatur hanc vocationem ad missionem eminenti modo promoveri illis institutis (Ordines, Congregationes et cetera Instituta) quae optimos vires huic labori impendunt. Haec Instituta pro activitate missionali omnino necessaria sunt ac ideo a tota Ecclesia et speciali modo ab Episcopis et Presbyteris promoveri et sustineri debent (cf. interventio em.mi Alfrink die 7 novembris 1964).

V. *Diaconia* Ecclesiae pro salute totius generis humani et omnium populorum est centrum et criterium activitatis missionalis. Haec diaconia in hoc recognosci debet quod Ecclesia se necessitatibus materialibus et spiritualibus populi totum incumbat. Sic faciendo Ecclesia apparere potest ut Missio ad pauperes, ipsa intrando in hanc paupertatem ad sanandam et liberandam, sicut Christus intravit in paupertatem conditionis nostrae humanae. De cetero paupertas Ecclesiae est problema specificum in multis terris sic dictis missionalibus. In oculis omnium indigenarum omnis missionarius vir divitissimus est, et Ecclesia missionalis locupletissimum institutum est, quia utitur bonis mediisque materialibus, sine quibus Ecclesia operari non potest. Puer vel puella qui intrat in familiam religiosam et emittit votum paupertatis, subito fruitur rebus prosperis. Quaestio est utrum hae circumstantiae cito mutari possint, sed pro nobis debent esse admonitio ut magna cum cautela loquamur de Ecclesia pauperum.

VI. Haec autem diaconia ex se semper tendere debet ad aedificandam Ecclesiam propriam et independentem. Semper ergo parati esse debent viri et feminae missionales locum suum cedere et se retrahere.

VII. In hac diaconia Ecclesia missionalis nunc sibi obviam invenit organa internationalia (Unesco, WHO, Unicef etc.) et nationalia pro evolutione materiali

et technica (Entwicklungshilfe). Quia Ecclesia hunc adiutorium in sua activitate missionali semper ut suum agnovit et etiam nunc agnoscit, bona relatio et co-operatio necessaria est. Criterium tantum esse potest bonum et salus totius populi. Ecclesia ergo parata sit ad omne opus bonum ergo etiam ad cedendum locum suum institutis magis competentibus.

VIII. In aedificatione ecclesiarum inprimis formatio virorum et feminarum qui suis populis praeesse possunt tam in re religiosa et ecclesiastica quam in re politica, sociali et oeconomica maximam attentionem exigit. In hac formatione autem nexus cum populo proprio omni cum cura servandus est et disponibilitas in bonum populi proprii colenda est. Ex hoc sequitur quod illa formatio e. g. formatio proprii cleri in genere incipere debet in propria terra ne alumni alienentur a suis et quod tantum postea nempe pro specialisatione mittantur ad instituta extra fines, ubi se melius praeparare possunt ad officia sua.

IX. Ad hanc aedificationem etiam pertinet relatio inter ecclesias separatas. Una ex parte in campo missionali illae relationes valde difficiles esse possunt, quia facile oriri potest competitio et oppositio inter Ecclesias missionem agentes. Sed tamen speciatim in terris sic dictis missionalibus oecumenismus salutaris est. Ad hoc requiritur:

a) quod inter pastores Ecclesiae adest quantum fieri potest relatio collegialis et amicalis, quae est basis naturalis spiritus oecumenici;

b) quod inter pastores deliberetur, quaenam communi labore fieri possunt et debent, e. g. organisationes sociales, opus ad evolutionem oeconomicam et technicam etc. Specialis attentio requiritur pro traductione et editione Sacrae Scripturae (cf. Schema de Divina Revelatione, cap. 6);

c) quod etiam in vita concreta communitatum evitentur conflictus et stimulentur relationes fraternitatis christianae.

20

Exc.mus P. D. MESROB TERZIAN
Episcopus Comanensis in Armenia

Iudicio exc.mae Commissioni humiliter subiicio quae sequuntur:

Propono ut quaedam dicantur de institutis S. Congr. de Prop. Fide atque de institutis adnexis, ad illustranda eius opera atque ad incitamentum zeli missionalis.

Breviter et in genere celebretur laus de magnis praeconibus Missionum omnium temporum, extollantur gesta eorum ad gloriam Dei atque ad imitationem nostram.

Per verba Romanorum Pontificum atque in specie S. S. Pauli VI, declaretur quod incepta atque opera missionaria nullum finem habent politicum, sed sunt secundum ordinem divinum ad salutem aeternam atque sunt cooperationes ad culturam et ad humanitatem.

Imprimatur in spiritu missionariorum catholicorum necessitas amoris atque laboris oecumenici erga missionarios non-catholicos, ut finem ponant scandalis dissensionum inter christianos in terris missionum.

Provideatur praeparationi apostolicae, oecumenicae ac technicae futurorum missionariorum sub ductu peritorum missionariorum. Provideatur quoque ad acquisitionem ab illis alicuius peritiae specialis idoneae ad necessitatem vel utilitatem temporalem missionis.

Unio missionalis cleri extendatur ad omnes dioecesis, sicut etiam stipes annualis pro missionibus.

Detur missionariis directorium quod sit veluti comes exhortans ad zelum et ad peritiam missionalem.

21

REV.MUS P. D. VILLELMUS VAN HEES
Magister generalis Ord. S. Crucis

Cum schema istud novo modo elaborandum est, quaedam proponuntur, quae in novo schemate ad meliorem textum componendum adhiberi possunt.

A. Ne amplius dicatur quod Ecclesia « Regnum Dei dilatare debet ». Nam Ecclesia ipsa est Regnum Dei, inchoatum in terris. Propterea potius tali modo res exprimenda videtur: Ecclesia cum sit ipsum Regnum Dei in terris, a Christo annuntiatum et in Ipso inchoatum, sese ubique dilatare debet, ita ut Deus in omni loco glorificetur et propterea omnibus temporibus mandato sui Capitis obediens et Spiritu Sancto compulsa Evangelium praedicavit...

B. Consequenter minime sufficit necessitatem missionis ex unica voluntate Dei deducere (sicut fiebat in schemate) sed profundius perscrutandum est, *quare* Deus homines omnes in Ecclesia congregandos esse decreverit. Hoc hisce verbis fieri posse videtur: Ecclesiae, quae ut Corpus Christi mysticum est quasi ipse Christus per terram dispersus, ideo missa est ut omnes ubique homines amplectetur atque in suam sanctam societatem redintegret per « unam Fidem unumque Baptisma » (*Eph.* 4, 5). Licet enim omnes homines bonae voluntatis, qui Christi salutis inconscii conscientiae dictaminibus oboediant, huic saluti inconscie participent, atque ita veraciter salvi fieri possint, nihilominus iuxta consilium a saeculis in Deo absconditum « ad cognitionem veritatis venire debent », ut in Christo incorporentur et uno ore honorificent Deum ac Patrem Domini nostri Iesu Christi », ut tandem « omnia in Christo restaurentur ». Hinc Ecclesia Evangelium ad omnes homines proclamare Paulique verba sua facere debent: « Vae mihi, si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 16).

C. Cum Concilium Vaticanum II sit Concilium pastorale, potius dicatur quod episcopi totius mundi ubique terrarum munus habent fidem promovendi, « una cum Romano Pontifice et sub eius *sollicitudine atque* auctoritate... ».

D. Evangelii praecones primum non *monstrare* debent caritatem Christi, sed tam in eo quod sunt quam quod agunt ipsam Christi caritatem *repraesentare* seu realizare debent. Hoc facto ipsa Caritas Christi hominibus apparebit.

E. Idea Missionis elargiri debet, nec ad missiones inter acatholicos restringatur. Propterea aliquid inseratur prout sequitur: Episcopi autem, qui regiones antiquas Christianas sic dictas regunt, ne obliviscantur propter progredientem dechristianizationem saepenumero sese non minus « in locis missionum » degere, ideoque actionem proprie missionalem instituere debere.

F. Quod etiam valet pro sacerdotibus harum regionum, pro quibus sequens addatur: Meminerint sibi officium missionale competere pro non-credentibus, qui intra fines suae paroeciae habitant.

22

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE ORIENTALIS

In the name of the 67 Patres Conciliares of Eastern Africa.

General remarks: 1. The Schema is satisfactory.

2. But clarification is required in the text (Chap. I) to elucidate the theology of the Missions, bearing in mind: A) The distinction between "the Mission of the Church" and "the Missionary Activity of the Church", and B) the distinction between Missionary Activity *sensu stricto* and *sensu lato.*

Amendments are respectfully petitioned hereunder in their appropriate places in the text, in an effort to render these distinctions more clear.

In particular: Pag. 1, n. 1, line 3 ... add ref. *Mt.* 28, 19.

Line 4, after « ... contendit ». Add: *Rom.* 15, 21; *Is.* 52, 15.

Pag. 7, n. 5, line 21 after « ... Capite ». Add: *Act.* 13, 47.

Pag. 8, line 14: Omit « hac missionali activitate »; Insert « missione Ecclesiae ». *Because*: What is spoken of here is "the Mission of the Church". Missionary activity, as such, is then mentioned as one of the "different conditions" in the Mission of the Church: « inceptionis primum seu plantationis, deinde novitatis seu iuventutis » (lines 15-16). This describes the condition in which "missionary activity" is exercised.

Line 14: Omit « aliquando ». *Because*: The Church's activities are not merely "sometimes" but always carried on in these "different conditions"; for the Church is in her mission (« tempus missionis ») until the end, as mentioned on page 10, line 17; so all the different functions will be active until the end, until the one Mission of the Church is completed by means of her various ministries each of which is geared to different conditions.

Line 17: Omit « missionalem »; and insert « pastoralem ». *Because*: The context here is the Church fully established, so the Church's Mission does not continue here through missionary activity directed to the individual conversion of every single person in the area; it continues through pastoral activity by which the "other sheep" in the area of the existing Church are brought into the fold. Missionary activity had ceased here once the Church was fully established on firm and indigenous foundations.

Pag. 8, line 33: Substitute « Apostolica » for « Sancta » (Sede).

Pag. 9, line 6: Substitute « salutem » for « Fidem », and omit « sine qua impossibile est Ipsi placere ».

Pag. 10, line 19: Add *Mt.* 24, 13, as footnote.

Pag. 10, line 20: Omit «Missio »; Insert « Activitas missionalis ». *Because*: The words « tempus missionis » (lines 17-18) refer to the Mission of the Church, but include missionary activity. Since this Section (9) is dealing explicitly with " missionary activity " it must be assumed that the word " Missio " in line 20 was intended to mean " missionary activity ".

Pag. 11, line 7: Change to: « Alii vero notitiam ipsius Dei confundunt », and omit « extranei manent ».

Pag. 12, line 7: After « ... impenditur ». Add reference to Schema Declar. Libertatis Religiosae, and to present Schema, pag. 13, line 5 ff. (*Note*: Not with the motive of proselytising, but as a manifestation of supernatural charity because the Church sees in all persons in need the person of Christ.)

Pag. 13, line 14: After « ... sat longum, »: « determinatum a conferentiis episcopalibus ».

Lines 17-29: Amend sentence to read: « Similiter optandum est ut initiatio illa christiana ... procuretur (Omit « est procuranda ») ... sentiant se esse populo Dei coniunctos (Omit « membra populi Dei »). *Because*: (i) where possible, and (ii) catechumens are not yet membra.

Pag. 15, line 33: Substitute «Ordinarii locorum » for « conferentiae episcopales ».

Pag. 16, line 24: Insert, between « operam » and « catechistarum » ... « Confraternitatis Doctrinae Christianae et aliarum ».

Pag. 18, line 4: After « ... valeant ». Add: « et missionarios et ipsae mittent. Memores sint insuper decreti De Ministerio et Vita Presbyterorum, pag. 27, n. 9 ».

Pag. 18, line 36: Insert full stop after « inspirat ». Omit: « simulque ... Instituta ». Substitute: « Idem Spiritus in Ecclesia suscitat sive Instiuta sive alia incepta quae ad munus evangelisationis suscipiendum ».

Pag. 19, line 31: After « roborentur » add « Eodem spiritu etiam clerus dioecesanus et alii cooperatores missionales animentur ».

Pag. 21, line 5: To read: « Cum experientia testet ipsum opus missionale a singulis difficulter impleri posse, ... ».

Line 37: Add: footnote reference to Maximum Illud.

Pag. 22, line 17: Insert after « selectis », « et si S. Pontifici placuerit a Conferentiis Episcopalibus sibi praesentatis, ... ».

Line 18: Omit: « Cardinales nempe, Patriarchae et ».

Line 21: Omit: « collegialiter ». *Because*: it refers only to Bishops.

Line 23: Insert after « peritorum » « experientia missionalia praeditorum ».

Line 35: To read: « activitatem missionalem gubernare, promovere et coordinare, ... ».

Line 37: Omit « Pastorale ».

Pag. 23, line 8: After « instituatur », Add: « et etiam ad necessitates missionales aliarum regionum extendatur ».

Line 19: After « conditio ». New sentence: « Apostolicae Sedis est diiudicare tempus, modum et gradus huius cessationis ».

Line 22: After « Dioecesi », Add: « de licentia Ordinarii ».

Pag. 24, line 16: Add footnote reference to Fidei Donum and Evang. Praecones.

Pag. 25, line 20: Add: *Mt.* 28, 19.

Line 28: Add « speciali modo in liturgia missionalia in temporibus Adventus, Epiphaniae et Pentecostes ».

Line 32: Insert between « Instituta » and « missionalia »: « et alia incepta ».

Signed on behalf of 67 Patres of Eastern Africa.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis CXXXVIII

Congregatio Generalis CXXXIX

Congregatio Generalis CXL

Animadversiones scripto exhibitae
Quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis

(Partem II in genere et cap. I)

Congregatio Generalis CXLI

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS
(partem II, cap. II)

CONGREGATIO GENERALIS CXLII

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS
(partem II, capp. III-IV)

Congregatio Generalis CXLIII

Congregatio Generalis CXLIV

Congregatio Generalis CXLV

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis (partem II, cap. V)